POTESTAS SACERDOTALIS IN CORPUS MYSTICUM CHRISTI...

Gregorio Rosignoli, Josè Maria Fonseca de Evora

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ, ET EXTREMÆ VNCTIONIS.

DON GREGORII ROSIGNOLI.

POTESTAS SACERDOTALIS
IN CORPVS MYSTICVM CHRISTI DOMINI,
TRACTATVS
DE SACRAMENTO POENITENTIÆ,
ET
EXTREMÆ VNCTIONIS.

AVCTORE

DON GREGORIO ROSIGNOLO
Ex Cler. Regul. S. PAVLI vulgo Barnabitis.

AD EMIN.MVM, ET REV.MVM

D. D. LEANDRVM
S. R. E. CARDINALEM COLOREDVM
POENITENTIARIVM MAIOREM.

Cum duplice Indice altero Titulorum, altero rerum locupletissimo.



MEDIOLANI, MDCCVI.


Ex Typographia Iosephi Pandulphi Malatestæ.
Superiorum permissu; Et Priuilegio.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

D. D. LEANDRO

S. R. E. CARDINALI COLOREDO

MAIORI POENITENTIARIO.



D. GREGORIVS ROSIGNOLVS

Perennem felicitatem.

TVum vndique ſe profitetur hic liber, atque hoc vno gloriatur EMIN.ME PRINCEPS. Nec ſponte ſolùm, ſed & iure Tuum ipſa docet frontis inſcriptio. Cuius autem eſſe malit, quàm clariſſimi, & clementiſſimi Patroni, aut cuinam iuſtiùs inſcribatur, quàm Tibi, qui authoritate Pontificia adminiſtrandæ præes Pœnitentiæ? & quidem æquum fuerat Tuis prodire auſpicijs, quibus fauentibus natum ijſdem omninò debuit Author obſtrictus. Audiueram enim ſæpius, quàm benignè ſcripta mea intueri ſoleres; ac etiam præ Tua ſingulari humanitate

commendare; quod vtique non mediocre fuit incitamentum, vt cœpta prosequerer, & nouum aliquod opus Tibi procuderem: illud quippe Ausonij veniebat in mentem: *Nil dubites Authore bono.* Quid verò dubitem, vbi fauet tanti Viri iudicium, cuius authoritatem, & Generis, & Dignitatis claritas, & purpurata cum Religione Doctrina tam splendidè illustrant? Hic iam calamum cohibet modestiæ Tuæ seueritas, ne gentilem Gloriam, & maiorum decora percurram; cùm Tu insignes Auos moribus referre malis, quàm fumosis imaginibus gloriari. At quamuis Te à domestico splendore in sacros recessus abduxerit studium Pietatis, clariùs emicuisti, dum latere amares. Nimirum Gloria maximè sequitur fugiens meritum, & frustra tendit in latebras egregia Virtus, quæ sua luce se prodit; eamque, licet inuitam, *blandè vestigat, & vltro ambit honor.* Tu quidem, vt cætera Sanctissimi Patris Philippi exempla imitatus, ita in declinandis dignitatibus constantissimè secutus ingenium, Te sub illius vmbram receperas, vt priuatam operam in excolenda Vinea Domini collocares. Sed altiùs emicare merebatur hic idem animus, vt pluribus prodesset; neque hunc intra præscriptos sibi fines contineri passus est Optimus Pontifex Innocentius XI., qui Diuinæ afflatu Prouidentiæ pia secus Tua consilia publicæ posthabuit vtilitati. Te itaque Purpuratis Patribus adscriptum in partem acciuit Apostolici laboris: atque vt Tecum Pontificias curas diuideret, maximam eam Tibi prouinciam demandauit, quæ ligandi, atque soluendi potestatem administrat, Petro diuinitùs concessam. Cui quidem muneri tantò Te aptiorem prospexit vigilantissimus Pastor, quantò clariùs in Te collucet, vt olim in Redemptoris Prodromo, cum ministerio Pœnitentiæ integritas vitæ, ardensque studium procurandæ animarum salutis. Hæc itaque cùm mecum sæpius cogitarem, dicandam Tibi maximè censui huiusmodi Doctrinam, quæ Pœnitentiam, siue vt Virtutem, siue vt Sacramentum expendat, ad institutum, officiumque Tuum pertineret. Excipe itaque destinatum Tibi opus, quod si minùs rerum, Tuæque dignitati respondet, bonam certè Scriptoris mentem respicies, qui vt debita erga Te sua profiteretur, hoc saltem, quod Tui iuris esse arbitratur, non tam offert, quàm soluit. Vale.

NOS

NOS infrascripti testamur in libro, qui inscribitur, *Potestas Sacerdotalis in Corpus Mysticum Christi Domini; hoc est de Sacramento Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis* P. D. Gregorij Rosignoli Congregationis nostræ Clericorum Regularium S. Pauli Presbyteri Professi a nobis de mandato Adm. R. P. D. Idelphonsi Manaræ Præpositi Generalis nostri diligenter lecto nihil reperiri, quod Catholicæ fidei, aut bonis moribus officiat, immò vtile fore censemus, si typis expressus euulgabitur. Dat. Mediolani in Collegio Sancti Alexandri die 25. Augusti 1704.

D. Io: Claudius Puteobonellus Delegatus.
D. Malachias Pauesius Delegatus.

DON IDELPHONSVS MANARA

Congregationis Cler. Reg. Sancti PAVLI
Præpositus Generalis.

CUM librum, cui titulus est, *Potestas Sacerdotalis in Corpus Mysticum Christi Domini, hoc est de Sacramento Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis* à Patre D. Gregorio Rosignoli Congregationis nostræ Presbytero Professo compositum, duo eiusdem Congregationis nostræ Eruditi Viri, quibus id commisimus, accurata lectione, & graui Iudicio, recognouerint, & posse in lucem edi, probauerint; Nos, vt typis mandetur, quantum in nobis est, facultatem facimus. In quorum fidem, has fieri, sigilloque nostro muniri iussimus.
Dat. Romæ in Collegio nostro SS. Blasij, & Caroli die 6. Septembris 1704.

D. Idelphonsus Manara Præpositus Generalis.

Locus ✠ Sigilli.

D. Hieronymus Sitonus Cancell.

PRobatum ex se est Adm. Reu. Patris D. Gregorij Rosignoli ex Clericis Regularibus S. Pauli, vulgò Barnabitis Opus inscriptum: *Potestas Sacerdotalis in Corpus Mysticum Christi Domini, idest de Sacramento Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, &c.* vt quid & meo approbem calculo? Approbo tamen, nè commisso mihi muneri desim, & quidem illud approbo libentissimè, vt ad typographiam, & ad legentes, publicamque vtilitatem ritè transeat; comperi enim in eodem doctrinam vbique sanam, atque ex Auctoribus valdè probatis haustam, dilucidatam; Opiniones verò, quas docet, ac sequitur, vel ab intrinseco, vel ab extrinseco ostenduntur probabiles: semperque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & eius Decretis inhærentes, obsequentes. Hæc Idibus Februarij, Anno MDCCV. è nostris Sacris D. Antonij Ædibus dedi.
Ego D. Hieronymus Meazza Clericus Regularis, Sacræ Theologiæ, & Sacrorum Canonum Professor, in Sanctissimæ Inquisitionis Tribunali Consultor, pro eadem Librorum Censor, &c.

IMPRIMATVR

F. Prosper de Leonibus Inquisitor Generalis Mediolani &c.

Bartholomæus Crassus Can. Ord. pro Emin. Card. Archiepiscopo.

Angelus Maria Maddius pro Excellentissimo Senatu.

IN-

INDEX TITVLORVM
DE
SACRAMENTO POENITENTIÆ.

PARS PRIMA.

QVÆSTIO I.

Quid sit Pænitentia, qua virtus est, & qua Sacramentum, & an detur.

QVÆSTIO II.

De materia remota huius Sacramenti.

QVÆSTIO III.

De materia proxima, & primo de Contritione, & Attritione.

11. An

INDEX TITVLORVM.

QVÆSTIO IV.

De Confessione, altera parte materiæ proximæ.

QVÆSTIO V.

De Satisfactione tertia parte materiæ proximæ.

QVÆSTIO VI.

De Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

QVÆSTIO VII.

De Causa efficiente Sacramenti Pœnitentiæ.

in

INDEX TITVLORVM.

QVÆSTIO VIII.

De Effectibus Sacramenti Pænitentiæ.

PARS

INDEX TITVLORVM.

PARS SECVNDA.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ VNCTIONIS.

QVÆSTIO I.

De existentia, & institutione huius Sacramenti.

QVÆSTIO II.

De causa efficiente eiusdem.

QVÆSTIO III.

De causa subiectiua.

QVÆSTIO IV.

De effectibus huius Sacramenti.

QVÆSTIO V.

De Ritibus seruandis in administratione huius Sacramenti.

DE

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

TAbula post secundum naufragium substernitur, qua demersi in profundum scelerum pelagum prouehuntur ad æternæ portum felicitatis. Non satis humanæ imbecillitati iam originalis culpæ turbine confractæ, & in profundum malorum coniectę consultum fuisset, nisi prolabenti post primum naufragium in vlteriora crimina noua Tabula efformaretur, qua à nouis naufragijs extraheretur, & instaurata innocentia ad asillum salutis reduceretur. Proindè igitur Diuina clementia naufragantibus secundam Tabulam, quæ vnum æternæ mortis detinendæ profugium est, instituit, ad quam, nisi fideles confugerent, iam imminentis naufragij paterentur exitium. Pænitentia, hæc est, in qua veluti in Noetica arca receptæ viuentium animæ è scelerum naufragio liberantur, & extra quam existentes in criminum diluuio ineuitabili interitu ad mortem prouehuntur æternam; vndè meritò Leo Magnus Epist. 91. asserit. *Multiplex misericordia Dei ità lapsibus subuenit humanis, vt non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Pænitentiæ Medicinam spes vitæ reparetur æternæ, vt qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes ad remissionem criminum peruenirent*. In hac Tabula tanquam in tuto æternæ salutis portu sistimus, vt obuiantes ingruentium scelerum scopulos effugiamus, &, si fortè in eosdem concupiscentiæ turbine compellente impinga-

mus, Tabula hac suffragante ab interitu eruamur. Toto mentis conatu huic Tabulæ hæreamus, vt eius subsidio inter huius labentis vitæ syrtes excidia reparemus instaurata per Pænitentiam innocentia, & vitam consequamur æternam.

QUÆSTIO I.

Quid sit Pœnitentia, qua virtus est, & qua Sacramentum, & an detur.

AB essentia, & existentia tanquam à radice, à qua pronenjunt passiones, & proprietates, & effectus tractationem hanc incipimus, vt ab eis aperiamus aditum ad ea omnia, quæ pertinere possunt ad completam notitiam huius Sacramenti; sed quia Pœnitentia considerari potest, vel vt virtus præcisè est, vel vt Sacramentum, ideò in hac quæstione quoad vtramque rationem ipsam examinabimus.

ARTICULUS I.

Quid propriè sit Pœnitentia, qua virtus est.

SUMMARIUM.

A quo desumptum sit hoc nomen Pœnitentiæ. 1.
Non importat solum mollem cordis affectum, sed præteritorum peccatorum dolorem. 2.
Propria definitio Pœnitentiæ, vt virtus est. 3.
Necessario inuoluit dolorem anteactæ vitæ. 4.
Debet ad Deum referri, & à recto fine procedere. 5.

1 Ethimologia huius nominis.

SI Ethimologiam nominis spectemus ex *D. Isidoro lib. 6. Ethimol. cap. vltimo*, dignoscemus importare displicentiam de ijs, quæ antea fuerant placita, & commissa, nam pænitere idem est, ac pænam tenere, sicuti Pœnitentia idem, ac pænæ tenentia, vt semper quis puniat in se vlciscendo, quod commisit peccando; ex quibus clarè elucet Pœnitentiam ex genere suo respicere præteritorum peccatorum dolorem, non meram resipiscentiam, seu mollem cordis affectum, vt impiè senserunt Lutherus, & Caluinus, qui, vt lenocinijs carnis, & sensuum homines retraherent à fructibus veræ Pœnitentiæ acquirendis in simplicem illum, & mollem cordis affectum eiusdem efficaciam refuderunt. Contra istos acritèr pugnant SS. PP. *Tertullianus lib. de Pœnit.* Ibi- *Pœnitentiam norunt passionem quandam esse, quæ venit ex offensa sententiæ prioris. Author lib. de vera, & falsa Pœnitentia, cap. 8. Pœnitentia est quædam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet commisisse, Augustinus serm. 57. de tempore, Ad emendanda crimina vox Pœnitentis sola non sufficit, nam in satisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm, sed opera quæruntur.*

2 Quid propriè importet.

3 Quid sit virtus Pænitētiæ.

Ex hac nominis Ethimologia, & vera Pœnitentiæ significatione resultat formalis eius quidditas, quæ potest congruè sic definiri. *Est virtus, qua anteacta vitæ crimina secundum Deum ex honesto fine detestamur.* Dicitur, *virtus*, de cuius ratione est facere bonum illam habentem, & opus eius reddere bonum; Quis autem ambigat, veram Pœnitentiam secundum Deum reddere Pœnitentem bonum, & opera eius perfecta? Hæc est, quæ teste *D. Ambrosio sermon. de Cathed. D. Petri*, fideliorem fecit D. Petrum, postquam fidem se perdidisse defleuit; atque ideò maiorem gratiam recepit, quam amisit. Hæc est, quæ teste *Chrysostomo serm. de Pœnitentia*, peccata remittit, Paradisum reserat, contritum sanat, tristem exhilarat, mortuos de interitu reuocat, virtutes reformat, gratiam abundantiorem refundit &c. Et licet videatur non in bonum, sed in malum ferri, quia tamen non in illud fertur prosecutione, sed fuga, & detestatione; non fertur in illud, vt malum, sed potius sub ratione boni, quia contrarium malo est quid bonum.

4 Necessario importat dolorem.

Dicitur, *qua anteacta vitæ crimina detestamur*, & per has particulas excluduntur hæretici volentes importare solam animi resipiscentiam, & peccati agnitionem, propositumque dumtaxat nouæ vitæ inchoandæ; contra quos militat dispositio *Concil. Tridentini sess. 14. cap. 4.*, dum dicit. *Certè, qui illos sanctorum clamores considerauerit. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci; laboraui in gemitu meo, lauabo*

per

per singulas noctes lectum meum. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, & alia huius generis, facilè intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.

Debet in Deũ referri.

Dicitur, *secundum Deum, & ex honesto fine*, quia, vt propriè virtus sit, debet à recto fine procedere; vndè, si quis detestaretur peccata ob solam infamiam, qua ex illis notatur retenta voluntate iterum peccandi, nisi infamia illa retraheret, vel doleret de aliquo facto suo, eo quod amiserit commodum alia peccata patrandi non esset propriè virtus, nec vera secundum Deum Pænitentia.

ARTICULUS II.

An Pænitentia sit specialis virtus, & qualis.

SUMMARIUM.

Exponitur dictum D. Thomæ. 1.
Variæ rationes, & respectus in peccato considerantur. 2.
Pænitentia est specialis virtus à cæteris distincta ratione obiecti. 3.
Explicatur, in quo consistat hoc obiectum Pænitentiæ. 4.
Quamuis in aliquo conueniat cum iustitia, in aliquo tamen essentiali ab illa differt. 5.
Differt etiam à Religione, & quomodo. 6.
Etiam à charitate, & quomodo. 7.
Quamuis opponatur vitijs diuersis in specie, opponitur tamen sub eadem ratione formali. 8.
Potest imperari à charitate, & Religione. 9.
Non est pars iustitiæ commutatiuæ, sed ad summum generalis. 10.
Non currit paritas de satisfactione partiali debiti in humanis, & de satisfactione iniuriæ factæ Deo. 11.
Quomodo dicatur pars potentialis iustitiæ. 12.

1 Quid senserit D. Thomas.

D. *Thomas tertia parte quæst. 85. art. 3.*, inuenit in Pænitentia specialem rationem actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem actus præteriti, quatenus est offensa Dei, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis; ex quo videtur satis clarè deduci ex mente Sancti Doctoris, Pænitentiam non esse virtutem generalem vagantem per alias omnes virtutes, sed specialem, & ratione sui obiecti sub ea ratione, sub qua in ipsum tendit, esse à cæteris omnibus distinctam.

Pro huius sententiæ clariori intelligentia, & solidiori eius fundamento aduertendum est, in peccato plures rationes considerari posse; primò rationem mali, prout opponitur bono honesto; secundò rationem mali, prout opponitur Diuinæ bonitati, quatenus Diuinam amicitiam dissoluit, rationem vltimi finis, quantum est ex parte peccantis, affectiuè à Deo submouet, & in creaturam, ratione cuius peccat, conuertit; tertiò rationem mali respectu peccantis, quatenus ipsum bonis spiritualibus gratiæ, donorumque supernaturalium priuat; quartò rationem mali, secundum quam opponitur specialibus virtutibus; quintò rationem mali, prout opponitur Deo, non vt præcisè summo bono, sed etiam, vt supremo Domino, & Legislatori. Iuxtà hanc vltimam acceptionem sentit *Contensonius lib. 11. p. 3. disert. vnica cap. 1. corrol. 1.*, Pænitentiam respicere peccatum, quatenus reparet pro virili iniuriam Deo illatam, vt supremo Domino, & Legislatori, & sub hac ratione asserit, esse virtutem ab alijs distinctam, ratione scilicet obiecti, in quod tali respectu particulari tendit; nam, si sumatur peccatum iuxtà primam considerationem, prout scilicet opponitur bono honesto, non potest esse obiectum specialis virtutis, quandoquidem, & amor boni, & odium mali ab eodem principio procedunt, nempè à voluntate, quando sumuntur in genere, quia ad hæc voluntas ex se apta est, & vi sua sufficientèr instructa, nec indiget alicuius habitus additamento; si sumatur iuxtà secundam considerationem, prout opponitur bonitati Diuinæ, sicut amor eiusdem pertinet ad charitatem, ita odium mali contra eandem videtur ad eandem charitatem pertinere.

2 Rationes, quæ possunt in peccato cõsiderari.

Iuxtà tertiam considerationem, secundum quam opponitur bono peccantis etiam ad charitatem ordinatam erga proximum spectat, quatenus sicut amor sui, seu bonum sui, ita auersio à malo proprio ad charitatem erga proximum spectat, & charitas proximi ordinata debet incipere à se ipso. Iuxtà tertiam considerationem, secundum quam opponitur specialibus virtutibus, sicut bonum ipsarum pertinet ad speciales virtutes, ita & odium mali, quod eisdem aduersatur, ad ipsas pertinet; vndè hanc virtutis Pænitentiæ specialitatem in quintam considerationem refundit; cum eodem sit

3 Est specialis virtus à cæteris distincta ratione obiecti.

ASSERTIO I. Pænitentia est specialis virtus, & ab alijs distincta ratione obiecti, in quod speciali modo tendit, nempè sub detestatione peccati, prout opponitur Deo vt supremo Domino, & Legislatori. Hæc videtur esse expressa mens *D. Thomæ in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 5.* Ibi *Aliquis efficitur Deo debitor per hoc, quod ab eo aliquid recipit, & hac ratione Deo reddit debitum honorem latriæ, seu Religio; alio*

modo ex hoc, quod contra Deum peccauit, & sic red dit Deo debitum Pænitentiæ.

Ratio assertionis ex eo deducitur, quod virtutes distinguuntur per ordinem ad obiecta non terminatiuè, nec materialitèr sumpta, sed per ordinem ad ea formaliter sumpta, & iuxtà modum tendentiæ in ipsa, sed Pænitentia iuxta modum expositum habet obiectum formalitèr diuersum a cæteris virtutibus, & modum tendendi etiam specialem, & distinctum, ergo ratione obiecti est virtus specialis, & ab alijs omnibus distincta. Minor probatur, quia obiectum, ad quod speciali modo tendit Pænitentia, est iniuria facta Deo, vt quadam compensatione resarcibilis, & reparabilis, vt notat *D. Thomas tertia part. quæst.* 85. *art.* 3., vbi habet, quod emendatio offensæ non fiat per solam cessationem ab eadem, *sed vlterius exigitur quadam compensatio, quæ habet locum in offensis in alterum commissis, sicut, & retributio, & D. Augustinus lib.* 50. *Homiliarum hom.* 50., ait. *Non sufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de ijs, quæ facta sunt, satisfiat Deo per Pænitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum per contriti cordis sacrificium &c.*, sed hæc iniuria quadam compensatione auferibilis importat detestationem peccati, prout opponitur Deo, vt supremo Domino, & Legislatori, & per hoc contradistinguitur ab obiecto cæterarum virtutum, ergo &c. Minor quoad secundam partem probatur, quia licet quælibet virtus, sicuti amat proprij obiecti honestatem, ita odit peccatum eidem honestati oppositum, nulla tamen rationem iniuriæ per quoduis peccatum intentatæ ex propria ratione resarcit.

4 In quo cõsistat hoc obiectũ.

Dices primò; hac ratione Pænitentia confunderetur cum iustitia, non solum, quia ad hanc pertinet compensatio, sed etiam, quia in humanis satisfactio pro iniurijs, & offensis est actus commutatiuæ iustitiæ, iustum est enim, vt qui offendit alterum, ipsi emendatione, retributione, & punitione satisfaciat. Sed contrà; licet enim in ea parte, qua Pænitentia est ad alterum, imitetur quoquomodo iustitiam, propriè tamen iustitia non est, nisi ad summum potentialitèr, vt loquitur *D. Thomas*, quatenus potest esse pars eiusdem iustitiæ, vt virtutis generalis; deficit enim à ratione essentiali iustitiæ, nempè quoad æqualitatem; vndè iustum secundum *Aristotilem* 5. *Ethicorum*, & *secundum D. Thomam tertia part. quæst.* 85. *art.* 5., potest duplicitèr sumi, scilicet simplicitèr, & secundum quid; simplicitèr quidem iustum est inter æquales, &, quia iustitia est æqualitas quædam; iustum autem secundum quid dicitur, quod est inter illos, quorum vnus est sub potestate alterius, & tale iustum consideratur in Pænitentia; vndè pænitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito. Deindè cessat absolutè hæc ratio in nostris principijs, secundum quæ inter Deum, & creaturas propriè non datur iustitia, vt suppono ex quæstionibus de Verbo Incarnato; Ex quibus resoluuntur ea, quæ in instantia afferebantur de compensatione, & satisfactione, non solum, quia istæ debent esse cum æqualitate, sed etiam inter æquales, quod non euenit in casu præsenti.

5 Deficit à ratione iustitiæ, & in quonam.

Dices secundò; Pænitentiam respicere idem obiectum, quod respicit virtus Religionis, quandoquidem Religio non solum respicit cultum, & honorem Deo debitum, sed etiam auersionem eidem cultui, & honori oppositam, siquidem eiusdem virtutis est respicere bonum, & malum eidem oppositum; illud, vt prosequatur, istud, vt euitet, sed Pænitentia etiam versatur circa honorem Deo debitum reparando iniuriam eidem collatam per peccatum, ergo &c. Sed contrà; quamuis vtraque respiciat honorem Deo debitum, non tamen eodem modo, & sub eadem ratione formali, nam Religio respicit cultum Deo debitum, & honorem reddit, quia ab eodem aliquid recipit, vt notat *D. Thomas in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 1. *quæstiunc.* 5. Pænitentia verò reddit Deo debitum ex hoc, quod contra Deum peccauit; vndè resultat diuersa ratio formalis, consistens in eo, quod obiectum Religionis sit cultus Deo debitus ratione beneficiorum ab eodem receptorum; obiectum verò Pænitentiæ sit quidem honor per peccatum læsus, & per compensationem, & satisfactionem reparandus.

6 Quomodo differat à Religione.

Dices tertiò; Pænitentia hanc habet cum charitate affinitatem, vt non teneatur sistere in medio, sicuti cæteræ virtutes morales, sed possit semper, & semper crescere, sicuti charitas, nam, sicuti Deus potest semper, & semper amari, cum modus diligendi Deum sit ipsum sine modo, & limitatione diligere; ita peccatum, quod eidem opponitur, potest semper, & semper magis detestari, adeo vt nullus sit modus, nullaque limitatio detestationis, vndè; sicuti Deus est summum bonum super omnia diligendum, ita peccatũ est summum malum super omnia detestandum, ergo non est specialis virtus, sed ad eandem charitatem reducibilis. Sed contrà primò, quia, quamuis daremus, quod in hac parte quoquomodo imitaretur charitatem erga Deum; in alia tamen parte essentiali deficeret à ratione eiusdem charitatis, in eo scilicet, quod respicit honorem

7 Differt etiam à charitate.

rem Dei læsum compensatione reparandum, quod satis est, vt possit dici specialis virtus. Secundò dolor de peccato potest dupliciter sumi, primò prout peccatum opponitur amicitiæ Dei; secundò, vt importat offensam Dei actibus pænitentis resarciendam; Dato iam, quod secundum considerationem, qua opponitur Dei amicitiæ, non patiatur limitationem, prout tamen respicit actus pænitentis, per quos talis offensa est resarcienda, potest pati limitationem, ne degeneret in tristitiam talem, quæ inducat in desperationem, vt contingit in Cain, & Iuda Apostata.

Difficultas aliqua in eo videtur consistere, quod, si esset specialis virtus, & à cæteris omnibus distincta, deberet opponi determinato vitio, nam, sicuti peccata diuersimodè specificantur per ordinem ad diuersas in specie virtutes, ità & virtutes debent specificari in ordine ad diuersa in specie peccata; vndè, vt sit vna virtus in specie, debet opponi speciali vitio, &, si pluribus in specie opponatur, non potest esse, nisi diuersa in specie, sed pænitentia contrariatur omnibus vitijs, quæ sunt diuersa in specie, ergo & ipsa erit diuersa in specie iuxtà diuersitatem peccatorum. Sed facili negotio ab hac difficultate me eximo, considerans, quod peccata possint dupliciter sumi, scilicet, vel secundum rationes specificas, quas habent in se, vel prout conueniunt in aliqua ratione detestabilitatis ratione iniuriæ læsiuæ Dei, quantum est ex parte peccantis, & reparabilis per compensationem pœnitentis. In casu præsenti peccata sumuntur iuxtà secundam considerationem, secundum quam ratio formalis est vna, & propterea constituit vnam in specie virtutem. Hoc clarissimis exemplis euincitur in omnibus ferè scientijs, & facultatibus singillatim acceptis, in quibus actus earum, si considerentur secundum se, & materialiter, sunt diuersi in specie, si verò considerentur, prout subsunt vni, & eidem rationi formali, constituunt vnam scientiam, seu facultatem in specie, vt inductione per omnes fit manifestum.

8 Respicit sub eadem ratione formali.

Quamuis autem constituamus pænitentiam in vna specie virtutis, non negamus tamen, posse eandem pænitentiam imperari, vel à charitate, vel Religione, vel coniungi cum alijs virtutibus, quod etiam videtur innuisse *D. Thomas tertia parte quæst.* 85. *art.* 5., vbi, postquam dixit habitum pænitentiæ immediatè à Deo infundi sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositiuè cooperantibus, enumerat actus, quibus Deo cooperamur, & inter cæteros actus Fidei, item motus timoris seruilis, item actus timoris filialis &c., subdens, *Sic igitur patet, quod actus pænitentiæ à timore seruili procedit, sicut primo motu affectus ad hoc ordinato; à timore autem filiali, sicuti ab immediato, & proximo principio;* Ex hoc tamen non infertur id, quod intendit *Contenson. loc. cit. in fine*, quod virtus pænitentiæ non distinguatur à timore filiali, in quo ipse constituit specialem virtutem; non, inquam, infertur, quia per hoc solum importatur, quod idem timor filialis sit principium, non autem ratio formalis eiusdem pænitentiæ, cum specifica ratio non desumatur à principio, sed à modo, quo potentia tendit in obiectum.

9 Potest imperari à charitate, & Religione.

Assertio II. Pænitentia non est pars iustitiæ commutatiuæ propriè sumptæ, sed ad summum generalis, & potestatiuæ. In hoc expressè consentit *D. Thomas secunda secundæ quæst.* 80. *art.* 1., vbi pænitentiam appellat partem iustitiæ potentialis.

10 Non est pars iustitiæ, vt cõmutatiuæ.

Ratio primæ partis desumitur ex præcedenter dictis, & ex ijs, quæ docuimus in quæstionibus de Verbo Incarnato, & de iustitia, & iure, vbi latè probauimus, inter Deum, & creaturam propriè non dari iustitiam commutatiuam; Item ex eo, quod non possit esse compensatio ad æqualitatem, quod est proprium iustitiæ. Neque dicas, quod per pænitentiam, seu per contritionem tantum reddatur Deo, quantum ablatum est per peccatum, ergo constituitur æqualitas à iustitia commutatiua requisita; Contra enim impugnaberis, quia, quod per contritionem remittatur peccatum, seu iniuria facta Deo, non est ex æqualitate satisfactionis ad iniuriam, seu, vt loquitur Aristoteles, passi, & repassi, seu contrapassi, sed ex benigna Dei acceptatione, & misericordia remissionem concedentis ob actus etiam inæquales; Cæterum, quod non sit æqualitas, ex eo euincitur, quia satisfactio est actus pænitentis, qui conditionem recipit à dignitate limitata ipsius; offensa verò respicit personam offensam, quæ est infinitæ dignitatis, non quod sequatur, quod ipsa offensa sit infinita; sed quod sit malum in supremo genere mali, adeoque semper quid superius ad satisfactionem, quæ possit præstari. Deindè bonum, quod homo pænitendo reddit Deo, est particulare, & alijs titulis Deo debitum; bonum verò, quod per peccatum nixus est Deo auferre, vniuersalissimum est, & contra omne ius supremi Dei dominij, adeoque &c.

Neque vrgeas, quod, quamuis non possit pænitens Deo reddere ad æqualitatem iniuriæ ipsi illatæ, reddendo tamen quantum potest, videatur sufficienter satisfacere iustitiæ, sicuti in humanis debitor,

tor, qui non poteſt reddere æquale, reddendo tamen, quod poteſt, ſatisfacit tamen in parte iuſtitiæ etiam commutatiuę; contra enim adhuc impugnaberis, quia debitum in humanis, potiſſimum, ſi ſit circa bona fortunæ, ſupponitur diuiſibile, & diſſolubile per partes, & ſic comparando partem debiti ad partem ſoluti pro parte fit ſatisfactio iuſtitiæ commutatiuæ, remanente onere quoad alias partes diſſoluendo, vel per æquiualentem ſolutionem, vel liberam remiſſionem creditoris; iniuria autem Deo facta non patitur diuiſionem, nec eſt auferibilis per partes alijs remanentibus, adeoque tota ſimul debet diſſolui; cum igitur non detur actus pęnitentis proportionatus, ſeu ad æqualitatem cum ipſa iniuria, ſeu offenſa, non poteſt eſſe compenſatio ex iuſtitia.

11 Non currit paritas de ſatisfactione partiali in humanis.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia iuſtitia habet ſub ſe plures partes merè potentiales ſub ea ratione generali, ſub qua eſt ad alterum; quia tamen in materia, qua virtutes ſunt ad alterum, diuerſa ſunt obiecta formalia, diuerſæ etiam virtutes conſtituuntur, quæ partes potentiales iuſtitiæ à D. Thoma appellantur; iuſtitia etenim dicitur vniuerſa virtus, quatenus per omnes vagatur; ſicuti igitur cæteræ virtutes dicuntur partes iuſtitiæ potentialis, quamuis à rigoroſa ratione iuſtitiæ deficiant, ita & pænitentia.

12 Eſt pars potentialis iuſtitiæ.

ARTICULUS III.

Quodnam ſit ſubiectum virtutis Pænitentiæ.

SUMMARIUM.

Subiectum alterum remotum, alterum proximum. 1.
Omnis homo capax peccati poteſt eſſe ſubiectum remotum. 2.
Chriſtus Dominus non habuit habitum pænitentiæ. 3.
Nec probabilius Deipara Virgo. 4.
Non fuit in eadem fomes peccati. 5.
Potentia remota fuit per ſuperuenientem gratiam alligata. 6.
In Angelis neque eſt, neque fuit habitus pænitentiæ. 7.
Poſt deliberationem Angeli ſunt inflexibiles. 8.
Ante eandem ſunt liberi. 9.
Conciliantur dicta D. Thomæ. 10.
In Angelis eſſet inanis pænitentiæ infuſio. 11.
In Adamo verè fuit infuſus habitus pænitentiæ etiam ante commiſſum delictum. 12.
Non currit paritas de Angelis, & quare. 13.
In Beatis perſeuerat habitus pænitentiæ. 14.
Non currit paritas de habitu Fidei, & ſpei. 15.
Subiectum proximum pænitentiæ eſt anima rationalis, vt volitiua. 16.
Intellige, vt eſt actus ſpiritualis. 17.
Propter ſimboleitatem, quam habet cum iuſtitia, recipitur in ſubiecto, in quo recipitur iuſtitia. 18.

SVbiectum duplex cuiuſcunque virtutis poteſt conſiderari, alterum remotum, & mediatum, alterum proximum, & immediatum. Loquendo de remoto, & mediato in ordine ad virtutem pænitentię ex *D. Thoma tertia parte quæſt. 85. art. 6.*, illud erit ſubiectum, quod ex præexiſtentia peccati indiget pænitentia pro eiuſdem remiſſione, vndè ait. *Aliæ virtutes per ſe videntur neceſſariæ ad bonum hominis, pęnitentia autem ſuppoſito quodam (ſcilicet peccato) præexiſtente, vel ſaltem poſſibili*; ex quibus verbis clarè liquet, illos omnes homines eſſe ſubiectum huius virtutis, in quibus ineſt peccatum, vel peccati capacitas, quę, cum non ſit, nec eſſe poſſit in Chriſto Domino, ipſum reddit pænitentiæ incapacem; in eo etenim non poteſt eſſe virtus, cuius actus eſt eidem impoſſibilis; quod, ſi dicatur, quod Chriſtus Dominus pro peccatis hominum ſatisfecerit, adeoque pænitentiam pro eiſdem egerit; tunc dicam, non per actus pænitentiæ ſatisfeciſſe, ſed per actus rigoroſæ iuſtitiæ ex liberalitate, non ex debito, eo modo, quo alter pro altero in debito pecuniario ſatisfacit, quæ ſatisfactio reſpectu illius, qui gratis ſoluit pro debitore, dicitur actus liberalitatis.

1 Subiectum duplex.

2 Homo capax peccati eſt ſubiectū.

3 Chriſtus Dominus fuit incapax pænitentiæ.

Ex ijs, quę hic dicuntur, nonnullæ inſurgunt rationes dubitandi, quas hic diſſoluendas propono. Prima eſt, an Deipara Virgo verè habuerit pænitentiam; quamuis enim actu nullum peccatum contraxerit, nec originale, vt magis piè communius ſentiunt Theologi, & fidelium potior multitudo, nec actuale, ſiue læthale fecerit, ſiue veniale, vt definit *Tridentinum ſeſſ. 6. de iuſtificatione can. 23.*, nihilominus ratione ſtatus viatoris, & conditione libertatis creatæ potuiſſe peccare videtur. Secunda, an in Angelis ſit, vel fuerit habitus pænitentiæ, cum ſaltem in primo ſigno ſuæ Creationis potuerint peccare. Tertia, an in Adamo, cum primo creatus fuit, fuerit eiuſdem pænitentiæ habitus infuſus. Quarta, an in Beatis remaneat habitus pænitentiæ.

Assertio I. In Deipara Virgine probabilius non fuit habitus pænitentiæ. In hanc propendent Nugnus, cum alijs apud *Contenſonium lib. 11. part. 3. diſſert. vnica cap. 1. corrol. 2. verſ., an autem fuerit*, qui etiam

etiam appellat hanc sententiam probabiliorem, & Dei matris honori, & dignitati magis decoram.

4 Deipara Virgo probabilius non habuit hunc habitũ.

Probatur, quia Deiparæ Virgini in primo instãti suæ Cõceptionis fuit infusa gratia præueniens, & sanctificans extinguens in ipsa fomitem peccati, & firmans ipsam in gratia, & perfecta Dei amicitia, adeo vt ratione eiusdem plures non leuis nominis Doctores asseruerint, nec debitum contrahendi originale contraxisse, ergo in eadem non fuit habitus pænitentiæ. Consequentia probatur non solum *ex D. Thoma loc. cit.*, asserente solum pænitentiam dari supposito peccato præexistente, vel possibili, vndè, si hoc non supponatur, nec actuale, nec possibile, vtique non dabitur pænitentia; sed etiam ratione, quia frustrà, & inanitèr ponitur habitus, vbi non est possibilis aliquis eius actus, cum habitus non detur ad impossibile, vbi autem non est, nec esse potest peccatum, non est possibilis pænitentia, quæ est dolor, seu destructio eiusdem peccati. Neque dicas, in primo instanti Creationis simul cum gratia fuisse Deiparæ Virgini infusos omnes habitus virtutum, nec debuisse priuari etiam hoc habitu, ne careret aliquo ornamento; Contra enim impugnaberis, quia fuerunt quidem omnes habitus in illo instanti infusi Deiparæ Virgini, qui conferrent ad eius decorem simplicitèr, non autem illi, qui ex genere suo præsuponunt imperfectionem, cum longè melius sit habere perfectiones simplicitèr, quam habere perfectionem aliquam præsuponentem aliquam imperfectionem; &, sicuti Christus Dominus, qui est in omni genere perfectus, non dicitur carere aliqua perfectione ex eo, quod non habuerit habitum pænitentiæ propter eam rationem, quod hæc præsuponat peccabilitatem saltem in actu primo, quæ est aliqua imperfectio, ita Deipara Virgo non potest dici carere aliqua perfectione propter carentiam pænitentiæ, quia &c.

5 Nõ fuit in eadẽ fomes peccati.

Quod, si vlterius vrgeas, quod Deipara Virgo licet non habuerit peccatum aliquod, nec potentiam proximam ad peccandum, habuerit tamen potentiam remotam ratione status viæ, & conditionis creatæ libertatis ad differentiam Christi Domini, qui ratione vnionis hypostaticę habet omnem impeccabilitatem, siue proximam, siue remotam, adeoque non currere paritatem inter Christum Dominum, & Deiparam Virginem; statim impugnaberis, quia, cum illa potentia remota in primo instanti Conceptionis Deiparæ Virginis fuerit alligata per superuenientem gratiam, & extinctionem fomitis, frustra in ordine ad ipsam fuisset appositus habitus pænitentiæ, cum ille nunquam potuerit in actum exire, & frustraneus est habitus, cuius nullus actus potest existere. Quod deindè Christus Dominus habuerit impeccabilitatem etiam remotam, quam non habuit Deipara Virgo, hoc solum importat, quod Christus Dominus ex propria virtute sibi connaturalitèr competente caruerit potentia peccandi, & per consequens indigentia pænitentiæ; Deipara verò Virgo hoc solum habuerit ex gratia sibi à Deo liberalitèr concessa. Cæterum supposita hac gratia cum fomitis extinctione nulla est indigentia pænitentiæ, & per consequens inanis, & inutilis foret eiusdem concessio.

6 Potentia remota peccãdi fuit alligata.

7 In Angelis nõ est habitus pænitentiæ.

Assertio II. In Angelis neque est, neque fuit habitus pænitentiæ. In hanc sententiam videtur propendere omnes ferè Thomistæ, dum dicunt, Angelos in libera volitione perfectè deliberata esse immutabiles, & signantèr *Caietanus prima parte quæst. 64. art. 2.*, *Ioannes à Sancto Thoma disp. 24. art. 2. num. 10.*, *Gonetus disp. 14. art. 1. §. 1.*, *Salmaticenses tract. 7. disp. 13. dub. 1.*; idem sentiunt ex recentioribus *Esparza quæst. 28. art. 7.*, *& 9.*, *Dequiros disp. 66. sect. 2.*

8 Post deliberationẽ Angeli sunt inflexibiles.

Probatur; supposita inflexibilitate post deliberatam electionem Angeli non possunt recedere à priori actu deliberatè elicito, ergo nec pænitere possunt. Antecedens probatur *ex D. Thoma quæst. 16. de malo art. 5. in corpore*, vbi reddit rationem talis inflexibilitatis, & negationis recessus à priori actu deliberatè elicito; sic enim loquitur. *Mutatur in nobis liberum arbitrium ex causa intrinseca, vel propter rationem, puta cum quis aliquid prius nesciebat, quod postea cognoscit, vel propter ipsum appetitum, qui quandoque sic est dispositus per passionem, vel habitum, vt tendat in aliquid, sicuti in sibi conueniens, quod cessante passione, vel habitu sibi conueniens non est*, & postea subdit. *Sicut nos naturalitèr actu habemus notitiam primorum principiorum, ex quibus procedimus ratiocinando ad acquirendam cognitionem conclusionum; quod in Angelis non contingit, qui in ipsis principijs intuentur omnes conclusiones, quæ ad naturalem eorum cognitionem pertinent, & ideò, sicut immobilitèr nos habemus in cognitione primorum principiorum, ità intellectus eorum immobiliter se habet circa omnia, quæ naturalitèr cognoscit, & quia voluntas proportionatur intellectui, consequens est, quod etiam voluntas.* Consequentia probatur, quia pænitentia est quodamodo per detestationem recessus à priori actu, ergo, si non possunt recedere à priori actu deliberatè elicito, nec possunt pænitere.

Dixi *post deliberatam electionem*, non enim negauerim Angelos esse mutabiles ad oppo-

opposita ante deliberatam electionem; quod etiam non negauit *D. Thomas prima part. quæst. 64 art. 2. in corpore*, vbi de voluntate Angelica sic habet. *Si consideretur ante adhæsionem potest liberè adhærere, & huic, & opposito.* Neque in hoc sibi contradicit *D. Thomas* relatiuè ad ea, quæ mox retulimus *ex eodem quæst. 16. de malo art. 5. in corpore*, vbi, cum dixerit, quod Angelus ita se habeat in ordine ad cognitionem conclusionum ex principijs, sicuti nos in ordine ad cognitionem primorum principiorum, videtur etiam debere dicere, quod, sicuti nos in propositione primorum principiorum immobilitèr eisdem adhæremus, adeo vt non possimus hærere eorum oppositis, ita & Angelus immobilitèr in propositione conclusionum ex suis principijs debeat adhærere, vt non possit oppositum illis eligere, adeoque etiam ante electionem non possit in oppositum ferri stante illarum cognitione. Non, inquam, sibi contradicit, quandoquidem *in dicta quæst. 16. de malo cap. 5.*, loquitur solum de obiectis, quæ Angelis euidentèr innotescunt, & circa quæ comprehensiuè procedunt; *in dicta autem quæst. 64 art. 2.*, loquitur de obiectis, quæ nonnisi confusè innotescunt, & circa quæ procedunt solum probabilitèr, adeoque circa ista ante perfectam, & deliberatam electionem videntur Angeli flexibiles ad vtrumque oppositum, at posita deliberata electione non videntur amplius tales.

9 Ante eandem sunt liberi.

10 Conciliantur dicta D. Thomę

11 In Angelis esset inanis pænitentię infusio.

Probatur vlterius nostra assertio, quia in ordine ad Angelos siue electos, siue reprobos inanis omninò videtur pænitentię habitus infusio; nam, si loquamur de Angelis bonis, qui in gratia perseuerarunt, cum nulla in ipsis fuerit præuisa præuaricatio, adeoque nullum peccatum, certè indigere non potuerunt pænitentia, quæ est detestatio peccati, quæ esse non potest, vbi non est peccatum, nec præuaricatio, adeoque inanis fuisset pænitentiæ infusio; si loquamur de Angelis præuaricatoribus, cum fuerit præuisa certa eorum, & ineuitabilis damnatio, ad quid fuisset infusus habitus pænitentiæ? In his non amplius immoramur, cum hæc materia pertineat ad quæstiones de Angelis.

12 In Adamo verè fuit pænitētia.

Assertio III. In Adamo verè fuit infusus habitus pænitentiæ etiam ante patratum peccatum. Pro quo aduerto, quod sicuti modo in paruulis in susceptione baptismatis infunduntur omnes habitus supernaturales, adeoque etiam ille pænitentiæ, quia ratione electionis in vtramque partem flexibilis peccare possunt, & de peccatis dolere, ita in Adamo cum habitu fidei fuerunt in ipsius origine infusi omnes huiusmodi habitus supernaturales, adeoque etiam congruè, & verisimilitèr, & habitus pænitentiæ, quod sic

Probatur. In Adamo verè fuit præuisa ipsius præuaricatio, & vtique in eiusdem origine, ergo debuit in eadem origine infundi habitus pænitentiæ. Antecedens non videtur posse verti in dubium, siue stante sententia adstruente scientiam in decreto, siue permisiuo, siue positiuo, siue in proprijs causis per scientiam mediam. Consequentia probatur, quia ex vna parte iuxta D. Thomam virtus pænitentiæ datur ex aliquo præsupposito, nempè peccato præexistente; ex alia parte concedi debuit remedium pro destructione, seu extinctione peccati ex Diuina beneficentia, ergo debuit in prima origine ex eadem beneficentia concedi habitus pænitentiæ.

13 Non currit paritas de Angelis, & quare.

Neque dicas, Angelis præuaricatoribus non fuit habitus pænitentiæ infusus non obstante, quod in origine suæ Creationis fuerint capaces peccati, prout de facto illud commiserunt, ergo nec debuit Adamo concedi in sua origine stante eadem capacitate peccati; Contra enim impugnaberis, quia Angelis præuaricatoribus non fuit habitus pænitentiæ infusus, quia stante eorum inflexibilitate eisdem non erat profuturus; Adamo autem fuit concessus stante eius flexibilitate, quia eidem erat profuturus; & in primis erat præuisa pertinacia, non sic in secundo; Quod, si quæratur, cur in primis fuerit permissa durities, & non concessa pænitentia; non autem Adamo permissa durities, & concessa pænitentia? Tunc, & ego quæram, cur fuerit resipiscentia concessa Petro de negatione Christi Domini, & non fuerit concessa Iudæ de eius proditione? Hoc in liberam Dei voluntatem refundendum est, cuius est, & misereri, & parcere, & vlcisci, & damnare.

14 In Beatis perseuerat habitus pænitentiæ.

Assertio IV. Probabilius est in Beatis in patria permanere habitum pænitentiæ, quem habuerunt in via. Pro quo aduerte, habitum pænitentiæ plures posse habere effectus. Primus est detestari peccata, & per dolorem conceptum ea deprimere. Secundus producere actum gratitudinis pro eisdem condonatis. Tertius gaudere de satisfactione pro eisdem Deo exhibita. Quibus suppositis

Probatur assertio. Permanentibus actibus eiusdem habitus, seu effectibus eiusdem virtutis non est, cur permanere non debeat idem habitus, seu eadem virtus, sed in Beatis in patria permanent actus, & effectus pænitentiæ, ergo permanere debet, & eadem pænitentia. Minor probatur, quia gratitudo de peccatis condonatis, & gaudium de satisfactione exhibita

bita

bita non repugnat Beatis in statu patriæ, quinimmò hæc conueniunt maximè conditioni talis status, sed hi sunt actus, & effectus pænitentiæ saltem secundarij, ergo in Beatis in patria permanent actus, & effectus &c. Neque dicas, cessante actu primario cessare debent & secundarij, qui fundantur in ipso; sed in patria cessat actus primarius pænitentiæ, nempè dolor, & tristitia, cum ibi sit gaudium plenum, nullo mærore commixtum, nullaque tristitia perturbatum, ergo &c.; Contra enim impugnaberis, quia licet dolor, & tristitia de peccatis commissis comparatiuè ad alios actus gratitudinis, & gaudij sint effectus primarij, comparatiuè tamen ad ipsum habitum sunt etiam effectus, & ipsi secundarij; cum effectus primarius eiusdem habitus sit informare potentiam, eandemque ornare; vndè licet ratione status beatifici non exerceat primum actum tristitiæ, qui respectu eiusdem est secundarius, cum tamen inclinet de facto ad alios, non est, cur debeat cessare.

15 Non currit paritas de habitu fidei, & spei.

Neque obesse potest, si asseratur, quod habitus fidei, & spei non perseuerant in Beatis in patria, ergo, neque debet in eisdem perseuerare pænitentia. Antecedens probatur, quia visio ratione summæ euidentiæ fidem excludit, cum hæc sit rerum non apparentium, possessio verò beatitudinis spem excludit, quæ est de re non possessa. Consequentia item probatur, quia non minus videtur repugnare pænitentia cum pleno gaudio, & cum statu omnium rerum aggregatione perfecto, ac repugnet fides cum visione, & spes cum re possessa, ergo &c. Non, inquam, obesse potest, quia visio, & possessio beatitudinis directè opponuntur fidei, & spei quoad rationem specificam, & propriam, nec habent aliquos speciales effectus, in quibus habeant fides, & spes perseuerare; gaudium autem licet opponatur tristitiæ, non opponitur tamen cum gratitudine, & gaudio de satisfactione exhibita.

Ex his omnibus possumus deducere, quod pænitentia detur secundum rationem veræ pænitentiæ in omnibus fidelibus viatoribus quoad habitum non solum, quia capaces sunt peccati, sed etiam, quia, quantum est ex se, possunt moueri ad detestationem, & destructionem peccatorum, in qua consistit eius principalis ratio, prout supra commendauimus.

Loquendo iam de subiecto proximo, & immediato pænitentiæ, in sententia non distinguente potentias ab anima indubitatum videtur, quod eadem recipiatur in anima; cum potentiæ nihil aliud sint, quam ipsa anima; in sententia verò distinguente easdem ab anima communiter sentiunt recipi immediatè in potentia volitiua, seu in voluntate. Secundum nostra principia Phylosophica sit

16 Subiectũ proximum est anima, vt volitiua

Assertio v. Subiectum immediatum pænitentiæ est anima rationalis, vt volitiua. In hanc propendet *Contensonius lib. 11. part. 3. dissert. vnica cap. 1. corollario 2. in principio*, qui tamen a nobis discrepat in eo, quod ipse voluntatem ab anima distinguit iuxta sua principia Thomistica.

Pro clariori notitia huius asserti aduertimus, in pænitentia plura concurrentia posse considerari, vel vt effectus, vel vt concomitantia; primò dolorem sensibilem à mærore non disiunctũ, qui residet in appetitu concupiscibili; secundò quandam speciem vindictę de peccato commisso, quę residet in irascibili; atque hi sunt effectus virtutis pænitentiæ, prout importat habitum inclinantem ad desertionem peccatorũ; tertiò effusionem lacrimarũ; quartò ipsã peccatorũ detestationẽ, seu habitũ ad ipsam inclinantem. Pænitentia iuxtà tres primas considerationes, cum sit quid merè sensitiuum, residet in appetitu sensitiuo; secundum quartam, cum sit quid spirituale, debet in appetitu spirituali residere. Quibus positis sic

17 Vt importat habitũ spiritualem.

Probatur primo assertio. Ita se habent sensibilia pænitentiæ quoad suum principium, sicuti spiritualia eiusdem quoad suum, sed sensibilia resident in appetitu sensitiuo, ergo & spiritualia in appetitu spirituali; hoc autem nihil aliud est ab anima, vt volitiua, ergo &c. Hinc pænitens Psalmista pænitentiam appellat sacrificium spiritus contribulati, hoc est appetitus spiritualis; atque hoc sacrificium à voluntate procedere insinuat *idem Psalmista Psalmo 53: Voluntariè sacrificabo tibi*.

18 Recipitur in subiecto in quo recipitur iustitia.

Probatur secundò; Pænitentia ex præactis, quamuis propriè non sit iustitia, est tamen pars iustitiæ potestatiuæ, seu quoquo modo imitantur iustitiam, sed iustitia residet in anima, vt volitiua, vt suppono ex quæstionibus de iustitia, & iure, ergo in eadèm debet, & pænitentia subiectari. Neque obesse potest, si asseratur, quod ibi collocanda sit pænitentia, vbi residet difficultas per ipsam superanda, sed difficultas residet in appetitu sensitiuo; quandoquidem, cum pænitentia retrahat à delectabilibus, & sensus ad eadem sit propensus, vtique hic difficultatem non modicam sentit in eorum retractatione, &, cum pænitentia ardua quæque præcipiat, sensus ad illa nimis mollis est, & remissus, ergo, & pænitentia in eodem appetitu sensitiuo est collocanda; Non, inquam, obesse potest, quia, cum pænitentia sit virtus spiritualis secundum primariam suam rationem, debet in subiecto spirituali per-

manere; & cum ipsa voluntas sit Princeps potentiarum, alijs potentijs imperat, & ex eiusdem imperio resultat, quod potentiæ sensitiuæ alijs virtutibus roboratæ difficultates superent, quæ intercedunt.

ARTICULUS IV.

An, & quid sit Pænitentia, vt Sacramentum.

SUMMARIUM.

Est veritas Catholica, quod detur Sacramentum Pænitentiæ. 1.
Eliduntur Hæretici sinistrè interpretantes illa verba: Accipite Spiritum Sanctum. 2.
Definitio quoad hoc Concilij Tridentini. 3.
Explicantur verba DD. Ambrosij, & Hieronymi, vt non obuiantia veritati huius Sacramenti. 4.
Explicatur item D. Gregorius, eiusq; mens. 5.
Auctoritatibus SS. PP. euincitur, Sacerdotem verè absoluere. 6.
Circa tempus institutionis variæ sententiæ. 7.
Verè instituit, quando Ioannis 20. *dixit* Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata. 8.
Partes physicæ huius Sacramenti numerantur. 9.
Essentia metaphysica, in quo consistat. 10.

1 Fide nostra sanctũ est dari Sacramẽtum Pænitentiæ

DAri Sacramentum Pænitentiæ, & à Christo Domino institutum fuisse, tanquam distinctum a cæteris Sacramentis fide nostra sanctum est, hocque verum esse nouæ legis Sacramentum contra Lutheranos, & Caluinistas satis concludentèr euincitur per hoc, quod signum sensibile à Christo institutum ad significãdam, & efficiendam gratiam, & ab Ecclesia acceptatum, & declaratum, vt tale, verum est nouæ legis Sacramentum, talis est pænitentia, tam ratione materiæ ex parte pænitentis, tam ratione formæ respectu absoluentis; ex parte, inquam, pænitentis, quia hic interno animi dolore humili confessione expresso satis indicat se à peccatis recedere, eaq; intendere, quantum est de se, destruere; ex parte absoluentis, quia per verba remissionem peccatorum significantia verè demonstrat, se ab eisdem absoluere, ergo est verum nouæ legis Sacramentum; nec ambigendum est, Sacerdotem per verba Sacramentalia, quæ profert, verè peccata dimittere, quandoquidem ad hoc, & voluntatem habet, & potestatem; voluntatem, quia, dum profert verba, præsumitur, & intelligitur, ea velle efficere, quæ per verba significat; potestatem, quia hanc habet collatam à Christo Domino Ioannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*; per quæ Christus Dominus facultatem absoluendi Apostolis, & eorum successoribus concessit; Nec hic audiendi sunt Hæretici, qui in falsum sensum illa verba detrudentes asserunt, ea referri ad remissionem peccatorum, vel per Sacramentum Baptismatis, vel per Prædicationem Apostolicam conferendam. Non, inquam, audiendi sunt, quia gratis hanc interpretationem, & sine fundamento sacrarum literarum sibi confingunt, tum quia diuersa est potestas baptizandi, & prædicandi à potestate remittendi peccata, cum vtraque pro diuersis temporibus, & diuerso contextu fuerit concessa; prima scilicet Matthæi 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; Secunda verò Ioannis 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis &c.*, tum quia potestas remittendi peccata est potestas iudiciaria cum cognitione causæ; non sic potestas baptizandi, & prædicandi.

2 Eliditur subterfugium hæreticorum.

Non remanet amplius in hoc ambigendi locus, cum *Concilium Tridentinum sess. 6. de iustificatione cap. 14.*, hoc Hæreticorum subterfugium omninò occluserit per illa verba: *Etenim pro ijs, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus Sacramentum instituit pænitentiæ*; & quidem iure merito hoc Christus Dominus præstitit sic suadente ineffabili eius clementia, vt, sicuti non est passus, vt notat *D. Thomas lib. 4. contra gentes cap. 70.*, gentes morte æterna perimi, ac proindè pro illis primam tabulam, nempè baptismum instituit, ita non debuit pati, quod à gentilitate conuersi per baptismum fine remedio morte pari perimerentur, si fortè in peccata declinauerint, ac proindè secundam tabulam, nempè Sacramentum debuit ex sua ineffabili prouidentia instituere.

3 Definitio Concil. Trid.

Nec item hic audiendi sunt, qui freti verbis *D. Ambrosij apud Contensonium lib. 11. part. 3. dissert. vnica cap. 1. specul. 1. sub tit. Pænitentiam verum esse nouæ legis Sacramentum &c. vers. dices D. Ambrosius*, quibus ait *Verbum Dei dimittit peccata, Sacerdos autem nullius potestatis iura exercet*, & D. Hieronymi in illa verba Matthæi 12. *Tibi dabo claues Regni Cælorum*, vbi subdit. *Hunc locum non intelligentes Presbyteri, & Episcopi aliquid sibi de supercilio Phariseorum assumunt, vt vel damnent innocentes, vel absoluere se noxios arbitrentur; cum apud Deum non Sacerdotis sententia, sed reorum vita quæratur*; ex quibus, & similibus auctoritatibus arbitrantur, Sacerdotem per illa verba: *Ego te absoluo*, verè

non

non absoluere, sed pænitentem à Deo absolutum solum declarare. Non, inquam, audiendi sunt, quia, cum Sacerdotes per verba id efficiant; quod eadem verba significant, & illa verba: *Ego te absoluo* significent actionem, qua verè absoluunt, & peccata dimittunt, vtique eandem remissionem efficere censendi sunt; quod verè definiuit *Concil. Trident. sess. 14. can. 9.* dum dixit: *Si quis dixerit, absolutionem Sacramentalem non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti, anathema sit*, nec vim aliquam faciunt verba allegata DD. Ambrosij, & Hieronymi, & aliorum, si fortè adducantur, quia illa D. Ambrosij non sunt intelliganda restrictiuè, quatenus soli Deo conferant remissionem peccatorum cum exclusione actionis Sacerdotalis, sed taliter accipienda sunt, vt Deo conferant solam actionem principalem talis remissionis non excludendo ministerialem Sacerdotis; illa verò D. Hieronymi eo solum tendunt, vt excludant præsumptionem quorundam Presbyterorum, seu Sacerdotum, qui abutentes potestate sibi concessa, & indignis absolutionis beneficium impendebant, & denegabant dignis, quorum propterea sententiam asserebat non attendi, sed reorum vitam, quia sententia illa extante indignitate pænitentis non poterat prodesse, quia vbi non est dispositio pænitentis, absolutio Saterdotis non potest consequi effectum; per hoc tamen non excludit efficaciam absolutionis, quando cadit supra dispositum, adeo vt ad validam, & formatam remissionem vna simul requiratur, & dignitas pænitentis, & sententia absoluentis.

4 Explicantur verba D. Ambrosij, & D. Hieronymi

Aliquid vlterius negotij videtur aduersus per nos dicta facescere id, quod asserit D. Gregorius in homil. 26. in Euang. super illa verba; *Lazare veni foras*, vbi habet. *Ex qua consideratione intuendum est, quod illos nos debemus per Pastoralem auctoritatem soluere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam viuificare, quæ nimirum viuificatio ante operationem rectitudinis in ipsa iam cognoscitur confessione peccati*, vbi vides imprimis, quod prius Deus viuificat, quam Sacerdos soluat per illa verba: *nos debemus soluere, quos cognoscimus auctorem nostrum viuificare*, prius enim cognoscenda est Dei viuificatio, quam nostra ponatur solutio; Deindè, dum dicitur, quod ipsa viuificatio cognoscatur in ipsa confessione peccati ante operationem rectitudinis, apertè conijcitur, quod habeatur ante absolutionem; ex quibus fas est deducere, quod absolutio Sacerdotis solum declaret illam viuificationem, non ponat. Sed dicendum est, D. Gregorium, voluisse solum peccatorem primo per gratiam excitantem suscitari à monumento suæ obstinationis, & incipere viuere, antequam effectum absolutionis consequatur, non quia viuat vita gratiæ habitualis, & sanctificantis, quæ est effectus eiusdem Sacramenti, sed quia incipiat gratiæ excitantis auxilio, quam Deus solus operatur sine Sacramento, & etiam sine ipso peccatore iuxta illud Apostoli: *Non currentis, sed miserentis est Dei*, aliquos motus exercere viuentis per actus doloris, quos deindè subijciens confessioni consequitur vitam perfectam per gratiam habitualem remissiuam. In hanc explicationem propendet *D. Augustinus in Psalmum 101. concione secunda, & de verbis Domini serm. 8.*, dum ait. *Ipsum Lazarum attende; cum vinculis prodit, iam viuebat confitendo, sed nondum liber ambulabat vinculis interitus. Quid ergo facit Ecclesia, cum dictum est, Quæ solueritis, soluta erunt, nisi quod ait Dominus continuò ad discipulos. Soluite illum, & sinite abire.*

5 Explicatur item D. Gregorius.

Cæterum, quod Sacerdos absoluendo non præcisè declaret è Cœlo pænitentem absolutum, sed verè absoluat, & peccata remittat, euincunt auctoritates plures SS. PP., qui asserunt sententiam Sacerdotis præcedere sententiam Cœli absolutoriam. Sic D. Ciprianus lib. 1. Epistolarum Epist. 2. ait. *Ipse legem dedit, vt ligata in terris, etiam in Cœlo ligata essent; solui autem possent illic, quæ hic prius in Ecclesia soluerentur.* Sic *D. Bernardus serm. 1. in festo Apostolorum Petri, & Pauli. Qui claues Regni Cælorum singulariter accepit, vt præcedat sententia Petri sententiam Cœli*, quæ asserunt non pauci ex alijs SS. PP., vt videre est apud *Vasquez quæst. 84. art. 3. dub. 1. n. 8.*

6 Verè Sacerdos absoluit, non declarat esse absolutum

Supposito iam, quod à Christo Domino institutum sit Sacramentum Pænitentiæ, vt Sacramentum nouæ legis à cæteris distinctum, remanet inquirendum, quandonam fuerit institutum. Aliqui arbitrati fuerunt, tunc institutum fuisse, quando *Matthæi 16.* Dominus dixit Petro: *Tibi dabo claues Regni Cælorum, & quæcunque solueris super terram &c.*, vel quando *Matthæi 18.*, dixit Apostolis. *Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta, & in Cœlis.* Alij dixerunt, tunc institutum fuisse, quando Christus Dominus post tentationem *Matthæi 14.* dixit: *Pænitentiam agite.* Alij dixerunt, fuisse institutum à Christo Domino in vltima cęna, in qua ordinauit Apostolos Sacerdotes conferens auctoritatem non solum in Corpus reale, sed etiam misticum Christi Domini. Alij, quando Lazarum è mortuis suscitauit *Ioannis 11.* subdens. *Soluite, & sinite eum abire.* Alij,

7 Variæ sententiæ circa tempus institutionis.

quando Magdalenam absoluit dicens: *Remittuntur tibi peccata tua Luc. 7.*

8 Verè instituit, quando Ioannis 20. dixit *Accipite Spiritum Sanctũ*.

Sed vniuersam hanc inter DD. discrepantiam abstulit *Concil. Trident. sess. 6. de iustificatione cap. 14.*, sic loquens. *Etenim pro his, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus Sacramentum instituit pœnitentiæ, cum dixit Ioann. 20. Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.*, quod idem repetijt *sess. 14. cap. primo.* Ibi *Dominus autem Sacramentum Pœnitentię tunc præcipuè instituit, cum è mortuis excitatus insufflauit in discipulos suos dicens; Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* Quamobrem ad alia scripturæ loca adducta pro hac institutione, seu huius institutionis tempore dicendum est, vel ea fuisse prolata ad significandam potestatem, quam erat collaturus, vel fuisse figuras, & simbola futuræ institutionis.

9 Partes physicæ pænitentiæ.

Explicata existentia huius salutaris Sacramenti iam eius essentiam tam quoad partes physicas essentialitèr constituentes ipsum, quam quoad prædicata metaphysica breuitèr proponimus attingendam. Quoad partes physicas, cũ ipsum sit quoddam compositum substantiale morale debet habere materiam, & formam, per quas constituatur, & sine quibus esse non potest. *Concilium Tridentinum sess. 14. can. 4.* partes huiusmodi alias assignat ex parte pænitentis, quæ se habent per modum materiæ, & has tres esse statuit. Ibi *ad integram, perfectamque peccatorum remissionem, (si quis negauerit) requiri tres actus in pænitente quasi materiam Sacramenti Pænitentiæ, videlicet confessionem, contritionem, & satisfactionem, anathema sit*; alias ex parte formæ, & hanc esse Sacerdotis absolutionem affirmat *d. sess. 14. can. 9.*; vndè potest dici Sacramentum (physicè loquendo) constans ex actibus pænitentis, & verbis absolutorijs Sacerdotis. Sed, an æquè satisfactio sit pars essentialis, sicuti confessio, & contritio, infra latè examinabimus.

10 Essentia in quo cõsistat.

Considerando verò ipsum Sacramentum secundum sua prædicata metaphysica dicere possumus, *esse signum practicum, & sensibile gratiæ remissiuæ peccatorum per modum actus iudicialis, seu iudicij emendatiui.* Dicitur *signum practicum, & sensibile*, per quas particulas conuenit Pænitentia cum cæteris Sacramentis. Dicitur *gratiæ remissiuæ peccatorum*, quia principalis, & præcipuus eiusdem Sacramenti effectus est remissio peccatorum, quæ vtique habetur per gratiam, quæ quatenus est remissiua formalitèr quoquo modo distinguitur à gratia in alijs Sacramentis collata, nempè a gratia collata in baptismo, quæ consideretur, vt regeneratiua, à gratia confirmationis, quæ est per modum confortationis, à gratia Eucharistię, quę est per modum nutritionis, & sic de cæteris. Dicitur *per modum actus iudicialis, seu iudicij emendatiui*, quæ etiam est specialis ratio contradistinguens Sacramentum Pænitentiæ à cęteris Sacramentis, quę non fiunt per modum iudicij, nec cum causę cognitione.

ARTICULUS V.

An Sacramentum Pęnitentię sit necessarium ad salutem, & qua necessitate.

SUMMARIUM.

Necessitas multiplex assignatur. 1.
Est hoc Sacramentum necessarium necessitate medij siue in re, siue in voto. 2.
Contritio cum voto confessionis immediatè gratiam producit. 3.
Quandonam hoc Sacramentum in re sit necessarium necessitate medij. 4.
Votum confessionis imbibitum in actu contritionis non obligat, nisi ad tempus, quo aliundè habenda est confessio. 5.
Si votum baptismatis fuerit coniunctum cum contritione immediatè iustificat. 6.
Euincitur pluribus scripturæ locis. 7.
Si non fuerit coniunctum cum contritione per se non iustificat. 8.
Est etiam necessarium necessitate præcepti Diuini. 9.
Præsertim obligat in articulo mortis. 10.
Et quando sumendum est aliud Sacramentum existente culpa læthali. 11.
Præceptum Ecclesiasticum obligat ad habendam confessionem semel in anno. 12.
Quomodo computandus sit annus, vt adimpleatur hoc præceptum. 13.
Sententia asserens computandum esse à Paschate ad Pascha. 14.
Sufficit, quod fiat intra quamlibet cuiusque anni partem. 15.
Limitatio quædam ad prædicta. 16.
Soluuntur rationes computantium annum à Paschate in Pascha. 17.
Hoc præceptum obligat omnes, qui post baptismum inciderunt in læthalia. 18.

1 Necessitas multiplex.

Necessitas, de qua procedit titulus, vel potest esse medij siue hoc sit in re, siue in voto, vel pręcepti; & si sit pręcepti, vel est pręcepti Diuini positiui, vel Diuini naturalis, vel tantum Ecclesiastici. Iuxtà hęc necessitatum genera procedemus in serie huius articuli.

Et quidem incipiendo à necessitate medij absolutè assero, tali necessitate siue in re,

re, siue in voto esse necessarium Sacramentum Pęnitentię ad salutem post secundum naufragium, hoc est post peccata lęthalia commissa post susceptionem baptismatis. Expresse colligitur *ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 2.*, vbi sic habet. *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, vt nondum regeneratis ipse baptismus;* vbi nota illam particulam *Vt*, quę in hoc loco idem sonat, ac *sicut*, & propterea importat identitatem rationis, & eandem necessitatem; sicuti igitur baptismus vel in re, vel in voto nondum regeneratis est necessarius necessitate medij ad salutem, ita & Sacramentum Pęnitentię lapsis post baptismum est tali necessitate, siue in re, siue in voto necessarium; &, sicuti ipse baptismus est necessarius in re, quando haberi potest, & solum in voto, quando in re haberi non potest, ita & Sacramentum Pęnitentię erit necessarium in re, quando &c., vndè idem *Concil. Trident. sess. 14. cap. 4.*, subdit *Docet præterea, & si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

2 Est necessariũ necessitate medij.

Siue in re, siue in voto.

3 Per actũ contritionis cũ voto cõfessionis immediatè gratia producitur.

Sed, cum dicatur, reconciliationem cum Deo non esse contritioni adscribendam fine Sacramenti voto, oritur hic ratio dubitandi, an prima gratia post peccatum lęthale commissum conferatur immediatè post habitam, seu elicitam contritionem cum tali voto, an verò, quando actu ponitur Sacramentum Pęnitentię; si enim primum dicatur, ergo non reciperetur Sacramentum Pęnitentię, vt dans primam gratiam, cum iam hęc esset collata per contritionem cum illo voto; si verò dicatur secundum, iam contritio cum illo voto non conferret primam gratiam. Ad hęc respondendum est, conferri primam gratiam statim, ac elicita est contritio perfecta cum illo voto, & sic fateor, quod ipsum Sacramentum, dum in re suscipitur, non conferat primam gratiam, nec hoc officit nostro afferto, cum hoc non requirat semper ad acquisitionem primæ gratię ipsum Pęnitentię Sacramentum in re, sed vel in re, vel in voto. Cum igitur quis cum contritione, & voto explicito, vel implicito Sacramenti iustificatus est, non tenetur suscipere in re ipsum Sacramentum, tanquam medium necessarium ad salutem, sed solum, ne cadat à gratia acquisita, sicuti tenetur obseruare alia pręcepta. Quod, si dicas, quod hac ratione pęnitentia in re vix posset esse necessaria necessitate medij, sed solummodò esset talis necessitate pręcepti, cum posset elici illa contritio cum illo voto, per quam primam gratiam haberetur, priusquam haberetur in re Sacramentum, si postea teneretur ad Sacramentum solum ex necessitate pręcepti; statim impugnaberis, quia Pęnitentię Sacramentum, vel potest coniungi cum contritione perfecta, vel cum imperfecta, nempè cum simplici attritione, si cum contritione perfecta, est necessarium in voto absolutè, cum tunc immediatè ponatur prima gratia non interposita mora ad tempus, quo in re suscipitur Sacramentum, iuxtà illud *Isaiæ 30.*, iuxtà versionem 70. interpretum *Cum reuersus ingemueris, tunc saluus eris*, vndè *D. Leo Epistola 91.*, habet *Misericordiæ Dei, nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuersio dicente Spiritu Dei per Prophetam, cum ingemueris, tunc saluus eris;* & sic in tali casu Sacramentum in re erit in adimplementum voti, non in ordine ad acquirendam primam gratiam, cum hęc iam supponatur acquisita, sed in ordine ad euitandum peccatum in trangressione eiusdem voti, ne gratia acquisita amittatur. Res sic declaratur. In actu contritionis perfecto non solum inuoluitur votum confessionis, sed etiam implicitè votum obseruandi omnia Dei pręcepta, quia contritio debet esse, vt sit perfecta, cum proposito placendi Deo super omnia, & euitandi omnia, quę possunt eidem displicere; sicuti igitur ex illo proposito tenetur omnia Dei pręcepta adimplere, ita & tenetur confessionem, quam habuit in voto in illo actu contritionis, habere, sine qua à gratia decideret ob non adimplementum; si verò Pęnitentię Sacramentum coniungatur solum cum contritione imperfecta, hoc est cum atritione, tunc necessarium est ad salutem in re, nec sufficit, quod sit in voto, vt per se patet, & sic soluendo instantiã dicere possumus, negando vix posse esse necessariam pęnitentiam in re necessitate medij, cum semper sit necessaria, quotiescunque cum sola atritione coniungitur, quod, vt plurimum accidit, cum nimis difficile sit, actum contritionis perfectum elicere asserente *D. Ambrosio de pœnit. lib. 2. cap. 10.*, *Facilius inueni, qui innocentiam seruauerunt, quam qui congruè egerint pœnitentiam.*

4 Quandonam hoc Sacramẽtum in re sit itã necessarium.

Sed hic suboritur alia ratio dubitandi, an hoc votum confessionis, quod inuoluitur in actu perfecto contritionis, obliget pro aliquo determinato tempore ad confessionem in re habendam, an verò solummodò pro tempore, quo erit necessaria, vel ad adimplendum pręceptum Ecclesiasticum de annua confessione, vel pro suscep-

ceptione Sacrę Euchariſtię, adeo vt, ſi ad tempus annuę confeſſionis, vel communionis habendę multum tempus intercedat, & vſque ad illud differatur confeſſio intenta in actu contritionis non contrahatur aliqua noxa, nec gratia amittatur per contritionem illam acquiſita; Cum non inueniam aliquam poſitiuam diſpoſitionem ſiue diuinam, ſiue humanam obligantem ad ſtatim, vel ad determinatum tempus ad confeſſionem actualem poſt elicitum illum actum contritionis, crederem ſic contritum non obligari, niſi vrgente precepto annuę confeſſionis, vel communionis habendę determinatione, ea proportionali ratione, qua dictum eſt ſupra *de Sacrific. Miſſæ quæſt. 3. art. 6.*, quod licet reſpectu Sacerdotis cõficientis ſacrificium non pręmiſſa confeſſione Sacramentali de peccato lęthali, cuius ſibi conſcius eſt, ſed dumtaxat elicito actu contritionis, cum non adeſſet copia confeſſarij, & vrgeret neceſſitas ſacrificandi adſit pręceptum Tridentini, vt quam primum confiteatur, reſpectu tamen Laici communicantis in tali neceſſitate ex inopia confeſſarij pręmiſſa ſolum contritione non teneatur, quam primum confiteri, ſed ſolummodò ſuo tempore, quia reſpectu ipſius nullum adeſt preceptum immediatę confeſſionis. Cum igitur, & in pręſenti caſu elicito actu contritionis cum illo voto confeſſionis non ſit aſſignabile pręceptum obligans ad actualem confeſsionem pro aliquo determinato tempore, non tenebitur contritus ante tempus pręcepti, vel communionis habendę confiteri.

5 Ex illo voto nõ obligatur ad habendam cõfeſſionẽ, niſi cum hæc habenda eſt.

Sed, cum *Concilium Tridentinum d. ſeſs. 14. cap. 2.*, pariformitèr procedat, & eandem neceſsitatem cognoſcat quoad nondum regeneratum de Sacramento Baptiſmatis, ac quoad relapſos de Sacramento Pęnitentię, ſuboritur hic difficultas, an, ſicuti ipſa pęnitentia in voto imbibito in actu contritionis immediatè confert gratiam primam, antequam ſuſcipiatur Sacramentum in re, ita, & Baptiſmus in voto immediatè conferat primam gratiam, antequam in re ſuſcipiatur. Ratio dubitandi ex vna parte ex eo conſurgit, quod, ſi quis habens votum efficax baptiſmatis ante ipſius ſuſceptionem in re pręmoriatur ex cõmuni omnium conſenſu gloriam conſequitur, quę eſt gratia conſummata, ergo quia per illud votum gratiam primam cõſecutus eſt; ex alia parte votum illud non videtur per ſe ſufficiens principium iuſtificationis, niſi coniungatur cum aliquo tribuente eidem efficaciam; ſicuti enim votum confeſsionis non eſt per ſe ſufficiens ad iuſtificandum; niſi coniungatur cum contritione, ita nec videtur ſufficiens votum baptiſmatis, niſi cum aliquo alio principio conferente vim coniungatur. Sentio imprimis, quod, ſi illud votum baptiſmatis excitante Deo per auxilia actualia fuerit cum actu contritionis coniunctum, abſolutè conferat immediatè primam gratiam, cum iam ſit principium ſufficiens, & adęquatum eiuſdem gratię ſanctificantis, quod pluribus ſcripturę locis, & SS. PP. auctoritatibus euincitur, & primo ex Apoſtol. ad Romanos 1. *Omnis, qui credit in illum, non confundetur, & omnis quicunque innocauerit nomen Domini, ſaluus erit*; ex illo *Ioannis 12. Omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum*; ex illo Paralipom. 3. *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum, & non imputabit eis, quod minus ſanctificati ſint*. Secundò ex SS. PP. auctoritatibus *D. Bernardi Epiſt. 77. Si quis voluerit, & petierit baptizari, dum non deſint fides recta, ſpes pia, charitas ſyncera, huic ego ob ſolam aquam, ſi defuerit, nequaquam omninò poſſum deſperare ſalutem, nec vacuam credere fidem, nec confundere ſpem, nec excidere charitatem* Innocentij III. relati *in cap. debitum de baptiſm.*, qui loquens de quodam Iudęo non adhuc baptizato. *Si continuò*, ait, *deceſſiſſet ad patriam protinus euolaſſet propter Sacramenti fidem, & ſi non propter fidei Sacramentum*. D. Thomę *quæſt. 68. art. 2. Alio modo poteſt Sacramentum Baptiſmi deeſſe re, ſed non voto, ſicuti cum aliquis baptizari deſiderat, ſed aliquo caſu præuenitur morte, antequam baptiſmum ſuſcipiat, & talis ſine baptiſmo actuali ſalutem conſequi poteſt propter deſiderium baptiſmi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interius hominem ſanctificat, cuius potentia Sacramentis viſibilibus non alligatur*. Deindè dico, quod, ſi votum illud non fuerit cum contritione, vel charitate perfecta coniunctum, non conferat primam gratiam iuſtificantem ex generali regula, quod non detur iuſtificatio impij, niſi per Sacramentum Pęnitentię, & baptiſmatis cum atritione, aut ſecundum aliorum ſententiam per accidens per alia Sacramenta, vel per contritionem, & charitatem Dei, ad quod conferunt omnia dicta SS. PP. allegata D. Bernardi, *dum non deſit charitas ſyncera* D. Thomę *ex fide per dilectionem operante per quam Deus interius hominem ſanctificat*, D. Auguſtini *lib. 4. de Baptiſm. cap. 25. Conuerſio cordis poteſt quidem ineſſe non percepto Baptiſmo, ſed contempto Baptiſmo non poteſt*; vndè meritò ſubdit *Contenſonius lib. 11. part. 1. diſſert. 3. cap. 2. ſpecul. 1. verſ. Patres verò memorati*, quod iuxta veridicam grauiſſimorum Theologorum doctrinam non ſemper habeant Catechumeni verum illum perfectum charitatis gradum, qui valeat

6 Votum baptiſmatis cũ contritione immediatè iuſtificat.

7 Euincitur pluribus ſcripturæ locis.

8 Secus, ſi non fuerit coniunctũ cum cõtritione

valeat sine Sacramento iustificationis gratiam promereri, quam tamen imperfectione dilectione preparatis Baptismum aliaque Sacramenta conferrent.

9 Est etiā necessarium necessitate præcepti Diuini.

Prosequendo iam de necessitate præcepti Diuini *Concilium Tridentinum sess. 14. de pænit. cap. 5.*, agnoscit hoc Sacramentum necessarium esse ex iure Diuino. Ibi- *Omnibus post baptismum lapsis confessionem iure Diuino necessariam existere*. Quod, si queratur, vndè nam desumatur hoc preceptum Diuinum? Si loquamur de penitentia precisè, vt virtus est, pluribus ex scripture locis desumitur primo ex illo *Ezechielis 18. Conuertimini, & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*; ex illo *Lucæ 13. Nisi pænitentiam egeritis omnes simul peribitis. Actorum secundo: Pænitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*. Sed, si loquamur de eadem penitentia, vt Sacramento, nullus expressus textus hanc Diuini precepti necessitatem inferens adducitur; satis tamen concludentèr euincitur ex eo, quod Christus Dominus potestatem iudiciariam concesserit Apostolis, ligandi, & soluendi: *Tibi dabo claues Regni Cælorum. Quodcunque ligaueris super terram erit ligatum, & in Cælis, & quodcunque solueris &c. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.*, nam frustra esset hec potestas concessa ad iudicandum, soluendum, & ligandum Apostolis, & eorum successoribus, si non esset onus in peccatoribus peccata, de quibus sunt iudicandi, ligandi, & soluendi, clauibus subijciendi, vbi enim non est onus subijciendi, frustranea est potestas soluendi. Etiam videtur clarus textus *in Epist. D. Iacobi cap. 5.* Ibi- *Confitemini alterutrum peccata vestra*.

10 Et hoc in articulo mortis.

Si queras autem hic, pro quonam tempore obliget preceptum Diuinum ad confessionem. Dicam in primis obligare in articulo mortis, & quotiescunque sumenda est Eucharistia existente peccato lethali, vel aliud Sacramentum; Quoad articulum mortis est indubitatum penes omnes, cum tunc potissimum vigeat necessitas ad remouendum obicem, qui obsistere potest consecutioni glorie, & salutis, & si tunc preceptum viget Eucharistie sumende per ea, que in precedentibus latè probata sunt, a fortiori vigere debet preceptum habendæ Sacramentalis confessionis, que magis secundum se est necessaria ad salutem.

11 Et vrgente necessitate sumendi aliud Sacramentū.

Quoad tempus sumende Eucharistie, vel alterius Sacramenti ex eo liquet, quod de iure Diuino non solum positiuo, sed etiam naturali Sacramenta debent dignè contractari, vt de Eucharistia specialiter tradit Apostolus *Probet autem se ipsum homo &c.*, & mala eorum contrectatio non solum impedit effectum Sacramentorum, nempè consecutionem gratie, sed vlterius Inficit contrectantem sorde sacrilegij. Quoad ea, que pertinent ad hoc preceptum Diuinum consule, que dicta sunt de huiusmodi precepto in ordine ad Eucharistiam.

12 Ad quid obliget preceptum Ecclesiasticum.

Tandem concludendo presentem necessitatis materiam quoad Sacramentum Penitentie dico, ex precepto Ecclesiastico necessariam esse confessionem singulis annis respectu personarum capacium peccatorum læthalium. Hoc expresè habetur *in cap. omnes vtriusque sexus de pænit., & remiss.*, & ex *Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5.*

Circa huiusmodi Ecclesiasticum preceptum nonnulla contingunt in presenti dubia, que breuitèr expono, & diluo.

13 Quomodo computandus sit annus.

Primum est, pro quonam tempore anni ad adimplendum hoc preceptum facienda sit confessio? *Suarez disp. 30. sect. 3.*, *Coninchus disp. 5. dub. 6.*, existimant habendam esse in Paschate, & de Paschate in Pascha, & pro Paschate non intelligunt restrictè ipsum diem solemnitatis Paschalis, sed latè tempus quindecim dierum à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in Albis; atque pro hac sententia adducunt approbationem *Concilij Tridentini d. sess. 14. cap. 5. in fine*, que licet secundum se non sit preceptum, prout tamen coniungitur cum consuetudine iam communitèr recepta, cum omnes fideles pro eo tempore cum intetione satisfaciendi precepto soleant confiteri, videtur vim legis induere.

14 Sententia asserens cōputandū esse à Paschate ad Pascha.

Alij tamen, inter quos *Vasquez disp. 90. art. 3. dub. 1.*, *Sotus in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 4*, *Nugnius tertia part. quæst. 7. art. 5.*, *Arriaga disp. 52. num. 53.*, sentiunt sufficere, quod intra quamlibet partem cuiusque anni quis confiteatur adducta etiam ratione, quia preceptum contentum *in d. cap. omnes vtriusque sexus*, non restringit tempus confessionis ad aliquam anni partem, sed precisè dicit, vt saltem semel in anno fideles confiteantur, & si determinatè voluisset aliquod tempus in anno, seu intra annum, expressisset, sicuti expressit in precepto communionis scilicet in Paschate, ergo in tota latitudine anni poterit confiteri.

15 Sufficit, quod fiat intra quālibet anni partem.

Hanc secundam opinionem libentius amplector, sed cum quadam restrictione; vel etenim assertores huius sententie per ly *semel in anno* in illa latitudine acceptò intelligunt, quod in qualibet parte cuiuslibet anni possit penitens confiteri, ita vt, si in principio anni elapsi 1699. mense Ianuarij confessus est, possit in qualibet parte presentis anni 1700., pro libertate sumendo quamlibet sibi benè visam contentam intra

tra hunc annum confiteri ad soluendum præceptum huius anni; vel intelligunt, quod in qualibet parte determinatè cuiuslibet anni possit confiteri, adeò vt, si anno elapso confessus est mense Ianuarij, teneatur, & hoc anno tali mense confiteri, vel si anno elapso in mense Februarij, & hoc anno tali mense confiteri debeat. Si primum; lata nimis esset hęc sententia, quandoquidem contingere posset, quod confessio differretur quasi ad duos annos, vt si quis anno pręterito confessus esset in principio nempè Ianuarij, & vellet hoc anno ad finem protrahere, nempè ad mensem Decembris, quod certè videtur esse contra mentem Concilij Lateranensis relati *in d. cap. omnes vtriusque sexus*; si secundum; videtur rectè procedere, quandoquidem per hanc acceptionem videntur perfectè seruari verba, & mens Concilij, adeò vt non assignetur determinatè aliqua pars anni, in qua sit obligatio confessionis habendę, cum Concilium illam non assignauerit, & ex alia parte confessio non protrahatur vltra annum, nam, si anno elapso v. gr. confessus est in mense Ianuario, debeat hoc anno in tali mense confiteri, vel si in alia parte anno elapso, debeat, & in eadem hoc anno.

16 Limitatio ad prædicta.

17 Soluuntur rationes computantium à Paschate in Pascha.

Neque aduersari posse videntur ea, quę pro contraria sententia adducta sunt; Concilium etenim Tridentinum loco assignato commendat quidem morem illum confitendi in Paschate, non ponit pręceptum, nec ex eo, quod coniungatur cum illa consuetudine transit ab esse consultiuo ad esse pręceptiuum, quandoquidem illa consuetudo non est inducta cum animo obligandi, sed ex motiuo congruę dispositionis ad sacram synaxim pro eo tempore sumendam; vndè pro eo tempore assolent fideles confessionem protrahere, ne, si antecedentèr confiteantur, & deindè prolabantur in alia lęthalia crimina; teneantur de nouo confiteri, vt se disponerent ad communionem tunc habendam; Cęterum; si quis confessus esset à multo tempore ante Pascha, & nullius peccati lęthalis sibi postea conscius esset, non esset damnandus violati pręcepti, si non pręmissa confessione in Paschate communicaret.

18 Quosnam obliget hoc præceptum.

Secundum est in explicando, quosnam obliget hoc pręceptum annuę confessionis. Pro quo dico, hoc pręcepto obligari omnes, qui post baptismum in peccata lęthalia inciderunt. In hoc ferè omnes consentiunt. Dixi, *qui post baptismum*, per quas particulas indicatur non comprehendi sub hoc pręcepto Ecclesiastico infideles non baptizatos, quod ex duplici ratione colligitur; primò, quia peccata ante baptismum commissa non sunt materia huius Sacramenti, sed Baptismatis, prout infrà latè probabimus; secundò, quia infideles non baptizati non sunt subditi iurisdictioni Ecclesię, adeoque eiusdem legibus non ligantur; si tamen essent infideles, sed baptizati, cuiusmodi sunt Apostatę a fide, certè non eximuntur ab hoc onere; tum quia eorum peccata post baptismum commissa sunt materia pęnitentię; tum quia subduntur potestati Ecclesię. Dixi *in peccata lethalia inciderunt*; nam, si nullum peccatum lęthale post baptismum commiserint, quantumuis pubertatem etiam excesserint, non ligantur hoc pręcepto, quod non solum colligitur *ex Trident. sess. 6. c. 14.* vbi est sermo de ijs, qui ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderint; ab eadem autem non fit recessus, nisi per peccata lęthalia, vt per se patet; & ex eodem *sess. 14. cap. 1. & 2.* vbi dicitur, hoc Sacramentum institutum esse, tanquam secundam tabulam post secundum naufragium; naufragium autem non est sine culpa lęthali, sed etiam ea ratione, quia peccata venialia non sunt materia necessaria huius Sacramenti, adeoque nec ex necessitate eidem subijcienda. Clarius hoc expressit *Concil. Trident. d. sess. 14. cap. 5.* Ibi- *nam venialia, quibus à Dei gratia non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quanquam rectè, & vtilitèr, citràque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum vsus demonstrat, taceri tamen citrà culpam, multisque alijs remedijs expiari possunt.* His sic expositis probatur resolutio huius dubij, quia Ecclesia per tale pręceptum, cum sit vniuersale, potuit, & voluit omnes comprehendere, qui sunt capaces eiusdem, sed omnes fideles, & etiam infideles baptizati sunt capaces huius pręcepti, cum sint subditi Ecclesię, & eorum peccata sint materia necessaria huius Sacramenti, ergo &c.

Alia plura essent hic dicenda de hoc pręcepto annuę confessionis, tum in ordine ad modum, tum in ordine ad personas, tum in ordine ad pęnas, sed quia de his vberior occurret sermo, dum de confessione, ideò in pręsenti non immoror.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Materia remota huius Sacramenti.

1.

CVm Sacramentum Pœnitentiæ iuxtà ſuperius dicta ſit quoddam conflatum morale conſtans ex actibus pænitentis, tanquam materia, & iudicio Sacerdotis per Sacramentalia verba expreſſo, tanquam forma, non incongruè hanc materiam, & formam, tanquam partes ipſius conſtitutiuas hic examinandas aſſumimus. In præſenti quæſtione de materia diſſeremus, in ſequenti formam eiuſdem expoſituri; ſed quia in omnibus Sacramentis materia, alia eſt remota, alia proxima, ità, & vtraque in hoc Sacramento conſiderabilis eſt. Incipiendo igitur à prima ſit.

ARTICULUS I.

De Materia remota huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

Enumerantur diuerſa peccatorum genera. 1.
Peccatum originale, & commiſſa ante baptiſmum non ſunt materia huius Sacramenti. 2.
Originale debet eſſe deletum, antequam recipiatur Sacramentum Pænitentiæ. 3.
Commiſſa ante baptiſmum non ſubduntur iuriſdictioni Eccleſiæ. 4.
Commiſſa in ipſa ſuſceptione baptiſmi ſunt materia huius Sacramenti. 5.
Quod ſola remotione fictionis remittantur peccata, intelligendum eſt ſolum de commiſſis ante baptiſmum. 6.
Diſcrimen inter commiſſa ante baptiſmum, & commiſſa in ipſa ſuſceptione. 7.
Commiſſa in ipſa ſuſceptione, ſi ſint lethalia, ſunt materia neceſſaria Sacramenti Pænitentiæ. 8.
Si indiſpoſitio fuerit præciſè negatiua ſufficit, quod auferatur per ſolam atritionem. 9.
Soluuntur rationes oppoſitæ. 10.
Si indiſpoſitio fuerit poſitiua exigit contritionem, vel atritionem ſimul cum confeſſione. 11.
Lethalia commiſſa poſt baptiſmum, & non deleta ſunt materia neceſſaria. 12.
Venialia ſunt materia ſufficiens. 13.
Lethalia legitimè confeſſa ſunt materia idonea, non neceſſaria. 14.
Peccata lethalia dubia, vt talia, ſunt neceſſario clauibus ſubijcienda. 15.
Intellige, ſiue dubium verſetur circa confeſſionem prahabitam. 16.
Siue circa qualitatem peccati, an fuerit lethale. 17.
Siue circa ſubſtantiam, an fuerit patratum, nec ne. 18.
Soluuntur obiecta oppoſita. 19.
Sententia aſſerens peccata confeſſa, vt dubia cognita poſtea, vt certa non eſſe iterum clauibus ſubijcienda. 20.
Sunt iterum ſubijcienda, vt certa. 21.
Explicatur Concilium Tridentinum. 22.
Soluuntur rationes oppoſitæ ſententiæ. 23.
Suppoſito clauibus numero incerto, ſi cognoſcatur poſtea certus, hic eſt ſubijciendus. 24.
In prima confeſſione non fuit expoſitum peccatum, prout eſt. 25.

1 Peccata in multiplici differētia.

CErtum eſt, & indubitatum apud omnes, materiam remotam Sacramenti Pęnitentię eſſe peccata, quę multipliciter diuidi poſſunt; primò in originale, & actuale; ſecundò actuale ſubdiuiditur in lęthale, & veniale; tertiò lęthale in commiſſum ante ſuſceptionem baptiſmi, & in commiſſum in actu ſuſceptionis eiuſdem, & commiſſum poſt talem ſuſceptionem; quartò idem lęthale in iam confeſſum, & nondum confeſſum; quintò in peccatum certum, & dubium, de quibus omnibus controuertitur in pręſenti, an ſint materia, vel apta, vel neceſſaria, vel ſufficiens pęnitentię, prout eſt Sacramentum.

2 Originale, & commiſſa ante baptiſmum nō ſunt materia pænitentiæ.

ASSERTIO I. Peccatum originale, & actualia commiſſa ante ſuſceptionem baptiſmatis non ſunt materia, nec apta, nec ſufficiens, nec neceſſaria Sacramenti Pęnitentię. Ità communitèr, & ſignantèr *Sotus in 4. diſt. 14. quæſt. 1. art. 2.*, *Vaſquez tertiâ part. in quæſtionem 84. D. Thomæ art. 2. num. 2.*, *Medina C. de confeſs. qu. 5. ad fin.*, *Valentia tom. 4. diſp. 7. qu. 1. punct. 2.*, *Madernus tract. 4. de virtute, & Sacram. Pænit. quæſt. 4. art. 1. num. 2.*, *Bonacina de Sacram. Pænit. diſp. 5. quæſt. 3. punct. 1. num. 4.*

Probatur primò de peccato originali, quia, vt benè notat *D. Thomas in 4. diſt. 16. quæſt. 1. art. 2.*; malum, prout eſt obiectum pęnitentię, debet eſſe commiſſum à pęnitente; originale autem à poſteris Adę eſt quidem contractum; non commiſſum. Deindè, vt notat *Concil. Trident. ſeſs. 14. cap. 2. in fine*, hoc Sacramentum Pęnitentię eſt lapſis poſt baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, vt nondum regeneratis ipſe baptiſmus, conſequentèr Sacramentum Pęnitentię non eſt inſtitutum ad peccatum originale tollendum.

3 Originale debet esse deletum antequã conferatur Sacramentum Pęnitentiæ

Probatur secundò quoad idem, quia prius est, quod sit deletum peccatum originale, quam possit conferri Sacramentum Pęnitentię, ergo peccatum originale non est materia Sacramenti Pęnitentię, quandoquidem materia Sacramento Pęnitentię ideo subijcitur, vt per illud deleatur, ergo si iam originale supponitur deletum per Sacramentum Baptismatis, non poterit, vt materia subijci pęnitentię. Neque dicas, hanc rationem solum euincere, originale non esse materiam necessariam Sacramenti, non autem non esse materiam aptam, nam, sicuti peccatum semel deletum per Sacramentum Pęnitentię, cum non sit amplius materia necessaria eiusdem Sacramenti, quia iam deletum supponitur per pręcedentem confessionem, si tamen iterum subijciatur clauibus cum nouo doloris actu, est materia apta nemine disceptante, ita idem originale, cum iam intelligatur deletum per Sacramentum Baptismatis, non sit materia necessaria pęnitentię; si tamen eidem subijciatur, cur non poterit esse materia apta? Certè, sicuti ex eo, quod peccatum fuerit deletum per primam confessionem non tollitur, quin sit materia apta secundę, ità ex eo, quod originale fuerit deletum per Sacramentum Baptismatis, non tollitur, quin, vt materia apta possit pęnitentię clauibus subijci; contra enim impugnaberis; nam ex institutione Christi Domini ad delendum originale non est institutum Sacramentum Pęnitentię, sed Baptismi, quod, cum sit irriterabile, vtpote, quod imprimit caractherem, non potest repeti, nec originale iterum eidem subijci; ad delenda autem actualia instituta est pęnitentia, quę, cum iterari possit, potest per multiplicatos actus versari circa eandem numero materiam remotam, maximè cum multiplicetur proxima per actus pęnitentis.

4 Commissa ante baptismũ non subduntur iurisdictioni Ecclesiæ

Probatur tertiò quoad peccata actualia commissa ante susceptionem Baptismatis, quia Sacramentum Pęnitentię, vt definitur *ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 9.*, est quidem actus iurisdictionis spiritualis Ecclesiasticę, sed qui non sunt baptizati, nec quoad se, nec quoad suos actus subsunt Ecclesiasticę iurisdictioni, nec eius iudicio asserente eodem *Trident. d. sess. 14. cap. 2. Ecclesiam in neminem iudicium exercere, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus; quid enim mihi, inquit Apostolus de ijs, qui foris sunt iudicare? Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lauacro Baptismi sui corporis membra semel effecit, nam hos, si postea crimine aliquo se contaminauerint, non iam repetito baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal, tanquam reos sisti voluit*, ergo quoad actus peccaminosos, quos ante baptismum commiserunt non poterunt per Pęnitentię Sacramentum absolui &c.

Neque dicas, eadem peccata commissa ante susceptionem baptismatis esse materiam pęnitentię, cum requiratur dolor de eisdem iuxta communem Theologorum sententiam requirentium in adulto saltem atritionem de peccatis commissis, vt cum fructu baptizetur, quod etiam habetur *Actorum 3. pænitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*; contra enim impugnaberis, quia ex institutione Christi, vt colligit *ex Concil. Trident. d. sess. 14. cap. 2. Vasquez in tertiam partem D. Thomæ quæst. 90. art. 2. dub. 1. num. 10.*, materia huius Sacramenti non sunt, nisi peccata commissa post baptismum, & confiteri, & absolui à peccatis antea commissis erit iniuriam irrogare baptismo, tanquam insufficienti ad iustificationem, maximè cum per baptismum non solum fiat remissio culpę, sed etiam quoad peccata antecedentèr commissa deleatur etiam tota pęna; vndè ad summum sunt, & possunt esse materia pęnitentię, vt virtus est, non vt Sacramentum.

5 Commissa in ipsa susceptione baptismi sunt materia huius Sacramenti.

Assertio II. Peccata actualia commissa in ipsa susceptione baptismatis, incipientia tunc, & perseuerantia vsque ad eandem susceptionem sunt materia nedum idonea, sed etiam necessaria Sacramenti Pęnitentię. Procedit potissimum assertio de peccato fictionis. Pro cuius intelligentia aduerte, duplicem fictionem posse considerari, alteram contra substantiam Sacramenti, quatenus quis accedit ad Sacramentum, non cum intentione illud recipiendi, sed potius irridendi, & in hoc sensu defectu intentionis requisitę non recipitur Sacramentum, (si excipias Sacramentum Eucharistię); alteram ratione dispositionis, quatenus accedit cum intentione recipiendi Sacramentum, sed fingit dispositionem ad illud, quam tamen non habet, in quo sensu sacrilegè peccat recipiendo; iuxtà hunc secundum sensum procedimus, nam de primo non potest esse difficultas, cum esset inualida illa baptismi susceptio.

Probatur iam assertio sic intellecta, quia quando quis baptizatur cum illa fictione dispositionis non consequitur remissionem peccatorũ, quæ tunc committit, & multominus peccati fictionis virtute baptismi eo, quia per fictionem ponit obicem gratię Sacramentali, ergo eorundem remissionem consequi potest per Sacramentum Pęnitentię, per quam consequatur eandem gratiam. Hęc consequentia tenet, eo quia hanc gratiam non potest consequi de nouo per baptismum, eo quia, cum hic iterari

non

non possit, non potest de nouo hunc effectum producere, quem primo non produxit ratione obicis.

Neque dicas, quod, quamuis illa peccata non remittantur per baptismum in actuali susceptione illius, remittantur postea virtute eiusdem baptismatis recedente obice, idest fictione per contritionem, vel confessionem simul cum atritione; contra enim est, quia hoc valet solummodo in ordine ad originale, & actualia commissa ante baptismum, quę, cum tolli non possint, nisi per baptismum, qui est Sacramentum irriterabile, ideo *ex Augustino lib. 1. de baptismo paruulorum contra Donatum cap. 12., & lib. 3. cap. 13.*, quem postea secuti sunt omnes ferè Theologi, eidem concessum est, vt recedente fictione effectum remissionis originalis, & actualium ante ipsum commissorum, quem antea non produxit, producat; vndè sic habet. *Tunc valere incipit ad salutem baptismus cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseuerante peccatorum abolitionem non sinebat fieri*. Hęc autem verificari non possunt in ordine ad peccata actualia commissa in ipsa susceptione baptismatis, quę cum tolli possint per Sacramentum Pęnitentię, non est, cur illis concedatur, quod remittantur virtute baptismatis recedente obice.

6 Quæ dicuntur de præcisa remotione fictionis intelligenda sunt de commissis ante baptismum.

Quod, si repetas, quod, sicuti peccata actualia commissa ante baptismum nō sint materia Pęnitentię Sacramenti, nec per ipsum remittantur, ita nec sint materia eiusdem peccata commissa in susceptione baptismatis; Adhuc impugnaberis, quia peccata commissa antecedentèr ad baptismum sunt peccata hominis non Christiani, nec subditi Ecclesię; peccata verò, quę committuntur in ipsa susceptione sunt actus hominis, qui fit Christianus per receptionem caractheris, quia tunc Ecclesiam ingreditur, & per consequens Ecclesię clauibus subijcitur, quod sic probatur, quia in eo instanti, quo recipit Sacramentum, peccat, & recipit caractherem, sed in eodem instanti, quo quis recipit caractherem subiectus est clauibus Ecclesię, ergo & in eodem instanti est subiectus &c.

7 Cur nō remittantur etiam cōmissa in ipsa susceptione.

Ex ijs igitur, quę hactenus dicta sunt, rectè deducitur huiusmodi peccata commissa in susceptione baptismatis non solum esse materiam idoneam Sacramenti Pęnitentię, sed etiam necessariam, quod sic euincitur; quia huiusmodi peccata sunt lęthalia priuatiua gratię, nec remissa per Sacramentum Baptismatis, ergo remanent in suo robore peccatorum lęthalium non remissorum, nec remissibilium per idem Baptismatis Sacramentum, ergo sunt materia necessaria Sacramenti Pęnitentię, sicut alia peccata lęthalia commissa post baptismum.

8 Commissa in ipsa susceptione sunt materia necessaria.

Sed, cum fictio versans, circa dispositionem duplex quodamodo sit; altera negatiua, qua quis accedit ad Sacramentum Baptismatis arbitrans se esse sufficientèr dispositam per actus fidei, spei, & atritionis supernaturalis, cum tamen re vera non sit talitèr dispositus; altera positiua, qua quis accedit cum cognitione certa, quod non habeat dispositionem requisitam, & sufficientem, quatenus est cum affectu positiuo ad aliquod peccatum; oritur hic ratio dubitandi, an ad tollendam hanc vtramque indispositionem requiratur contritio, vel atritio cum confessione, an verò sufficiat mera atritio? Si fuerit fictio cum sola indispositione negatiua, probabilius sentio sufficere solam atritionem, prout sentit *Madernus tract. 2. de Sacrament. in communi quæst. 3. de gratia Sacramentali art. 12. n. 3.*; si verò fuerit fictio cum indispositione positiua, sentio requiri, vel contritionem, vel atritionem cum confessione. Ratio primę partis est, quia in susceptione Sacramenti Baptismatis ad effectum consequendę gratię Sacramentalis nihil aliud deficit, nisi atritio, nam si illam baptizatus habuisset, vtique consecutus fuisset gratiam eiusdem baptismatis, ergo per superuenientiā eiusdē atritionis secundum se sufficientis effectus eiusdem gratię remissiuę debet immediatè subsequi. Consequentia probatur, quia per id tollitur formalitèr fictio negatiua, per quod ponitur id, quod desiderabatur; sed id, quod desiderabatur, erat prçcisè atritio supernaturalis; ergo hac posita tollitur illa fictio negatiua. Neque dicas, atritionem vtique futuram fuisse sufficientem ad effectum gratię Sacramentalis consequendum, si fuisset posita simul cum eodem Sacramento Baptismatis, non autem posita post illud ex interuallo, sicuti eadem atritio est quidem sufficiens ad gratiam pęnitentię, si simul cum confessione ponatur, non autem si ponatur ex interuallo posita iam confessione; contra enim impugnaberis, quia hęc, quę dicuntur, quidem subsisterent, si eadem atritio requireretur ad causandam gratiam ipsam, cum hęc secundum se non sit sufficiens, vt dicitur in instantia; non requiritur autem, tanquam causatiua gratię, sed tanquam remotiua obicis, nempè fictionis iuxtà allegatum dictum *D. Augustini, tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit &c.* Nec hic audienda est *Glossa in cap. tunc valere de consecrat. dist. 4.*, dum dicit, *non quod ipse baptismus conferat gratiam, sed quia illam conferat contritio, vel verax confessio*, quę gratia sic per contritionem, vel veracem confessionem collata id

9 Si indispositio fuerit negatiua sufficit sola atritio.

10 Soluuntur rationes oppositæ.

id præstet, quod faceret gratia baptismalis; Non, inquam, audienda est, quia *Augustinus loc. cit.* dicit valere baptismum ad salutem, non potest autem valere ad illam, nisi baptismus ipse sit, qui conferat gratiam, & dimittat peccata. Minus audiendus est Sotus, dum intelligit D. Augustinum loqui in eo sensu, vt solum velit, tunc valere baptismum, cum recesserit fictio, eo quod reddiderit subiectum aptum ad recipienda alia Sacramenta, quibus mediantibus possit gratiam baptismalem consequi; Minus, inquam, audiendus est, quia statim, ac quis fictè negatiuè baptizatus est, eo ipso satisfecit præcepto baptismi, nec debet amplius baptizari, & factus est capax aliorum Sacramentorum; non ergo intelligendus est D. Augustinus, vt voluerit sic baptizatum tunc tantum reddi capacem aliorum Sacramentorum, quando fictio recesserit, sed tunc solum acquirat gratiam baptismalem, & tunc solum incipiat valere baptismus ad salutem.

11 Indispositio positiua exigit contritionem, vel confessionẽ.

Ratio secundæ partis ex eo desumitur, quod supra dicebamus, scilicet peccatum illud fictionis positiuæ commissum in ipsa susceptione baptismatis computari tanquam peccatum actuale commissum post baptisma; ergo ad illud delendum non sufficit simplex atritio, sed requiritur vel contritio perfecta, vel atritio simul cum confessione, prout requiritur ad delenda alia omnia peccata actualia læthalia commissa post susceptum baptismum, vt mox subdo.

12 Læthalia cõmissa post baptismum, & non deleta sũt materia necessaria.

Assertio III. Peccata actualia mortalia commissa post baptismum, & nondum confessa sunt materia necessaria Sacramenti Pænitentiæ; venialia vero, & item læthalia semel legitimè confessa sunt materia idonea, & sufficiens. Dixi *legitimè confessa*, quia, si essent volontariè inualidè confessa, & multo magis sacrilegè, essent materia necessaria, eo quia non intelligerentur prius remissa, & deleta.

Prima pars est de fide definita *in Concil. Trid. sess. 14. c. 5.* vbi multis præhabitis de necessitate huius Sacramenti, & de potestate collata Sacerdotibus, tanquam iudicibus, ad quos omnia mortalia crimina deferuntur, subdit. *Ex his colligitur, oportere à pænitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discusionem conscientiam habent, in confessione recenseri.* Ratione vlterius sic euincitur. Illa est materia necessaria Sacramenti, quæ est specificatiua, & constitutiua eiusdem in tali statu determinato, in quo est ipsum Sacramentum, sed talia sunt peccata læthalia actualia commisa post baptismum, & nondum remisa, ergo sunt materia necesaria Sacramenti Pænitentiæ; Minor probatur, quia Sacramentum Pænitentiæ non minus, ac Sacramentum baptismi est Sacramentum mortuorum; sed in tali esse constituitur per ordinem ad peccata læthalia, quorum est remissiuum, quandoquidem supponit mortem spiritualem, quæ non habetur, nisi per ordinem ad peccata læthalia; sicuti enim mors vitam adimit corporalem, ita peccata læthalia vitam tollunt spiritualem, quæ habetur per gratiam.

Confirmatur, quia illa est materia necessaria pænitentiæ Sacramenti, quæ ex necessitate debet subijci Sacramento, & si non subijciatur ius adimit ad salutem, sed huiusmodi sunt peccata læthalia commissa post baptismum, & nondum remissa; ergo ista sunt materia necessaria Sacramenti; Neque dicas, quod etiam peccata huiusmodi possunt tolli extra Sacramentum per actum contritionis, & dilectionis Dei, & sicuti, quia peccata venialia deleri possunt etiam sine Sacramento, vel per Sacramentalia in multorum sententia, vel per actus doloris, non dicuntur materia necessaria, ita quia etiam læthalia possunt per actus contritionis, & dilectionis Dei remitti, non possunt dici materia necesaria; contra enim impugnaberis, quia licet peccata læthalia possint deleri extra Sacramentum pænitentiæ in re per actum contritionis, non posunt tamen tolli extra illud, vel sine illo in voto, cum semper contritio, vt consequatur effectum, debeat inuoluere votum confessionis, sine quo remissio læthalium non haberetur, quod satis est, vt eadẽ læthalia dicantur materia necesaria, quod votum non requiritur ad remissionẽ venialium, cum sine illo possint remitti.

13 Venialia sunt materia sufficiẽs.

Secunda pars de peccatis venialibus etiam definita remanet quoad hoc, quod non sint materia necessaria, per idem *Concilium Tridentinum d. sess. 14. c. 5.* Ibi-nam *venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam rectè, & vtiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum vsus demonstrat, taceri tamen citrà culpam, multisque alijs remedijs expiari possunt*, per quæ verba satis clarè ostenditur, & eadem venialia non esse materiã necessariam, & esse sufficientem, & vtilem. Rursus, quod non sint materia necessaria ex eo euincitur, quod Sacramentum pænitentiæ est secunda post naufragium tabula; peccata autem venialia secundum se non sunt naufragium, cum non separent hominem à Deo; quod verò sint materia sufficiens, & vtilis ex eo deducitur, quia licet non separent hominem à Deo, sunt tamen offensiones Dei, & habent in se aliquam

quam maculam, ergo possunt subijci potestati clauium, vt mundentur, & absoluantur, & sic Sacramentum versando circa illa consequatur suum effectum remissionis eorundem.

Tertia pars de peccatis læthalibus semel legitimè confessis, quod non sint materia necessaria ex eo euincitur, quia nec ex natura Sacramenti, nec ex præcepto Diuino eadem peccata sunt iterato subijcienda clauibus, & sine tali iteratione potest salus æterna consequi; Quod deindè sint materia idonea, & sufficiens ex eo euincitur, quod per eorum iteratam subiectionem potest nouum Sacramentum constitui, & nouum gratiæ augmentum acquiri, quod sic probatur; vbi adest noua materia, & noua forma, ibi constituitur nouum Sacramentum, sed per subiectionem peccatorum semel dimissorum habetur noua materia proxima, nempè nouus dolor, nouaque expressio peccatorum, quæ multiplicari possunt super idem numero peccatum, & item noua forma, ergo &c.; posito autem nouo Sacramento non est, cur non debeat producere nouum effectum, augmentū scilicet gratiæ, & aliqualem pænæ remissionem, & hoc non solum ex opere operantis ratione noui doloris, & erubescientiæ, sed etiam ex opere operato ratione Sacramenti, ergo &c.

14 Legitimè cōfessa sunt materia idonea.

ASSERTIO IV. Peccata dubia sunt materia Sacramenti pænitentiæ, & ex necessitate clauibus subijcienda. Tria sunt dubiorum genera. Primum est illorum, qui certo sciunt se læthaliter peccasse, sed dubitant; an illud peccatum clauibus subiecerint; Secundum illorum, qui certò sciunt se peccasse, sed dubitant, an peccatum peruenerit ad læthale. Tertium illorum, qui dubitant, an fecerint, nec ne aliquod crimen, vel consenserint in illo, nec ne. Porrò dubium in tribus assignatis dubiorum generibus potest esse, vel positiuum, vel negatiuum; Primum est, cum vtrinque rationes adsunt, & vtrinque potest dubitans probabile ferre iudicium. Secundum est, cum dubitans vi rationum, quæ apponuntur, non potest probabiliter potius assentiri illis, quam istis, nec iudicium probabile ferre de alterutra parte. Procedit potissimum assertio de dubio hoc secundo modo accepto, pro quo stant *Suarez 3. parte tom. 4. disp. 22. c. 10. n. 66., Azorius Instit. mor. tom. 1. lib. 11. c. 4. q. 3., Ouiedo in prima secundæ tract. 5. controuers. 4. n. 57., Sfortia Pallauicinus lib. 7. assert. Theolog. nu. 306., Lugus de pænit. disp. 16. sect. 2. nu. 67., Mendus in sua statera different. 10. ad Sacram. pænit. quæst. 1. §. 1. num. 5., Ioannes Angelus Bossius part. 2. var. moral. tit. 1. §. 48., Madernus tract. 4. de virtut., & Sacram. pænitentiæ quæst. 4. art. 3. num. 3.*

15 Peccata dubia sunt materia necessaria, & quomodo.

Probatur iam primo assertio de primo dubio, quod est dubium facti, in quo non dubitat quis de crimine patrato, sed de confessione eiusdem habita. Qui certus est, se mortaliter peccasse, & dubitat de confessione habita de tali peccato contraxit debitum confitendi, & vtique certum, cui satisfecisse nec probabiliter iudicat, ergo absolutè tenetur illud clauibus subijcere. Consequentia probatur, quia posito semel peccato statim oritur obligatio confessionis, & possessio stat pro præcepto eiusdem, & possidentis melior est conditio in dubio. Confirmatur, quia stante illa certitudine peccati commissi, quantumuis peccator sit certus de illius confessione, potest illud iterum cum nouo dolore confessioni subijcere, ergo stante incertitudine confessionis de illo, quinimmo dubio formali, tenebitur illud confiteri. Consequentia probatur, quia ea, quæ sunt libertatis in casu certo confessionis, in dubio illius sunt necessitatis, cum dubium illud, si omittatur confessio, exponat dubitantem discrimini damnationis æternæ.

16 Siue sit dubium de crimine patrato, an fuerit confessum.

Probatur secundo de secundo dubio versante in eo, quod peccatum fuerit læthale, vel veniale supposita eius existentia certa; primò ex *D. Thoma in 4. dist. 21. q. 2. art. 3. ad tertium*, vbi sic habet. *Quando aliquis dubitat de aliquo peccato, an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente, quia, qui aliquid comittit, vel omittit, in quo dubitat, esse peccatum læthale, peccat mortalitèr discrimini se committens; & similiter periculo se committit, qui de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri, non tamen debet asserere illud esse mortale, sed cum dubitatione loqui, & iudicium Sacerdotis expectare, cuius est discernere inter lepram, & lepram.* Secundo ratione hoc pacto; Sacramentum pænitentiæ *ex Concil. Trid. sess. 14. c. 8.* est vindicta salutaris non solum ad punienda crimina, sed in bonum, & salutem animarum instituta, sed in dubio, in quo de salute animæ agitur, tutior pars est eligenda, quæ est confessio, vt, si fortasse per peccatum læthale pænitens mortuus est Deo, per pænitentiæ Sacramentum reuiuiscat. Tertiò, quia in articulo mortis qui est in dubio, an peccatum fuerit læthale, vel veniale, committit se periculo damnationis, nisi Sacramentalem confessionem instituat, ergo ex lege saltem naturali charitatis erga se ipsum tenetur se per confessionem ab illo periculo eximere, sed in periculo mortis non tenetur quis confiteri, nisi ea peccata, quæ semper ex necessitate debent in confessione explicari, ergo semper instat obligatio confitendi talia peccata.

17 Siue de qualitate peccati.

Maior

Maior difficultas est quoad tertiam partem assertionis de dubio quoad substantiam peccati, an scilicet fuerit commissum, nec ne, an fuerit præstitus assensus, nec ne; in qua plures arbitrantur, non teneri pænitentem illud clauibus subijcere non currente paritate de eo, qui dubitat de peccato circa qualitatem, an scilicet fuerit læthale, vel veniale, quandoquidem hic habet materiam certam, supra quam cadat absolutio, & dubietas est solum super qualitate grauitatis, vel leuitatis; ille vero non habet materiam certam, supra quam certò cadat forma absolutionis. Nihilominus

18 Siue sit dubiũ, an crimen fuerit patratum.

Probatur tertio de tertio dubio quoad substantiam delicti, quod etiam est dubium facti. Non minus se exponit periculo damnationis æternæ, qui est dubius de substantia delicti illud non exponendo clauibus, ac ille, qui est dubius solum de qualitate non exponendo illam qualitatem, de qua dubitat, sed hic ex superius probatis tenetur peccatum dubium quoad qualitatem confessioni subijcere, ergo à fortiori tenebitur ille, qui est dubius quoad substantiam; Neque obstant ea, quæ mox ex aduerso afferebantur, quandoquidem necessitas confessionis in casu dubio circa qualitatem non est ratione criminis præcisè, nam, si leue est, nulla adest obligatio, sed ratione dubij, an graue sit ad vitandum periculum damnationis æternæ, sed hoc etiam dubium, & periculum vrget, quando controuertitur de crimine commisso quoad substantiam, ergo &c. Dicere deindè, quod in casu dubio solum quoad qualitatem subijciatur confessioni peccatum certum quoad substantiam, licet dubium quoad qualitatem, in casu vero dubij quoad substantiam, nihil subijciatur certum, & proindè non videatur esse posse materia absolutionis; Certè non est tollere obligationem subijciendi peccata dubia quoad substantiam, sed inferre, quod, quando materia solum dubia quoad substantiam clauibus subijcitur, sit impertienda absolutio sub conditione saltem mentalitèr concepta, *si peccasti, vel capax es absolutionis;* In hac hypothesi consulunt cõmuniter DD., nec incongruè, quod sic dubius de peccato quoad substantiam, subijciat aliquod peccatum læthale antea legitimè confessum, vel peccatum veniale simul cum illo dubio, vt absolutio possit impendi absolutè, & non simplicitèr sub conditione.

19 Soluuntur plura obiecta opposita.

Neque obesse potest id, quod circumfertur ab Aduersarijs, nempè, quod in dubio de competentia iurisdictionis inter Iudicem superiorem, & inferiorem, quando constat, quod delictum re vera commissum est, sed dubium est, ad quemnam spectet iudicium ratione maioris, vel minoris grauitatis, ad superiorem pertineat iudicare, cuius causa sit; non autem quando dubium est, an delictum fuerit commissum, nec ne, ergo commisso delicto ad Tribunal confessarij pertinebit, vtpotè ad superiorem iudicare, an graue, vel leue sit, non ad ipsum pænitentem, vtpotè inferiorem, secus autem, quando dubium est, an delictum sit commissum, nec ne. Non, inquam, obesse potest, nam in primis eo ipso, quo pænitens dubitat, an peccatum læthale commiserit, iam incipit dubitare, an delictũ pertineat ad Tribunal Confessarij, adeoque ipsi debet iudicium remittere. Deindè non currit paritas de Tribunalibus forensibus ad Tribunal pænitentiæ Sacramentalis, nam, cum illa sint dumtaxat ad vindictam, ad illa non debet remitti iudicium circa delictum in substantia dubium; Tribunal autem pænitentiæ est in ordine ad bonum, & vtilitatem Rei, nempè ad ipsi consulendum, nedum in naufragio, sed etiam in periculo eiusdem, adeoque eidem etiam peccata dubia sunt subijcienda, vt à periculo damnationis Reus eximatur, ex quibus solui possunt multa argumenta, quæ ab Aduersarijs circumferuntur, nimirum duram fore legem præcipientem confessionem huiusmodi peccatorum, & in tali obligatione gigni scrupulos, & conscientiæ anxietates innumeras, animique perturbationes; Soluuntur, inquam, quia potius stante hac obligatione tolluntur scrupuli, & inquietudines, quibus animi angerentur persistendo in illis dubijs, &, cum hæc lex sit fauorabilis animabus, non debet dura videri.

20 Sententia asserẽs peccata cõfessa, vt dubia cognita postea vt certa esse iterum subijcienda.

Stante hac obligatione hactenus comprobata subijciendi clauibus peccata dubia, suboritur modo difficultas, an, si huiusmodi peccata fuerint clauibus supposita, vt dubia, & peracta illorum confessione ex interuallo innotuerit esse certa, sint iterum, vt certa de nouo ex necessitate confessioni exponenda. Affirmant *Sanchez lib. 1. summæ c. 10. num. 69., Turrianus de pænit. q. 9. art. 2. disp. 26. dub. 6., Hurtadus de Sacram. disp. 9. de pænit. diff. 7., Diana part. 2. tract. 4. resol. 91.*, qui pluribus rationibus mouentur; primò, quia diuersum efformat iudicium Confessarius circa peccatum certum, ac circa peccatum omnino dubium, sicuti est diuersum iudicium circa peccata iam ritè ante confessa, ac circa peccata nondum confessa; peccata autem, quæ in Confessario ingerunt diuersum iudicium, sunt singillatim, & cum distinctione exponenda. Secundò, quia, si pænitens in confessione præhabita omiserit ex obliuione aliquam circunstantiam au-

mutantem speciem, tenetur postea illam circunstantiam habita cognitione exponere, ergo etiam, si in prima confessione exposuerit peccatum, vt dubium, & postea nouerit fuisse certum, tenebitur hanc circunstantiam exponere. Tertiò, quia, vbi agitur de salute æterna, pænitens tenetur tutiorem sententiam eligere; tutius autem est, quod cognita certitudine peccati, quod prius erat dubium, illud iterum exponat sub illa qualitate certitudinis, ergo &c.

Sententia negans.

Negant verò, non tamen sub omnimoda firmitate, sed sub terminis probabilitatis *Lugus disp. 16. de pænit. sect. 4.*, *Brasserus lib. 4. de conscientia c. 18. num. 197.*; *Ioannes Angelus Bossius part. 2. var. mor. tit. 1. num. 1769.*, *Merolla tom. 1. disp. 3. num. 557.*, *& num. 559.*, *Madernus tract. 4. de virtute, & Sacram. pænitentiæ q. 3. art. 4. num. 3.*, qui tamen ibidem *num.* 10. asserit, se hæc dicere disputando, & procedendo per principia intrinseca; cæterum in praxi, & per principia extrinseca procedendo dicit se in contrariam opinionem affirmantem magis inclinare, cum sit communior; eamque negatiuam sententiam sine hæsitatione sustinet *Arriaga disp. 31. de pænit. sect. 6.*

Rationes huius sententiæ.

Hæc etiam negatiua sententia varijs innititur rationibus; & primò, quia, vel quando tale peccatum, vt dubium expositum est clauibus, per absolutionem Sacerdotalem fuit remissum, vel non; si non fuit remissum, ergo nullà fuit necessitas illud exponendi sub toties repetito motiuo, vt euitaretur periculum damnationis æternæ; si fuit iam per illam absolutionem remissum, ad quid pænitentem obligare ad illlud iterum exponendum? Secundò, quia, si quis dubius de voto emisso, vel de censura contracta petat absolutionem sub conditione, si votum emisit, vel censuram contraxit, & obtineat, si postea cognoscat se re vera votum emisisse, vel censuram contraxisse non tenetur amplius absolutionem petere, ergo etiam, si quis dubius de peccato illud exposuerit confessioni, & ab illo fuerit absolutus, non tenebitur amplius cognita certitudine peccati commissi iterum confiteri, nec absolutionem petere. Tertiò, quia, si quis in confessione conscius sibi de pluralitate peccatorum in aliquo genere illa exponat sub verisimili quantitate, cum certam tunc nequeat dignoscere, v. g. dicens decies vel circitèr non audiui sacrum in die festo, vel decies, vel circitèr non ieiunaui in diebus præceptis, & obtineat absolutionem; tunc, si postea deprehendat vndecies vel duodecies non audisse sacrum, vel non ieiunasse, non tenetur iterum illum certum numerum confiteri, vt docent innumeri allegati à *Ioanne Angelo Bossio part. 2. moral. tit. 1. num.* 1771. ergo, nec tenetur confiteri amplius illud peccatum, vt certum, quod anteà confessus est, vt dubium. Quartò, quia illud, quod tenetur confiteri pænitens est id, quod se tenet ex parte peccati, tanquam obiecti, non ex parte cognoscentis, sed certitudo, & dubietas se tenet ex parte cognoscentis, & peccatum, quod se tenet ex parte obiecti iam plenè explicatum est secundum omnes suas circunstantias, ergo non debet amplius ex necessitate in alia confessione explicari. Quid iam in hac controuersia concludendum est?

Absolutè arbitror, teneri iterum confiteri sub qualitate certitudinis. Rationes pro sententia affirmatiua adductæ videntur hanc concludenter euincere, quibus addo, quod, si pænitens ante confessionem esset omnino certus de peccato, & illud confiteretur, vt dubium, non satisfaceret confessioni, & teneretur illud iterum confiteri, vt certum, ergo, si sit dubius de illo peccato ante confessionem, & illud confiteatur, vt dubium, & postea illud deprehenderit, vt certum, tenebitur illud iterum sub ratione certitudinis confiteri. Consequentia probatur, quia in tantum in casu antecedentis tenetur illud iterum confiteri, vt certum, quando confessus est, vt dubium, in quantum dubium, & certum constituunt diuersitatem moralem, & ingerunt in confessario iudicium valdè diuersum, sed hoc idem contingit, quando confitetur, vt dubium, & postea deprehendit, vt certum, ergo &c. Neque dicas, in casu antecedentis meritò teneri illud confiteri, quia illud non est confessus, prout erat in conscientia eiusdem pænitentis, cum tunc nouerit illud, vt certum; in casu autem consequentiæ non teneri illud confiteri, quia iam illud confessus est, prout erat in conscientia, cum tunc solummodo fuerit cognitum, vt dubium; contra enim impugnaberis, quia, vel dubium, & certum constituunt diuersitatem talem, vt necessariò sit exprimenda in confessione; vel non constituunt illam diuersitatem; si non constituunt; siue à principio peccatum fuerit expositum cum qualitate certitudinis, siue non, non variabit substantialitèr iudicium confessarij, nec obligabit ad iteratam illius confessionem, & sicuti, quia circunstantiæ aggrauantes, quia non variant substantialiter iudicium confessarij, nec constituunt talem diuersitatem in peccato, vt sint subijciendæ clauibus, prout fert magis approbata Theologorum sententia, non obligant, quamuis fuerint cognitæ à principio, ad iteratam confessionem, ita, quia illa

21 Sunt iterum subijcienda, vt certa.

Rationes pro hac sententia.

illa certitudo; vel dubietas non constituunt illam diuersitatem, quæ obliget, nec ingerunt diuersum iudicium, non obligabunt &c. etiam, si fuerint cognita a principio; si constituunt illam diuersitatem, vtique obligabunt ad expressionem in confessione, siuè certitudo fuerit cognita a principio, siuè postea ex interuallo; sicuti, si peccatum aliquod fuerit in substantia, & specie cognitum, vt diuersum ab eo, quo fuit manifestatum in prima confessione, cognita illa diuersitate est exponendum, prout est verè, & secundum se in secunda.

22 Concil. Trid. non aduersatur huic opinioni.

Nec obstat, quod Concilium Trident. solum definiat peccata quoad numerum, species, & circunstantias mutantes speciem esse ex necessitate in confessione aperienda, peccatum autem dubium, & certum siuè sub vna, siuè sub alia qualitate exprimatur nec diuersificat numerum, nec speciem, nec circunstantias mutantes speciem; ergò non est ex necessitate secundum illas qualitates exprimendum, adeout, si sub vna qualitate fuerit expressum, teneatur postea exprimi sub alia, si dignoscatur postea esse sub hac alia; Non obstat, inquam, quia in primis sub hac ratione posset pænitens pro libertate peccatum cognitum, vt certum confiteri, vt dubium, & cognitum, vt dubium confiteri, vt certum, quod nemo dicet. Quamobrem, vt fundamentalitèr respondeamus obiecto, quod ex Concil. Tridentino desumitur, & rationem a priori pro nostra sententia statuamus, aduerto, Concilium nomine numeri non intelligere numerum quomodocunque, & in abstracto, sed existentiam actuum elicitorum secundum numerum, quo verè existunt, vnde, si quis confiteretur peccatum nec vt certum, nec vt dubium, sed vt possibile, & absolueretur, si postea cognosceretur, vt certò factum, deberet illud certò iterum confiteri, quia est ex necessitate confitenda existentia secundum numerum; Cum ergo in præsenti hypothesi ille, qui confessus est peccatum vt dubium, non confessus fuerit vt actu existens, sed modo, quo potuit dignosci à Confessario solum possibile, quod extiterit, si postea cognoscatur certò, quod extiterit, debet sub illo modo existentiæ iterum confiteri; non enim sufficit, quod peccatum extiterit in se ipso, sed requiritur, vt denuntietur Confessario, vt existens, si verè extiterit, & cognoscatur certò extitisse. Uno verbo Concilium, quod præcipit confiteri numerum peccatorum quoad existentiam, si plura sint, præcipit etiam confiteri existentiam vnius, si vnum tantum sit, & sicuti non sufficit, quod plura exprimantur secundum esse, quo cognosci possunt solum, vt possibilia, ita nec sufficit, quod vnum etiam exprimatur secundum modum, quo possit cognosci solum, vt possibile, si verè cognoscatur existens.

23 Soluuntur rationes oppositæ sententiæ.

Iam respondendum remanet ad rationes pro contraria sententia adductas. Ad primam dico, verè fuisse remissum; ex hoc tamen non sequitur, quod non debeat iterum cognita certitudine clauibus subijci; sicuti peccatum inculpabilitèr oblitum in confessione præcedenti intelligitur remissum, non tamen eximitur ab onere, vt, si postea cognitum fuerit, non debeat subijci. Ad secundam dico, disparem esse rationem de dispensatione a voto, & absolutione a censura, ac de absolutione a peccato dubio, nam, si loquamur de censura, cum hæc sit pæna præcisè Ecclesiastica, quamuis exponatur solummodo sub dubio, & sub conditione, si existat, potest tamen auctoritate Ecclesiastica auferri, & sine vllo præuio actu pænitentis, & sine vllo onere reincidentiæ; peccatum autem, cum sit culpa affixa peccanti, non potest sine præuijs actibus pænitentis, & sine conditionibus ex natura Sacramenti, vel ex dispositione iuris requisitis absolui; vnde, licet quando bona fide exponitur tanquam dubium, tunc absoluatur, quia tamen habet inditam conditionem, vt si cognoscatur sub euidentia certitudinis veræ existentiæ, debeat subijci sub hac qualitate, semper hoc onus retinet, sicuti quando peccatum omittitur ex obliuione, quamuis per præcedentem absolutionem tollatur, retinet tamen onus, vt si postea cognoscatur, debeat subijci; Si verò loquamur de dispensatione voti sub conditione, quod fuerit emissum; hoc etiam nihil contra nos euincit, quandoquidem votum non habet annexam conditionem, nec aliquod onus ex genere suo, vt, si cognoscatur, vt certum, iterum debeat subijci potestati, sicut habet annexum onus peccatum, vt exponatur, vt certum, si fuerit cognitum, vt tale.

24 Cognito numero certo hic est subijciẽdus.

Ad tertiam, quidquid magis communiter dicant, cognito scilicet postea determinato numero peccatorum, nempè duodecim, cum fuerint in prima confessione exposita decem solummodo determinatè, & indeterminatè, & sub dubio solum duodecim per illam particulam *circitèr*, non esse illa duo iterum clauibus exponenda; sentio tamen probabilius illa duo, vt fuerint cognita, vt certa, debere iterum subijci propter rationes superius adductas, & ita seruat praxis timoratorum, & ita obseruandum videtur, quia, quando agitur de salute æterna, debet sequi opinio tutior; tutius autem est, quod

quod peccatum cognitum primo vt dubium, ſi poſtea dignoſcatur vt certum, iterum confiteatur, ergo &c.

Neque dicas, in hoc non ſubſiſtere rationem inter cæteras à nobis adductam ex paritate peccati in confeſſione inculpabiliter omiſſi, quandoquidem hoc non fuit directè remiſſum, ſed dumtaxat indirectè ex remiſſione aliorum, vnde mirum non eſt, quod poſtea, vt cognitum exigat abſolutionem directam; peccatum autem dubium confeſſum vt tale fuit directè, & per veram abſolutionem cadentem ſupra ipſum dimiſſum; Contra enim impugnaberis, quia licet fuerit directè remiſſum vt dubium, non tamen fuit directè remiſſum vt certum, vnde vt certum poteſt dici indirectè tantum remiſſum per primam abſolutionem; pro cuius rei claritate repeto ea, quæ in præcedentibus dixi, vel etenim dubium, & certum conſtituunt differentias tales, vt ſint in confeſſione aperiendæ, vel non conſtituunt; ſi non conſtituunt, peccatum etiam cognitum vt certum, poſſet ſine variatione iudicij, & ſine inualiditate Sacramenti confiteri vt dubium; quod non auderem aſſerere, nec arbitror aſſerere aduerſarios; ſi conſtituunt tales differentias, prout peccatum eſt confeſſum vt dubium, cognita poſtea certitudine erit fatendum vt certum, & ſic in ordine ad primam confeſſionem peccatum vt certum perinde eſſet, ac ſi eſſet inculpabilitèr omiſſum, ac proinde vt tantum indirectè remiſſum.

25 Non fuit expoſitum peccatũ prout eſt.

Ad quartum dico, id, quod debet ſubijci confeſſioni, eſſe quidem peccatum, ſed prout rapręſentatur cognitioni peccantis, vnde, ſi rapręſentetur vt dubium, debet ſub illa qualitate ſubijci, ſi vt certum, etiam ſub qualitate certitudinis confiteri; nec verum eſt, quod in confeſſione, in qua fuit ſuppoſitum clauibus vt dubium, fuerit explicatum cum omnibus circunſtantijs, & qualitatibus.

ARTICULUS II.

An peccata opinatiuè dubia ſint confeſſioni ſubijcienda.

SUMMARIUM.

In quo differat dubium opinatiuum à ſuſpenſiuo. 1.
Stante æquali probabilitate poteſt alteri tutò adhærere. 2.
Extante maiori probabilitate pro exiſtentia peccati tenetur eam ſequi. 3.
Decretum Sacræ Congregationis attingit etiã ſaltem indirectè recipientes. 4.
Motiuum damnationis illius propoſitionis eſt periculum fruſtrationis Sacramenti. 5.

1 Diſcrimen inter dubium opinatiuum, & ſuſpenſiuum.

NOmine dubij opinatiui intelligo illud, quo quis præmiſſa ſufficiente diligentia propter rationes probabiles ad generandum aſſenſum pro vtraque parte vni potius adhæret, quam alteri, ad differentiam dubij merè ſuſpenſiui, quo quis præmiſſa ſufficiente diligentia ad alterutram partem dignoſcendam adhuc ſuſpenſus remanet, & quaſi in æquilibrio, vt nec pro vna, nec pro altera parte poſſit iudicium probabile efformare. Porrò in dubio opinatiuo vel rationes, quæ poſſunt inclinare, vel ad aſſenſum, vel ad diſſenſum, ſunt æquales, ſeu æquè probabiles, vel rationes, quæ ad vnam partem inclinant, ſunt probabiliores rationibus inclinantibus pro altera parte. Id, quod præcipuè venit ſub præſenti titulo examinandum, eſt, an exiſtentibus rationibus æqualibus pro vtraque parte poſſit opinans licitè cuicunque voluerit parti adhærere, & exiſtentibus rationibus validioribus pro vna parte eidem teneatur adhærere, an verò eiſdem omiſſis poſſit licitè adhærere alteri parti, quamuis minus probabili.

2 Extãte æquali probabilitate poteſt alteri adhærere.

Assertio I. Exiſtente æquali probabilitate pro vtraque parte, vel pro exiſtentia peccati, vel pro non exiſtentia poteſt licitè opinans cuicunque voluerit parti adhærere, adeout, ſi inclinet pro exiſtentia, teneatur illud clauibus ſubijcere, ſi pro negatione exiſtentiæ, poſſit illud omittere, & non confiteri.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia in rebus practicis poteſt quis ſequi opinionem probabilem relicta alia æquè probabili, quia nemo Diuina, aut humana lege tenetur ſequi potius vnam, quam alteram, nam ſemper operatur iuxta dictamen prudentis rationis, ſiue vnam, ſiue alteram amplectatur, ergo etiam in materia peccatorum data æquali probabilitate pro vtraque parte, hoc eſt pro exiſtentia, vel non exiſtentia peccati poterit ſententiam vnam, vel alteram opinans amplecti tuta conſcientia; Neque dicas, opinantem pro vtraque parte æquè exponi periculo violandi præceptum confeſſionis, ac dubitans ſuſpenſiuè, quandoquidem quantum dubio detrahit probabilis opinio, quod non fecerit, tantum è contra addit opinio probabilis, quod fecerit; contra enim impugnaberis; nam opiniones probabiles in ordine ad rectè, & inculpabiliter operãdum nullo modo æquiualent dubio, nam, qui in operando ſequitur opinionem probabilem, prudentèr agit, & conformitèr ad dictamen rationis, nec ſe exponit peri-

culo errandi morali; qui autem omninò dubius est, nō habet rationes, quibus possit ferre probabile iudicium, nec agit prudentèr, cum careat regula rectè operandi. Ad id, quod subditur, dicendum est, rationes pro vna parte non demere probabilitatem pro alia, vnde opinans non remanet in ancipiti vel pro innocentia, vel pro malitia, quia, dum se applicat ad assentiendum potius innocentiæ, quam malitiæ, opinio pro innocentia præualet.

Assertio II. Existente maiori probabilitate pro existentia peccati tenetur opinans peccatum illud clauibus exponere.

3 Maiori probabilitati adhærendū est.

Ratio ex eo deducitur, quia in ijs, quæ concernunt salutem animarum, & versantur circa periculum damnationis æternæ, certius remedium est adhibendum, & via tutior est premenda, ergo opinio probabilior est amplectenda. Hoc modò videtur sine difficultate transire stante declaratione Innocentij XI. semper recolendæ memoriæ, qui in Congregatione Sanctæ Romanæ vniuersalis Inquisitionis habita die 2. Martij 1679. damnauit propositionem illam, qua dicebatur in materia Sacramentorum licere sequi opinionem probabilem relicta probabiliori.

4 Decretum Sacræ Cōgregationis attingit etiam indirectè recipientes.

Neque hic audiendi sunt primo, qui dicunt, damnationem illam attingere solummodo ministrum absoluentem, qui in administratione tenetur sequi opinionem tutiorem, & probabiliorem, non autem pænitentem, qui, modo sit fretus ratione probabili, videtur tutus illam amplectendo, quinimmò plurimi dicunt, quod confessarius, quantumuis habeat probabiliorem opinionem, teneatur sequi opinionem pænitentis, quantumuis minus probabilem, & sic signantèr *Clauis Regia lib. 1. c. 9. nu. 13., Azorius prima part. lib. 2. c. 17. q. 10., Beccanus tract. 1. c. 4. q. 9. num. 13.* Neque item audiendi sunt alij, qui dicunt solummodo circa essentialia Sacramentorum, sine quibus Sacramenta non subsisterent, amplectendam esse opinionem tutiorem, & probabiliorem; non autem circa accidentia, sine quibus Sacramenta subsisterent, cuiusmodi esset opinio circa existentiam, vel non existentiam peccatorum; nam retenta sententia de non existentia, eoque peccato non subiecto clauibus Sacramentum non inualidaretur.

5 Motiuū damnationis est periculum frustrationis Sacramenti.

Non, inquam, audiendi sunt; non primi, quia Pontifex in ea damnatione, licet respiciat expressè solummodo ministrum administrantem, implicitè tamen, & virtualitèr comprehendit in ea damnatione etiam recipientem; & ratio est, quia motiuum adæquatum illius damnationis stat in eo, quod exponatur Sacramentum periculo frustrationis, sed hæc frustratio æquè potest prouenire à subiecto recipiente inualidè, ac a ministro conficiente, ergo &c. Minor probatur, quia non minus defectus substantialis se tenens ex parte ministri inualidat Sacramentum, ac inualidet defectus similis in pænitente, ergo æquè frustratio Sacramenti prouenire potest ex parte pænitentis, ac ex parte ministri, ergo, si stante maiori probabilitate, & tutiore ratione in ijs, quæ se tenent ex parte ministri, ex dispositione Innocentiana non potest hic sequi opinionem probabilem relicta probabiliori, etiam stante maiori probabilitate ex parte pænitentis circa existentiam peccati, non poterit hic sequi opinionem probabilem de non existentia relicta probabiliori de existentia; nec verum absolutè est, quod subditur, quod Confessarius teneatur sequi opinionem probabilèm eiusdem pænitentis relicta probabiliori propria; si enim, & ipse pænitens in hac materia Sacramentorum potissimum circa existentiam, & non existentiam peccati tenetur sequi opinionem tutiorem, & Confessarius non debet eidem conformari, nisi adhæreat opinioni tutiori, & probabiliori. Verum tamen est, quod, si ipse pænitens prudens, & doctus probabilius arbitratur peccatum non extitisse, vtique possit, & debeat Confessarius eiusdem opinioni se accomodare, quia, cum opinio consistat in facto, & factum sit penes pænitentem, qui probabilius arbitratur, non extitisse, eiusdem probabiliori iudicio videtur insistendum.

Non secundi, quia, cum hic agatur de existentia, vel non existentia peccati, agitur de substantialibus, & opinio minus tuta exponit Sacramentum frustrationi, cum possit esse falsa coram Deo, & sicuti conficere Sacramentum irritum est peccatum mortale contra reuerentiam Sacramento debitam, ita se exponere periculo conficiendi Sacramentum irritum, est peccatum contra eandem reuerentiam, quia in moralibus perinde est aliquod facere, & exponere se periculo faciendi, vt loquitur *Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 16. sect. 2.*

AR-

ARTICULUS III.

An ex vi conſtitutionis Innocentianæ teneamur ſemper ſequi opinionem tutiorem ſiue in ordine ad ea, quæ ſe tenent ex parte miniſtri, ſiue ad ea, quæ ſe tenent ex parte recipientis Sacramentum.

SUMMARIUM.

Refertur per extenſum propoſitio damnata ab Innocentio XI. 1.
In baptiſmo, & ordine ſemper tenenda eſt propoſitio tutior. 2.
Opinio minus tuta tenenda non eſt, quando lex, & conuentio vetat. 3
In caſu neceſſitatis, cui aliter nequeat ſubueniri, poteſt quis ſequi opinionem minus tutam. 4.
Nonnulla dubia circa illam propoſitionem diſcutienda. 5.
Propoſitio præcisè probabilis circa iuriſdictionem miniſtri ſubiacet damnationi. 6.
An poſſit cohoneſtari aliqua circumſtantia, & quali. 7.
Si opinio probabilis coniungatur cum errore communi, & titulo colorato, non fruſtratur Sacramentum. 8.
Qualis debeat eſſe hic error communis. 9.
Opinio probabilis conualidata communi conſuetudine quoad iuriſdictionem tuta eſt. 10.
Extante probabili opinione de iuriſdictione, an validum ſit Sacramentum, ſi pænitens ſubijciat cum lethalibus etiam venialia. 11.
Decretum Sacræ Congregationis vetans ſimplici Sacerdoti abſolutionem venialium. 12.
An afficiat Sacerdotem approbatum exiſtente ſolum opinione probabili de eius iuriſdictione. 13.
Sententia aſſerens ſimplici Sacerdoti competere de iure Diuino facultatem abſoluendi à venialibus. 14.
Poteſt Eccleſia impedire eius vſum, & quomodo. 15.
Stante probabili ratione de iuriſdictione, & præcedente approbatione decretum non extenditur ad iſtum. 16.
Sententia aſſerens Regularem approbatum ſolum ad confeſſiones marium poſſe, & fæminas abſoluere, & non cadere ſub damnatione. 17.
Hæc opinio cum ſuis rationibus reijcitur. 18.
Non valet paritas de Sacerdote ſæculari electo ad curam animarum, & quarè. 19.
Clemens X. dat facultatem Epiſcopis cognoſcendi ſuper idoneitate Regularium. 20.
Sententia docens poſſe validè impendi abſolutionem per verbum præcisè, Abſoluo, cadit ſub damnatione. 21.

EX occaſione eorum, quæ diximus de damnatione propoſitionis primæ factæ ab Innocentio XI. cantantis in hanc formam. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiori, niſi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum vtendum non eſt in collatione baptiſmi, ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis*, multa contingunt hic dubitari, tum in ordine ad ea, quæ ſpectant ad poteſtatem Sacerdotis, & eius exercitium, tum in ordine ad actus pænitentis; ſed antequam ad ſingula excutienda accedamus, placet propoſitionem ipſam exponere, & certa ab incertis ſegregare.

1 Propoſitio damnata.

Primò certum eſt id, quod etiam in eadem propoſitione aſſeritur, ſcilicet in baptiſmo, & ordine ſemper eligendam eſſe opinionem tutiorem circa valorem Sacramenti, & congrua quidem ratione, quia, ſi in baptiſmo eligeretur opinio minus tuta quoad valorem, ſubiaceret baptizatus periculo damnationis æternæ, ſi fortè baptiſmus non eſſet validus; in ordine autem præcipuè Sacerdotali ſubeſſet periculo nullitatis conſecrationis, & abſolutionis Sacramentalis; in ordine autem Epiſcopali eſſet periculum nullitatis ordinum, quos confert, & propterea maxima conturbatio, & ſubuerſio in Republica Eccleſiaſtica.

2 In baptiſmo, & ordine tenēda eſt opinio tutior.

Secundò certum eſt, non poſſe amplecti opinionem minus tutam circa valorem Sacramenti, quando id vetat lex, aut conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hoc etiam videtur innuere, & excipere ipſa propoſitio, & quidem iure poteſt Eccleſia præcipere, vt opinio minus tuta deſeratur, & poteſt pænitens cum Confeſſario conuenire, vt nōn niſi tutiorem opinionem ſecum in abſolutione amplectatur, & vbi ex opinione minus tuta impenderet periculum grauis damni, certum eſt, quod eadem opinio non eſt amplectenda, ſed eliminanda ſic ſuadente non ſolum charitate ordinata erga ſe ipſum, & proximum, ſed etiam iuſtitia compellenſe.

3 Vetante lege, & conuentione non eſt tenēda minus tuta.

Tertiò certum eſt, in caſu neceſſitatis, cui alitèr nequeat occurri, poſſe quemlibet ſequi opinionem minus tutam relicta probabiliori, quinimmo, nec in hoc caſu poſſit dici, quod relinqueret opinionem tutiorem, cum ipſam non poſſet amplecti. Hoc poſſet contingere in caſu, quo infans periclitaretur, & non eſſet tunc aqua naturalis, qua poſſet baptizari, adeſſet tamen lixiuium; tunc etenim adhibito lixiuio poſſet ſaltem ſub conditione baptizari infans non obſtante, quod minus tuta ſit

4 In caſu neceſſitatis poteſt ſequi minus tuta.

opinio afferens, lixiuium esse materiam sufficientem.

5 Variæ rationes dubitandi.

Ea, quæ sunt incerta, & cadere possunt sub præsenti disputatione, alia sunt ex parte ministri, & formæ, alia ex parte pænitentis, & materiæ; ex parte ministri cadit primo disputatio, an opinio probabilis circa eius iurisdictionem cadat sub damnatione allatæ propositionis; secundò, an sub eadem cadat opinio, quod approbatus ab ordinario solum ad confessiones masculorum, possit etiam audire illas fæminarum; Ex parte formæ cadit primo, an opinio Scoti asserentis, totam essentiam formæ consistere in verbo *Absoluo*, supposita præsentia pænitentis, tanquam conditione, comprehendatur sub hac damnatione; ex parte pænitentis, an cadat sub tali damnatione sententia asserens circunstantias notabilitèr aggrauantes nō esse ex necessitate clauibus subijcienda; secundò, an sententia asserens non requiri nouum dolorem, cum quis confitetur peccata alias ritè confessa. De alijs tam circa actus iurisdictionales Sacerdotis, quā circa actus pænitentis hic non differemus, cum de illis suis respectiuè locis sit peragendum.

6 Propositio probabilis circa iurisdictionem est damnata.

Quoad primum ex parte ministri absoluentis, propositionem præcisè probabilem de iurisdictione cadere sub damnatione communitèr statuunt DD., nisi sit coniuncta cum aliqua circunstantia iustificante absolutionem; & ratio est, quia ex vi talis damnationis non licet exponere frustrationi Sacramentum pænitentiæ; atqui Sacerdos absoluens cum sola iurisdictione probabili exponit Sacramentum periculo frustrationis, nam, si coram Deo verè non adsit illa iurisdictio, inualida est absolutio, & per consequens etiam Sacramentum sic definiente *Concil. Trid. sess.* 14. *c.* 4. Ibi-*Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Sinodus hæc confirmat, nullius momenti esse debere absolutionem eam, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.*

7 An possit cohonestari aliqua circunstantia.

Dixi, *nisi sit cum aliqua circunstantia coniuncta iustificante absolutionem*. Circa quas particulas nonnulli asserunt ex triplici circunstantia absolutionem iustificari, & reddi validam. Primam statuunt in titulo colorato, & errore communi, quatenus sic absoluens communitèr reputatur idoneus, & iurisdictionem sufficientem habere supplente Ecclesia defectum iurisdictionis, si hæc non esset, & hoc ad euitandas in Ecclesia Dei confusiones ad terminos *l. Barbatius, ff. de offic. Prætoris, & c. infamis* 3. *q.* 7. atque hanc circunstantiam sufficientem ad iustificandam absolutionem statuunt *Sanchez lib.* 1. *summæ c.* 9. *num.* 35., *Lessius lib.* 2. *de iust. c.* 29. *dub.* 8. *num.* 68., *Diana part.* 2. *tract.* 13. *resol.* 2., *Lugus de pænit. disp.* 19. *sect.* 2. *num.* 30., *Martinez secunda secundæ tom.* 1. *q.* 19. *art.* 6. *dub.* 7. *concl.* 7. Secundam statuunt in ratihabitione de præsenti, quatenus Ecclesia sciens opinionem probabilem de iurisdictione in praxi seruari, id toleret, nec contradicat; atque ita statuunt *Lumbier, & Triguera in explicatione prima propositionis damnatæ ab Innocentio XI.* Tertiam statuunt in eo, quod stante opinione probabili de tali iurisdictione pænitens simul subijciat peccata venialia cum læthalibus; cum etenim pænitens accedat bona fide ex vna parte, & ex alia subijciat etiam venialia, in ordine ad quæ quilibet Sacerdos habet iurisdictionem certam, non redderetur inualida absolutio, nec irritum Sacramentum, cum per absolutionem directam in ordine ad venialia consequeretur etiam indirecta in ordine ad læthalia; atque ita statuunt *Suarez tom.* 4. *in tertia part. disp.* 26. *sect.* 6. *num.* 8., *Sanchez lib.* 3. *summæ c.* 9. *nu.* 35.

8 Coniūcta cum errore cōmuni subsistit.

Iam examinandam assumimus primam circunstantiam; circa quam dico, quod, si verè fuerit error communis cum titulo colorato a legitimo superiore collato circa iurisdictionem confessarij, Sacramentum certè sit validum, & non sit expositum periculo frustrationis, & propterea non cadat opinio sub censura, & damnatione Innocentij XI., & hoc verificatur tam pro foro interno, quam pro externo. Consentiunt omnes pro prima circunstantia allegati. Dixi, *si verè fuerit error communis*, pro quo aduerto, vt dicatur interuenire propriè error communis, non sufficiat, vt opinio sit quomodocunque talis apud quoscunque, sed requiratur, vt eam admittant communitèr sapientes ad quorum nutum, & assensum alij omnes trahuntur; quod, si multi sapientes dubitent, non dicendus est propriè error communis, nec tunc intelligitur Ecclesia supplere defectum iurisdictionis. Hac ratione non intelligitur interuenire error communis in opinione, secundum quam aliqui statuunt, quod vigore bullæ Cruciatæ possint Regulares absolui a casibus reseruatis, cum multi sapientes de ea opinione dubitent. Dixi, *cum titulo colorato à legitimo superiore collato*; nam nullo existente titulo, nec iurisdictione à legitimo superiore collata error præcisè communis non suffragaretur; cæteroqui, si à nullo approbatus se exponeret confessionibus audiendis, & haberetur pro Confessario, cum talis non esset, validè absolueret, quod nemo fatebitur. Ratio assertionis sic intellectæ deducitur *ex d. l. Barbatius, ff. de officio Prætori, & c. infamis* 3. *q.* 7., nec in-

9 Qualis debeat esse hic error cōmunis.

con-

congrua sanè ratione, quandoquidem, si alitèr res se haberet, innumeræ perturbationes, infinitæ anxietates in Republica Christiana orirentur, ad quas euitandas existente titulo colorato cum errore communi Ecclesia supplet defectum tituli veri, & realis.

10 Si sit firmata cómuni consuetudine tuta est.

Mox explodimus secundam circunstantiam, quæ est, quod etiam non existente errore communi, existente tamen opinione probabili de iurisdictione, quæ sit consuetudine recepta, valida sit absolutio ab habente talem opinionem collata supplente Ecclesia defectum iurisdictionis, si qui esset. *Suarez tom. 4. in 3. parte disp. 27. sect. 4. nu. 7.*, *Lugus disp. 19. de pænit. sect. 2. num. 31.*, *Arriaga tom. 8. curs. Theologici disp. 39. sect. 5. subsect. 2. num. 43.*, *Diana part. 3. tract. 2. resol. 3. §. vnde*. *Bonacina tom. 2. disp. 5. de Sacram. pænit. q. 7. punct. 5. §. 4. num. 5.* Sic in particulari, qui sequitur sententiam probabilem Doctorum sentientium ipsum habere iurisdictionem sufficientem ad absoluendum a reseruatis, seu priuilegium, quod habebat non esse reuocatum, posse validè absoluere ab eisdem. Ratio horum omnium ex eo deducitur, quia iurisdictio est potestas iuris merè Ecclesiastici, quam sicuti lex scripta potest inducere, potest etiam inducere non scripta, hoc est lex consuetudinaria, prout expresse habetur *in c. cum contingat de for. compet.* Vbi Glosa subdit *nota, quod consuetudo dat iurisdictionem*, & *ex c. Romana de sent. excommun.*, cum autem consuetudo induxerit, quod sequens sententiam probabilem circa iurisdictionem validè agat, nec ab Ecclesia actum reprobetur, sequitur ex directo, quod innixus tali rationi probabili circa iurisdictionem, absoluat validè &c. vnde communitèr Theologi asserunt sine vlla prorsus trepidatione, quod quoties adest opinio probabilis circa iurisdictionem, Ecclesia illam suppleat.

11 Quod, si pænitẽs subijciat cum venialibus læthalia.

Iam tertiam examinamus circunstantiam, qua asseritur certificari iurisdictionem, cuius est solummodo sententia probabilis, ex eo quod pænitens se accuset simul cum læthalibus de venialibus, vel de læthalibus iam ritè confessis, adeout non frustretur Sacramentum, cum directè absoluatur à venialibus, quorum potestas est apud quemlibet Sacerdotem, & indirectè à læthalibus nondum confessis. Plurimum negotij aduersus hanc circunstantiam videtur facescere decretum Sacræ Congregationis editum iussu Innocentij XI. circa communionem quotidianam die 12. Februarij 1679. in cuius fine sic legitur. *Non permittant vt venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, seu Ordinario.* Verum hoc decretum facilè eliditur quoad hunc effectum, si dicatur circunstantiam hanc procedere non in ordine ad simplicem Sacerdotem non approbatum, sed ad Sacerdotem iam approbatum, de cuius iurisdictione solum extat probabilis opinio, vt constat ex tenore verborum eiusdem decreti, Ibi *simplici Sacerdoti non approbato*, quod clarè liquet ex eo, quod hic agitur de valore absolutionis in Sacerdote intendente absoluere a læthalibus, in quo nulla potest esse probabilitas de iurisdictione in illa mortalia, si non fuerit approbatus; & sic decretum non refertur ad Sacerdotem iam approbatum. Vnde dicendum est, quod, cum antecedentèr ad decretum haberet potestatem in venialia, & per decretum non prohibeatur approbatus, sed solummodo simplex non approbatus ab absolutione venialium, vtique hæc potestas in ipso adhuc integra remaneat stante probabili opinione de perseuerantia eiusdem iurisdictionis. Hanc circunstantiam coniunctam cum opinione probabili iurisdictionis in Confessario iustificare absolutionem, statuunt DD. satis communitèr, & præcipuè *Suarez tom. 4. in tertia parte disp. 26. sect. 6. num. 8.*, & *disp. 31. sect. 3. num. 10.*, *Sanchez lib. 3. summæ c. 9. num. 35.*, *Arriaga tom. 8. tract. de pænit. disp. 39. sect. 3. nu. 26.*, *Lugus disp. 19. de pænit. sect. 2. num. 30.*, & *alij innumeri*, qui tamen procedunt ex supposito, quod quilibet simplex Sacerdos habeat iurisdictionem in venialia.

12 Sacra Cógregatio vetat Sacerdoti simplici absolutionẽ venialium.

13 An afficiat Sacerdotẽ approbatum, si sit cũ opinione probabili.

Decisio huius dubij, an scilicet hæc circunstantia coniuncta cum probabili opinione de iurisdictione confessarij iustificet absolutionem ex duplici capite pendet, vt videtis; primò ex eo, an in quolibet simplici Sacerdote adsit potestas absoluendi a venialibus; secundò ex eo, an per absolutionem à venialibus respectu Sacerdotis cum illa probabilitate absoluentis veniat etiam absolutio saltem indirecta læthalium.

14 Secundum aliquos simplex Sacerdos de iure Diuino potest à venialibus absoluere.

Circa primum non defuerunt, qui dixerint hanc potestatem absoluendi a venialibus ex iure Diuino competere cuilibet simplici Sacerdoti collatam in ipsa ordinatione, & sic signantèr docent *Vasquez tom. 4. in tertia parte q. 93. art. 1. dub. 6.*, *Enriquez lib. 3. de pænit. c. 5. n. 4.*, *Caspensis in conf. Theol. tom. 2. tract. 24. disp. 5. sect. 3. nu. 27.*, *Joannes Propositus tertia parte q. 7. dub. 5. num. 37.* & iuxta hanc sententiam videretur absolutè dicendum, quemcunque simplicem Sacerdotem posse a venialibus absoluere non obstante illo decreto Sacræ Congregationis, cum potestas à iure Diuino collata non possit per humanam potestatem auferri. Verum dici potest, quod, quamuis talis potestas sit inauferibilis per

pote-

potestatem humanam, prout appellat potestatem ordinis, possit tamen eius vsus ex iustis causis suspendi, prout præstitit Sacra Congregatio iussu Innocentij XI. Sed cum eadem Sacra Congregatio loquatur solum de simplici Sacerdote non approbato, non est eius dispositio extendenda ad approbatum cum probabili ratione de eius iurisdictione.

15 Potest Ecclesia impedire eius vsum.

Circa secundum, stante probabili ratione de iurisdictione, sentiendum est subsistere absolutionem, & suum consequi effectum, quia dato etiam, quod coram Deo non adesset iurisdictio quoad læthalia, stante tamen priori approbatione, & probabili illa ratione, adest quoad venialia; quo supposito sic arguo. Per absolutionem sic habitam vtique remittuntur peccata venialia, & quidem per gratiam remissiuam, ergo, & remittuntur læthalia saltem indirectè, quandoquidem non potest esse gratia remissiua cum peccatis læthalibus.

16 Decretũ non extenditur ad approbatum extante probabili ratione.

Quoad secundum dubium ex parte ministri, an scilicèt cadat sub damnatione Innocentij XI. opinio, qua asseritur, quod approbatus ad confessiones marium possit etiam audire confessiones fæminarum non defuerunt plures, qui in ordine ad Regulares dixerunt, quod approbati ad confessiones masculorum censeantur etiam approbati ad confessiones mulierum, & hanc opinionem valdè probabilem esse, & moralitèr certam, ac proindè non cadere sub illa damnatione. Pluribus ad hoc asserendum rationibus mouentur; primò, quia Clerici sæculares admittuntur ad curam animarum etiam in minori ætate triginta annorum; atque isti intelliguntur approbati tam ad confessiones masculorum, quam fæminarum indiscriminatim, ergò Regulares approbati ab Ordinario ad confessiones masculorum censentur, & censendi sunt approbati ad confessiones etiam mulierum non obstante, quod Ordinarius solum dixerit in cõcessione *pro masculis*. Pro probatione huius consequentiæ aduerte primo regularitèr Episcopos moueri ad non concedendam facultatem pro mulieribus, seu fæminis ob defectum ætatis, vel ob imbecillitatem, seu non maturitatem iudicij; Deinde sic probant; in Regularibus ratione proprij status præsumitur magis idoneitas, quem in Clericis sæcularibus, ergo, si Episcopi approbant sæculares etiam in minori ætate constitutos pro confessionibus mulierum non possunt talem facultatem Regularibus denegare, & si iniustè denegant, intelligitur eisdem concessa facultas per Romanum Pontificem ad terminos *textus in Clem. Dudum de sepult.* secundò, quia Ordinarij solum habent approbare Regulares quoad idoneitatem in scientijs; iurisdictionem autem a Romano Pontifice immediatè recipiunt, & approbationem quoad mores à suis Superioribus, ergo posita tali approbatione quoad scientias non erit in potestate Ordinarij iurisdictionem limitare quoad masculos solum. Tertiò, quia in bulla Clementis X. expresè habetur. *Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generalitèr reperti fuerint ab Episcopis, generalitèr quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos.*

17 Sententia docẽs Regulares approbatos ad masculos solũ posse fæminas absoluere.

Sentiendum tamen est, illam opinionem leuis esse probabilitatis, & cadere sub censura, & damnatione Innocentij XI., adeoque etiam Regulares approbatos solummodo ad confessiones masculorum, non intelligi etiam approbatos ad confessiones fæminarum. Huiusmodi opinio extendens hanc facultatem etiam ad confessiones mulierum, quamuis esset antecedentèr ad præfatam bullam Clementis X. cum aliqua probabilitate; post eandem tamen videtur non nisi tenuis, & dubiæ probabilitatis, & per consequens non amplectenda. Hoc colligo ex verbis eiusdem Bullæ, Ibi- *Quoad cæteros, qui non adeo idonei reperientur, si petierint se admitti arbitrio Ordinariorum relinqui ipsos cum limitata facultate, prout eis Ordinarijs magis expedire videbitur, approbare, & admittere*; Neque obstant verba eiusdem bullæ mox recitata, in quibus conceditur facultas Regularibus sine vlla limitatione temporis, certorum locorum, aut generis personarum, si generalitèr fuerint idonei reperti; Non obstant, inquam, quia hæc procedunt iuxta sonum verborum, quando scilicet fuerint idonei reperti cum omni generalitate; in casu autem de quo loquimur, non intelliguntur idonei generalitèr, cum deficiant in ætate, quam Ordinarius arbitratur requiri ad maturitatem sufficientem ad fæminarum confessiones excipiendas; Neque vrgeas, non spectare ad Ordinarium cognoscere super idoneitatem ætatis, sed solummodo super idoneitatem scientiarum; contra enim impugnaberis, quia Pontifex ibi asserit, præcipuam ministri Sacramenti pœnitentiæ qualitatem esse vitæ integritatem, & morum honestatem, cuius cognitionem etiam in ordine ad Regulares tribuit Ordinarijs; cum igitur ratione iuuenilis ætatis possit esse non leuis præsumptio, quod non sit ille matura morum probitas, non incongruè potest Ordinarius facultatem limitare in ordine ad fæminarum confessiones excipiendas. Hanc minorem idoneitatem in Regularibus ratione

18 Hæc opinio reijcitur.

ne iuuenilis ætatis etiam agnouerunt Religiones, earumque Conditores plures, qui per speciales constitutiones sanxerunt, ne ad fæminarum confessiones admittantur Religiosi sui ordinis, nisi completo certo annorum numero, & in mea Congregatione signantèr habetur, quod nemo admittatur, nisi compleuerit trigesimum suæ ætatis annum.

Minus negotij videtur facescere ea, quæ pro contraria sententia afferebantur, & quidem loquendo de primo (quod præficiantur curæ animarum Clerici sæculares in minori ætate constituti, quique audire possunt mulierum confessiones) dico in hoc non valere argumentum cum extensione ad Regulares, quandoquidem plura concurrunt, quæ mouent, & mouere possunt animos conferentium beneficia curata, quæ non concurrunt in approbatione Regularium ad confessiones fæminarum excipiendas; primò necessitas Ecclesiarum; quandoque etenim non concurrunt ad eadem beneficia, nisi iuniores, nec expedit Ecclesias relinquere Pastore viduatas, & si seniores quandoque concurrunt, non sunt in cæteris eius idoneitatis, quæ requiratur ad curã animarũ, & iuniores in reliquis qualitatibus ipsos excedunt. Secundò, quia in promouendis ad beneficia curata fit diligens, & exacta inquisitio super omnes qualitates pertinentes tum ad mores, tum ad scientias, quæ non ita adamussim habentur in approbandis ad confessiones audiendas. Tertiò, quia in Curatis, in quibus adest obligatio ex iustitia administrandi Sacramenta, vt plurimum requiruntur vires robustiores ad sustinenda onera Paræciæ, cum teneantur media nocte, tempore æstiuo, ingruente pluuia, alijsque incommodis existentibus curare oues, dispersas congregare, infirmas inuisere, deficientes Sacramentis munire, pabulo salutis enutrire &c. ad quæ videntur impares seniores; Hæc autem stricta obligatio in Regularibus non reperitur, adeoque &c.

19 Nõ valet paritas de Sacerdote Laico electo ad curã animarum.

Loquendo verò de secundo (quidquid sit, quod iurisdictio in ordine ad Regulares immediatè proueniat à Summo Pontifice posita approbatione Episcoporum quoad scientias) dicendum est, Clementem X. in allegata Constitutione Episcopis tribuere facultatem cognoscendi etiam super mores, & idoneitatem eorundem, & limitandi facultatem; & ibi Pontifex supponit, quod non solum Episcopi approbent Regulares, sed etiam licentias confitendi concedant, Ibi-*Seu licentias illis concessas reuocari*; Loquendo verò de tertio iam patet ex dictis, quid sit respondendum?

20 Clemẽs X dat facultatẽ Episcopis cognoscẽdi super idoneitatem Regularium.

Quoad tertium dubium ex parte formæ, an scilicet cadat sub damnatione Innocentij XI. opinio asserens essentiam absolutionis consistere in illo verbo, *Absoluo*, supposita præsentia pænitentis, & confessione ab eodem habita? Sentiendum est, opinionem illam cadere sub illa damnatione; quia denegari non potest, quin hæc opinio sit minus tuta altera asserente debere esse cum additione particulæ: *Te*, & ratio est, quia forma absolutoria debet esse determinata ad subiectum, super quod debet cadere, per ly autem *absoluo*, præcisè non determinatur subiectum, cum illud verbum sit indiferens, vt cadat, siue supra hunc, siue supra alterum Reum. Neque dicas, determinari subiectum per præsentiam, & confessionem habitam à tali determinato pænitente; contra enim impugnaberis, quia forma absolutoria debet esse in se ipsa expresè determinatiua subiecti, nec sufficit, quod determinetur per aliud, cum debeat illud exprimere, supra quod suum effectum constituit; nec valet paritas de expressione personæ absoluentis per ly *ego*, quæ, quamuis omittatur, non reddit irritam absolutionem; non valet, inquam, quia hæc sufficienter importatur in verbo *Absoluo*, concepto in persona prima, & ly *absoluo*, non est indiferens, vt referat vnam, vel alteram personam absoluentem, sicut est indiferens secundum se, vt referat vnam, vel alteram personam absoluendam.

21 Damnatur sententia docens validã esse absolutionem per solũ verbum *Absoluo*.

Quoad quartum dubium de circunstantijs simplicitèr aggrauantibus non immoror, cum de ijs erit sermo infra vberimus.

ARTICULUS IV.

An per præceptum positiuum possint fideles obligari ad peccatorum venialium confessionem.

SUMMARIUM.

Difficultates, quæ cadunt sub hoc titulo. 1.
Sub præcepto annuæ confessionis non cadit confessio præcisè venialium. 2.
Moraliter non possunt omnia confiteri. 3.
Ecclesia non obligat, nisi ad tempus, ad quod indefinitè obligat Christus. 4.
Venialia possunt alijs remedijs remitti. 5.
Non valet paritas de voto, & quarè. 6.
Probabilius non potest Ecclesia præcipere simplicitèr venialium confessionem. 7.
Venialia fierent quoquo modo materia necessaria. 8.
Soluuntur aliquæ rationes oppositæ. 9.
Christus Dominus non imposuit onus confitendi

SUb hoc titulo plures cadunt difficultates accuratè examinandæ. Prima est, an de facto sub præcepto annuæ confessionis relato *in c. omnis vtriusque sexus de pœnit., & remis.* comprehendatur venialium confessio, adeout, si quis læthalium sibi conscius non esset, teneretur ad adimplendum tale præceptum venialia semel in anno clauibus subijcere. Secunda, an quamuis de facto ratione talis præcepti non teneretur, possit tamen per aliquam aliam legem positiuam obligari ad eorundem confessionem. Tertia, an quamuis non posset Ecclesia obligare simplicitèr ad talem confessionem, intelligatur tamen obligare in ordine ad aliquem finem consequendum, adeo vt ille consequi non posset, nisi præmissa eadem confessione. Hoc contingit in concessione Indulgentiarum, seu Jubilæi sub onere confessionis, vt, si dicatur, contritis, & confessis concedimus Indulgentiam &c.; in hoc etenim casu quærendum est, an, si quis sibi conscius non esset læthalium, sed dumtaxat venialium ad consequendam eandem indulgentiam, teneatur eadem venialia confiteri. Quarta, an, si Confessarius iniungeret pænitenti pœnam salutarem, vt confiteatur determinato per ipsum tempore, & pænitens intra illud tẽpus nullum lęthale cõmisserit, teneatur ad pænam sibi impositam adimplendam pro tempore sibi præfinito confessionem venialium emittere.

1 Articuli examinandi circa titulum.

ASSERTIO I. Probabilius non tenetur præcepto annuæ confessionis, qui sibi conscius est solummodo peccatorum venialium. In hanc arbitror communitèr DD. conuenire, & hoc signantèr firmat *Glosa in d. c. omnis vtriusque sexus in verb. discretionis de pœnit., & remis.*

2 Sub hoc præcepto non cadit cõfessio præcisè venialium.

Probatur primò, quia textus *in d. c. omnis vtriusque sexus*, non potest congruè extendi ad venialia, quandoquidem ibi dicitur, quod teneatur omnia, & singula peccata quot annis semel saltem confiteri; moralitèr autem impossibile est omnia, & singula venialia confiteri; nam sicuti impossibile est hominem etiam iustum ad longum tempus sine speciali Dei auxilio omnia venialia euitare, vt definitum est in *Concil. Trid. sess. 6. can. 23.*, ita impossibile est, moralitèr omnia, & singula posse confiteri. Adde, quod *Concil. Trident. sess. 14. can. 5.* loquens de necessitate confessionis nullã agnoscit necessitatem subijciendi venialia non obstante, quod in *eod. c. 5.* renouet præceptum iam promulgatum in Concilio Lateranensi *relat. in d. c. omnis vtriusque sexus*, de confessione semel in anno habenda.

3 Moralitèr impossibile est venialia omnia confiteri.

Secundò, quia præceptum Ecclesiasticum obligat tantum ad id quot annis præstandum, ad quod obligat indefinitè ius Diuinum, vel ad aliquas temporis circunstantias puta instante morte, sed ius Diuinum non obligat, nisi ad subijcienda peccata læthalia, vt habetur in *Concil. Trid. d. sess. 14. can. 7.*, ergo nonnisi ad eandem obligat in confessione annua præceptum Ecclesiasticum.

4 Ecclesia nõ obligat nisi ad id, ad quod Christus obligat.

Tertiò, quia, vt notat *Glosa in d. c. omnis vtriusque sexus, & Concilium Trident. d. sess. 14. c. 5.*, peccata venialia extra confessionem multis alijs remedijs deleri possunt, & si non deleantur, de facto possunt in alia vita sine damnatione purgari, ergo non tenetur quis ad eadem purganda confessionem annuam habere; Neque dicas, quod, quamuis quis non teneatur ex vi, & natura eorundem venialium adhibere confessionem, teneatur tamen ex vi præcepti Ecclesiastici, per cuius non implementum læthale committitur, ea proportionali ratione, qua, quamuis nemo teneatur ad eadem confitenda ex natura eorundem, teneretur tamen ex voto, si illud emitteret; Contra enim impugnaberis, quia, vt iam diximus, præceptum annuæ confessionis non extenditur ad venialia, nec aliud præceptum inuenitur ad hoc obligans. Id, quod subditur de voto non facit ad rem, quandoquidem hoc ex intentione vouentis respicit ipsa venialia, ad quæ confitenda potest se obligare, cum sit de meliori bono, & vtique vtili, & honesto; nec in hoc valet argumentum de voto ad præceptum, quia votum est voluntarium respectu vouentis, vnde illa necessitas non est ex vi Sacramenti, aut Ecclesiæ præcipientis, sed ex voluntate se obligantis, qui sicuti ad consilia Euangelica, puta ad castitatem, vel Religionem potest se obligare, ita potest se obligare ad confessionem venialium; ex quo deinde sequitur, quod sicuti Ecclesia non potest aliquem obligare ad Religionem, vel castitatem, ita, nec ad eorundem venialium con-

5 Venialia possunt aliter remitti.

6 Non valet paritas de voto.

confessionem. Deinde nunc solum loquimur de præcepto actu existente annuæ confessionis, quod diximus non extendi ad venialium confessionem; sed an dari possit præceptum Ecclesiasticum ad hoc obligans, iam subdo.

7 Nō potest Ecclesia præcipere simpliciter venialium confessionem.

ASSERTIO II. Probabilius etiam est, non posse Ecclesiam præcipere simpliciter confessionem præcisè venialium. *Paludanus in 4. dist. 17. q. 2. art. 4. concl. 2., Sotus in 4. dist. 18. q. 1. art. 3., Coninchus disp. 5. dub. 5. num. 52.* Dixi, *simpliciter*, ad excludendum præceptum relatum ad finem liberalitèr ab Ecclesia conferendum, de quo erit sermo in seq. assertione.

Ratio ex eo duducitur primo, quia, si confessio venialium cadere posset sub præcepto Ecclesiastico, materia dumtaxat ex se sufficiens, & vtilis transiret in necessariam, sed Ecclesia quoad Sacramenta non potest materiam mutare constituendo de non necessaria necessariam, ergo &c. Maior ex se patet, quia non ex alio capite materia dicitur necessaria respectu huius Sacramenti, nisi, quia, vel ex præcepto Diuino, vel Ecclesiastico debet subijci Sacramento, & non nisi per subiectionem, vel in re, vel in voto potest remitti, & nisi subijciatur, nouum peccatum læthale committeretur. Minor probatur, quia sicuti Ecclesia non potest constituere materiam Sacramentorum, ita nec substantialitèr mutare constituendo tanquam materiam necessariam, quæ secundum se necessaria non est.

8 Venialia fierēt materiā necessaria.

Neque dicas primo, per hoc non posse dici Ecclesiam mutare substantialiter materiam Sacramenti pænitentiæ, cum veniale possit etiam extra confessionem deleri, & alijs remedijs expiari, sed tantum ponere sub præcepto id, quod antea erat solum sub consilio; Contra enim impugnaberis, quia posito illo præcepto per non adimplementum eiusdem grauis noxa committeretur, quod satis est, vt dici possit materia necessaria; Dicere deinde, quod peccata venialia possint etiam extra cōfessionem alijs remedijs deleri, nihil officit, quia stante illa lege, vt ipsa impleretur, requireretur, vt eadem confessioni subijcerentur; secus eadem lex facilè posset elidi, si adueniente tempore adimplementi eiusdem sufficeret, quod alijs remedijs delerentur; cum igitur pro eo tempore lex obligaret ad eorundem confessionem, poneret necessitatem, adeoque &c., & sicuti, si antecedentèr ad præceptum Ecclesiasticum de annua confessione quis singulis annis non fuisset confessus peccata læthalia, nouum peccatum non commisisset, quod postea committit posito præcepto, nec excusatur per hoc, quod alijs remedijs, puta per dilectionem Dei super omnia, & actum contritionis peccata illa delere studuerit, ita posito de nouo præcepto de peccatis venialibus pro determinato tempore subijciendis eo non adimpleto nouum peccatum committeret, à quo non excusaretur per hoc, quod alijs remedijs sibi consuluisset, vel consuleret.

9 Soluuntur aliquæ rationes oppositæ.

Neque dicas secundo, confessionem venialium esse opus, & officium virtutis, cum sit actus Religionis, vtilis, & salutaris Sacramenti vsus, ergo poterit ab Ecclesia pro determinatis temporibus præcipi, sicuti præcipiuntur ab eadem multa alia opera, quæ independenter ab eius præcepto essēt tantum supererogationis, & consilij; Contra etiam impugnaberis; admitto, confessionem venialium esse opus, & officium virtutis vtile, & salutare; nego autem, posse præcipi ab Ecclesia simplicitèr, cum nec quoad substantiam, nec quoad tempus sit a Christo Domino præcepta ad diferentiam peccatorum læthalium, quæ quoad substantiam ex dispositione Christi Domini sunt subijcienda, & Ecclesia solum tempus determinat. Neque obstat, quod Ecclesia in alijs, quæ ex genere suo sunt opera supererogationis, constituat per suam legem, seu constituere possit ea tanquam materiam præcepti; Non obstat, inquam, quia, quantumuis hoc verificetur in pluribus, non verificatur tamen in omnibus; sic signantèr, vt supra asserebam, quamuis castitas, & Religio sint opera supererogationis, & secundum se honesta, vtilia, & salutaria, non possunt tamen ab Ecclesia præcipi, nec fideles ad ea obligari. Hoc quoque verificari potest potissimum in ordine ad materiam Sacramentorum, & præcipuè pænitentiæ, in qua, cum Christus Dominus præceptum non dederit confitendi venialia, sed reliquerit in libertate pænitentis confiteri, vel non confiteri, non videtur posse Ecclesia onus constituere, quod Christus non imposuit, cæteroqui, vt asserebam, mutaret materiam efficiendo de non necessaria necessariam.

10 Christus nō imposuit onus confitendi venialia.

Ratio deducitur secundo ex eo, quod in tantum Ecclesia præcipere potuit confessionem læthalium quot annis habendam, in quantum onus confessionis eorundem simplicitèr sine temporis limitatione impositum est à Deo, adeout, si Deus tale onus non imposuisset, non potuisset Ecclesia confessionem semel in anno præcipere, ergo, cum Christus Dominus non imposuerit onus simplicitèr confessionis venialium, non poterit Ecclesia eorum confessionem pro aliquo tempore præcipere. Antecedens videtur non pati difficultatem, quia præceptum Ecclesiasticum, quod habetur *in c. omnis vtriusque sexus*,

non præcipit aliquid de nouo quoad materiam, sed tantum limitat tempus præcepti Diuini, vt habetur in Concil. Trid. Consequentia verò sic deducitur, quia, si non potest Ecclesia pro tempore determinato obligare ad confessionem læthalium; si indefinitè Deus ad illam non obligaret, nec poterit ad venialium confessionem obligare; si Deus ad illam non obligauit, prout de facto non obligauit.

11 Potest præcipere relatè ad finem, & quomodo.

Assertio III. Quamuis Ecclesia non possit simpliciter præcipere confessionem venialium, potest tamen præcipere relatè ad finem consequendum prouenientem ex libera eiusdem Ecclesiæ concessione, adeo vt, si quis velit illum finem, teneatur confessionem etiam venialium emittere. Hoc contingeret in casu, quo Ecclesia concederet Indulgentiam, seu Iubilæum cum onere confessionis etiam venialium.

12 Finis est liber respectu Ecclesię.

Probatur, quia concessio huiusmodi indulgentiarũ, & Iubilæi libera est Ecclesiæ, adeo vt possit fieri liberè quoad substantiam, hoc est concedi, & non concedi, & quoad modum, hoc est concedi sub tali, vel tali conditione, ergo potest poni cum conditione, vt quis confiteatur etiam venialia; adeo vt, si eadem non confiteatur, non consequatur indulgentiam; Neque hic habet locum id, quod in præcedenti assertione asserebatur, quod scilicet, cùm venialia nō sint materia necessaria confessionis, non possit præcipi ab Ecclesia eorum confessio; cæteroqui etiam in hoc casu fieret materia necessaria; Non habet, inquam, locum; quia in primo casu assertionis præcedentis fieret materia necessaria simpliciter, quod non videtur concedendum propter rationes ibi adductas; in casu autem præsentis assertionis esset solummodo materia necessaria relatè ad finem, in quo nulla est repugnantia; sicuti eleemosina non est secundum se simpliciter necessaria, relata autem ad indulgentiam consequendam est necessaria, quando indulgentia conceditur sub onere eleemosinæ.

13 Procedit quãdo concedit sub illa expressa conditione.

Hæc procedunt ex suppositione, quod Ecclesia indulgentiam concederet sub illa expressa conditione confessionis etiam venialium. Sed quid erit dicendum de Indulgentijs, quæ de more conceduntur per Romanos Pontifices, iuxta hunc, vel similem tenorem. *Confessis, sacraque synaxi refectis Indulgentiam concedimus &c. si visitauerint &c. vel orauerint &c.* an tunc, si quis sibi conscius tantum sit venialium ad acquirendam huiusmodi indulgentiam, teneatur præmittere eorundem venialium confessionem, adeo vt, si non præmittat, eandem non consequatur? Regulariter loquendo arbitror, posse consequi indulgentiam etiam non præmissa confessione huiusmodi venialium; atque hoc expresse sentiunt *Siluester verbo Indulgentia num. 27., D. Antoninus prima parte tit. 10. c. 3. §. 5. col. 3., Zerula de Iubilæo lib. 1. c. 15. dub. 16., Ioannes Angelus Bossius de Iubileo sect. 4. cas. 19. §. 3.* Ratio ex eo deducitur primò, quia regulariter loquendo Pontifices in suis indultis debent supponi loqui iuxta ius commune annuæ confessionis, nisi aliud exprimant, sed ius commune iuxta superius dicta non obligat, nisi ad confessionem læthalium, ergo &c.; Secundò, quia confessio per Romanos Pontifices in concessione Indulgentiarum præcipitur per modum dispositionis ad habilitandam animam per gratiam ad acquirendam remissionem pænæ, sed qui caret peccatis læthalibus iam habet, quod Pontifices per confessionem intendunt, ergo &c.

14 Regulariter confessio venialium ad indulgentiam nõ requiritur.

Neque dicas; permanente culpa veniali per indulgentiam ipsam non remitti, adeoque pro maiori dispositione ad ipsam obtinendam Pontifices requirere etiam eorundem venialium confessionem; Contra enim est, quia re vera per Indulgentiam non remittitur culpa venialium, quidquid afferat *Paludanus in 4. dist. 20. q. 4.*, quia culpa venialis propter defectum rectitudinis, quam inuoluit, non tollitur, nisi per actus pænitentis, & indulgentia per se non ordinatur ad remissionem culpæ, sed tantum pænæ, sed non per hoc requiritur confessio, cum possint tolli per aliud remedium, puta per dolorem saltem generalem eorundem venialium.

Dixi *Regulariter loquendo, & prout de more iuxta stilum Pontificum confessio iniungitur per modum dispositionis*, nam, si iniungatur vel vt opus, vel vt pars operis, probabilius sentio, neminem sine confessione etiam venialium, si solummodo ista existent, indulgentiam consecuturum; cuius ratio euidens est, quia sine opere præscripto non obtinetur, & sicuti quis non obtineret indulgentiam sine eleemosina, si ista præscriberetur, ita, nec obtineret sine confessione, si ista etiam per modum operis iniungeretur. Quomodo autem dignosci possit, quando per modum dispositionis, & quando per modum operis iniungatur, ex verbis concessionis dignoscendum est; si enim præscribitur sub conditione, vel per verba æquipollentia conditioni, vt, si dicatur Indulgentiam concedimus, si confiteantur, vel sola præscribatur confessio sine alijs operibus, tunc sentiendum est præscribi tanquam opus, & est necessaria ad consequendam indulgentiam; si verò non præscribatur sub conditione, sed dicatur, confessis, & contritis concedimus, addendo alia opera expressa per modum conditionis, tunc dicendum est apponi per modum.

15 Nisi adijciatur tanquam opus iniunctũ.

modum dispositionis, & non necessariam esse.

Assertio IV. Probabile est non posse Confessarium in pænam delictorum obligare pænitentem ad confessionem peccatorum venialium pro determinatis temporibus. Consentit *Nauarrus in summa c. 9. n. 1., & in c. placuit dist. 6. num. 115., Paludanus in 4. dist. 17. q. 5. art. 1. num. 6., Almainus in 4. dist. 17. q. 1. in fin.* Sistimus in terminis puræ probabilitatis speculatiuæ, non denegantes contrariam sententiam valdè probabilem, & in praxi tutam. Quamobrem in hoc remissiuè procedimus.

16 **An cõfessarius possit obligare pęnitentẽ ad confessionem venialiũ remissiuè.**

Videtur satis congruentèr euinci ex superius dictis; si etenim Ecclesia non potest præcipere venialium confessionem, cum non possit mutare materiam efficiendo de non necessaria necessariam, ita, nec videtur hoc posse confessarius præstare; nec obstare potest, si dicatur primò non militare eandem rationem de Ecclesia simplicitèr præcipiente confessionem venialium, ac de Confessario eandem imponente in pænam delictorum clauibus subiectorum, quandoquidem pænæ, quæ imponuntur pro delictis non debent conformari voluntati Rei punibilis, sed arbitrio iudicantis, & punientis præcipue, cum hoc præstet, vt minister Christi; nec item, si dicatur secundò hoc onus confessionis venialium determinatis temporibus habendæ esse in ordine ad finem gratiæ Sacramentalis habendæ per absolutionem, nam sicuti Ecclesia in ordine ad finem obtinendæ indulgentiæ potest venialium confessionem pręcipere, sine qua indulgentia non acquiratur, ità Confessarius possit eandem confessionem imponere ad finem consequendæ gratiæ Sacramentalis per absolutionem, sine qua eadem gratia Sacramentalis non acquiratur; Non, inquam, obstare potest, non primum, quia, quamuis pænæ non debeant conformari voluntati Rei punibilis, debent tamen esse ex illis, quæ ex dispositione iuris imponi possunt, & ad quas Ecclesia possit obligare, cuiusmodi non est confessio peccatorum venialium, vt supra; Non secundum, quia huiusmodi pæna non est in ordine ad finem gratiæ Sacramentalis acquirendæ, sed in ordine ad remissionem pænæ, nec currit paritas de confessione iniuncta in ordine ad indulgentiam consequendam, quandoquidem indulgentia est ex mera liberalitate, & gratia concedentis, qui propterea ad eam acquirendam potest imponere tanquam conditionem aliquod onus sibi bene visum, nec qui debet illam consequi iis aliquod in illam habere potest, nisi adimpleat onus præscriptum; absolutio autem posita confessione est de iure debita pænitenti, nec eam denegare debet Confessarius ratione satisfactionis indebitæ denegatæ.

QUÆSTIO III.

De Materia proxima, & primò de Contritione, & Atritione.

IN vnoquoque complexo duplex communitèr assignatur materia, altera remota, altera proxima. In hoc non secernitur complexum Sacramenti Pœnitentiæ à cæteris. Considerata materia remota proximam assumimus, quæ consistit in actibus pænitentis, & primò loco se se offert Contritio, & Atritio, in quarum explicatione immorabimur acturi in sequenti quæstione de Confessione altera parte materiæ proximæ.

ARTICULUS I.

Quid sit contritio, & quænam essentialitèr includat.

SVMMARIVM.

tium nobis ignotum. 17.
Non statim, ac quis nouit peccatum, tenetur de illo conteri. 18.
Scripturæ loca solum indicant non differendam pænitentiam vsque ad mortem. 19.
Præceptum naturale non vrget ad statim conterendum. 20.
Nec tunc vrget periculum proximum damnationis æternæ. 21.
Nec currit paritas de læsione facta homini in bonis fortunæ. 22.
Explicatur dictum D. Thomæ. 23.
Obligat tamen in certis circumstantijs. 24.
Non requiruntur tot actus contritionis, quot sunt peccata. 25.
Formale motiuum detestationis est vnum, & quale. 26.
Debet tamen omnia peccata inspicere. 27.
Non est necessaria pro grauioribus maior detestatio appretiatiua. 28.
De congruo requiritur maior intensiua. 29.
In confessione peccati obliti est necessarius nouus dolor, si prior fuerit moraliter interruptus. 30.
Speculatiuè loquendo non est necessarium propositum formale non peccandi de cætero, est tamen tutius, & in praxi ponendum. 31.

1 Definitio contritionis.

TRidentinum *sess.* 14. *c.* 4. definit contritionem hoc pacto. Est animi dolor, & detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero; nomine autem doloris animi venit actus ille displicentiæ perfectus, per quem vltimo disponitur homo ad gratiam iustificationis etiam extra Sacramentum. Circa hunc dolorem, prout propriè, & rigorosè est contritio, in præsenti controuertitur, qualis esse debeat, & ex quo motiuo debeat procedere. Debere esse actum, qui detestetur peccatum supra omnia detestabilia est in confesso apud omnes, & item debere procedere ex motiuo supernaturali; sed in stabiliendo, cuius virtutis debeat esse illud motiuum, a quo debeat procedere, non est, ita certum apud omnes. Aliqui, inter quos *Toletus lib.* 3. *c.* 4., *Valentia tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 8. *puncto primo*, sentiunt procedere ab habitu, & ex motiuo pænitentiæ, quatenus absolutè peccatum displicet Deo. Alij asserunt sufficere, quod procedat ex motiuo Religionis, quatenus peccatum est contra cultum Dei, quem seruare debemus. Alij ex motiuo obedientiæ, quatenus peccatum est contra Dei præceptum, cui obedire debemus.

2 Articuli circa ipsam examinandi.

Nos medulitus rem ponderantes sub hoc titulo inquiremus primò, an contritio debeat esse ex motiuo dilectionis Dei. Secundò, an ad veram, & sufficientem contritionem requiratur formalis actus dilectionis Dei distinctus à detestatione peccati, an sufficiat virtualis inclusus implicitè in eadem detestatione. Tertiò, qualis debeat esse huiusmodi amor, an appretiatiuus, an intensiuus, & quomodo. Quartò, an propositum vitandi imposterum peccatum debeat esse explicitum, & formale, an sufficiat implicitum, & virtuale, & alia huiusmodi.

3 Debet esse ex speciali motiuo dilectionis Dei.

ASSERTIO I. Contritio propriè debet esse ex speciali motiuo dilectionis Dei super omnia. *D. Thomas* 3. *part. q.* 85. *art.* 2., *Medina Cod. de pænit. tract.* 1. *q.* 4., *Vasquez q.* 85. *art.* 2. *dub. vnic.*, *Valentia disp.* 7. *q.* 8. *punct.* 1., *Coninchus disp.* 2. *dub.* 2., *Amicus disp.* 4. *sect.* 1., *& alij magis communiter.*

Probatur primò varijs Scripturæ locis *Ioannis* 10. *Qui non diligit manet in morte*, *prima ad Corint.* 13. *Sine charitate nihil sum*; secundò auctoritatibus SS. PP., & Conciliorum *D. August. de vera, & fal. pænit. c.* 9. *Sine amore nemo vnquam gratiam inuenit, nec veniam assecutus est*, Trident. *sess.* 14. *c.* 4. *Docet præterea, & si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur*; Neque hic audiendi sunt, qui intelligunt Concilium de charitate habituali, quæ Deo reconciliat, & sanctificat. Non, inquam, audiendi sunt, quia Concilium loquitur de contritione, prout est vltima dispositió ad gratiam sanctificantem, & iustificantem, quæ, vt sit talis, debet esse charitate formata, adeoque debet esse per modum actus, siue causantis, siue disponentis; ipsa autem charitas habitualis, vtpotè indistincta a gratia non est dispositio, seu causa, sed potius effectus.

4 Detestatio peccatorum super omnia importat motiuum dilectionis Dei.

Probatur deinde rationibus, quarum prima sit, quia ad validam contritionem requiritur detestatio peccati super omnia, sed non potest esse talis detestatio, nisi sit ex motiuo dilectionis Dei super omnia, ergo &c. Minor probatur, motiuum, quo detestantur peccata super omnia, debet esse vniuersale, & superans omnia alia motiua, nam, si esset particulare, actus circa illud non esset super omnia, nam, sicuti illa virtus, quam respicit illud motiuum, est specialis, & non super alias, ita, nec tale motiuum est super alia; Sed solum motiuum dilectionis Dei est vniuersale, & superans alia omnia, nam, sicuti bonum Dei superat quodcunque aliud bonum particulare, ita amor Dei secundū se superat quemcunque alium amorem, & motiuum, vi cuius elicitur talis actus amoris superans quodcunque aliud motiuum, ergo &c.

5 Est conuersio ad Deū.

Secunda sit, quia ex D. Augustino, cæterisque SS. PP., & Theologis peccatum læthale est auersio à Deo, & conuersio ad creaturam, quatenus per talem actum pecca-

cami-

caminosum præfertur amori Dei amor creaturæ, sed per auersionem a Deo, & conuersionem ad creaturas læditur amicitia cum Deo, quantum est ex parte creaturæ peccantis, ergo instauranda est per actum amicitiæ erga eundem Deum, qui non potest esse, nisi actus dilectionis, & charitatis, seu ex motiuo eiusdem.

Tertia sit, quia velle bonum Deo procedit ex motiuo charitatis, ergo etiam recedere à malo opposito ipsi Deo ex eodem motiuo debet procedere, eo quia ad idem motiuum, seu ad eandem virtutem spectat prosequi bonum, & recedere a malo ipsi opposito. Hoc tandem euincitur ex Catechismo Romano, vbi sic legitur. *Cum perfecta contritio sit charitatis actio, quæ ab eo timore, qui filialis est, proficiscitur, patet, eundem charitatis, & contritionis modum statuendum esse. At quoniam charitas, qua Deum diligimus, perfectissimus est amor, hinc est, quod contritio vehementissimum animi dolorem coniunctum habeat; vt enim Deus maximè diligendus est, ita, quæ nos à Deo alienant, maximè detestari debemus. In quo etiam illud obseruandum est, eodem loquendi genere charitatis, & contritionis magnitudinem in sacris paginis significari. De charitate dictum est. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Rursus, quod ad contritionem pertinet, clamat Dominus per Profetam. Conuertimini in toto corde vestro. Præterea, sicuti Deus summum bonum est inter omnia, quæ diligenda sunt, ita etiam peccatum summum est malum inter omnia, quæ odisse homines debent; illud sequitur, vt quam ob causam Deum summum diligendum esse confitemur, ob eandem rursus peccati summum odium nos capiat necesse est.*

6 Deducitur ex Catechismo Romano.

Quarta sit, quia omnes habitus virtutum semel amissi ex lege ordinaria non reparantur, nisi per proprios actus, & connaturales dispositiones, ergo neque charitas, quæ restituitur per iustificationem, non nisi per proprium actum potest reparari. Antecedens patet inductione per omnes virtutes. Consequentia probatur, quia quodlibet peccatum opponitur formalitèr charitati Dei; ergo habitus charitatis, non nisi per aliquem actum procedentem ex motiuo charitatis potest reparari; Neque dicas, per iustificationem hominem recuperare alios habitus virtutum, quamuis nullum actum talium virtutum exerceat, ergo etiam poterit recuperare habitum charitatis, quamuis charitatis actum non eliciat; contra enim, neganda est consequentia, quia charitas respectu aliarum virtutum est forma superior, & quasi fundamentum cæterarum, adeoque ad instaurationem illius, cætera instaurantur, quod non militat in cæteris virtutibus.

7 Habitus non reparantur, nisi per proprios actus.

Assertio II. Non requiritur essentialitèr ad validam contritionem, vt eliciatur explicitè, & formalitèr actus dilectionis distinctus ab ipsa contritione, & detestatione peccati; sed sufficit, prout continetur implicitè, & virtualitèr in ipsa detestatione. *D. Thomas in 4. dist. 14. q. 1. art. 1., Suarez q. 85. sect. 2., Vega lib. 13. in Trident. c. 21.*

8 Actus dilectionis Dei non est necesse, quod sit distinctus.

Probatur primò. Actus contritionis secundum se consideratus sufficiens est ad iustificandum peccatorem, & constituendum participem Diuinæ naturæ per gratiam, sed actus contritionis, qua talis formalitèr est, non dicit formalitèr, & explicitè actum dilectionis, & charitatis Dei, ergo actus contritionis potest esse iustificatiuus animæ sine actu explicito, & formali amoris Dei. Maior patet, quia contritioni secundum se promissa est iustificatio *Ezechiel. 18. Si impius egerit pænitentiam de omnibus peccatis suis &c. vita viuet*, & paulò post *Conuertimini, & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas &c.* Minor probatur, quia obiecta charitatis, & pænitentiæ sunt saltem virtualitèr diuersa, quia obiectum charitatis est bonum Dei prosequendum, obiectum verò pænitentiæ est malum Dei, à quo per detestationem retrahit, & licet tam fuga mali, quam prosecutio boni Dei possit ab vtroque motiuo vniuersali procedere, non tamen ex hoc sequitur, quod tendentia in malum per detestationem trahat secum actualem prosecutionem boni per amorem, vt præcipuè contingere potest in subito aliquo periculo, vel animi motu, quo concepta peccati grauitate sine formali aduertentia ad Deum summè diligendum ipsum peccatum ex motiuo supernaturali summè detestatur, & super omnia; & sic contigit in Dauid, qui subito dolore ex apprehensione peccati correptus dixit, *peccaui Domine miserere*, vbi nullus formalis actus dilectionis apparet, & responsum accepit, *Transtulit Deus peccatum tuum*; Continetur tamen implicitè in actu contritionis, seu detestationis, eo quia hæc virtualitèr continere debet propositum seruandi omnia Deo placita, & saluti necessaria, inter quæ est diligere Deum super omnia.

9 Contritioni in sacris paginis venia adscribitur.

Sed hic oritur difficultas, an sicuti contritio potest esse sine actuali, & formali actu dilectionis Dei, vt sit iustificatiua peccatoris, ita possit esse dilectio Dei sine actuali, & formali actu contritionis, per quam homo iustificetur. Affirmatiuum est, sicuti affirmant *D. Thomas 3. part. q. 87. art. 1., & ibi Caietanus, Vega lib. 6. in Tridentinum c. 34., Medina, C. de pænit. tract. 1. q. 2., Scotus in 4. dist. 14. q. 1. §. ex his, Suarez*

10 Dilectio Dei super omnia iustificat.

rez disp. 6. sect. 1., *Vasquez disp. 86. art. 2. dub. 1.* Dixi, *sine actuali, & formali actu contritionis*; non enim negauerim, quin in eodem actu dilectionis Dei super omnia innoluatur implicitè, & virtualitèr contritio, quia, qui amat Deum super omnia, odio habet implicitè quodcunque est oppositum bonitati eiusdem. Probatur primò, quia amor Dei super omnia est sufficiens dispositio ad iustificationem etiam extra Sacramentum, iuxta illud Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, & illud Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Secundò ratione, quia dilectio Dei super omnia importat implicitè, & virtualitèr detestationem peccatorum, auersionem à creatura, & conuersionem ad Deum, siquidem amor Dei super omnia excludit quodcunque aduersans ipsi Deo, & eiusdem amori, si etenim affectum inuolueret ad quid aliud oppositum Deo, non esset amor super omnia, ergo est secundum se sufficiens ad iustificationem. Consequentia probatur, quia detestatio peccati super omnia est sufficiens ad iustificationem, quamuis formalitèr non inuoluat actum amoris Dei, quia implicitè, & virtualitèr hunc inuoluit, ergo etiam amor Dei super omnia erit sufficiens ad eandem iustificationem, cum inuoluat implicitè detestationem peccatorum.

Sed, an hæc, quæ hic dicuntur, intelligenda sint etiam in hypothesi, qua quis eliciens actum amoris super omnia recordaretur peccatorum læthalium, quæ commisit, an scilicet tunc etiam iustificaretur per solum actum dilectionis Dei sine formali actu contritionis, seu detestationis peccati, an verò tunc requireretur formalis actus eiusdem contritionis; *Camus relect. de pænit. part. 3.*, *Arriaga hic disp. 7. sect. 1.* asserunt non posse peccatorem verè diligere Deum, quando recordatur peccatorum læthalium, nisi etiam simul doleat de peccatis. Alij verò dicunt, non sufficere illam dilectionem, nisi immediatè excitet ad detestationem peccatorum, quorum memoriam habet, vel ad diligentem conscientiæ discussionem, vel saltem ad detestationem in genere, si sit dubius, an aliqua peccata commiserit. Probabilius arbitror, in hac hypothesi teneri etiam formalem actum detestationis peccatorum elicere, quia cognita deformitate peccati cognoscitur positiuè id, quod obstat supremæ Dei bonitati, quodque aduersatur eiusdem dilectioni super omnia, ergo per actum positiuum detestationis eiusdem debet eliminari; hocque videtur clarè deduci ex *Concil. Trident. sess. 14. c. 4.* vbi legitur. *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius*. Ubi nota illam particulam *contritionis motus*, quæ certè indicat actum formalem, non merè virtualem imbibitum in ipso actu dilectionis Dei super omnia; Neque hæc obstant ijs, quæ mox dicebamus, actum scilicet dilectionis Dei super omnia esse sufficientem ad iustificationem; Non obstant, inquam, quia licet actus dilectionis Dei, quando non obijcitur actu aliquod peccatum sit sufficiens ad iustificationem; quando tamen actu conscientiæ pænitentis peccatum aliquod obijcitur, si non eliciat actum detestationis eiusdem, non videtur verum actum dilectionis elicere, quod videtur etiam clarè ex eo deduci, quod importat ex genere suo prælationem Dei alijs omnibus, adeo vt sic amans intelligatur velle potius alia omnia amittere, quam Deum ipsum offendere, & sic odio habet omnia peccata futura, ergo cũ actu obijciatur peccatum præteritum, debet illud actu odio habere; cum maior sit ratio de præsentibus, & præteritis, quam de futuris, cum præsentia habeant actu mouere.

11 In casu, quo peccatamenti occurrerent tenere. tur illa detestari.

Assertio III. Ad contritionem perfectam, & sufficientem ad iustificationem requiritur dolor, & amor saltem virtualitèr, qui sit appretiatiuus super omnia. In hoc arbitror omnes consentire.

12 Dolor, & amor debet esse appretiatiuus.

Probatur primò, quia contritio dicit ex suo conceptu detestationem peccatorum super omnia ex motiuo saltem virtuali dilectionis Dei, sed hæc importat amorem appretiatiuum, ergo &c. Minor probatur, quia detestatio peccatorum super omnia ex motiuo amoris Dei importat saltem implicitè Deum amari super omnia, sed amare Deum super omnia importat prælationem amoris Dei super alia omnia, ergo importat amorem appretiatiuum super alia.

Probatur secundò, quia, qui verè contritus est, auertitur à creatura, & conuertitur ad Deum, conuersio autem à creatura ad Deum dicit maiorem dilectionem Dei, ad quem conuertitur, quam creaturæ, à qua auertitur, ergo importat maiorem Dei appropriationem. Confirmatur, quia dilectio, quam Deus ab homine ergà se ipsum exigit, debet esse maior, quam dilectio, quam habet homo ergà suam personam propriam, ergo debet esse super alia omnia, & non merè intensiuè, sed etiam appretiatiuè.

Ex quibus deduces primò, detestationem peccati debere esse supra omnia mala pænæ etiam æternæ; tum quia peccatum est malum simplicitèr, pæna malum secundum quid; tum quia peccatum est malum intentatum Deo, quantum est ex affectu peccantis; pæna est malum creaturæ peccantis;

cantis; magis autem detestandum est malum Deo intentatum, quam malum creaturæ. Secundò, amorem Dei ex tali detestatione consequentem debere esse supra ipsum elicientem talem actum amoris, & super aliud quodcunque bonum creatum.

13 Non tamen requiritur certus intēsior gradus.

Assertio IV. Ad contritionem requisitam ad iustificationem non requiritur certus intensionis gradus, sed sufficit etiam remissus, dummodo sit vera contritio. *Medina C. de pænit. tract. 1. q. 5., Suarez disp. 4. sect. 4. n. 9., Henriquez lib. 4. c. 27. num. 6., Bellarminus lib. 2. de pænit. c. 10. prop. 3., Coninchus disp. 2. dub. 3. n. 70.*

Probatur primò, quia posita contritione supernaturali, & propria in quocunq; gradu ponatur, est sufficiens dispositio ad gratiam remissiuam peccatorum, ergo in quocunque gradu erit sufficiens ad iustificationem. Antecedens probatur, dispositio sufficiens ad gratiam iustificationis exigit, vt sit in ordine supernaturali, & quod opponatur contrario, sed posita contritione in quocunque gradu hoc vtrumque habetur, quandoquidem, cum dispositio debeat esse in eodem ordine, in quo est gratia, ad quam disponit, sicut hæc est supernaturalis in substantia, ita exigit dispositionem supernaturalem, & cum contritio saltem implicitè tendat in Deum, vt summè diligibilem, opponitur actui, per quem peccator auersus est a Deo, vt conuerteretur ad creaturam.

Probatur secundò, quia per peccatum læthale, quantumuis remissum, dummodo sit in linea læthalis, deperditur gratia habitualis sanctificans; ergo etiam per actum contritionis, quantumuis remissum eadem gratia restaurabitur. Antecedens non videtur pati difficultatem. Consequentia probatur, quia, ita se habet contritio ad instaurandam gratiam deperditam, sicuti peccatum ad ipsam deperdendam, ergo, si per peccatum, quod sit formaliter læthale in quocunque gradu intensionis eliciatur, gratia deperditur, etiam per quemcunque actum contritionis, qui sit formaliter talis, instaurabitur. Neque dicas, plura requiri ad restaurandam gratiam, quam ad ipsam amittendam, siquidem naturæ viribus deperditur, & non instauratur, nisi per auxilium efficax supernaturale; item peccatum esse quid negatiuum, quod per consequens, vtpote malignantis naturæ, quomodocunque sumatur, gratiam destruit; contritio verò, cum sit actus, seu dispositio positiua, non videtur in quocunque gradu sufficiens ad causandam gratiam, sicuti quilibet gradus caloris non est sufficiens ad producendam formam ignis; contra enim impugnaberis, quia dato, quod plura requirantur ad

14 Peccatū læthale in gradu remisso tollit gratiā.

ad productionem, & ad restaurationem, quàm ad destructionem, vt videre est etiam in rebus ordinis naturalis, ex hoc tamen non sequitur, quod, sicuti per actum læthalitèr peccaminosum in quocunque gradu remissum tollitur gratia, ita non possit per quemcunque contritionis actum remissum produci gratia; nam tota diuersitas est in eo, quod naturalitèr destruatur gratia per actum peccaminosum naturalem, gratia autem non reparetur, nisi per actum supernaturalem; ex quo infero, ergo, sicuti per actum naturalem remissum aufertur gratia, ita per actum supernaturalem remissum eadē gratia reparabitur. Ad id, quod subditur, dicendum est, non currere paritatem de calore in ordine ad productionem ignis, ac de contritione in ordine ad productionem gratiæ, quandoquidem forma ignis exigit dispositionem caloris vt octo, vt producatur, nec successiuè producitur; gratia autem, cum sit accidentalis, & successiuè producatur, ad quemcunque gradum contritionis successiuè producitur ad mensuram eiusdem contritionis, sicuti successiuè producitur calor in subiecto.

Probatur tertiò, quia, dato, quod certus, & determinatus gradus contritionis requireretur ad iustificationem, innumeræ animi conturbationes, anxietates conscientiæ plurimæ orirentur, cum semper esset dubium, an contritio ad eum gradum peruenerit, quod non videtur dicendum; cum nec de hoc extet aliquod præceptum Diuinum, & per hoc onus nimis graue contra dispositionem suauem legis Dominicæ imponeretur.

Dicēs, ex Sacra Scriptura haberi præceptum de contritione in eo gradu summo, quo quis potest conteri, vt habetur ex illis verbis Decalogi. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis.* Sed contra; verba enuntiata procedunt de dilectione Dei appretiatiuè sumpta, quatenus amor Dei, vt summi boni præferendus est omnibus, non sic de amore intensiuo, qui potest esse maior circa rem minoris æstimatam.

15 Contritio, vt sit valida, non exigit temporis moram.

Assertio V. Contritio, quantum est ad effectum iustificationis producendum, non exigit nec moram, nec temporis extensionem *D. Bonauentura in 4. dist. 16. part. 1. art. 1. q. 1., & alij magis communiter.*

Hæc assertio sic indefinitè sumpta potest dupliciter intelligi; primò, quatenus non exigat aliquam temporis extensionem, dum elicitur, sed fieri possit in instanti; secundò, quatenus non sit obligatio statim, ac peccatum commissum est, & cognoscitur a peccante, vt immediatè, & sine

mora

mora eadem contritio eliciatur. Iuxta hunc vtrumque sensum procedit.

16 Duplex sensus exponitur.

Probatur iam quoad primum, primò ex c. *mensuram dist. 1. de pænit.* vbi habetur. *Apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris*, & ex D. *Leone Epist. 91. ad Theodorum, Misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conuersio*, iuxta illud *Ezechielis* 18. & 33. *In quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.*

Secundò ratione. Quotiescunque intelligitur vltima dispositio ad aliquam formam acquirendam, vel producendam, debet poni etiam eadem forma, sed contritio, quæ est vltima dispositio ad gratiam iustificationis, poni potest in instanti, ergo, & in eodem instanti poni potest gratia iustificationis. Minor probatur primò, quia contritio est actus intellectus, & voluntatis, qui iuxta omnium sententiam possunt esse in instanti, ergo &c. Secundò, quia, si nō posset esse in instanti, vel hoc prouenirет ex aliquo defectu intensionis, vel defectu in substantia; non ex defectu intensionis, quia ex supra probatis ad contritionem non requiritur aliqua graduum intensio; non ex defectu in substantia, quia hic non est assignabilis, &, si esset assignabilis, non esset vera contritio, adeoque essemus extra quæstionem.

17 Reijcitur Caietanus exigens tempo-ris spatium.

Caietanus sentit ad contritionem requiri aliquod temporis spacium, quod nobis asserit esse ignotum, eo quia secus posset quis scire, se esse in gratia, cum posset scire, se actum contritionis elicuisse; vnde, si in eodem instanti infunderetur gratia, quo elicitur actus contritionis, ex consequenti deduci posset, quod cum scire posset, se actum contritionis elicuisse, posset etiam scire, se esse in gratia; secus autem res se habet, dum incertum temporis spacium requiritur, nam semper posset esse dubium, an pro hoc, vel illo instanti fuerit gratia infusa. Sed Caietanus per hanc suam explicationem meo videri nihil euincit, quinimmo premitur eadem difficultate; nam esto illud spacium temporis, quod ab eodem Caietano requiritur, sit nobis ignotum, debet tamen esse determinatum in se, & certè tale tempus non debet per menses durare, aut hebdomadas, ergo saltem post aliquod temporis interuallum posset homo agnoscere, se esse in gratia, nam licet scire non possit vltimum instans, pro quo infunditur gratia, scire tamen moraliter posset intra certum tempus, puta vnius diei, vel hebdomadæ infundi. Quamobrem incertitudo status gratiæ aliundè desumenda est, quam ex eo, quod non sit in instanti determinato, & cognito, sed in ignoto nobis temporis spacio infundatur, puta ex aliquo prauo affectu admixto actui contritionis, qui occultè delitescat in corde, de quo petebat mundari Dauid dicens *ab occultis meis munda me Domine*, vel ex defectu alicuius conditionis requisitæ ad veram contritionem.

18 Nō statim, ac quis nouit peccatum tenetur de illo conteri.

Probatur iam quoad secundum sensum ex communi praxi Ecclesiæ, secundum quam, nec fideles se in confessione accusant de dilatione, nec confessarij de illa interrogant, ergo signum est euidens, quod non teneatur peccator statim, ac peccatum commiserit, de illo conteri, & pænitere. Deinde dato, quod statim peccator commisso peccato, ac habita eiusdem cognitione teneretur conteri, tot peccata committeret, si negligeret conteri, quot tempora intercederent inter peccatum commissum, & cognitum, & confessionem, quam habiturus est, quod quis diceret? Quot laquei conscientijs inijcerentur, si onus immediatè conterendi peccatoribus imponeretur? Rursus ad Sacramentum pænitentiæ vt plurimum deberet esse præuia contritio, cum vt plurimum non statim, ac peccatum est commissum confessio habeatur, & sic non sufficeret confessio cum attritione, sed deberet, vt plurimum contritio præcedere, vel præcessisse. Tandem; quia nullum præceptum Diuinum, Euangelicum, aut humanum proferri potest, quo statim præcipiatur contritio.

19 Explicantur Scripturæ loca.

Dices primò haberi præceptum Diuinum Ecclesiastici 5. *Ne tardes conuerti ad Dominum, nec differas de die in diem; subito enim venit ira Dei.* Sed contra dicendum est, per hunc textum solum importari consilium, ne diferatur pænitentia vsque ad mortem ob periculum præoccupationis mortis, ne scilicet tunc peccator quærat spacium pænitentiæ, & inuenire non possit. Cæterum per hoc non imponitur præceptum statim conterendi, & pænitentiam agendi; ad quod etiam tendunt auctoritates SS. PP.; si quæ afferantur.

Dices secundò, quod, quamuis non extaret præceptum Diuinum positiuum, extet tamen præceptum Diuinum naturale, & vtique negatiuum, quo tenemur non esse Deo inimici, adeoque, nec perseuerare in eiusdem inimicitia; item; quia ex iure naturali tenemur vitare periculum damnationis æternæ; & non vitare, quando potest, est per se peccatum graue, nam non vitare periculum, sed in eodem perseuerare, est velle periculum; qui autem amat periculum in illo peribit, iuxta illud *Ecclesiastici c. 3.* Sed contra; est quidem præceptum naturale Diuinum non peccandi, nec se constituendi inimicum Dei;

non

non est autem præceptum naturale Diuinum post commissum peccatum immediatè conterendi, & primum præceptum non peccandi est quidem negatiuum, quod obligat semper, & ad semper, non sic secundum, quod est positiuum, & non obligat ad semper, sed pro determinatis temporibus, vt infra; neque vrgeas, quod sicuti præceptum non peccandi est naturale, & negatiuum, ita etiam præceptum non perseuerandi in peccato sit tale, cum perseuerantia in peccato, nihil aliud sit, quam continuata productio peccati; contra enim impugnaberis, quia aliud est positiua productio peccati, aliud negatiua perseuerantia in eodem; primum est contra ius naturale negatiuum; secundum non item; pro quo aduerte, quod, qui post commissum, vel cognitum peccatum immediatè non conteritur, non intelligatur positiuè velle peccatum, sed tantum negatiuè, quatenus pro tunc omittit pænitentiam, per quod non fit deterius peccatum, ea proportionali ratione, qua infirmus moraliter sciens, quod, quamuis statim medicinam non adhibeat, infirmitas non fiet deterior, non intelligit velle infirmitatem, sed tantum nolle pro tunc medicum, seu medicinam. Cæterum, quod non statim conteri non sit contra ius naturale negatiuum ex eo euincitur, quod non minus videtur necessaria ad salutem fides, spes, & charitas, quam pænitentia post commissum peccatum, sed præceptum naturale non obligat statim ad actus fidei, spei, & charitatis, ergo, nec obligat statim ad pænitentiam; cæteroqui natura nimis ardua, & hominum conditioni difficilia præciperet, quod non congruit eius æquitati. Quod deinde non sit negatiuum ex eo euincitur, quod pro semper non obligat; cæteroqui, qui immediatè post commissum peccatum non eliceret contritionem, grauitèr peccaret, ergo statim in secunda morula deberet conteri, & si non contereretur, de nouo peccaret, quod nemo diceret.

20 **Præceptum naturale non statim ad conterendum vrget.**

Ad illud, quod subditur, dicendum est, nos teneri quidem ex iure naturali vitare periculum damnationis æternæ, quando illud proximè imminet, non autem, quando non nisi remotum est, & non verisimile, secus non solum teneremur statim post commissum peccatum contritionem elicere, sed etiam confessionem Sacramentalem habere, quandoquidem hæc etiam est de præcepto, & in periculo necessaria, si potest emitti, & sicuti, si quis in periculo vitæ contritionem emitteret, & negligeret confiteri, cum posset, non consequeretur gratiam iustificationis, ita, si esset considerabile hoc periculum, ita vt obligaret, quando peccatum commissum est, non solum esset contritio elicienda, sed etiam habenda confessio, quod nemo dicit; ex quo deduco, quod illud periculum non sit tale, vt immediatè obliget, quod videtur agnouisse *D. Thomas in supplemento q. 6. art. 5. ad secundum*, vbi comparans necessitatem salutis corporalis ad spiritualem sic habet. *Quod non est de necessitate salutis corporalis, vt statim medicus quæratur, nisi quando necessitas curationis incumbit, & similitèr est de morbo spirituali, per hoc enim, quod differatur pænitentia, non fit grauius peccatum, aut difficilius, vt curetur.*

21 Illud periculum est remotū.

Dices tertiò. Qui alterum læsit, vel in bonis fortunæ, vel in bonis famæ, & honoris, tenetur statim læsionem illam reparare per restitutionem bonorum, & per reparationem famæ, & honoris, quandoquidem iuxta mentem *D. Thomæ secunda secundæ q. 62. art. vlt. in responsione ad primum* præceptum de restitutione facienda, quamuis secundum formam sit affirmatiuum, implicat tamen præceptum negatiuum, quo prohibemur rem alterius detinere, ergo a fortiori Deo per peccatum læso tenebitur peccator immediatè per pænitentiam satisfacere. Sed contra non currit paritas de læsione hominis in bonis fortunæ, famæ, & honoris per furtum, vel detractionem, ac de læsione Dei per peccatum, quandoquidem hominis ad hominem detur propria, & rigorosa iustitia; hominis autem ad Deum, & Dei ad homines non datur; neque enim Deus potest ab homine pati, & iustitia versatur inter passum, & repassum, seu contrapassum; & peccatum est potius læsio peccantis, quam Dei. Quod, si supponas, per peccatum lædi honorem Dei apud homines, quatenus peccatum ipsum consistat in falsis dogmatibus, quæ peccator vulgauerit apud homines; tunc certè sentio, quod teneretur immediatè illa falsa dogmata reuocare, ne maior sequatur diffamatio; & læsio honoris Dei apud homines; ex hoc tamen non sequitur, quod teneatur statim conteri, sed solum, quod teneatur retractare, quod iniquè vulgauit.

22 Nō currit paritas de læsione facta homini in bonis fortunæ.

Dices quartò, nostram sententiam videri directè obstare menti *D. Thomæ in supplemento tertiæ partis q. 6. art. 5.* Ibi *Respondeo dicendum, quod, cum propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, quando ad contritionem tenetur, scilicet quando peccata memoriæ occurrunt*, quod clarius explicat *secunda secundæ q. 62. art. vlt. Manifestum est autem, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum statim deserere, secundum illud Ecclesiastici 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum.* Sed

contra D. Thomas intelligendus est loqui de necessitate conuenientiæ, & perfectioris status, non de necessitate absoluta, & stricta obligatione; vel, si intelligendus est de stricta obligatione, intelligi debet cum quadam latitudine, hoc est, ne protrahatur pænitentia de die in diem vsque ad extremum diem vitæ suæ, iuxta, quod habet *D. Leo Epistola 91. ad Teodorum. Oportet vnumquemque Christianum conscientiæ suæ habere iudicium ne conuerti ad Dominum de die in diem differat, nec satisfactionis sibi tempus in finem vitæ suæ constituat, quem periculosè ignorantia humana concludit, vt ad paucarum horarum sc. reseruet incertum.*

23 Explicatur dictum D. Thomæ.

Quamuis autem non teneatur stricto iure peccator immediatè post commissum, & cognitum peccatum conteri, tenetur tamen certis temporibus, quando scilicet instat mortis periculum, vel quando interna sanctitas requiritur in ordine ad recipiendum, vel ministrandum aliquod Sacramentum &c. Non arbitror tamen teneri omnibus diebus festis hanc contritionem elicere, quidquid ex aduerso senserint *Scotus, & Gabriel*, quandoquidem de hoc nullum est assignabile præceptum, nec Diuinum, nec humanum.

24 Obligat tamen aliquando.

ASSERTIO VI. Ad delenda multa peccata læthalia non requiruntur tot actus contritionis distincti, quot sunt peccata læthalia, sed sufficit vnus contritionis actus respiciens singula peccata. In hanc propendet *D. Thomas prima secunda q. 113. art. 5. ad 3., & tertia part. q. 87. art. 1., & in addit. q. 2. art. 6., & q. 28. de veritate art. 5. ad quartum, Reginaldus lib. 5. n. 51., Valentia tom. 4. disp. 7. q. 8. punct. 6. in princip., Suarez de pænit. disp. 4. sect. 6. num. 3., Sotus in 4. dist. 17. q. 2. art. 3. prope fin.*

25 Non requiruntur tot actus contritionis, quot sũt peccata.

Pro notitia, & fundamento nostræ assertionis aduerte, voluntatem in omnibus suis operationibus tam assentiendo, quam dissentiendo semper moueri ab aliquo motiuo, quod in obiecto operationum eiusdem voluntatis elucet; sic v. g. dum amat deambulationem, vel amat propter sanitatem, quam inde sperat, vel propter recreationem, quam inde accipit, & sic amando deambulationem etiam amat finalitèr, & sanitatem, & recreationem iuxta illud Aristotelis. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; Hoc, quod dicitur de amore, vel assensu voluntatis proportionalitèr verificatur in actu odij, vel dissensus, nam dum quis v. g. odio habet aliquod periculum propter malum, quod inde timet, non solum odit ipsum periculum, sed multo magis malum propter eandem regulam. Hinc

Probatur primò, quia peccata detestari debent propter offensam Dei, ergo attingitur ipsa offensa Dei, tanquam principale motiuum talis detestationis, sed qui detestatur offensam Dei, attingit omne id, ad quod extenditur offensa Dei, quæ sunt omnia peccata, ergo vnus actus detestationis offensæ Dei est sufficiens ad omnia peccata delenda, cum virtualitèr ad illa omnia extendatur. Prima consequentia patet ex mox notatis, quia, qui attingit vnum propter aliud, attingit etiam id, propter quod illud aliud attingit. Subsumpta minor probatur, quia omnia peccata continentur sub vna ratione offensæ Dei.

26 Motiuũ detestationis est vnũ.

Hic tamen aduerto, quod, quamuis asseramus sufficere vnum actum contritionis pro omnibus peccatis sub motiuo vniuersali offensæ Dei, non denegamus tamen, quin debeat homo singula, quæ commisit peccata, inspicere, ad quæ ferri potest vnica contritio, quod optimè considerauit *D. Thomas prima secundæ q. 113. art. 5. ad tertium.* Ibi. ***In tempore præcedenti iustificationem oportet, vt homo singula peccata, quæ commisit, detestetur, quorum memoriam habet; & ex tali consideratione præcedenti subsequitur in anima quidam motus detestantis vniuersalitèr omnia peccata, inter quæ etiam includuntur peccata obliuioni tradita, quia homo in statu illo sic est dispositus, vt etiam de his, quæ non meminit, contereretur, si memoriæ adessent.***

27 Debet tamen omnia peccata inspicere.

Probatur secundò, quia ex superius dictis ad validam contritionem non requiritur aliqua temporis extensio, seu mora, sed potest elici in instanti; ast singulæ detestationes de singulis peccatis non possunt elici in vno, & eodem instanti, ergo non requiruntur tot detestationes distinctæ, quot sunt peccata, sed vna sufficit æquiualens omnibus elicita ex vno, & eodem motiuo offensæ Dei. Minor probatur, quia singulæ detestationes de singulis peccatis, non possunt elici, nisi adsit singulorum cognitio, & recogitatio, & licet hæc recogitatio quoad omnia præsupponatur præcedere, si tamen tot actus essent eliciendi, quot sunt peccata, non videntur singuli in eodem instanti posse elici. Accedit, quod quandoque non possit fieri hæc omnium, & singulorum peccatorum recogitatio, vt quando inopinato accidente peccator corripitur, in quo tamen potest actum contritionis elicere nemine disceptante.

Alia ratio pro asserto.

Hic duplex oritur difficultas. Prima est, an peccator teneatur maiorem detestationem elicere de peccato grauiori, ac de minus graui. Secunda, an, si quis elicito actu contritionis ex motiuo vniuersali Dei de omnibus peccatis, & posita confessione peccatorum, quorum recordatur,

postea

poſtea recordetur alicuius peccati omiſſi in confeſſione per obliuionem inculpabilem teneatur, poſtea nouum actum contritionis de peccato omiſſo elicere, dum illud vult ſubijcere confeſſioni, ſi alia non habeat peccata ſubijcienda.

28 Non eſt neceſsaria maior deteſtatio appretiatiua pro grauiori.

Quoad primum abſolutè arbitror, non eſſe neceſsariam pro grauiori peccato maiorem deteſtationem appretiatiuè, maximè tamen congruam maiorem intenſiuè. Ratio primæ partis ex eo deducitur primò, quia deteſtatio appretiatiua, prout continet validum actum contritionis, debet eſse ſuper omnia, cum opponatur malo oppoſito dilectioni ſummi boni, quæ debet eſse ſuper omnia; deteſtationi autem appretiatiuæ ſuper omnia conuenit non admittere aliam ſuperiorem; ſi enim vna eſset ſuperior alteri, hæc altera non eſset ſuper omnia, cum aliam admitteret ſuperiorem. Neque hic audiendus eſt *Madernus tract. 4. de virtut., & Sacram. pænitentiæ q. 2. art. 4. num. 3.* dum dicit, peccata eſse quidem deteſtabilia in ſummo reſpectu mali pænæ, vnum autem eſſe deteſtabilius alio reſpectu mali culpæ; Non, inquam, audiendus eſt, quia peccata debent eſſe deteſtabilia non ſolum ſupra quodcunque malum pænæ, ſed etiam ſupra alia omnia, cum opponantur ſummo bono ſuper omnia diligibili, & ſicuti amor Dei, vt ſit conſecutiuus gratiæ, debet eſſe ſuper omnia, ita deteſtatio debet eſse ſuper omnia.

Motiuũ deteſtationis eſt vnũ.

Secundò, quia deteſtatio debet eſſe ex generali motiuo, quia ſcilicet peccata ſunt offenſa Dei, priuatiua amicitiæ eiuſdem, auerſiua a Deo, & conuerſiua ad creaturam; hoc autem motiuum vnum eſt, æquale, & vniuerſale reſpectu omnium peccatorum læthalium, nec exigit, vt vnum peccatum ſuper alia deteſtetur, ergo deteſtatio poteſt eſse æqualis &c. Minor probatur, quia per quodcunque peccatum læthale Deus grauiter offenditur, tollitur eius amicitia, & creatura à Deo ad creaturas conuertitur. Neque dicas, motiuum deteſtationis eſse malitiam, & offenſam Dei, ergo, vbi eſt maior malitia, & offenſa Dei, debet eſse maior deteſtatio, ſed, vbi culpa eſt grauior, maior eſt malitia, & offenſa Dei, ergo &c.; Contra enim impugnaberis, quia, quamuis comparando vnũ peccatum cum alio in vno ipſorum maior reperiatur malitia, & offenſa Dei, non eſt tamen neceſse, vt fiat illa comparatio in eliciendo contritionis actum, ſed ſufficit, vt in genere deteſtētur peccata ſuper omnia deteſtabilia in communi cum propoſito vitandi omne peccatum ſuper omne deteſtabile in communi; neque valet argumentum à confeſſione, in qua omnia peccata ſunt exponenda ſecundum ſuas qualitates ſubſtantiales, & ſpecies, ad ipſam contritionem; Non valet, inquam, quia confeſſio ex diſpoſitione Diuina debet eſſe indiuidua, ſpecifica, & ſecundum ſpecies, & numerum peccatorum, vt definit *Concil. Trident. ſeſs. 14. c. 4.*, contritio autem ſufficit, quod ſit ex generali motiuo offenſæ Dei; nec tot actus contritionis requiruntur, quot ſunt peccata, ſicuti requiritur, vt tot ſint expreſſiones, quot ſunt peccata in confeſſione.

29 De congruo requiritur maior intenſiua.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia ipſa ratio naturalis dictat, quod maior vis, maiorque conatus ſit adhibendus ad auertendum maius, quam minus malum, & licet quis amet obiectum aliquod ſuper alia omnia, ita vt amorem eiuſdem præferat amori aliorum omnium, ſi nihilominus contingat ipſum lædere per actum grauiorem, & minus grauem, ipſa natura ſuadente intenſius dolet de grauiori læſione, quam de minus graui, ita &c.

30 Ad confeſſionẽ peccati obliti, an requiratur nouus dolor.

Quod ſecundum hoc in primis moneo, indubitati iuris eſſe, quod teneatur peccatum illud inculpabilitèr oblitum confeſſioni ſubijcere, non in ordine ad remiſſionem, ſeu gratiam iuſtificantem obtinendam, eo quia indirectè per remiſſionem aliorum peccatorum in prima confeſſione fuit remiſſum, ſed in ordine ad obediendum præcepto obliganti ad confeſſionem ſingulorum læthalium; ſuppoſito iam debito confeſſionis peccati inculpabilitèr omiſſi, quod de illo non teneatur nouum doloris actum elicere, docent plurimi propter has rationes, primò, quia obligatio ſubijciendi non eſt ad obtinendam remiſſionem, ſed ad obediendum præcepto, quod fit per ſubiectionem, etiam, ſi nouus dolor non habeatur; ſecundò, quia, ſi præcedens dolor ex motiuo vniuerſali dilectionis Dei ſufficiens eſt ad omnia peccata delenda, quamuis omnium non fiat recogitatio, ergo etiam ſufficiens erit ad delendum peccatum oblitum, adeoque nouus non requiritur. Nihilominus probabilius eſt, quod nouus dolor requiratur, ſi prior dolor intelligatur moralitèr interruptus; primò, quia quotieſcunque facienda eſt noua confeſſio, nouus requiritur dolor, cum non poſſit dari noua forma abſolutionis, niſi noua materia proxima ſubijciatur. Secundò quia, cum inter illum actum contritionis prius elicitum, & ſecundam confeſſionem faciendam de peccato omiſſo intelligatur non modicum temporis intercedere, non videtur ille actus moralitèr perſeuerare, ita vt continuetur cum hac ſecunda confeſſione; nec obſtant, quæ pro contraria ſententia afferebantur; non primum, quia præceptum, quod obligat ad confeſſionem illius peccati inculpabilitèr omiſſi,

omissi, obligat ad confessionem non quomodocunque, sed ad confessionem cum omnibus requisitis ad eandem, adeoque cum dolore; Non secundum, quia licet præcedens dolor sit sufficiens ad delenda omnia peccata, & etiam oblita, adest tamen præceptum illa clauibus subijciendi quando fuerint cognita, & hoc præceptum obligat ad confessionem validam vt supra.

ASSERTIO VII. Propositum formale, & explicitum vitandi imposterum (speculatiuè loquendo) peccata non est simplicitèr necessarium ad gratiam iustificationis acquirendã, est tamen practicè tutius, & absolutè consulendũ, & adimplendũ. Dixi *formale, & explicitum*, non etenim negauerim esse necessarium implicitum, & virtuale. Consentiunt *Medina C. de pænit. tract. primo q.3., Maior in 4. dist. 14. q. 1., Suarez disp. 4. sect. 3., Arriaga disp. 10. sect. 2., & 3., Lugus disp. 5. sect. 7.*

31 Propositũ formale nõ peccãdi de cætero speculatiuè non est necessarium.

Probatur primò. In actu contritionis, seu detestationis peccatorum ex supernaturali motiuo dilectionis Dei super omnia diligibilis inuoluitur implicitè propositum vitandi imposterum peccata, sed hic actus contritionis, seu detestationis peccatorum est sufficiens ad iustificationem, ergo propositum implicitum, & virtuale imbibitum in actu contritionis est sufficiens &c. ergo non est necessarium explicitum propositum, & formale. Maior probatur, quia, qui detestatur peccatum propter Deum summè diligibilem implicitè intendit placere Deo super omnia, ipsumque summè diligere; qui autem intendit placere Deo, eumque diligere super omnia implicitè intendit seruare eius præcepta, & vitare omnia, quæ possunt eiusdem dilectioni super omnia officere; non etenim potest esse summa dilectio cum affectũ aliquo etiam implicito ad id, quod obstare potest eidem summæ dilectioni, ergo debet esse saltem cum implicito dissensu ad illud. Minor etiam probatur, quia actui contritionis, & dilectionis Dei super omnia promittitur in sacris paginis vita æterna, iuxta illud *Ezechielis 18. Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius, & 33. In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius &c.*

Probatur secundò. Qui intendit aliquod medium ordinatum ad finem, intendit etiam implicitè ipsum finem, sed finis veræ pænitentiæ, seu contritionis est emendatio vitæ de praua in rectam, ergo, qui elicit contritionem, implicitè intendit vitæ suæ emendationem, sed actus, quo detestantur peccata super omnia cum implicita intentione emendationis vitæ est dispositio sufficiens ad gratiam iustificationis, ergo actus contritionis cum proposito implicito, & virtuali emendationis vitæ, seu vitandi imposterum peccata est sufficiens ad iustificationem.

Probatur tertiò. Ad efficacem contritionem non minus requiritur actus dilectionis Dei super omnia, ac requiratur propositum vitandi imposterum peccata, sed ad eandem non requiritur actus formalis, & explicitus amoris Dei, sed sufficit virtualis, & implicitus per ea, quæ docet *D. Thomas in 4. dist. 14. q. 1. art. 1.*, & nos supra tradidimus, ergo, nec requiritur propositum formale, & explicitum vitandi imposterum peccata.

His, quæ dicta sunt, non aduersatur Concilium Florentinum in decreto Eugenij, vbi habet primam partem pænitentiæ esse contritionem cum proposito non peccandi de cætero, quod idem repetit *Trident. d. sess. 6. c. 6., & sess. 14. c. 4.* vbi in definitione apponitur hoc propositum; quod autem in definitione apponitur, debet formalitèr, non merè virtualitèr sumi. Non, inquam, aduersantur, quia Concilia huiusmodi æquè possunt intelligi de proposito formali, vel virtuali; nec verum est, quod quidquid ponitur in definitione, debeat semper sumi formalitèr; siquidem in rebus etiam Physicis plura in definitionibus apponuntur, quæ explicitè non sunt de conceptu rei definitæ.

Est tamen in praxi ponendum.

Dixi, *est tamen practicè tutius, & in praxi consulendum*, tum quia est medium tutius; tum quia est cum positiua reflexione ad emendationem pro tempore futuro; tum quia est magis conforme dispositioni Conciliorum, & SS. PP.

ARTICULUS II.

Expenduntur alia nonnulla ad contritionem pertinentia.

SUMMARIUM.

Ad validam contritionem non est necesse, quod hæc extendatur etiam ad venialia. 1.
Nec quod eorum detestationem implicitè inuoluat. 2.
Soluuntur rationes oppositæ. 3.
Tutius est, si contritio sit vniuersalis, sufficit tamen, quod sit expressè ad peccata cognita, & implicitè ad alia omnia. 4.
Per contritionem omnia peccata possunt remitti. 5.
Referuntur quoad hoc errores hæreticorum. 6.
Reijcitur error, quo dicitur per pænitentiam non remitti peccata post baptismum commissa. 7.
Item error, quo dicitur non remitti, si fuerint

rint peccata repetita. 8.

Item error quo dicitur non remitti, si fuerint grauissima. 9.

Soluuntur fundamenta hareticorum. 10.

In quo sensu dicantur peccata contra Spiritum Sanctum irremissibilia. 11.

Quotiescunque remittitur peccatum, remittitur etiam pana aterna. 12.

NE quid desideretur, quod ad plenam contritionis cognitionem perducere possit, placet nonnullas vel ex prædictis deducibilia expressè deducere, vel vix insinuata explanare.

Primum est, an ad validam contritionem requiratur, vt detestatio vniuersalitèr extendatur tam ad peccata læthalia, quam ad venialia, adeo vt, si venialia vel explicitè, vel implicitè excludantur, eadem contritio non consequatur suum effectum. Respondendum est, non requiri, vt extendatur etiam ad venialia *Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 1. punct. 5. prop. 2. num. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia gratia iustificatiua non habet oppositionem cum peccatis venialibus, si quidem eadem gratia compatitur cum eisdem nemine refragante, ergo posita detestatione omnium peccatorum læthalium poterit contritus consequi gratiam remissiuam eorundem, etiam si actu non detestetur venialia.

1 Contritio potest esse solum de læthalibus

Sed, an actus contritionis debeat saltem implicitè inuoluere venialium detestationem; Videtur prima fronte dicendum, debere inuoluere eandem, quia contritio importat actum, quo summè Deus diligatur, & tollatur quodcunque potest officere summæ Dei dilectioni; sed talis non esset actus, quo detestarentur præcisè peccata læthalia, & nullo modo, nec implicitè venialia, ergo &c. Maior patet, quia implicat summus amor obiecti sine detestatione eius, quod quoquo modo potest eidem obiecto displicere, & quoquo modo eidem aduersatur. Minor probatur, quia actus, qui compatitur cum aliquo quoquo modo opposito obiecto, quod per illum actum diligitur, est minor eo, qui excludit quodcunque oppositum dilectioni talis obiecti, sed actus contritionis, quo detestantur solummodo læthalia, & nullo modo, nec implicitè venialia, compatitur cum aliquo, quod quoquo modo opponitur dilectioni Dei, & ille, quo detestantur simul læthalia, & venialia excludit quodcunque Dei dilectioni oppositum, ergo iste maior est illo, ergo ille non est summus. Nihilominus sentiendum arbitror, essentialitèr non inuoluere debere, nec implicitè talem venialium detestationem. Rationem ex eo deduco, quia actus contritionis ex Diuina ordinatione est in ordine ad reparandam gratiam iustificantem per peccatum extinctam, sed per simplicem læthalium detestationem sine vllo ordine ad venialia gratia iustificans reparatur, & amicitia Dei, ergo &c. Minor probatur, quia gratia sanctificans non impeditur per existentiam peccatorum venialium, cum hæc non sint obex ad illam consequendam, ergo &c.

2 Nec est necesse, vt inuoluat implicitè venialiũ detestationem.

Nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur, quandoquidem non requiritur ad contritionem actus summus in quocunque genere, sed sufficit, quod sit talis in eo genere, & ordine, quo peccata obstant gratiæ, & amicitiæ Dei, nec requiritur, quod in tali genere sit summus intensiuè, sed sufficit, quod sit talis appretiatiuè; non obstant autem peccata venialia gratiæ Dei, cæteroqui homo iustus, quem constat habere gratiam habitualem, semper careret peccatis venialibus, quod nemo admittet; vnde *D. Thomas 3. part. q. 86. art. 3.* docet, quod omnis expulsio fiat per aliquam oppositionem, & nisi inter aliqua duo sit oppositio, vel immediata, vel mediata, ex natura sua, vel ex institutione non sequatur exclusio inter ipsa; Cum igitur nec gratia, nec peccata venialia se inuicem excludant, sequitur, quod inter se nullam habeant oppositionem.

3 Soluuntur rationes oppositæ.

Secundum est, an sufficientèr iustificetur, qui facta discussione propriæ conscientiæ vnius tantum peccati læthalis sit conscius, & de eo præcisè actum contritionis elicit, cum tamen habeat alia peccata læthalia, quorum conscientiam non habet; Respondendum est tutius fore, si contritionem vniuersalem eliciat relatam ad illud peccatum, cuius sibi conscius est, & ad alia omnia, si fortè commisit; sufficere tamen ad iustificationem, si de illo contritionem eliciat cum relatione implicitè ad alia. Prima pars est *Graffij lib. 1. decis. c. 5. num. 25. D. Thomæ q. 80. art. 4. ad primum, Soti in 4. dist. 12. q. 6. art. 6., Suarez disp. 4. sect. 6. assert. 3. n. 16.* Secunda pars est eiusdem *Suarez loc. cit. n. 17., Fillintij tract. 6. c. 9. q. 3. n. 223., & 226., Bonacinæ de Sacram. pænit. disp. 5. q. 5. sect. 1. punct. 6. n. 4.* Prima pars videtur innegabilis, cum nemo inficiari possit, esse viam tutiorem, & certiorem elicere actum vniuersalem relatum ad omnia peccata, quam ad illum solum, cuius conscientiam habet. Secunda pars ex eo euincitur, quia actus contritionis de illo peccato, cuius habet conscientiam, vt sit propriè actus contritionis, importare debet implicitè, & virtualitèr detestationem omnium aliorum peccatorum, ergo est secundum se sufficiens ad iustificationem. Antecedens probatur, quia actus con-

4 Tutius est, si cõtritio sit vniuersalis.

contritionis, vt sit perfectè talis, debet inuoluere saltem virtualitèr, & implicitè dilectionem Dei super omnia; sed non potest esse dilectio Dei super omnia, nisi inuoluat detestationem omnium peccatorum saltem virtualitèr, ergo &c. Minor probatur, quia dilectio Dei super omnia inuoluit implicitè detestationem omnium, quæ Deo displicent, ergo &c.; Neque dicas, atritionem simul cum Sacramento pænitentiæ, vt consequatur effectum iustificationis, debere esse vniuersalem, nec sufficere, si sit de peccatis, quorum pænitens recordatur, ergo, nec sufficit actus contritionis de peccato, cuius peccator conscientiam habet, sed debet esse vniuersalis de omnibus; Contra enim impugnaberis, quia, quidquid sit, quod atritio debeat esse vniuersalis de omnibus peccatis, de qua re infra, dum de atritione fusus sermo habebitur, dico, non currere paritatem, quia atritio ex genere suo non inuoluit actum dilectionis Dei super omnia, sicut inuoluit contritio, adeoque &c.

5 An per contritionem peccata omnia possunt remitti.

Tertium est, an per contritionem omnia peccata possint remitti? Hæc controuersia potissimum excitatur contra hæreticos, quorum alij, & præcipuè Cathari, & Cataphrigæ asseruerunt peccata hominis post susceptum baptismum commissa nec per contritionem, nec per atritionem simul cum Sacramento posse remitti; alij somniarunt peccata post baptismum commissa vnica tantum vice posse deleri, non sæpius; alij tandem dixerunt peccata grauissima nunquam per pænitentiam extingui. Primi innituntur dicto Apostoli *ad Hæbreos 6. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, rursus renouari ad pænitentiam*; & *c. 10. Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia*. Secundi fundantur in dicto *Apostoli loco cit. Impossibile eos, qui semel sunt illuminati rursus renouari ad pænitentiam*. Tertij fundantur in illo *Matthæi 12., & Marci 3.* vbi Christus Dominus expressè tradidit, peccata in Spiritum Sanctum neque in hoc, neque in futuro sæculo remitti, quibus consentit illud *primæ Ioannis 5. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis*. Sed absolutè sentiendum est, nullum esse peccatum post baptismum commissum, siue sæpius repetitum, siue qualitate grauissimum, quod deleri non possit per pænitentiam; Hoc clarissimè euincitur ex pluribus scripturæ locis, & primò ex illo *Ezechielis 18. Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*. Secundò ex illo *Isaiæ 55. Derelinquat impius vias suas, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius*.

6 Referuntur quo ad hoc errores hæreticorum.

7 Peccata post baptismū cōmissa per pænitentiā remittuntur.

Sed singillatim discurrendo per tres allegatos errores euincitur in primis contra primum, quod peccata post baptismum commissa possint vera pænitentia deleri, primò, quia stante procliuitate naturæ ad malum post vulnus eidem inflictum per peccatum originale, regularitèr actum esset de hominum spirituali salute, cum pauci sint, qui à læthalibus actualibus se per totum vitæ decursum præseruent. Secundò, quia inanitèr à Christo Domino esset instituta secunda tabula post secundum naufragium, si per eandem homines non possent liberari. Tertiò, quia habetur expressè *in c. firmitèr de summa Trinit. Et si post susceptionem baptismatis quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper pænitentiam reparari*, quod idem habetur *in Trident. sess. 6. c. 14., & sess. 14. can. 1.*

8 Etiam si fuerint repetita.

Deinde, quod per pænitentiam non semel tantum peccatum post baptismum commissum possit pænitentia deleri, sed sæpè, & sæpius, ex eo euincitur, primò, quia misericordiæ Domini non est numerus, nec mensura; esset autem mensura, & numerus, si semel tantum peccata post baptismum commissa possent deleri. Secundò, quia Sacramentum pænitentiæ inanitèr institutum esset, vt reiterabile ad differentiam Baptismatis, & Confirmationis, & Ordinum, si per ipsum semel tantum peccata possent deleri; id autem, quod præstat Sacramentum pænitentiæ replicatum in ordine ad replicata peccata, præstat contritio repetita in ordine ad repetita crimina. Tertiò, quia Christus Dominus interrogatus à Petro, an liceret peccata dimittere septies? respondit, *non tantum septies, sed vsque ad septuagies septies*, volens indicare semper posse peccata per veram pænitentiam dimitti.

9 Et etiā si fuerint grauissima.

Tandem, quod quæcunque peccata quantumuis grauia possint per pænitentiam deleri ex eo euincitur, quod textus allegati loquuntur vniuersalitèr, & sine vlla exceptione, vt videre est in illo *Ezechielis 18. Si impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*, vbi nota illas particulas, *omnibus*, ac *omnia*, quæ important vniuersalitatem, nullumque excludunt. Adde, quod grauius peccatum excogitari non potest, quàm mors Christo Domino intentata, & tamen Christus eiusdem veniam obtulit pro crucifixoribus exorando, sicuti obtulit, & concessit militi, qui post mortem latus eius lancea aperuit.

Nec obstant ea, quæ ex aduerso pro triplici allegato errore afferebantur, non primum desumptum ex Apostolo, quia, vt notat

notat *D. Thomas tertia part. q. 84. art. 10.* sensus Apostoli in illis dictis refertur solum ad id, vt semel baptizati non possint rursus renouari ad pænitentiam, vt iterum baptizentur, nec possunt illa dicta in alium sensum maximè intentum ab Hæreticis deflecti; non enim potest præsumi, quod Apostolus, qui optimè nouerat Petrum, postquam fuit illuminatus, cecidisse, & iterum renouatus ad pænitentiam, voluerit peccatores post susceptum baptismum conijcere in desperationem, ostendens impossibile esse ad pænitentiam renouari. Non secundum desumptum ex illo *Matthæi 12., & Marci 3.*, quia illi textus intelligendi sunt de blasphæmante in Spiritum Sanctum, & cum pertinacia excludente inspirationes, & gratias excitantes eiusdem Spiritus Sancti, sine quibus non potest elicere actum veræ penitentiæ iustificantis. Quod, si dixeris, quod etiam, si blasphæmauerit quis Filium hominis, & peruicacitèr perseuerauerit, non consequetur remissionem, non quia illa blasphæmia sit irremissibilis, sed, quia peruicacia excludit auxilium gratiæ excitantis; & tamen *Marci 3.* dicitur: *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*, ergo, non quia peccatum in Spiritum Sanctum est cum peruicacia excludente inspirationes, sed, quia ex genere suo est irremissibile, cæteroqui, si esset præcisè ratione peruicaciæ, hoc non esset proprium peccati in Spiritum Sanctum, sed commune cuicunq; peccato contra Filium hominis, quod, si fuerit cum peruicatia, non remittitur; statim impugnaberis, quia specialitèr dicitur, quod blasphæmia in Spiritum Sanctum non remittetur, quia hæc videtur specialius dona eiusdem excludere, cum aduersetur fonti eorundem, adeoque videtur difficilior pænitentia vera de eadem, vnde difficultas, seu impossibilitas moralis remissionis non est refundenda in naturam peccati, sed in difficultatem eliciendæ veræ pænitentiæ de illo propter oppositionem, quam habet illud peccatum ad dona eiusdem Spiritus Sancti, quibus sicuti implicitè renuntiauit per illud peccatum blasphæmiæ, ita non ita facilè videtur ad illa disponi. Cæterum supposita vera pænitentia non est, cur illa blasphæmia non sit remissibilis, sicuti est remissibile quodcunq; peccatum in Filium hominis.

10 Soluuntur fundamenta hæreticorũ.

11 Quomodo peccata in Spiritum Sanctũ dicatur irremissibilia.

Quartum est, an quotiescunque remittitur peccatum læthale, semper debeat remitti pæna æterna. Respondendum est affirmatiuè. Hoc expresse habetur *in Tridentino sess. 6. c. 14., & sess. 14. c. 8.*, & clarè deducitur, quia in remissione peccati læthalis confertur gratia sanctificans remissiua; per gratiam autem homo constituitur filius Dei adoptiuus, & hæres gloriæ, quomodo autem potest esse ius ad gloriam cum onere pænæ æternæ? Hæc adeo vera sunt, vt nonnulli asserant, inter quos *Scotus in 4. dist. 14. q. 1., & 2. ibi Bassolus q. 1. art. 5., Gabriel. q. 1. art. 1., Vasquez prima secundæ disp. 204. c. 4.*, quod nec etiam de potentia absoluta possit remitti peccatum læthale sine remissione pænæ æternæ, quod, an verum sit, vos videritis. Circa hoc latè disputant Theologi, quorum alij, vt mox præcitati sustinent, nec de potentia absoluta posse remitti peccatum læthale sine remissione pænæ æternæ; alij docent de potestate absoluta posse remitti; atque hi sunt *Magister in 4. dist. 14. q. 2. art. 2., Henriquez lib. 4. de Sacram. c. 11., Suarez disp. 10. sect. 2., Lugus disp. 8. sect. 2.*

12 Remisso peccato remitti tur etiã pæna æterna.

ARTICULUS III.

An contritio sit per se iustificatiua peccatoris extra Sacramentum Pænitentiæ.

SVMMARIVM.

NVnc nobis est colluctatio cum Michaele Baij, qui in sua propositione 68. asseruit in eodem momento infundi gratiam, in quo homo elicit actum contritionis, peccata verò non statim remitti quoad culpam, sed tunc solum, quando Sacramentum pænitentiæ re ipsa suscipitur. Limitant hanc Baij propositionem primo *Laurentius Neesen in sua Theol. mor. de act. human. tract. 19. dub. 3. pag. 613., & 615.*, vt non procedat in casu necessitatis, & martirij, in quo asserit, contritionem charitate perfectam remittere peccata sine actuali susceptione Sacramenti, quinimmo etiam extra hos casus, sed non ordinariè, neque semper remittere. Secundò

1 Quid senserit Michael Baij.

2 Limitatio Laurentij Neesen.

cundò alij limitant, inter quos Magister *Lupus, idem Laurentius Neesen in Theol.mor. de Sacrament. tract. 5. q. 2. dub. 4. pag. 393., Lambertus Ledron thesi 6.* vt non procedat de omni contritione perfecta, sed de aliqua; & ad hanc limitationem confirmandam adducit idem Magister Lupus Concilium Tridentinum, quod deflectit in sinistrum sensum asserens. *Dari charitatem talem omnino profiteor; disertè enim Sacrosancta Sinodus Tridentina docet definitam à se contritionem aliquando charitate perfectam hominemque per ipsam Deo reconciliari, priusquam pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur.* Notanda est vox, *aliquando*, quæ indicat perfectionem istam non semper contritioni, seu non omni, quæ veram tamen Dei super omnia charitatem includere debet, contritioni adesse Dei super omnia quoad affectum.

3 Altera limitatio Magistri Lupi.

4 Supposita vera contritione, & gratia infunditur, & culpa remittitur.

Sed hæc propositio Michaelis Baij cum adductis aliorum limitationibus est absolutè eliminanda supposita contritione charitate formata, seu ex motiuo dilectionis Dei super omnia. Ratio ex eo deducitur primò, quod in Sacris Scripturis dicitur, quod peccatori verè contrito conceditur omnium peccatorum remissio *Ezechielis 33.* Ibi- *In quacunque hora ingemuerit peccator, peccatorum eius non recordabor amplius*, vbi nota, quod loquitur de quocunque cordis gemitu, non restringit ad aliquem gemitum magis perfectum.

5 Euincitur ex Concil. Trid.

Secundò ex *Concil. Trident. sess. 14. c. 4.* vbi definit per actum contritionis charitate perfectum remitti peccata, & peccatorem reconciliari Deo ante susceptum in re Sacramentum pænitentiæ; nec ibi distinguit gradus contritionis, vt vni debeatur remissio, & non alteri, ergo sentit Concilium quamlibet contritionem formatam peccata remittere; cæteroquì idem Concilium non assignasset, sicut promisit in proemio, exactam de contritione iustificatiua doctrinam, cum indecisam reliquisset, quænam sit ea contritionis species, quæ iustificet ante susceptionem Sacramenti, & quæ non iustificet. Cum ergo indefinitè definierit contritionem charitate perfectam iustificare, vtique intelligendum est, voluisse omnem huiusmodi contritionem charitate formatam peccata remittere, & peccatorē Deo reconciliare; & per hoc eliminatur secunda limitatio supra posita.

Neque obstant, quæ ex eodem Concilio afferebant pro hac limitatione Magister Lupus, & alij, quandoquidem isti inuerterunt sensum eiusdem Concilij; non enim idem Concilium dicit, contritionem aliquando solummodo iustificare, sed dumtaxat dicit contritionem aliquando esse charitate perfectam, & tunc peccata remittere etiam ante susceptionem Sacramenti. Verba Tridentini sunt huiusmodi. *Docet præterea, & si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur &c.* Neque dicas, dari non posse contritionem, quæ non sit charitate perfecta, ac proinde, dum Concilium dicit, contritionem aliquando iustificare, vtique intelligit non omnem contritionem charitate formatam iustificare; contra enim impugnaberis, quia, dum Concilium dicit contritionem contingere, vt aliquando sit charitate perfecta, sumit contritionem in latissima significatione prout comprehendit contritionem, & atritionem, quam alicubi appellat contritionem imperfectam, & sic significat, illam esse aliquando charitate perfectam, quia est contritio, ac proinde in hoc distinguit contritionem ab atritione.

6 Lupus non benè intelligit Tridentinum.

7 Gratia non cōpatitur cū peccato.

Tertiò, & per hoc signantèr impugnatur Michael Baij volens infundi gratiam, dum elicitur actus contritionis, non tamen remitti peccatum ante susceptionem Sacramenti. Implicat saltem de lege ordinaria stare simul cum gratia peccatum, nam secus homo esset gratus Deo ratione gratiæ susceptæ, & eidem ingratus, & inimicus ratione peccati in eodem permanentis, sed hoc contingeret, si in actu, quo elicitur contritio, infunderetur in homine gratia, & non remitteretur peccatum, ergo &c.

8 Opinio expressa D. Thomæ.

Quartò, ex *D. Thoma in 4. distinct. 17. q. 2. art. 5. quæstiunc. 3. in corpore*, vbi sic habet. *Dicendum, quod quantumcunque paruus sit dolor, dummodo ad rationem contritionis sufficiat, omnem culpam delet.*

9 Quid senserit in hoc Caietanus.

Pro complemento eorum, quæ sub hoc titulo dicta sunt, solum remanet soluenda quædam obiectio, quam adducit Magister Lupus ex damnatione propositionis, quam habuit Caietanus; hic enim, vt refert idem Lupus, asseruit quauis Dei super omnia charitate, & nata hinc contritione iustificari hominem, ideoque taliter contritum peccatorem sine præuia confessione, & absolutione posse, & communicare, & celebrare; quæ tamen propositio fuit damnata per Concilium Tridentinum; ex hac damnatione infert Lupus, non quauis contritione charitate perfecta homines iustificari. Sed hæc ratio ex illa damnatione Tridentini deducta non euincit eiusdem Lupi intentum, quandoquidem Caietanus duo dixit; Primum, homines quauis Dei super omnia charitate, & nata inde contritione iustificari; & hoc non damnatur à Concilio; Secundum, hominem iustificatum ex vi contritionis posse accedere ad communionem non præmissa Sacramentali

tali

tali confessione, & recepta absolutione, & hoc reprobat Concilium excipiendo à regula reprobationis Curatum, qui ex officio celebrare tenetur, quando non habet copiam confessoris; atque ad hoc reprobandum plerisque rationibus motum est Concilium; primò, quia ita videtur exigere excellentia, & dignitas Sacramenti Eucharistiæ. Secundò, quia videtur medium tutius ad eandem Eucharistiam dignè sumendam confessio Sacramentalis cum contritione, quam simplex contritio, de qua potest dubitari, an ad perfectionem peruenerit, Tertiò, quia ipsa contritio, vt sit valida, debet esse cum voto saltem implicito confessionis, quæ propterea semper præmittenda videtur ad eandem Eucharistiam, quando potest.

10 In quo opinio Caietani fuerit à Cōcilio damnata.

ARTICULUS IV.

An ad iustificationem in Sacramento pænitentiæ requiratur contritio.

SUMMARIUM.

Ad iustificationem in Sacramento pænitentiæ non est necessaria contritio perfecta. 1.
Deducitur satis conuincentèr ex Concil. Trident. 2.
Si in Sacramento pænitentiæ requireretur perfecta contritio, iugum esset grauius in lege gratiæ, ac in lege veteri. 3.
Rationes, quibus innititur Requesenius. 4.
Non facilè approbantur. 5.
Quamuis pænitentia sit Sacramentum mortuorum, potest etiam viuis applicari. 6.
Diuersa ratio de medicina corporali, & spirituali. 7.

Conclusio. Ad iustificationem in Sacramento pænitentiæ non est necessaria contritio perfecta. Conueniunt omnes DD. Catholici, & definitum videtur à *Concilio Trident. sess. 14. de pænit. c. 4.*, vbi loquens de atritione ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ metu proueniente asserit, quod *quamuis sine Sacramento pænitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eam ad Dei gratiam in Sacramento pænitensiæ impetrandam disponit.*

1 Non est necessaria contritio perfecta.

Ex quibus Concilij verbis ad rem præsentem sic argumentum efformò. Vbicunque in Sacramento pænitentiæ haberi potest gratia iustificatiua sine perfecto contritionis actu, hic non est simplicitèr necessarius ad eandem gratiam consequendam in eodem Sacramento, sed ex eiusdem Concilij dispositione haberi potest in Sacramento pænitentiæ gratia iustificatiua per solam atritionem, ergo actus contritionis ad eandem consequendam non est necessarius; vnde etiam *D. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. art. 3. quæst. 1. ad quintum*, loquens de dolore prærequisito ad baptismum asserit. *Ad hoc, vt homo se præparet ad gratiam in baptismo recipiendam prærequiritur fides, sed non charitas, quia sufficit atritio præcedens, & si non sit contritio*; nec in hoc agnoscenda est diuersitas inter Sacramentum baptismi, & pænitentiæ, nam vtrumque ordinatur directè ad deletionem culpæ.

2 Expressè euincitur ex Concil. Trid.

Rursus eadem conclusio ex eo euincitur. Quod, si in Sacramento pænitentiæ prærequireretur contritio ad validitatem eiusdem, iugum Christi Domini in lege Euangelica, & gratiæ esset grauius, ac esset illud Dei in lege veteri; siquidem in isto iustificabantur peccatores per solam contritionem; in illo verò nempè in lege gratiæ præquireretur ad iustificationem contritio, & manifestatio, seu accusatio peccatorum, quæ duo certè sunt grauiora, ac sit sola contritio; hoc autem procul dubio derogaret excellentiæ legis gratiæ, & suauitati, quam prædicat Christus Dominus inesse iugo legis à se positæ; Neque dicas, etiam in lege gratiæ inesse contritioni perfectæ vim iustificatiuam, ac proinde non esse inductum nouum grauamen, sed nouum solum positum modum iustificationis; Contra enim impugnaberis, quia per Christum Dominum inductum est onus confessionis Sacramentalis, quod antecedentèr non inerat; vnde, si ad hoc adimplendum requireretur contritio, esset additum supra onus eiusdem nouum onus confessionis, & sic nouum grauamen. Quamobrem dicendum est, quod Christus Dominus inducendo nouum modum iustificationis per Sacramentalem confessionem, faciliori commodo antiquum onus leuauerit per solam atritionem; vnde *Concilium Tridentinum d. sess. 14. c. 5.* dixit. *Confessionis difficultas aut peccati detegendi verecundia grauis quidem videri posset, nisi tot, tantisque commodis, & consolationibus leuaretur, quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum accedentibus per absolutionem certissimè conferuntur.*

3 Iugum Domini esset grauius.

Alijs pluribus rationibus conatur *Requesenius in breui sua discept. Theolog. de honestate contrit., & atrit. disp. 1. sect. 2.* hanc conclusionem euincere; & primò ex discrimine, quod intercedit inter Sacramenta mortuorum, inter quæ numeratur Pænitentia, & Sacramenta viuorum asserens, quod data necessitate contritionis in Sacramento pænitentiæ, non tam hoc esset Sacramentum mortuorum, quam viuorum, quia præsupponeret vitam in suscipiente ex vi actus contritionis iustificantis.

4 Rationes, quibus innititur Requesenius.

tis. Secundò ex eo, quod contra omnem naturæ ordinem prærequireretur tanquã dispositio id, quod est effectus Sacramentalis confessionis; per contritionem etenim induceretur gratia remissiua, quæ est effectus Sacramenti. Tertiò ex eo, quod licet omnia Sacramenta considerentur tanquã medicinæ, aliqua tamen dantur ad confortandos sanos, aliqua ad inducendam sanitatem in infirmis; sicuti autem ex *D. Thoma tertia part. q. 80. art. 4. ad secundum, medicina, quæ datur iam liberatis à febri ad confortationem noceret, si daretur adhuc febricitantibus*, & è conuerso medicina, quæ datur febricitantibus, noceret, si daretur iam liberatis à febri; ita, si Sacramenta, quæ dantur mortuis peccato, daretur viuis noceret &c. Si autem Sacramentum pænitentiæ susciperetur à iam rediuiuis per actum contritionis, non prodesset &c.

Sed non libentèr fiderem his rationibus; non primæ, quia ex eo, quod sit Sacramentum mortuorum Pænitentia, non sequitur, quod etiam viuis per gratiam non possit applicari, seu ab eisdem suscipi, vt videre est in ijs, qui confitentur sibi conscij tantum peccatorum venialium, vel fortè etiam læthalium, sed per præcedentes confessiones remissorum. Dicitur igitur Sacramentum mortuorum, quia ex se natum est ad directè delenda peccata læthalia, ratione quorum homo dicitur mortuus gratiæ, huncque effectum præstat, si subiectum talitèr mortuum inueniat; quod, si inueniat in eodem vitam spiritualem, eam auget; Neque per hoc desinit esse Sacramentum mortuorum, cum retineat primariam suam rationem, quam exerceret, si subiectum esset aptum.

5 Sunt leuis roboris.

6 Potest Sacramentũ pænitẽtiæ etiã viuis applicari.

Non secundæ, quia inprimis hac ratione nedum ipsa contritio non esset necessaria in Sacramento pænitentiæ ad iustificationem peccatoris; sed, nec posset coniungi cum ipsa Sacramentali confessione, nam contra omnem naturæ ordinem præcederet tanquam dispositio id, quod est effectus Sacramenti, nempè gratia producta per ipsam contritionem. Deinde (& per hoc directè soluitur argumentum) nulla est repugnantia, quod actus, qui secundum se producit gratiam simplicem supernaturalem, concurrat tanquam dispositio ad producendam gratiam vt Sacramentalem, & sicuti Sacramentum pænitentiæ, quod est secundum se productiuum gratiæ concurrit, vt dispositio ad gratiam producendam in susceptione Eucharistiæ, ita &c. Sed, an gratia Sacramentalis, quæ producitur in Sacramento pænitentiæ concurrente contritione perfecta, sit distincta ab ea, quæ producitur per præuiam contritionem, dicam infra latè in sequenti articulo.

Non tertiæ propter rationes superius adductas, nam, licet Sacramenta omnia sint medicinæ, sed in diuerso ordine, quorum aliqua applicantur sanis, alia infirmis, non est tamen aliqua repugnantia; quin ea, quæ ex primaria sui ratione sunt applicabilia infirmis spiritualibus, possint etiam cum aliquo effectu applicari sanis, vt supra diximus in eo, qui confessionem Sacramentalem habet sibi conscius dumtaxat peccatorum venialium; Nec medicinę corporales habent omnimodam proportionem cum spiritualibus, adeo vt, sicuti illæ, quæ in corporalibus applicantur infirmis, nocent sanis, & è contra, ita in spiritualibus, quæ applicantur infirmis, non possint sanis applicari. Ratio diuersitatis ea est, quia medicinæ corporales habent limitatam virtutem ad certos, & determinatos effectus in certo ordine; Sacramenta verò, vtpotè procedentia à virtute illimitata Dei, licet ordinentur ad effectus in suo cuiusque ordine, habent tamen latitudinem, vt signantèr in Sacramento pænitentiæ, quod non solum habet producere primam gratiam in mortuis peccato, sed etiam secundam in ijs, qui vitam receperunt, vel per præcedentes confessiones, vel per actum contritionis.

7 Diuersa ratio de medicina corporali, & spirituali.

ARTICULUS V.

An concurrente in confessione Sacramentali contritione perfecta producatur gratia distincta per confessionem ab illa, quæ præintelligitur producta per contritionem.

SUMMARIUM.

SUppono primò, quod quis habiturus cõfessionem peccatorũ suorum, quorum sibi est conscius, præmiserit actum contritionis perfectæ. Secundò, quod actui contritionis perfectæ sit debita gratia remissiua etiam antecedentèr ad Sacramentum pænitentiæ. Tertiò, quod Sacramentali confessioni ritè habitæ cum debitis dispositionibus ex promissione Diuina etiam sit debita gratia, & tunc inquiro, an per contritionem præhabitam, & per confessionem

1 Status quæstionis exponitur.

nem subsequentem producatur gratia distincta, an verò eadem solummodo cum diuerso connotato, quatenus producta per contritionem sit gratia supernaturalis, sed non Sacramentalis, vt verò connectitur cum Sacramento transeat in Sacramentalem.

Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod ex contritione, & Sacramentali confessione integratur vnum Sacramentum in ordine ad remissionem peccatorum; ex vno autem, & eodem Sacramento, non nisi idem effectus videtur consequi. Accedit, quod non videtur congruum eidem causæ duplicem effectum in eodem genere, & ordine assignare; eidem autem contritioni duplex effectus assignaretur, alter, dum elicitur eadem contritio secundum se, quæ secundum omnes iustificat, si sit perfecta, asserente *Concil. Trid. sess. 14 c. 4. Docet præterea; & si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur*; alter, dum simul cum eadem suscipitur Sacramentum.

2 Rationes suadentes vnam tantum gratiã produci.

Ex alia parte, cum eadem contritio considerari possit secundum duplicem statum, nempè secundum se, & secundum quod coniungitur cum Sacramentali confessione, cum qua constituit materiam proximam Sacramenti, nõ videtur incongruum, quod duplicem secundum illum diuersum statum possit effectum consequi, &, sicuti baptismo in voto correspondet gratia, qui, si in re suscipiatur, nouam gratiam Sacramentalem sortitur, ita non videtur hæsitandum, si dicatur, quod contritioni cum voto confessionis correspondeat gratia, quæ, si deinde coniungatur cum Sacramentali confessione in re nouam gratiam Sacramentalem sortiatur. Quid iam concludendum?

3 Rationes suadentes produci distinctam.

Conclusio. Probabilius est concurrente præuia contritione perfecta cum Sacramentali confessione nouam, distinctamque gratiam produci in Sacramento pœnitentiæ ab illa, quæ correspondet simplici contritioni.

4 Distincta producitur.

Ratio est, quia suscipienti dignè Sacramentum pænitentiæ promissus est effectus eiusdem Sacramenti, qui non impeditur ex eo, quod præcesserit in eodem suscipiente gratia iustificans, ergo, cum ex vno capite per actum contritionis acquiratur gratia iustificans, & ex alio capite Sacramento ritè suscepto sit debita ex Diuina promissione gratia, non erit, cur gratia, quæ recipitur vigore Sacramenti, non sit distincta ab ea, quæ intelligitur recepta vigore præcedentis contritionis perfectæ.

Neque obstant, quæ pro contraria ratione dubitandi afferebantur, attento diuerso statu contritionis consideratæ secundum se, & prout coniungitur cum Sacramentali confessione potissimum quando coniungitur cum Sacramentali confessione, effectus, qui producitur, atribuatur Sacramento, & fit ex opere operato; vnde dici potest, quod eadem contritio secundum se sumpta causet per se gratiam, prout vero coniungitur cum Sacramento se habeat tanquam dispositio ad eandem; ex quibus corruunt, quæ secundo loco dicebantur, quod scilicet eidem causæ congruè non attribuatur duplex effectus; corruunt, inquam, quia non consideratur in præsenti casu, causa in eodem statu, sed in diuerso, nec secundus effectus eidem tribuitur, sed Sacramento supposita contritione tanquam dispositione.

5 Soluuntur rationes oppositæ sententiæ.

ARTICVLVS VI.

An contritio habeat vim secundum se ad sanctificandum hominem, sitque forma, an solum dispositio ad iustitiam.

SVMMARIVM.

QUæstionem aggredimur multis difficultatibus obuolutam propter diuer-

sa Scripturæ loca, propter diuersas SS.PP. auctoritates, propter varias Conciliorum definitiones, quæ videntur ad inuicem pugnare. Duplicem potissimum circa eandem inuenio sententiam, quarum vnaquaeque æquis videtur rationibus, & auctoritatibus inniti.

1 Sententia asserens nō esse formam iustificantem.

Prima docet, contritionem non esse formam sanctificantem, sed dispositionem ad illam, & iuxta hanc procedunt *D. Thomas prima secundæ q. 13. art. 5., & 8., Scotus in 4. dist. 14. q. 2. art. 2., & ibi Durandus q. 1., Paludanus q. 1. art. 1., Gabriel. q. 2. art. 1., Albertus Pighius contr. 2., & 9.* Probant primò hanc opinionem pluribus Scripturæ locis, *Pauli ad Romanos 3., & 4.* vbi asserit homines non iustificari ex operibus, *Ps. 50.* vbi Dauid exponit Deo cor contritum, & humiliatum, & virtute eiusdem petit, vt non despiciatur à Deo, *Prouerb. 28.* Ibi *Qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*, vbi vides, quod misericordia sit effectus confessionis, & pænitentiæ. Alia plura colligunt huius sententiæ Patroni Scripturæ loca ad ipsam confirmandam, quæ omnia coincidunt in eundem sensum cum præcedentibus.

2 Rationes deductæ ex Sacris Scripturis.

3 Ex SS. PP.

Secundò, probant ex SS.PP. auctoritatibus *D. Ambr. lib. 1. de pænit. c. 4.* circa finem. *Expectat Dominus gemitus nostros, sed temporales, vt remittat perpetuos. Expectat lacrimas nostras, vt infundat pietatem suam. D. Augustini in Enchiridio c. 65. Neque de magnis criminibus dimmittendis desperanda est misericordia pænitentiam agentibus. Cassiani collat. 20. c. 8. Etiam, si hæc omnia fecerimus non erunt idonea ad expiationem scelerum, nisi ea bonitas Domini, clementiaque deleuerit. Tertuliani lib. de pænit. c. 4. Qui omnibus delictis veniam per iudicium destinauit, idem veniam per gratiam spopondit dicens ad Populum, Pænitere, & saluum faciam te.* Alia, & similia ex alijs SS. PP. ad hoc confirmandum adducunt.

4 Ex Cōcil. Triden.

Tertiò, probant ex *Concil. Trident. sess. 6. c. 14.* vbi dicitur, quod pæna æterna non ex operibus nostris, sed gratis simul cum culpa remittitur; si remitteretur autem formalitèr per contritionem, non gratis remitteretur. Item *ex ead. sess. 6. c. 6.* vbi pænitentia, & dilectio Dei dicuntur præparationes ad iustificationem, & *ibid. c. 7.* docet ad hanc dispositionem consequi iustificationem, ergo formalitèr per illam contritionem peccator non iustificatur. Item ex *eadem sess. can. 3.* vbi, cum fide, & spe numeratur dilectio, & pænitentia in ordine ad iustificationem acquirendam; certum autem est spem, & fidem non esse, nisi dispositiones, non verò formam sanctificantem. Item ex *eadem sess. 6. c. 7.* vbi dicitur, iustitiam inhærentem infundi nobis iuxta dispositionem, ergo actus non est forma, sed dispositio, iuxta quam infunditur habitus.

5 Ex intrinsecis probationibus.

Quartò, probant varijs rationibus, & primò ex infinitate peccati arguunt actum contritionis non esse formam iustificatiuam formalitter, cum talis actus non sit infinitus simplicitèr, & hac ratione vtitur *Egidius tom. 2. de Sacram. dub. 2.* Secundò, ex ratione maculæ habitualis, cui formalitèr non opponitur actus; Tertiò, ex ratione iustitiæ inhærentis, quæ haberi non potest, nisi per habitum; actus autem contritionis non permanet, sed transit, ideoque in eodem non potest formalitèr consistere iustificatio, quæ est iustitia permanens. Quartò, ex ratione maculæ peccati, quæ dicit priuationem gratiæ habitualis, quæ propterea macula auferri non potest, nisi per reparationem eiusdem gratiæ. Quintò, ex auersione a Deo, quæ per peccatum mortiferum inducitur, & est habitualis; per contritionem autem fit solum ad Deum conuersio actualis, quæ compati potest cum auersione habituali ab ipso, quæ propterea auferenda est per habitum. Sextò, ex eo, quod actus contritionis sit dispositio ad habitum sanctificantem, quæ propterea non potest esse eiusdem forma. Septimò, ex eo probant, quod, si actus contritionis esset forma sanctificans, posset homo per talem actum mereri remissionem peccati mortalis, & primam gratiam habitualem de condigno, quod non videtur dicendum, cum coincideret cum errore Pelegianorum asserentium dari meritum primæ gratiæ. Quod autem per talem actum mereretur talem primam gratiam habitualem ex eo euincitur, quia talis actus vtpotè sanctificans esset opus amici, quod propterea mereretur de condigno primam infusionem habitus, & sicuti homo iustus, quia est amicus Dei per actum amoris, & dilectionis Dei meretur augmentum eiusdem gratiæ, ita non esset, cur ille primus actus, si esset ex se sanctificans, vtpotè ab amico Dei elicitus, primam gratiam non mereretur.

6 Sententia asserens esse formā iustificantem.

Secunda sententia docet actum contritionis perfectæ, & dilectionis Dei super omnia esse ex se iustificatiuum hominis formalitèr, & esse formam iustificantem, atque pro hac opinione stant *Ioannes Vincentius ex familia Dominicana lib. de gratia Christi q. 1., Iansenius cap. 4. concordiæ in illud Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, Ricardus art. 2. §. gra- uitèr, Gaspar Casalius de quadripart. iust. part. 1. c. 16., & lib. 2. part. prima c. 2.,* atque hanc fuisse opinionem antiquorum Thomistarum testatur *Basilius Legionensis tom. 1. var. resol. 2. pag. 531.*

Hæ

7 Euincitur ex Sacris Scripturis.

Hæc etiam opinio probatur primò varijs Scripturæ locis primò *Ioannis c. 14. Qui diligit me, mandata mea seruabit, & Pater meus diliget eum*. Prouerb. 10. *Vniuersa delicta operit charitas, prima Petri c. 4. charitas operit multitudinem peccatorum*, quæ loca atribuunt charitati directè remissionem peccatorum,

8 Ex SS. PP. auctoritatibus.

Secundò auctoritatibus Sanctorum PP. *Augustini lib. de natur., & gratia c. 42.* Ibi. *Charitas verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia est*, eiusdem *Augustini tom. 9. tract. 9. in Epistolam Ioannis. Anima fœda est per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur*; Hoc idem colligitur ex *Crisostomo hom. 7. in 2. ad Thimoth., ex Hieronymo Epist. 27., ex Gregorio Hom. 23. in Euang.* Neque hic audiendos asserunt, qui dicunt huiusmodi auctoritates, sicuti loca allegata Sacræ Scripturæ intelligenda esse solummodo de habitu charitatis, qui subsequitur ad iustificationem, non de actu ipso contritionis, seu dilectionis Dei; Non, inquam, audiendos esse; nam Augustinus in allegatis locis apertè explicat, se loqui de charitate actuali, dum dicit *charitas de corde puro, & conscientia bona*, quæ certè non potest intelligi, nisi de actuali, quæ sola dicitur esse de corde puro, quia est a voluntate cum auxilio Dei, idem intelligendum est de locis Sacræ Scripturæ, quæ ex tenore verborum apparet loqui de dilectione actuali. *Qui diligit me*, quæ indicant motum creaturæ in Deum per dilectionem.

Solutio instātię oppositæ.

9 Ex Cōcil. Trident.

Tertiò, ex *Concil. Trident. sess. 14. c. 4.* vbi dicit contritionem charitate formatam renouare hominem, quæ certè verba renouationem referunt in ipsam contritionem ex motiuo dilectionis Dei; item *ex sess. 6. c. 14.* vbi Concilium tribuit remissionem peccati, & pœnæ æternæ voto Sacramenti, quod imbibitur in ipsa contritione; votum autem est actus, non habitus..

Quartò rationibus, quarum prima est opposita præcedentis opinionis primæ rationi, quod scilicet peccatum non habeat infinitatem, quæ proinde pòtest tolli per actum contritionis etiam finitum. Secunda, quia data etiam, quod peccatum morțiferum reliquat in peccatore maculam habitualem, non est tamen difficultas, quin hæc possit tolli per actum contritionis, nam sicuti per actum peccaminosum tollitur gratia habitualis, ita non est, cur per actum contritionis ipsi oppositum non possit tolli macula habitualis. Tertia est, quia homo per actum contritionis perfectæ potest dici iustificatus per iustitiam inhærentem, siquidem Concilium Tridentinum exigens talem iustitiam voluit solum excludere iustitiam per solam extrinsecam acceptationem, aut imputationem Dei, & Christi, & voluit aliquid in nobis requiri, quo verè iustificamur; hoc autem habetur per formalem actum contritionis, seu dilectionis Dei super omnia. Deinde non obstat, quod talis actus transeat, ne dicatur inhærens, nam etiam actus peccaminosus transit secundum suum esse physicum, & tamen macula dicitur inhærere peccanti, cum dicatur talis, etiam si ipse actus transierit. Quarta est, quia per contritionem tollitur auersio habitualis a Deo relicta per peccatum; est etenim contritio amor Dei, vt vltimi finis supernaturalis; non potest autem esse hic respectus per amorem ad Deum, tanquam ad vltimum finem supernaturalem, quin simul sit recessus à quacunque eiusdem auersione, & sicuti, vt suprà dicebamus, peccatum aufert gratiam habitualem, ita contritio aufert maculam peccati, & auersionem virtualem a Deo. Quintò, quia nulla videtur repugnantia, quin prima gratia iustificans possit acquiri per actum meritorium supposito auxilio Dei supernaturali; nec obstat *Concil. Tridentinum sess. 6. c. 8.* negans primam gratiam iustificantem posse cadere sub meritum; quia, vt explicat *Vasquez disp. 219. c. 1.* Concilium intelligendum est de primo auxilio, respectu cuius etiam est negandum meritum congruum, nec in hoc est aliqua coincidentia cum Pelagianis, eo quia illi procedebant attentis præcisè naturæ viribus. Atque per has videntur confutari omnes præcedentis sententiæ rationes. Quid iam est concludendum?

10 Rationes plures pro hac sententia.

11 Formaliter nō iustificat, sed tantum dispositiuè.

Conclusio. Probabilius, immò verius est per actum contritionis homines formalitèr non iustificari, seu, quod idem est, contritionem non esse formam iustificantem, sed dispositionem ad illam. Conueniunt omnes pro prima sententia allegati.

12 Scripturæ loca pro prima sententia adducta nō procedunt de actibus ex viribus naturæ.

Sacræ Scripturæ loca pro hac sententia allegata videntur primò eandem concludentèr euincere; Neque arbitrandum est cum *Vasquez prima secundæ disp. 203. c. 7., & disp. 210. c. 8., & prima part. 89. c. 8.* prædicta loca excludere solum opera ex viribus naturæ, quæ nullo modo concurrunt ad iustificationem. Non, inquam, arbitrandum, quia ex tenore verborum clarè liquet, in eisdem esse sermonem de operibus elicitis ex speciali Dei auxilio, cum eisdem dicatur subsequi iustificatio, quæ nullo modo potest correspondere actibus ex naturæ viribus elicitis, cum isti nullam habeant proportionem cum eadem iustificatione, & cum dicatur iustificatio subsequi, non potest dici consistere in eiusdem actibus, quantumuis elicitis ex speciali Dei auxilio. Signantèr ad illud *Psal. 50.* dicendum

dum est, satis apparere procedere de corde contrito, & humiliato, quod haberi nequit sine Dei particulari auxilio, quod idem intelligendum est de alijs Scripturæ locis allegatis.

13 Auctoritates SS. PP. quomodo intelligendæ.

Secundò, eadem conclusio euincitur ex allatis SS. PP. auctoritatibus, quæ, vt malè nonnulli explicant, non sunt intelligendæ, vel de contritione imperfecta, vel de pænitentia procedente dumtaxat ex viribus naturæ; cum etenim consequantur tanquam dispositiones effectum gratiæ, & remissionis, non possunt esse ex pænitentia imperfecta, nec ex viribus naturæ; cæteroqui istæ auctoritates coinciderent cum errore Pelagianorum.

Tertiò, euincitur ex definitionibus allatis Concil. Trident., quibus adde id, quod in eodem *Concil. sess. 6. de iustificatione c. 7.* habetur, nempè *causam formalem vnicam esse iustitiam Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit*, & paulò post subdit. *Id autem in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem Sanctissimæ Passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque in ipsis inhæret*.

14 Germanus sensus Côcil. Trident.

Nec obstant alia Concilij loca per aduersarios, seu assertores secundæ sententiæ afferuntur, non primum desumptum ex *sess. 14. c. 4.* vbi dicitur, *contritionem charitate perfectam reconciliare hominem Deo* (non item, vt referunt Aduersarij) *renouare*, quia hic textus intelligendus est procedere dispositiuè, non formalitèr, vt colligitur ex verbis præcedentibus eiusdem Concilij, Ibi. *Ita demum præparat ad remissionem peccatorum*; Non secundum desumptum ex *sess. 6. c. 14.*, quia ibi solum dicitur, quod *pæna æterna, vel Sacramento, vel Sacramenti voto vna cum culpa remittitur*, quod certum est, quia non potest esse vera contritio sine voto Sacramenti saltém implicito; per hoc tamen non euincitur, quod formalitèr remittatur peccatum per votum Sacramenti, sed dumtaxat dispositiuè.

15 Rationes pro hac nostra opinione.

Quartò, euincitur ex nonnullis, non tamen omnibus rationibus pro prima sententia allegatis; non, inquam, omnibus, nam desumpta ex infinitate peccati in nostris principijs, secundum quæ in peccato nullam agnoscimus infinitatem, nec in ratione malitiæ, nec in ratione offensæ, nullam vim habent. Dixi *nonnullis*, præcipuè illis, quibus dicitur, quod iustificatio inhæreat, quod contritio sit dispositio ad iustificationem, quod iustificatio infundatur in cordibus nostris &c: In alijs rationibus pro prima sententia adductis non valdè fidimus; vnde etiam non immoramur in confutandis rationibus, quæ per aduersarios in earum euersione fuerunt adductæ.

Pro complemento ad magis confirmandam conclusionem propositam placet, duo adducere. Primum id, quod satis communitèr circunfertur, nempè iustificationem nostram fieri per habitum, hocque esse de fide, quod satis concludentèr videtur euinci ex *Concil. Trid. sess. 6. c. 7.*; vbi primò dicitur, quod præparationem, & dispositionem, quæ fit per contritionem, subsequatur iustificatio, ergo tanquam effectus iustificatio distinguitur ab ipsa præparatione. Secundò, quia ibi dicitur, quod iustificatio est renouatio interioris hominis per susceptionem gratiæ, & donorum, vnde homo ex iniusto fit iustus. Tertiò, quia causa formalis iustificationis, vt ibidem dicitur, est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit; ex quibus verbis apparet atribui iustificationem iustitiæ, qua nos Deus iustos facit, vnde est opus Dei quo iustitiam eius in nobis recipimus. Quartò, quia ibidem dicitur, quod Spiritus Sanctus hanc iustitiam, qua iustificamur, partiatur prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, ergo est distincta ab ipsa dispositione. Quintò, quia ibi dicitur neminem fieri iustum, nisi, cui merita passionis Domini Iesu Christi communicantur; id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem Sanctissimæ Passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur; hæc autem diffusio non potest esse, nisi per habitum, maximè, cum subdatur; *atque ipsis inhæret*; Neque arbitrandum est, in eo textu Concilij esse solummodo sermonem de iustificatione per Sacramentum, vel de iustificatione respectu paruulorum; Non, inquam, arbitrandum, quia Concilium loquens in præcedentibus capitibus de dispositione requisita ad hanc iustificationem adultorum, adducit textus Sacræ Scripturæ indicantes contritionem etiam extra Sacramentum. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos* Zachariæ primò; *Confide fili remittuntur tibi peccata tua, Matthæi 9., & Marci 2.*, & postea idem *Concilium in cap. 7.* subdit. *Hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa subsequitur*, quod satis indicat, Concilium loqui etiam de iustificatione extra Sacramentum; cæteroqui Concilium ipsum nunquam egisset de iustificatione adultorum extra Sacramentum, & sic esset dimminuta doctrina Concilij in re magni momenti.

16 Iustificatio fit per formam inhærentem.

17. Datur iuxta dispositionem recipientis.

18 Conciliũ Tridentinũ loquitur de iustificatione etiam extra Sacramentũ.

Deinde, quamuis non esset de fide, iustificationem fieri per habitum, denegari tamen non potest, quin hoc sit certius, dum enim versatur dubium, an sit de fide, quod plerique, & sanè sanioris doctrinæ affirmant, emanat, quod saltem proximè acce-

accedat ad eandem, adeoque, quod tutioribus innitatur rationibus.

Secundum est, quod in eandem conclusionem videatur transijsse D. Thomas, cuius auctoritas magni habenda est in similibus controuersijs. Ipse *prima secunda q. 113. art. 8.*, & pluribus alijs in locis sparsim tradit actum contritionis perfectæ esse dispositionem ad iustificationem; dispositio autem non est forma, ad quam disponit; Neque hic audiendus est *Vasquez disp. 203. c. 9.*, dum dicit, D. Thomam intelligendum esse non de dispositione, quæ ex parte efficientis præcedit formam, sed de dispositione ex parte passi, vt recipiat habitum; Non, inquam, audiendus est, quia in primis actus ipse contritionis, vt informatus Diuino auxilio se tenet ex parte principij, sicuti ipsum auxilium, seu motus Dei se tenet ex parte eiusdem. Deinde dato etiam, quod se teneat ex parte passi, cum etiam respectu ipsius sit dispositio ad recipiendum habitum, in quo iuxta mentem Concilij supra explicatam consistit iustificatio, vtique non potest esse eadem iustificatio, cum dispositio non sit forma, ad quam disponit, vt videre etiam est in dispositionibus Physicis se tenentibus ex parte subiecti.

19 Ex mẽte D. Thomæ contritio est dispositio ad gratiam.

ARTICULUS VII.

An actus contritionis perfectæ in homine iusto formalitèr magis ipsum sanctificet, seu habeat rationem formæ magis sanctificantis.

SUMMARIUM.

Rationes suadentes per se augere primam gratiam iustificantem. 1.
Probabilius formalitèr non auget. 2.
Actus ille contritionis in homine iusto non egreditur limites dispositionis. 3.
Si esset forma iustificans augeret gratiam in Beatis, & ius ad gloriam in animabus purgantibus. 4.
Excluditur ratio Turriani volentis augeri gratiam solum extensiuè sine iure ad maiorem gloriam. 5.
Data distinctione habitus charitatis ab habitu gratiæ ille formaliter non sanctificaret. 6.
Actus dilectionis Dei cum auxilio actuali supernaturali potest mereri primam gratiam. 7.
Discrimen inter actum contritionis elicitum ab homine iusto, & elicitum à peccatore. 8.

Nonnulli, quantumuis asserant, actum contritionis non habere rationem formæ iustificantis respectu peccatoris infecti labe læthali, asserunt tamen respectu hominis iusti habere vim formæ ad augendam iustitiam, ad quod asserendum pluribus rationibus mouentur.

Primò, quia, licet actus dilectionis Dei non sit meritorius de condigno primæ gratiæ, ratione tamen personæ iustæ potest esse meritorius augmenti gratiæ, ergo etiam, licet non sit forma potens primò sanctificare, potest tamen esse forma augens sanctitatem. Secundò, quia ex propria conditione actus primus contritionis ordinatur ad auferendum obicem primæ gratiæ, alij vero subsequentes supposita iustificatione ad augendam eandem; non enim esse possunt ad primam, quia illam supponunt. Tertiò, quia, licet primus actus præcedens iustificationem formalitèr non iustificet, hoc est, quia non est actus amici Dei, sed secundus actus, alijque subsequentes iustificationem sunt actus amici Dei, ergo poterunt formalitèr sanctificare, seu augere iustitiam sanctificantem. His tamen non obstantibus sit.

1 Sententia asserẽs formalitèr per se augere gratiã.

Conclusio. Probabilius, seu certius est, huiusmodi actum etiam in homine iusto formalitèr non augere iustitiam, seu non esse formam augentem sanctificationem.

2 Probabilius formalitèr nõ auget.

Probatur primò, quia actus contritionis est eiusdem naturæ, & conditionis elicitus ante iustificationem, ac elicitus post eandem acquisitam, siquidem in vtroque statu est dispositio ad acquirendam iustitiam, ille ad primam gratiam, iste ad augmentum eiusdem, sed elicitus ante iustificationem non iustificat formalitèr, nec est forma inducens primam iustitiam, ergo etiam elicitus post eandem acquisitam non augebit formalitèr, nec erit forma eandem iustitiam adaugens; Neque dicas, actum elicitum post iustificationem acquisitam esse actum amici Dei, elicitum vero ante illam non esse actum amici, ideoque non esse eiusdem naturæ, & conditionis, ac proinde posse in primo casu formalitèr sanctificare; non sic in secundo; Contra enim impugnaberis, quia in primis hoc argumentum nimis probat; probat enim, quod actus contritionis elicitus ex motiuo charitatis neque dispositiuè conferat ad sanctitatem acquirendam in peccatore, siquidem, cum dispositio debeat esse in eodem ordine, in quo est forma, ad quam disponit, sicuti hæc forma non potest esse, nisi ab actu amici Dei, ita, nec illa dispositio. Deinde præexistentia iustificationis per habitum gratiæ dignificat quidem quodamodo actum, qui elicitur ab homine iusto, non tamen reddit ipsum actum ex

3 Non excedit limites dispositionis.

se formalitèr magis iustificantem, ergo maior iustificatio formalitèr non prouenit ab ipso actu contritionis, seu dilectionis Dei, vt informato præcedenti habitu gratiæ, sed ab augmento eiusdem gratiæ, ad quod ipse actus disponit. Antecedens probatur, quia illa maior iustitia, seu augmentum iustitiæ, nec formalitèr competit actui contritionis, seu dilectionis Dei, nec habitui gratiæ præexistentis; non ipsi actui, quia ipse solum est dispositio, non forma; non habitui gratiæ præcedentis, quia ipsa solum habet iustificare formalitèr in eo gradu, in quo est, ergo debet prouenire solum dispositiuè ab vtroque, formalitèr autem ab augmento gratiæ, quod inde producitur.

4 Si esset forma augeret gratiã, & ius ad gloriam in Beatis, & in animabus purgãtibus.

Probatur secundò, quia, si actus dilectionis Dei, seu contritionis esset forma magis sanctificans, seu adaugens sanctitatem, & iustitiam, animæ in purgatorio existentes possent in sanctitate crescere, & acquirere ius ad maiorem gradum gloriæ; sed hoc est contrà communem consensum Ecclesiæ, & Sanctorum PP., ergo non est propriè forma sanctificans, seu adaugens sanctitatem, & iustitiam. Maior probatur, quia animæ in purgatorio existentes possunt elicere actus dilectionis Dei, ergo, si eisdem esset intrinsecè imbibita formalitèr maior sanctificatio, exercentes eosdem actus magis formalitèr sanctificarentur. Confirmatur, quia Beati etiam in patria semper magis, & magis sanctificarentur, quia semper actus dilectionis Dei eliciunt. Neque hic audiendus est, *Turrianus tract. de gratia disp. 4. dub. 17. n. 6.* asserens per actus dilectionis Dei elicitos in purgatorio augeri solummodo sanctitatem extensiuè, quia additur noua forma sanctitatis sine iure ad maiorem gloriam, quod probat suppositione habita, quod habitus charitatis, & gratiæ distinguantur, quorum tamen quilibet sanctificat; vtrique tamen simul non debetur maior gloria; ex quo videtur inferre (sed nescio quomodo) quod in purgatorio augeri possit per huiusmodi actus extensiuè sanctitas sine maiori iure ad gloriam. Non, inquam, audiendus est; nam dato, quod intrinsecè actibus dilectionis Dei, seu contritionis, sit imbibita forma sanctificationis, & huic sit annexum ab intrinseco, & ex natura sua ius ad gloriam independentèr à fauore Dei extrinseco, non video, cur hæc sanctitas formalitèr cum iure ad gloriam per nouos actus dilectionis Dei non debeat augeri, quod secus esset, si se haberent per modum dispositionis, vel meriti; nec illud, quod addit de habitu charitatis, & gratiæ supposita eorundem distinctione quidquam euincit, siquidem ex *Concil. Trident. sess. 6. c. 7.*

5 Excluditur ratio Turriani volẽtis augeri solummodò gratiam extensiuè.

vnica est causa formalis nostræ iustificationis, nempè habitus gratiæ, & data distinctione habitus charitatis ab habitu gratiæ ille seorsim, & se solo non esset forma sanctificans, vt latè, & benè probat *Cacheranus tom. 2. Theologiæ assertiuæ tract. 4. de gratia c. 2. §. 3. n. 24.* præcipuè ex eo, quod forma, quæ secundum præsentem statum iustificat, est iustitia essentialis reddens iustum simplicitèr, & in essendo; huiusmodi autem non est habitus charitatis, qui cum sit virtus rectificat solum in ordine ad operari, non in ordine ad esse. Hæc ferè ad verbum idem Cacheranus.

6 Habitu charitatis, si distingueretur a habitu gratiæ formalitèr n sanctif carec.

Iam satisfaciendum est contrarijs argumentis. Ad primum dicendum est, non ita certum esse, vt supponitur, quod actus contritionis elicitus cum auxilio Dei supernaturali non sit meritorius primæ gratiæ habitualis de condigno, cum plerique id statuant; nam licet non possit quis de condigno mereri auxilium Dei actuale supernaturale, cum hoc sit principium meriti, supposito tamen eodem auxilio actuali non est, cur actus dilectionis Dei eodem informatus non possit mereri primam gratiam habitualem. Deinde dato antecedenti neganda est absolutè consequentia, quia, cum actus dilectionis Dei, & contritionis non habeat ab intrinseco, & ex natura sua vim præstandi formalem, & perfectam iustificationem positiuam non potest hanc conferre in quocunque statu eliciatur; vim etenim, quam non habet ab intrinseco, & ex natura sua non potest conferre; Neque arbitrandum est, vim illam acquirere dependentèr ab habitu præcedentis gratiæ, quandoquidem hic habitus dignificat quidem personam, vt præstet effectum simplicis iustificationis tanquam forma respectu præcedentis actus contritionis, qui ad illam concurrit tanquam dispositio, non tamen secundum se præstat effectum subsequentis maioris iustitiæ, seu augmenti eiusdem, licèt conferre possit per modum dispositionis ad illud augmentum simul cum actu dilectionis subsequentis.

7 Actus dilectionis Dei informatus auxilio actuali Dei potest mereri primã gratiam.

Ad secundum dicendum est, tam actum primum, quam actum secundum dilectionis Dei, seu contritionis conferre ad eundem, seu similem effectum, cum hoc tantum discrimine, quod actus primus ratione subiecti infecti labe peccati mortiferi conferendo gratiam habitualem delet ex consequenti etiam maculam eiusdem peccati, & de iniusto facit iustum; actus vero secundus, cum talem labem non inueniat in subiecto, deletam per primam gratiam, præstat solummodo augmentum eiusdem gratiæ. Cæterum secundum se vterque actus præstat effectum primarium sanctificationis.

8 Discrimen inter actũ contritionis elicitum à iusto & à peccatore.

nis. Dixi *ex conſequenti*, quia prioritate naturæ infuſio gratiæ præcedit expulſionem peccati, cum detur ordo cauſalitatis inter illam, & iſtam.

Ad tertium, iam patet ex dictis, quid ſit reſpondendum.

ARTICULUS VIII.

An ſaltem actus contritionis habeat vim formalitèr mundandi animam à macula peccati venialis.

SUMMARIUM.

1 Rationes ſuadentes formalitèr auferre maculã venialium.

Videtur dicendum, habere abſolutè vim formalitèr auferendi talem maculam, quod multis rationibus probari poteſt. Primò, quia poteſt quis decedere ab hac vita infectus labe peccatorum venialium; ſed hæc labes non poteſt tunc deleri meritoriè, quia in purgatorio non poteſt quis mereri; nec per infuſionem gratiæ habitualis, cum ibi non detur augmentum gratiæ, ergo debet deleri per aliquam formam, quæ in alio non poteſt conſiſtere, niſi in actu dilectionis Dei, qui eſt efficacior alio quocunque actu.

Secundò, quia actus contritionis perfectæ eſt retractatio illius peccati formalitèr, ergo illud formalitèr per ſe ipſum delet. Confirmatur, quia hic actus habet maiorem vim ad coniungendum eum, qui ipſum elicit, Deo, ac habeat peccatum veniale ad ipſum diſiungendum ab eodem Deo, ergo non eſt, ſi eſt retractatio, & coniungit perfectius cum Deo, quam auertat peccatum veniale, cur iſtud formalitèr non deleat.

Tertiò, quia rationes, quæ militant reſpectu peccati læthalis pro negatione remiſſionis eiuſdem formalitèr per actum contritionis, non militant pro negatione remiſſionis peccatorum venialium, ſiquidem hæc non repugnant cum gratia habituali, ſicuti repugnat illud. Item quia actus eliciti ab exiſtente in peccato veniali, ſunt actus amici Dei, non ſic eliciti ab exiſtente in peccato læthali. Item, quia læthalia important auerſionem à Deo, non ſic venialia. His tamen non obſtantibus ſit

2 Probabilius formalitèr nõ delet.

Concluſio. Per actum contritionis perfectæ formalitèr non demitur macula peccati venialis. *Azorius inſtit. mor. part.* 1. *lib.* 4. *c.* 10. *q.* 17., *Suarez tom.* 1. *in* 3. *parte D. Thomæ diſp.* 4. *sect.* 11., *Paludanus in* 4. *diſt.* 16. *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 2.

Ratio ex eo deducitur, quia formalis remiſſio omnium peccatorum in Sacris Scripturis tribuitur Deo, ſiue hoc fiat per infuſionem gratiæ, ſiue per liberam condonationem, ſic *prima Ioannis* 2. dicitur de Chriſto. *Ipſe eſt propitiatio, & hoſtia oblata Patri pro omnibus peccatis noſtris*, & alibi dicitur *Deus peccata remittere, nobis ea non imputare, & regere, eorum non obliuiſci*, & *Gloſa ad Roman.* 4. teſtatur id generatim dici de omnibus peccatis, ergo ipſe actus contritionis non eſt forma ex ſe delens peccata venialia.

3 Remiſſio etiã venialiũ Deo tribuitur.

Secundò, ratio ex eo deducitur, quod actus contritionis per ſe tanquam forma non habet vim expellendi peccatum læthale ex ſuperius probatis, ergo, nec habet vim expellendi peccatum veniale formalitèr. Conſequentia probatur, quia talis actus non eſt contrarius tanquam forma peccato veniali, quod ſic euincitur. Si talis actus contritionis reperiretur in peccatore ſine gratia habituali non remitteret formalitèr veniale peccatum, quia in ſtatu mortalis non fit remiſſio venialis; ſi autem haberet vim formalitèr remittendi veniale, vbicunque eſſet, haberet illam vim, cum haberet, vt forma contrarietatem ad ipſum; Neque dicas, non valere argumentum ab homine peccatore ad hominem iuſtum exiſtentem cum peccato veniali, nam actus dilectionis Dei, ſeu contritionis in homine iuſto eſt actus amici Dei habentis perfectam coniunctionem cum Deo, quam non habet peccator, ſeu exiſtens in peccato læthali; Contra enim impugnaberis, quia actus contritionis, vel habet ſecundum ſe oppoſitionem, ſeu contrarietatem cum peccato veniali, vel non habet; ſi non habet, iam non eſt forma ipſum delens; ſi habet, in quocunque ſtatu reperiatur, illud debet delere; cum formæ contrariæ nequeant ſimul eſſe; nec obſtat, quod ſimul reperiatur in peccatore pecca-

Non cõſideratur vt forma, ſed, vt diſpoſitio.

tum læthale, sine quo, seu cuius remissione non videtur peccatum veniale posse remitti; Non obstat, inquam, quia, si esset forma actus contritionis contraria ipsi peccato veniali, hoc deberet remittere, quod tamen non euenit, vnde dicendum est, quod sit solummodo dispositio.

4 Culpa venialis non inducit præcisè reatum pænæ.

Sed hic remanet explicandum, supposito, quod ipse actus contritionis formalitèr non deleat peccatum veniale, quomodo formalitèr illud deleatur, an per infusionem gratiæ, an per solam acceptationem Dei, seu per condonationem. Aliqui docuerunt culpam venialem nil aliud inducere, nisi reatum pænæ temporaneæ; atque hi sunt *Gabriel in 4. dist. 19. q. 5. art. 1.*, *Almain. in 4. dist. 21. q. 1.*, *Maior in 4. dist. 22. q. 1.*, *Medina de pænit. tract. 2. q. 7.* Iuxta hanc sententiam clarè liquet ad delenda venialia non esse necessariam gratiæ infusionem, sed sufficere satisfactionem pro eadem pæna temporanea. Sed hanc sententiam merito reijciunt Thomistæ cum eorum magistro, quia potest remitti culpa non remissa ex toto pæna. Item, quia, ex eo, quod quis sit subiectus pænæ non dicitur esse in culpa, quia prius origine quis dicitur esse in culpa, ac fit in pæna.

5 Sententia probans nō remitti formalitèr per gratiam

Plures ex Thomistis docuerunt, remissionem venialium necessario non fieri per infusionem gratiæ, & inde probant, quod actibus remissioribus charitatis gratia nequaquam augeatur; venialis autem culpa per actus etiam remissos remittitur. Sed, quamuis hæc sententia possit verum habere, ratio tamen, cui innititur me non mouet; primò, quia ex Sacris Scripturis, auctoritatibus SS. PP., & definitionibus Conciliorum vniuersalitèr, & illimitatè proponitur merces, & gratiæ incrementum cuicunque bono operi elicito in gratia, & ex gratia, quantumuis opus illud non sit valdè intensum, vt cum dicitur. *Euge serue bone in modico fidelis supra multa te constituam*. Secundò, quia supposita sufficienti causa cum debitis conditionibus non est, cur immediatè non debeat sequi effectus; posito autem actu contritionis, seu dilectionis Dei, quamuis remisso cum conditionibus requisitis ponitur sufficiens causa ad productionem correspondentis gratiæ, ergo non est, cur non debeat sequi illud gratiæ augmentum; Neque dicas,

6 Rationes pro hac sententia earumque impugnationes.

negationem productionis illius gratiæ non prouenire ex defectu causæ, sed ex conditione subiecti, in quod recipi deberet; cum etenim hoc intelligatur iam præuiè ratione præcedentis gratiæ magis iustum, ac exigat subsequens actus remissus, non potest per illum recipere intensionem, cum minus intensum non possit magis intensum augere, sicuti, nec simile potest augere sibi simile ex communi Phylosophorum doctrina; Contra enim impugnaberis, quia licet in Physicis simile, seu etiam minus intensum non possit agere in simile, seu magis intensum; hoc tamen fallit in moralibus; quia in Physicis agens intendit assimilare sibi passum, non sic in moralibus, præcipuè, cum in moralibus causa meritoria producat effectum per aliud principium, quod mouet, non per se ipsam. Deinde, si valeret argumentum à Physicis ad moralia, per quemcunque actum etiam intensiorem nunquam posset augeri habitus gratiæ præcedentis, cum hic habitus ex genere suo sit perfectior quocunque actu quantumuis intenso.

7 Sententia asserens remitti solum per infusioné gratiæ.

Alij docuerunt, necessariam esse gratiæ infusionem ad delenda etiam venialia, quia non remittitur peccatum sine gratia remissiua eiusdem; per peccatum etenim, etiam veniale relinquitur in peccante quædam macula, quæ non abstergitur, nisi per gratiam, sicuti non abstergitur macula læthalis, seu à peccato læthali relicta, nisi per eiusdem gratiæ infusionem, cum hoc tantum discrimine, quod macula læthalis abstergitur per primam gratiam, venialis nonnisi per secundam.

8 Sententia docens fieri per extrinsecā Dei cōdonationem supposita contritione.

Alij tandem statuunt remissionem peccatorum venialium fieri per extrinsecam condonationem Dei supposito illo contritionis actu, per acceptationem eiusdem actus in satisfactionem culpæ commissæ. Discrepat hæc sententia ab illa, quæ statuit actum contritionis esse per se formam remissiuam huiusmodi peccatorum venialium, nam hæc non refundit remissionem formalitèr in ipsum actum contritionis, sed in condonationem Dei, seu acceptationem illius actus, & fundamentum desumit ex eo, quod omnium peccatorum remissio in Sacris Scripturis, vt supra dicebamus, Deo adscribitur. Quid iam in hac sententiarum varietate concludendum?

9 Regularitèr fit per infusioné gratiæ.

Sentio regularitèr remissionem venialium fieri formalitèr per infusionem gratiæ, quandoque tamen ratione subiecti fieri per actum contritionis, & Dei remissionem. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod vel in subiecto supponuntur simul adesse cum venialibus læthalia, vel solum adesse venialia; si primum supponatur; cum venialia remitti nequeant sine remissione læthalium per eandem formam, qua delentur læthalia, delentur etiam venialia, & sic per gratiam habitualem, & in hoc consentiunt *D. Bonauentura*, *D. Thomas*, *Alexander*, & *Albertus* apud *Azorium instit. mor. tom. 1. lib. 4. c. 10. q. 7.*; Si supponatur secundum; cum actus contritionis legitimè elicitus sit secundum se meritorius augmenti gratiæ, & hæc non solum sit apta,

apta, sed etiam ordinata ad delenda peccata in subiecto, in quo reperiuntur, non est, cur non debeat ipsa formalitèr remittere, sicut remittit læthalia, vbi hæc reperiuntur. Accedit, quod ipse actus contritionis est meritorius illius remissionis venialium, non ipsa formalis remissio; hanc autem formalem remissionem non alitèr congruentius acquirit, quam per gratiæ infusionem, quam secum trahit ipsa contritio.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod, quandoque ratione status, in quo subiectum reperitur, hoc non est capax nec meriti, nec augmenti gratiæ, cuiusmodi sunt animæ extra statum viæ existentes, ergo, si contigerit has decedere, vel decessisse cum culpis venialibus nondum remissis, cum alitèr earundem remissionem formalitèr acquirere nequeant, ex suaui, & benigna Dei dispositione acceptatis cum actu contritionis satisfactionem ab eisdem exhibitam, consequi arbitrandæ sunt effectiuè ab ipso actu dilectionis, & remissione Diuina; & per hoc respondetur primo argumento partis aduersæ aduersus nostram conclusionem; nam in purgatorio culpa venialis nec demitur per modum meriti, nec per infusionem gratiæ habitualis, sed solum effectiuè per actum dilectionis &c. supposita satisfactione, nec per hoc coincidimus cum sententia contraria asserente per actum contritionis formalitèr demi peccatum veniale, quandoquidem illa refundit talem remissionem in ipsum actum contritionis tanquam in formam; nos vero in hoc casu refundimus in ipsum Deum liberè remittentem supposita satisfactione, & actu dilectionis Dei.

Quandoque ratione subiecti fit per Dei remissionem.

Iam ad alia opposita contra conclusionem respondendum est. Ad secundum (nam quoad primum iam patet responsio ex mox dictis) dicendum est, quod non minus sit retractatio peccati venialis ille actus contritionis, ac sit retractatio peccati læthalis in subiecto lethalitèr peccaminoso; sicuti autem actus contritionis non delet formalitèr peccatum læthale, ita, nec veniale. Cum igitur remissio cuiuscunque peccati sit opus Dei, requiretur quidem in infecto tali labe ipsa retractatio tanquam dispositio ex parte pænitentis, hæc tamen non est forma remittens, quæ haberi debet à Deo, cui tribuitur remissio; vnde dicitur in Oratione Dominica. *Dimitte nobis debita nostra.*

10 Soluuntur rationes aliarum sententiarum.

Ad tertium dicendum est, quod licet non militent pro peccato veniali illæ omnes rationes, quæ militant pro læthali, militat tamen potissima illa ratio fundamentalis, qua omnis remissio cuiuscunque peccati tribuitur bonitati Diuinæ, vnde etiam dicitur, quod non remittatur peccatum, nisi Deus fiat nobis, seu peccatori propitius, iuxta illud 1. Ioannis 2. *Ipse est propitiatio, & hostia oblata pro omnibus peccatis nostris.*

ARTICULUS IX.

An per actum feruentissimum charitatis peccata omnia venialia deleantur.

SUMMARIUM.

Sensus tituli, & considerationes circa ipsum. 1.
Actus feruidus dilectionis Dei aptus est ad omnium peccatorum venialium remissionem. 2.
Dispar ratio de contritione in ordine ad venialia, ac ad læthalia. 3.
In quo consistat ille maior feruor. 4.
Ad remissionem omnium non debet esse complacentia ad aliquod. 5.
Ad remissionem omnium venialium in actu feruido non est necesse, quod tunc cadant omnia sub memoria, & consideratione. 6.
Ad remissionem venialium requiritur pænitentia. 7.
Rationes suadentes, ad hoc requiri expressum actum pænitentiæ. 8.
Congruentius non requiritur hic actus expressus, & formalis, sed sufficit implicitus, & virtualis. 9.

Sensus tituli non est, an actus feruentissimus dilectionis Dei sit forma omnia venialia remittens, nam ex dictis in præcedentibus articulis satis superque constat, non habere vim, & rationem huiusmodi formæ, nec formalitèr peccata delere; sed sensus est, an sit tantæ efficaciæ, & virtutis, vt meritoriè moueat Deum ad omnia remittenda.

Pro solutione aduerte, an ille feruidus charitatis actus contineat detestationem omnium peccatorum venialium seclusa quacunque complacentia, delectatione, & desiderio alicuius, vel aliquorum in particulari, an vero, nec virtute contineat omnium retractationem, sed retento affectu, seu desiderio ad aliquod, vel ad aliqua in particulari. Rursus, an tunc, quando talis actus elicitur, omnia cadant sub memoria, & consideratione elicientis, an vero tunc nullum cadat, vel aliqua dumtaxat sub tali consideratione, & memoria; ex quibus considerationibus oriri possunt rationes diuersimodè decidendi.

1 Variæ considerationes circa illum actum feruentissimũ.

Dico primò, actum dilectionis Dei feruidum aptum esse secundum se ad omnium

peccatorum venialium remissionem, de facto tamen non remittere, seu non obtinere, nisi remissionem illorum, quorum detestationem ipse actus continet virtute. *Durandus in 4. dist. 16. q. 2. n. 9.*, *Sotus in 4. dist. 15. q. 2. art. 1.*, nec in hoc dissentiri videtur *D. Thomas in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. quaestiunc. 2. ad secundum*, dum ait. *Feruor charitatis consumit vel aliqua, vel omnia peccata venialia*. Prima pars, quae procedit de feruido dilectionis actu secundum se simplicitèr, non cum aliqua limitatione siue explicita, siue implicita, ex eo euincitur, quod feruor charitatis imbibitae in actu contritionis est sufficiens dispositio ad mouendum Deum ad omnia venialia remittenda, si sit vniuersalis, & sine aliquo limitatiuo, ergo non est, cur secundum se sumptus non habeat vim omnia venialia remittendi, quia dato sufficienti principio, seu dispositione non est, cur non debeat sequi proportionatus effectus.

2 Secundum se aptus est ad omnium remissionem.

Dices, hunc actus feruorem non requiri, quando est dilectio, quae omnia virtute contineat, nam, sicuti per actum dilectionis quantumuis remissum, seu in quocunque etiam minimo gradu reperiatur, dummodo perueniat ad perfectionem substantialem dilectionis, remittuntur laethalia omnia, ita non est, cur per quemcunque gradum eiusdem, militante fortiori ratione, non debeant omnia venialia remitti. Sed contra, quia dispar omnino est ratio de actu dilectionis Dei in ordine ad laethalia, ac in ordine ad venialia, quia gratia, quae acquiritur per actum contritionis, seu dilectionis Dei, in quocunque gradu sit, de lege saltem ordinaria pugnat cum laethalibus, omniaque habet ex genere suo delere, nec potest cum aliquo compati; gratia autem, quae acquiritur in remissione venialium, cum non pugnet cum venialibus, nisi sit ex aliquo feruenti actu acquisita, potest esse non omnium remissiua.

3 Dispar ratio de contritione in ordine ad venialia, ac ad laethalia.

Vrgebis, ergo maior vis, & efficacia requiritur in actu dilectionis Dei ad remissionem venialium, ac ad remissionem laethalium, siquidem ad illa remittenda sufficit actus contritionis in quocunque gradu etiam remisso, ad ista verò remittenda requiritur actus feruens, quod tamen non videtur dicendum. Sed contra, quia ille maior feruor, seu vis, vt notat *Ledesmius p. 14. q. 28. art. 1. dub. 2.* in alio non consistit, nisi, quod interius eliciens huiusmodi actum velit ex animo in omnibus placere Deo, vel omnia eius mandata seruare, aut ipsi displiceat omne peccatum, aut deinceps omnia peccata vitare intendat; hoc autem specialitèr requiritur pro remissione omnium venialium, non quod, non requiratur etiam pro laethalibus, sed, quia cum peccata venialia possint separatim remitti vnum scilicet sine altero, vtique etiam potest esse detestatio siue explicita, siue implicita aliquorum sine detestatione aliorum, adeoque ad remittenda omnia requiritur ille feruor charitatis consistens in eo, quod in omnibus intendat placere Deo, omnia eius mandata seruare, omnia peccata deuitare. Hoc etiam videtur innuisse *D. Thomas de malo q. 7. art. 11.*, dum dixit, actum charitatis duplicitèr dici feruidum, videlicèt extensione; & intensione, & explicans in quo consistat illa extensio dicit, quod actus extendatur ad plura, cum quis vult Deo in omnibus placere, omnia mandata seruare &c. Hinc

4 In quo cõsistat ille maior feruor.

Secunda pars euincitur, quia non potest esse remissio peccati, vbi est affectus, complacentia, & desiderium illius, ergo illorum duntaxat actus contritionis, seu dilectionis Dei obtinebit remissionem, quorum detestationem virtute continet; illorum autem detestationem nec virtute continet, quorum delectatur, illaque committere constituit, cum respectu istorum adsit obex positiuus ad remissionem obtinendam.

5 Ad remissionẽ omnium non debet esse complacentia ad aliquod.

Dico secundò, ad remissionem omnium venialium in actu feruido iuxta modum explicatum non est necesse, quod tunc omnia cadant sub memoria, & cogitatione. Consentit *D. Thomas in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. quaestiunc. 2. ad 2.*, vbi sic habet. ***Feruor charitatis consumit vel aliqua, vel omnia peccata venialia etiam sine memoria, & cogitatione illorum, quia eo ipso continet displicentiam aliquorum, vel omnium.*** Ratio est, quia eo ipso, quo quis feruidè diligit Deum super omnia, & decernit eius omnia mandata seruare, omniaque peccata euitare, saltem implicitè, & virtute iam omnia commissa detestatur, nec defectus memoriae, & carentia recogitationis super singula venialia officiunt, cum ex D. Thoma aliisque communitèr sufficiat illa sub vniuersali ratione offensae Dei detestari, quinimmo omnia, & singula vix cadere possint sub memoria, & cogitatione.

6 Non est necesse, quod omnia cadant sub memoria.

Ex dictis colligitur, quod ad remissionem venialium requiratur paenitentia saltem implicita, quod etiam innuit *D. Thomas 3. part. q. 87. art. 1.* vbi asserit. *Saepè deleri venialia sine paenitentia, quae est Sacramentum, & non sine paenitentia, quae est virtus*; cum etenim actus dilectionis Dei ad remittenda venialia debeat saltem implicitè, & virtute continere eorum displicentiam, vtique debent etiam eadem ratione, & modo continere paenitentiam, quae in eadem displicentia consistit. Sed, an sit necessarius actus expressus, & formalis eiusdem paenitentiae? *Durandus in 4. dist. 16.*

7 Ad remissionem venialium requiritur paenitentia.

q. 2.

q. 2. n. 9., & dist. 21. q. 1. ad finem, requirit explicitum actum, quem his rationibus moueri existimo; primò, quia per peccatum veniale recedimus a recto rationis ordine; secundò, quia eundem ordinem deformamus; tertiò, quia in eodem veniali voluntatem nostram constituimus, ergo per formalem voluntatis actum ad eundem ordinem debemus accedere, ipsum iterum reformare, & voluntatem priorem à peccato retrahere. Sed communior sententia non agnoscit hanc necessitatem actus formalis, & expressi, & signantèr *D. Bonauentura in 4. dist. 21. art. 1. q. 2., Riccardus in 4. dist. 16. art. 5. q. 1., Scotus in 4. dist. 21. q. 1., Taludanus in 4. dist. 16. q. 1. art. 1., & 2., Gabriel in 4. dist. 16. q. 5. art. 1. not. 2., & 3., Caietanus in tertiam partem D. Thomæ q. 87. art. 1.* Ratio est, quia ad remissionem venialium sufficit, vt ab eisdem spontè, & liberè recedamus; eo autem ipso, quo Deum feruidè super omnia diligimus, spontè recedimus ab eisdem; siquidem amando Deum super omnia, recedimus ab omni eo, quod est quoquo modo contrarium eiusdem amori. Nec obstant, quæ pro Durando ex aduerso afferebantur, quandoquidem ea solum videntur exigere, quod per aliquem actum ab eisdem recedamus, non merè cessemus ab actu peccati venialis; actum autem sufficientèr ponimus, quando Deo nos subijcimus per actum dilectionis super omnia erga eundem, in quo consistit recessus ab eisdem venialibus.

8 Rationes suadentes requiri explicitum actum pœnitentiæ.

9 Sufficit implicitus, & virtualis.

ARTICVLVS X.

De Atritione, & requisitis ad ipsam.

SVMMARIVM.

Variæ acceptiones atritionis. 1.
Non potest esse ex motiuo pure naturali. 2.
Debet esse in eodem ordine, in quo est forma. 3.
Actus merè naturalis non habet proportionem cum forma supernaturali. 4.
Est atritio simul cum Sacramentali confessione proxima dispositio ad gratiam. 5.
Non sufficit, quod sit terminata ad vnum peccatum, sed debet ad omnia lethalia referri. 6.
Terminata ad vnum, & non ad alia non est supernaturalis. 7.
Sufficit, quod sit terminata ad vnum explicitè, & ad alia implicitè, & virtualitèr. 8.
Soluitur obiectum deductum ex D. Thoma. 9.
Debet esse cum voluntate amplius non peccandi. 10.

Atritio in genere, & secundum totam suam latitudinem potest multiplicitèr sumi. Primò, pro dolore peccatorum quomodocunque, & etiam ob finem prauum, qui certè conferre non potest ad remissionem culpæ etiam in Sacramento, cum potius eam adaugeat ob finis prauitatem, à qua specificatur actio. Secundò, pro dolore elicito dumtaxat ex motiuo, & fine naturali, vt cum quis detestatur peccatum, quia est causatiuum ægritudinis, vel alicuius mali naturalis. Tertiò, pro dolore terminato ad aliquod peccatum in indiuiduo, vel etiam in specie, non tamen ad omnia commissa, vt cum quis detestatur sacrilegia, non tamen furta, & alia, in quæ incidit. Quartò, pro dolore quodam inefficaci, qui licet inuoluat displicentiam de peccatis commissis, non tamen inuoluit determinationem voluntatis, siue actualem, siue virtualem abstinendi imposterum ab eisdem. Quintò, pro dolore quodam supernaturali ex motiuo saltem implicitè supernaturali relato ad Deum, vel tanquam ad finem cui, vel tanquam ad Iudicem punientem.

1 Atritio multiplex, & qualis.

Conclusio I. Atritio, prout simul cum Confessione Sacramentali est iustificatiua peccatoris, non potest esse ex motiuo purè naturali. Consentiunt communitèr, & signantèr *Suarez disp. 5. sect. 1., Valentia tom. 4. disp. 7. q. 8. punct. 4., Bellarminus de pænitentia lib. 2. c. 8. prop. 1., & alij communitèr.*

2 Debet esse ex motiuo supernaturali.

Probatur primò. Atritio, vt simul cum Confessione Sacramentali sit sufficiens dispositio ad gratiam, debet esse superuaturalis, ergo debet esse ex motiuo supernaturali. Antecedens probatur, quia dispositio ad aliquam formam debet esse proportionata, & in eodem ordine cum forma, sed forma, ad quam atritio in confessione disponit, est gratia, & vtique in substantia supernaturalis, ergo & ipsa debet esse in ordine supernaturali.

3 Debet esse in eodem ordine, in quo est forma.

Confirmatur, quia ex *Concil. Trident. sess. 6. c. 6.* actus, per quos homines iustificantur, debent esse ex motu, & impulsu Spiritus Sancti, vt homines disponantur ad iustitiam, dum excitati Diuina gratia liberiùs mouentur in Deum; actus autem, qui eliciuntur Diuina gratia excitante, & adiuuante sunt supernaturales, & ex motiuo supernaturali.

Probatur secundò. Actus, qui procedunt ex motiuo merè naturali nullam habent proportionem cum gratia iustificante, sed solum cum fine intento, ex quo procedunt, ergo, cum finis intentus sit tantum naturalis, actus, qui ex eodem procedunt, non possunt attingere effectum supernaturalem, ergo debent habere saltem impli-

4 Actus naturalis, & forma supernaturalis non proportionantur.

implicitè finem supernaturalem, vt effectum gratiæ supernaturalem consequantur.

Quod, si dixeris, atritionem non esse proximam dispositionem ad gratiam in Sacramento, sed esse dispositionem duntaxat ad dignè suscipiendum Sacramentum, sicuti etiam eleemosinæ, & alia pia opera præcedentia disponunt ad dignè suscipiendum, vi cuius postea pænitens iustificatur, non vi eiusdem atritionis, sicuti non iustificatur vi eleemosinarum, aliorumque piorum operum præcedentium, adeoque non esse necesse, vt sit supernaturalis; Statim impugnaberis, quia ex eo, quod sit proxima dispositio ad dignam susceptionem Sacramenti, est etiam dispositio ad gratiam, quæ consequitur ad dignam susceptionem; nec valet argumentum de eleemosinis, alijsque pijs operibus, quia istæ sunt extra rationem Sacramenti; atritio verò ad ipsum pertinet tanquam pars essentialis ipsius; atque his consonat *Concil. Trid. sess.* 14. *c.* 4. vbi expresè asserit, atritionem ad gratiam disponere, Ibi- *Et quamuis sine Sacramento pænitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pænitentiæ impetrandam disponit*; vbi nota, quod non dicit, quod disponat ad impetrandam contritionem, vt volunt Aduersarij, sed ad impetrandam, seu consequendam gratiam. Cæterum, si atritio simul cum Sacramento solum disponeret ad contritionem, media qua peccator gratiam consequeretur, hæc non causaretur ab eadem atritione simul cum Sacramento, sed ab ipsa contritione.

5 Atritio est proxima dispositio non præcisè ad suscipiendū Sacramentū, sed etiā ad gratiam.

Conclusio II. Atritio terminata ad aliquod peccatum in indiuiduo, siue etiam in specie, & non ad alia, non est sufficiens dispositio ad remissionem consequendam. Ab hac neminem arbitror dissentire.

6 Debet esse vniuersalis.

Ratio ex eo deducitur primò, quia, cum peccata læthalia nequeant seorsim remitti, hoc est vnum sine alio, cum gratia remissiua vnius non possit compati cum alio peccato læthali, detestatio, quæ est dispositio ad gratiam, & ad remissionem, non potest esse, nisi vniuersalis, cæteroqui aliquod remitteretur sinæ præuia dispositione, quinimmo cum affectu ad illud, ergo atritio terminata ad vnum, & non ad alia non potest esse valida, & sufficiens ad remissionem. Item gratia non potest esse simul cum aliquo peccato læthali saltem de lege ordinaria, ergo detestatio, quæ est dispositio ad eandem gratiam, non potest esse dispositio valida ad gratiam remissiuam vnius, & non aliorum.

Secundò, quia atritio terminata ad vnum, & non ad alterum peccatum læthale, non potest esse supernaturalis, ergo non erit apta ad remissionem consequendam. Consequentia patet ex supradictis. Antecedens probatur, quia supernaturalitas non potest considerari in actu, qui coniungitur cum affectu opposito ipsi actui, sed quando atritio est terminata ad vnum, & nō ad alterum peccatum læthale coniungitur cum affectu eidem opposito, siquidem, cum non detestetur peccatum, ad quod non refertur, retinet quodamodo affectum ad illud, ergo in eadem non potest considerari supernaturalitas. Maior probatur, quia nequit esse supernaturale, quod est annexum cum affectu ad peccatum.

7 Terminata ad vnum, & non ad alia non est supernaturalis.

Hìc oritur difficultas, an ea, quæ dicta sunt in hac assertione, intelligenda sint, quando atritio terminata ad vnum, nec implicitè, nec explicitè est terminata ad alia, an vero etiam, quando non est terminata ad alia explicitè, est tamen terminata implicitè. Respondeo, intelligenda esse solummodo, quando nec explicitè, nec implicitè relata est ad alia peccata, secus quando implicitè relata est ad alia, quatenus explicitè refertur ad vnum, ad alia verò virtualitèr sub vniuersali ratione offensæ Dei. Ratio est, quia posita detestatione expressa alicuius peccati læthalis in indiuiduo, seu etiam in specie, & implicita aliorum sub vniuersali ratione offensæ intelligitur retractatio voluntatis quoad omnia, cum sub generali detestatione in ratione offensæ implicitè comprehendantur omnia, quæ habent rationem offensæ;

8 Sufficit, quod referatur ad omnia implicitè.

Nec obstant ea, quæ asserit *D. Thomas prima secundæ q.* 113. *art.* 5. *ad tertium*, nempè, quod *in tempore præcedenti iustificationem oportet, vt homo singula peccata, quæ commisit, detestetur, quorum memoriam habet*, *& ex tali consideratione præcedenti subsequitur in anima quidam motus detestantis vniuersalitèr omnia peccata, inter quæ etiam includuntur peccata obliuioni tradita, quia homo in statu illo sic est dispositus, vt etiam de his, quæ non meminit, contereretur, si memoriæ adessent*. Non obstant, inquam, quia nos non negamus præcipuè in ordine ad confessionem prius recolenda esse omnia, & singula peccata, per hoc tamen non tollitur, quin atritio possit esse ad vnum expresè, & ad alia implicitè sub ratione vniuersali offensæ Dei, quod etiam videtur innuisse D. Thomas, dum dicit in illo motu includi etiam peccata oblita, quorum certè non habet expressam detestationem.

9 Soluitur obiectū deductum ex D. Thoma.

Conclusio III. Atritio, quæ inuoluit displicentiam de peccatis commissis non tamen determinationem voluntatis siue actualem, siue virtualem abstinendi imposterum

10 Debet esse cum volūtate nō amplius peccādi.

sterum ab eisdem non est sufficiens ad iustificationem.

Probatur primò, ex Concil. Florent. in decreto Eugenij, vbi habetur, quod *prima pars pænitentiæ sit contritio cum proposito non peccandi de cætero*, quod idem repetit *Tridentinum sess. 6. c. 6., & sess. 14. c. 4.*, & si hoc propositum saltem implicitum requiritur in contritione, vt consequatur effectum, quæ est actus longè perfectior atritione, multo magis requiretur in ista ad acquirendam iustificationem.

Probatur secundò ratione, quia non potest esse valida, & sufficiens ad iustificationem peccatoris displicentia de peccatis, quæ coniungitur cum affectu ad eadem peccata, quæque saltem implicitè non est destructiua affectus ad ipsa; sed, quando atritio non inuoluit determinationem voluntatis, neque explicitam, neque implicitam, neque actualem, neque virtualem abstinendi ab illis inposterum, coniungitur cum affectu ad eadem peccata, neque est destructiua illius affectus, cum hic non tollatur, nisi per actum saltem virtualem contrarium, ergo &c.

ARTICULUS XI.

An atritio ex metu Gehennæ sit honesta, & sufficiens ad iustificationem in Sacramento.

SUMMARIUM.

Duplex articulus examinandus. 1.
Sententia docens, atritionem ex metu Gehennæ esse in radice imperfectam, & potius malam. 2.
Sententia docens, non esse sufficientem etiam in Sacramento ad iustificationem. 3.
Atritio ex metu Gehennæ concepta est secundum se honesta, & bona. 4.
Veritas hac est definita in Concil. Trident. 5.
Est donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti. 6.
Soluuntur rationes contrariæ sententiæ. 7.
Odium pænæ æternæ, & odium culpæ est per se bonum. 8.
Detestans ex tali metu peccatum non præfert bonum proprium Deo. 9.
D. Augustinus non aduersatur sensui nostræ conclusionis. 10.
Obseruantia cælestium mandatorum ex metu gehennæ non est inuoluntaria. 11.
Motus dirigens ad finem vltimum non est impurus. 12.
Atritio ex metu gehennæ in Sacramento est sufficiens ad iustificationem. 13.
Exponitur mens Concil. Trid. 14.
Inaniter inducitur tertia species contritionis. 15.
Aliud fundamentum desumptum ex Concil. Trident. 16.
Duplicem pænitentiam agnouit Concilium Tridentinum in ordine ad baptismum, & qualem. 17.
Exemplum pænitentiæ Niniuitarum quomodo intelligendum. 18.

1 Duplex ratio dubitandi.

TItulus duo præfert discutienda. Primum, an actus atritionis elicitus ex tali metu sit secundum se bonus, & honestus. Secundum supposita bonitate, & honestate, an sit validus, & sufficiens ad iustificationem, non quidem secundum se, sed prout coniungitur cum Sacramento pænitentiæ.

2 Sententia docēs atritionem non esse honestā.

Circa primum, non defuerunt aliqui etiam ex Catholicis, & inter cæteros *Lupus in sua dissertatione dogmatica*, qui asseruerunt, atritionem esse in radice imperfectam, cum oriatur non ex casto Dei, seu iustitiæ, sed ex mercenario amore sui ipsius, quo homo sibi ipsi bene vult esse, non solum in hac vita, sed etiam in futura, esse fontem impurum, quia per ipsam homo non in Deo, sed in se ipso se ipsum diligit, esse intimam, & secretam mentis præparationem, qua homo seruili metu frænatus mallet esse licitum, quod dolet, vetitum, optans non esse Gehennas, quibus a cupiditatum suarum sequela, & adimpletione retardetur; nasci ex proprio amore, quo homo ob illum solum, & non ob Christum Dominum a grauibus peccatis abstinet; tandem timorem omnem citra charitatem esse contritionis fucum, & alia similia.

3 Sententia docens nō esse sufficientē ad iustificationem.

Circa secundum variæ extant rationes, quibus videtur conuincentèr euinci, non sufficientèr huiusmodi atritionem disponere etiam in Sacramento ad gratiam iustificationis. Primò, quia motus ille ex timore gehennæ præcisa dilectione Dei non videtur esse supernaturalis, cum supernaturalitatem non habeat, nec ex obiecto, nec ex motiuo, sub quo procedit; non ex obiecto, cum hoc sint ipsa peccata; non ex motiuo, qui est metus gehennæ, qui secundum se est naturalis, secundò quia *Tridentinum sess. 6. c. 6.* exigit in baptizandis adultis pænitentiam ortam ex dilectione Dei, Ibi- *Disponuntur ad iustitiam, dum excitati Diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes, & à Diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se conuertendo in spem exiguntur fidentes Deum propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata sua per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pænitentiam quam ante baptismum agi oportet*, ergo etiam pæniten-

nitentia requisita ad iustificationem in Sacramento debet oriri ex dilectione Dei; atritio autem, quæ est ex metu gehennæ, non est ex motiuo dilectionis Dei. Ab hac vtraque opinione vendicanda est veritas catholica contra vtramque partem.

4 Est secundum se honesta, & bona.

Conclusio I. Atritio ex metu gehennæ concepta est secundum se honesta, & bona. Adeo certa est, vt communitèr asserant, esse de fide, & inter cæteros *Suarez tom. 4. in tertiam partem D. Thomæ disp. 5. sect. 2.*

5 Euincitur ex Concil. Trid.

Euincitur primò, ex pluribus Concil. Trident. definitionibus, & primò *ex sess. 6. can. 8. Si quis dixerit, Gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei dolendo confugimus, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.* Secundò *ex sess. 14. c. 4.* Ibi *Quoniam vel ex turpitudine peccati, vel ex Gehennæ, & pænarum metu communitèr concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ declarat non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum.* Ex his clarè colligitur, quam insanè processit, dum atritionem ex metu Gehennæ *Lupus loc. cit.*, appellauit eandem fontem impurum, & omnis distorti affectus primam radicem, contritionis fucum &c.

6 Est donũ Dei, & Spiritus Sancti impulsus.

Secundò ratione euincitur, quia motus, qui ex dono Dei, & impulsu Spiritus Sancti auertit à malo, & reducit ad bonum, bonus, & honestus est, sed atritio ex metu gehennæ ex dono Dei, & impulsu Spiritus Sancti auertit à malo, & ad bonum conducit, ergo honesta, & bona est. Confirmatur, actio, quæ fit intuitu æternæ mercedis bona est, & honesta, vt definiuit *Tridentinum sess. 6. can. 31.*, & cecinit *Dauid Psal. 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem*, ergo etiam actio bona, & honesta erit, quæ fit ex metu gehennæ oppositæ æternæ mercedi asserente eodem Dauid. *Confige timore tuo carnes meas; à mandatis enim tuis timui.* Consequentia euincitur, quia non minus honesta est actio conducens ad bonum intuitu premij, ac actio auertens à malo intuitu pænæ.

7 Satisfit rationibus contrarijs.

Iam argumenta contraria veniunt diluenda, quæ nunc propono. Primum est, quia detestatio peccatorum propter pænas inferni non est detestatio propter Deum, sed propter se ipsum, & ita est detestatio, vt, si non adessent huiusmodi pænæ, illa peccata non detestarètur, ergo huiusmodi detestatio non est honesta, vtpotè, quæ præfert bonum detestantis ipsi Deo. Sed contra, quia detestatio peccati ex metu gehennæ duo inuoluit, & odium pænæ æternæ, quod est finis detestantis, & odium culpæ, quod est medium ad illam pænam conducens; vtrumque autem est bonum, cum vtrumque tendat ad finem, ad quem homo est ordinatus, nempè ad vitam æternam, & vtrumque est a Deo præceptum; neque hinc sequuntur ea, quæ in argumento dicebantur, nempè, quod detestans ita detestatur, vt, si pænæ gehennæ non adessent, non detestaretur, & quod præferat bonum proprium ipsi Deo; Non, inquam, sequuntur, quia statuta per legem Diuinam pæna æterna ob culpam læthalem detestatio versatur absolutè circa malum pænale infligendum peccatori ob malum culpæ, non autem sub conditione, si nulla essent pæna irroganda, non detestaretur, ea proportionali ratione, qua exercens actus virtutum, & seruans mandata propter retributionem, non ita exercet, vt, si nulla adessent retributio, illos actus non exerceret, nec seruaret mandata, sed absolutè exercet proptèr retributionem, quæ de facto datur, cæteroqui Dauid, qui inclinauit cor suum ad faciendas iustificationes propter retributionem malè, non sanctè egisset. Non item sequitur, quod detestans peccata ob metum gehennæ præferat bonum proprium Deo, quia detestans talitèr peccata detestatur, vt se ad Deum referat, tanquam ad vltimum finem sub spe veniæ consequendæ, & vt auertat iram eius a se ipso.

8 Odium pænæ, & odium culpę est per se bonum.

9 Nõ præfert bonũ proprium bono Dei.

10 Expenditur dictum D. Augustini.

Secundum est (quod coincidit in idem, quod supra) id, quod circumfertur ex *D. Augustino de natura, & gratia c. 57.* nempè, quod *sub lege sit, qui timore supplicij, quod lex minatur, non amore iustitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi; in ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri possit, non esse, quod timeat, vt liberè faciat, quod occultè desiderat.* Sed contra. Perpendantur verba Augustini; illa præcipuè *nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi*, & dignoscetur, procedere, quando sic pænitens retinet adhuc voluntatem peccandi, in qua voluntate dicit esse reum; Nos autem supponimus, quod illam voluntatem non retineat.

11 Obseruantia mandatorum ex metu pænarũ non est inuolũtaria.

Tertium est, quia metus tollit quoquo modo rationem voluntarij, & constituit inuoluntarium secundum quid, seu inuoluntarium mixtum; inuoluntarium autem secundum quid, seu mixtum licet importet voluntatem ad id, ad quod tendit, inuoluit tamen voluntatem inefficacem ad oppositum, & sic non fit detestatio oppositi. Sed contra, quia, quando metus est iustè incussus, & mouet ad opus cum recta ratione eliciendum, non constituit opus ipsum, quod elicitur, inuoluntarium secundum quid, cæteroqui obseruantia Diuinorum mandatorum ex metu pænarum

esset

esset inuoluntaria secundum quid, quod non videtur dicendum; nec arbitrandum est, quod obseruet conditionatè, ita vt, si non esset pæna, non obseruaret; sed sentiendum est, quod absolutè intendat vitationem pænæ. Dici etiam potest, quod admisso etiam, quod metus admittat inuoluntarium secundum quid, non propterea faceret actum cōditionalem, *si non esset pæna, non seruarem præcepta, nec euitarem opus præceptum*, sed induceret solummodo aliquam displicentiam; vt euenit in casu Susannæ, quæ legem seruauit cum aliquo inuoluntario, quod indicant verba Scripturæ. *Tristitiæ mihi sunt vndique, sed minus malum est incidere in manus hominum, quam Dei*. Quis autem diceret habuisse animum conditionatum non seruandi legem, si non fuisset iniuncta transgressori pæna mortis?

12 Motus dirigens ad Deū assequē dum nō est impurus.

Quartum est, quod in principio articuli fuit insinuatum, quod scilicet dolere de peccatis ob metum gehennæ sit fons impurus, cum sic dolens non in Deo, sed in se ipso se ipsum diligat; & per consequens proferat amorem sui amori Dei. Sed contra; Actus, qui remouet à malo, & dirigit ad Deum tanquam vltimum finem assequendum non potest esse, nec dici fons impurus; huiusmodi autem est atritio, quæ fit ex motu Dei, & impulsu Spiritus Sancti ad obtinendam veniam peccatorum; nec potest dici, quod sic atritus diligat se ipsum in se ipso, non in Deo, nec quod præferat se ipsum Deo, quandoquidem, vtsupra inuebam, detestans sic peccata, detestatur, vt se referat ad Deum tanquam vltimum finem, & vt auertat eius indignationem.

13 Atritio ex metu gehennæ in Sacramento est sufficiens.

Conclusio II. Sola atritio ex metu gehennæ supernaturalis sufficit ad valorem Sacramenti pænitentiæ, & est sufficienter iustificatiua peccatoris. Consentiunt communiter DD. aduersus *Christianum Lupum tom. 5. Sinodorum Generalium, & Prouincialium impresso Brussellis anno 1673.* vbi explicat decreta Gregorij VII. in suo Scholio *pag. 455.*

Probatur primò. Contritio perfecta ex motiuo charitatis non est pars necessaria, & essentialis Sacramenti pænitentiæ, ergo atritio supernaturalis erit pars sufficiēs Sacramenti, & iustificatiua peccatoris. Antecedens probatur, tum quia, si contritio esset pars essētialis, & necessaria, durior esset lex gratiæ, & Euangelica, ac esset lex Mosaica, siquidem in ista ad iustificationem satis erat contritio perfecta, in illa vltra eandem etiam præcepta confessio Sacramentalis; tum quia *Concilium Tridentinum sess. 14. c. 4.* ponit duplicem contritionis speciem sub vno genere contritionis contentam, quod genus definiuit esse sufficiens ad ritè suscipiendum Sacramentum; contritionem scilicet charitate perfectam, & aliam imperfectā, quam vocat atritionem, & solum vtramque in eo distinguit, quod prima iustificat ante actualem susceptionem Sacramenti, non sic secunda, non autem in eo, quod prima sit sufficiens, non sic secunda, cæteroqui Concilium sibi contradiceret, nam primo definiuit genus contritionis, prout vtramq; speciem continet, esse sufficiens ad ritè suscipiendum Sacramentum, & ad iustificationem in eodem, & modo diceret secundam speciem non esse sufficientem. Consequentia primi argumenti probatur, quia, cum duplex tantum species contritionis assignetur, & prima non sit essentialis, altera debet esse sufficiens, secus nec esset huius Sacramenti pars essentialis, nec assignaretur sufficiens, & sic non esset sufficientèr prouisum necessitati Sacramenti.

14 Exponitur sensus in hoc Cōcilij Trident.

15 Inaniter confingitur tertia species contritionis.

Dices, inter duas contritionis species enumeratas mediare tertiam, quæ licet non sit ex formali motiuo charitatis, est tamen coniuncta cum dilectione, & amore Dei, hancque esse sufficientem in Sacramento ad iustificationem, non sic secundam recensitam in probatione, cum hæc præscindat ab eodem Dei amore. Sed contrà gratis omninò confingitur hæc tertia species, quantum ad necessitatem iustificationis, cum Concilium Tridentinum explicans adamussim omnes conditiones requisitas ad valorem Sacramenti, nec verbum quidem de illa fecerit. Deinde possumus admittere atritionem coniungi cum amore concupiscentiæ virtuali Dei, quatenus quicunque sic dolet sperans remissionem peccati, de quo dolet, amat virtualitèr eum, à quo sperat dictam remissionem; sed hic amor est essentialitèr imbibitus cum ipsa atritione, quæ nequit ab ipso præscindere.

16 Noua ratio ex Concilio Trident.

Probatur secundò *ex eodem Tridentino d. sess. 14. c. 4.* vbi explicans conditiones doloris ad valorem Sacramenti requisitas sic habet. *Declarat igitur Sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem à peccato, & vitæ nouæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere iuxta illud. Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum*. Ex quibus vides, illam detestationem sufficere ad Sacramentum, quæ est peccati commissi, & inuoluit odium veteris vitæ cum proposito non peccandi de cætero; sed hæc omnia inuoluit atritio supernaturalis, ergo ista erit sufficiens &c.

Dices primò, Concilium Tridentinum in adultis baptizandis exigit pænitentiam ortam ex dilectione Dei, prout expresse legitur

gitur *seff. 6. c. 6.* Ibi- *Illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt*, ergò etiam atritio præcedens Sacramentum pænitentiæ debet esse ex amore, & dilectione Dei. Sed contra, duplex pænitentia considerari potest in ordine ad baptismum; altera, quæ iustificat ante actualem susceptionem eiusdem baptismi cum voto tamen eiusdem, atque hæc debet esse ex motiuo amoris Dei; altera, quæ iustificat in ipsa baptismi susceptione, & hæc non est necessariò coniuncta cum Dei amore, prout asserit *D. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad quintum*. Ibi- *Vt homo se præparet ad gratiam in baptismo recipiendam prærequiritur fides, sed non charitas, quia sufficit atritio præcedens, etsi non sit contritio;* Concilium autem loco citato debet intelligi de pænitentia primo modo sumpta; & sic rectè procedit comparatio pænitentiæ ad baptismum, ac eiusdem ad Sacramentum pænitentiæ, adeout, sicuti prima, si sit ex amore Dei, iustificet ante susceptionem baptismi, & in susceptione iustificet etiam, si sit simplex atritio, ita secunda, si sit ex tali amore, iustificet ante susceptionem Sacramenti, & in ipsa susceptione iustificet etiam, si sit simplex atritio.

17 Qualem pænitentiam requirat Tridentinum in baptismo.

Dices secundò, *Concilium Tridentinum d. sess. 14. c. 4.* pænitentiam, de qua ibi loquitur, exemplificat in illa, quam præstiterunt Niniuitæ ad Ionæ prædicationem, qua consecuti sunt veniam peccatorum; illa autem pænitentia fuit coniuncta cum dilectione Dei, sine qua misericordiam non obtinuissent, ergo pænitentia requisita ad veniam impetrandam, debet esse ex motiuo amoris Dei, sine quo non poterit obtineri. Sed contra; Concilium loc. cit. loquitur de vtraque contritione, & exemplum Niniuitarum refert ad primam charitate perfectam, cum pro illo statu non esset aliud medium ad veniam impetrandam; per hoc tamen non excludit, quin pro statu præsenti legis gratiæ, & Euangelicæ, in quo instituta sunt Sacramenta, possit per atritionem ab eodem explicatam simul cum Sacramento venia obtineri. Distinguendi sunt igitur status, & iuxta eorum diuersitatem obiectum propositum dirimendum. Niniuitæ ex timore supplicij per Ionam comminati recurrerunt ad medium contritionis perfectæ, quæ erat vnicum pro illo statu, cum tunc non essent Sacramenta instituta; modo verò peccatores ex metu gehennæ recurrunt ad Sacramentum pænitentiæ, quod est medium sufficiens ad veniam obtinendam.

18 Pænitentia Niniuitarū qualis fuerit.

ARTICULUS XII.

An atritio concepta ex turpitudine peccati, & ex metu pænarum temporalium sit sufficiens ad iustificationem.

SUMMARIUM.

Atritio purè naturalis non sufficit. 1.
Rationes suadentes atritionem ex turpitudine peccati esse merè naturalem, & non sufficientem. 2.
Est secundum se sufficiens in Sacramento. 3.
Quid in hoc senserit Tridentinum. 4.
Medium, sub quo procedit, est supernaturale. 5.
Atritio concepta præcisè ex metu pænarum temporalium non est sufficiens ad iustificationem. 6.
Ex obiecto, fine, & medio est naturalis. 7.
Quomodo intelligendum sit Concilium Tridentinum, dum loquitur de his pænis. 8.
Metus pænarum temporalium potest esse occasio veræ atritionis, & quomodo. 9.
Euincitur exemplo Niniuitarum. 10.
Regularitèr huiusmodi metus debet esse pænarum, vt à Deo infligendarum. 11.
Exceptio ad prædicta. 12.

Certum est, atritionem purè naturalem, seu ex motiuo purè naturali non esse sufficientem ad iustificationem etiam in Sacramento, prout latè tradunt *Suarez disp. 5. sect. 1., Valentia tom. 4. disp. 7. q. 8. punct. 4., Bellarminus de pænit. lib. 2. c. 8. prop. 1., & alij communitèr*, & congrua quidem ratione hoc decernitur, quandoquidem actus, qui procedunt ex motiuo, seu fine purè naturali nullam habent proportionem cum gratia iustificante, sed solum cum fine intento, ex quo procedunt, qui, cum sit tantum naturalis, non potest attingere effectum supernaturalem, cuiusmodi est gratia iustificans. Neque obesse potest, si asseratur, atritionem non esse proximam dispositionem ad gratiam, sed esse solummodo dispositionem ad dignè suscipiendum Sacramentum, sicuti etiam eleemosinæ, & alia pia opera præcedentia disponunt ad idem dignè suscipiendum, vi cuius postea pænitens iustificatur non vi præcisè eiusdem atritionis, sicuti, nec iustificatur vi earumdem eleemosinarum, aliorumque piorum operum præcedentium; vnde videtur dicendum, quod posita atritione, & accedente Sacramento fiat pænitens contritus, seu excitetur à Deo ad actum contritionis eliciendum, ex quo iustificetur.

1 Atritio purè naturalis non sufficit.

Non

Non, inquam, obesse potest, quia ex eo, quod sit proxima dispositio ad dignam susceptionem Sacramenti, est etiam dispositio ad gratiam, quæ consequitur ad dignam susceptionem; nec valet argumentum de eleemosinis, alijsque pijs operibus, quia istæ sunt extra rationem Sacramenti, atritio verò ad ipsum pertinet tanquam pars materialis; ex quibus inferre licet, quod, si eadem atritio fuerit merè naturalis, vtpotè nullam habens proportionem cum gratia, nullatenus possit ad eam conducere.

2 Rationes suadentes atritionem ex turpitudine peccati non esse sufficiẽtem.

Ex eo autem, quod motiuum turpitudinis peccati, & metus pænarum temporalium sit secundum se merè naturale, sicuti est ipsum peccatum, & pænæ temporales, videtur simplicitèr dicendum, atritionem ex illis conceptam vtpotè ex motiuis merè temporalibus non esse sufficientem ad iustificationem etiam in Sacramento. Hinc, si quis doleat de peccatis, eo quia sunt causatiua infirmitatis, infamiæ, seu mortis siue naturalis, siue ciuilis, non videtur sufficientèr dolere quoad effectum veniæ consequendæ, cum dolor procedat ex motiuo merè naturali. Nihilominus sit

3 Est secundum se sufficiens in Sacramento.

Conclusio I. Atritio concepta ex turpitudine peccati est secundum se sufficiens in Sacramento pænitentiæ ad iustificationem. In hoc consentiunt communitèr Theologi.

Euincitur primò, *ex Concil. Trident. sess. 14. c. 4.* Ibi- *Contritio imperfecta, quæ atritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex Gehennæ, & pænarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solum, non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis, quo pænitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat.* Ex quibus verbis habes primo, æquè per Concilium tribui vim atritioni conceptæ ex consideratione turpitudinis peccati, ac ex metu Gehennæ, adeoque, si concepta ex isto est sufficiens, etiam sit sufficiens concepta ex illa. Habes secundo conceptam ex turpitudine peccati esse supernaturalem; cum sit donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti mouentis ad iustificationem acquirendam.

4 Euincitur ex Concil. Trid.

Euincitur secundò ratione ex eodem Concilio deducta. Ille dolor est sufficiens ad ritè Sacramentum suscipiendum, qui est detestatio anteactæ vitæ, & inchoatio nouæ cum proposito non peccandi de cætero, vt habetur *in dicto Concil. sess. 14. c. 4.*, sed talis est atritio concepta ex consideratione turpitudinis peccati; qui etenim dolet ex turpitudine eiusdem, illud odio habet, & ab illo ita auersus supponitur, vt ad illud amplius accedere nolle rationabilitèr credatur.

5 Mediũ sub quo procedit est supernaturale.

Sed quomodo poterit dici talis atritio supernaturalis, & relata ad Deum, cum ipsa peccati turpitudo sit quid naturale? Respondendum est cum *Arriaga disp. 11. sect. 2.*, quod quamuis obiectum materiale, & terminatiuum non sit supernaturale, medium tamen, ex quo procedit talis actus atritionis, sit supernaturale, est etenim motus Dei, & impulsus Spiritus Sancti, vt loquitur Trident. Dici etiam potest relata ad Deum, quia, sicuti ipsum peccatum est contra Deum, ita & atritio eidem quoquo modo opposita sit conuersio ad Deum. Deinde, cum peccatum sit contra naturam rationalem, cuius Deus est caput, qui dolet de eodem ob eius turpitudinem saltem implicitè conuertitur ad ipsum Deum, vt auctorem naturæ rationalis.

6 Atritio cõcepta præcisè ex metu pænarũ temporalium non est sufficiẽs.

Conclusio II. Atritio concepta ex metu pænarum temporalium, puta ex infamia, quæ ex peccatis consurgit, ex deterioratione proprij status, ex damnatione ad triremes, vel ad mortem, si secundum se accipiatur, non est apta ad dignè Sacramentum suscipiendum, nec ad iustificationem in eodem Sacramento acquirendam. Dixi, *si secundum se sumatur*, nam, si sumatur cum pænitentia, & voluntate non amplius peccandi, & cum spe veniæ tanquam excitatiuum eiusdem pænitentiæ, quatenus scilicet peccator timore pænarum huiusmodi perteritus accipit occasionem actualitèr de peccatis dolendi, & excludit voluntatem imposterum peccandi cum spe veniæ, non negauerim, posse conferre in Sacramento ad iustificationem. Ita in vniuersum sentire videntur *Nauarrus in Enchirid. c. 1. n. 12., & n. 41., Reginaldus lib. 5. de contrit. c. 6. sect. 2. num. 72., & 73., Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 1. punct. 3. prop. 3. n. 4., & seqq.*

7 Ex obiecto, fine, & medio est naturalis.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia in tali actu simplicitèr, & secundum se sumpto nulla elucet ratio supernaturalitatis, nec relatio ad Deum, nec vlla proportio ad gratiam iustificantem, ergo non est aptus ad dignam, & fructuosam susceptionem Sacramenti, nec ad iustificationem ponendam. Antecedens probatur, quia talis actus nec ex obiecto, nec ex fine, nec ex medio habet supernaturalitatem, & per consequens, nec proportionem ad gratiam; non ex obiecto, quia obiectum talis actus est ipsum peccatum inferens recensita mala naturalia; non ex fine, quia hic est ex motiuo merè humano, & ex amore proprio, non Dei; non ex medio, quia hoc etiam purè humanum est, & naturale.

Dices, *Concilium Tridentinum d. sessione* 14. *c.* 4. æquè enumerat inter motiua atritionis sufficientis ad iustificationem metum pænarum, ac metum Gehennæ, & considerationem turpitudinis peccati,& æquam vim vtrisque tribuit ad iustificandum in Sacramento, Ibi- *Illam vero contritionem imperfectam, quæ atritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex Gehennæ, & pænarum metu &c.* vbi vides distinguere metum Gehennæ a metu aliarum pænarum, quæ non possunt esse, nisi temporales; sed ex supradictis atritio concepta ex metu Gehennæ, & consideratione turpitudinis peccati est sufficiens in Sacramento &c. ergo etiam concepta ex metu aliarum pænarum temporalium. Sed contra, quia inprimis dici potest, quod Concilium ibi nomine pænarum intelligat illas inferni non obstante, quod dixerit *ex metu gehennæ*, & hoc ad clariorem expressionem; nec hoc nouum videri debet, quandoquidem etiam Ecclesia vtitur tali modo exprimendi in oratione ante offertorium in Missis defunctorum, Ibi- *Libera eas de pænis inferni, & de profundo lacu* exprimens & locum, & pænas. Deinde, vbi etiam Concilium loqueretur de pænis temporalibus, intelligendum est cum illis qualitatibus, & conditionibus, quas ibi enumerat, nempè cum voluntate non amplius peccandi, cum spe veniæ ex motu Dei, & impulsu Spiritus Sancti, quæ omnia inferunt supernaturalitatem, & virtute saltem, seu implicitè conuersionem ad Deum, & per hoc potius firmatur secunda pars conclusionis, quam euertatur prima.

8 Sensus Concil. Trid. exponitur.

Ratio secundæ partis ex eo desumitur, quod eo ipso, quod huiusmodi atritio concepta ex metu pænarum temporalium est coniuncta cum voluntate efficaci imposterum non peccandi cum detestatione peccati præteriti, & cum spe veniæ a Deo impetrandæ, habet omnes conditiones à Concilio Tridentino requisitas ad dignè Sacramentum suscipiendum,& est detestatio anteactæ vitæ, & inchoatio nouæ, quæ omnia saltem implicitè, & virtute inuoluunt ordinem ad Deum, ergo non est, cur non debeat esse sufficiens dispositio ad dignam Sacramenti susceptionem.

9 Metus pænarũ temporalium potest esse occasio veræ atritionis, & quomodo.

Vlterius euincitur eadem secunda pars. Ex timore subuersionis ciuitatis, & mortis imminentis Niniuitæ concepto peccatorum dolore per contritionem, quæ eo temporis erat medium necessarium post peccata commissa læthalia ad salutem, consecuti sunt veniam, & tamen subuersio ciuitatis, & mors erat pæna temporalis,ergo ex metu pænarum etiam temporalium concepto dolore de peccatis commissis per atritionem simul cum Sacramento, quæ modo sunt media sufficientia,poterit venia consequi; Verum tamen est, quod hic metus pænarum temporalium sit solummodo excitatiuum, quatenus homo excitatur ad dolorem peccatorum ob timorem pænæ; vnde remissio culpæ non tribuitur formalitèr ipsi timori pænarum, sed dolori peccatorum inde concepto; atque hic est consuetus modus, quo Deus trahit peccatores ad meliorem frugem.

10 Exemplo Niniuitarũ euincitur.

Sed hic oritur difficultas, an hic metus pænarum temporalium, vt atritio sit sufficiens dispositio, debeat necessariò esse de pænis, vt a Deo infligendis, an vero sufficiat, quod sit de pænis ab homine infligendis. *Madernus tract.* 4. *de virtute, & Sacramento pænit. q.* 2. *de contrit., & atrit. art.* 14. *n.* 9. sentit debere esse de pænis, vt à Deo infligendis, eo quia debeat quoquo modo ad Deum referri, vel eum colendo, vel eidem obediendo, vel ipsum timendo, quæ relatio haberi nequit, quando sunt ab homine infligendæ; tum quia pænæ, vt ab homine infligendæ, secundum se non arcent a voluntate peccandi, sed tantum ab actione externa, quæ est ab eodem punibilis. Sed, cum nos supponamus ex vna parte, talem atritionem coniungi cum voluntate non amplius peccandi, & ex alia formalitèr non tribuamus remissionem ipsi timori pænarum, sed dolori inde concepto cum omnibus qualitatibus recensitis, negare non possumus, quod, si etiam sint ab homine infligendæ, si ex illis dolor concipiatur cum eisdem qualitatibus, non sit eidem concedenda remissio; nam licet non habeat illam relationem ad Deum, vt punientem, habet tamen relationem implicitam, & virtute ad ipsum in illa voluntate imposterum non peccandi, & in spe veniæ, quæ non nisi ab ipso potest consequi.

11 Metus pænarũ temporalium debet esse regularitèr, vt infligẽdarum à Deo.

12 Exceptio ad prædicta.

ARTICVLVS XIII.

An atritio essentialitèr differat a contritione.

SVMMARIVM.

Qui docent atritionem etiam procedere ex motiuo charitatis, non videntur ipsam distinguere specie à contritione. 1.

Qui docent differre specie. 2.

Sententes non differre specie ratione eiusdem motiui, nempè pænitentiæ. 3.

Essentialitèr, & in specie differunt. 4.

Concilium Triden. distinguit ratione diuersi motiui. 5.

Non solum dicit atritionem ex metu gehennæ esse honestam, sed etiam in Sacramento

mento disponere ad gratiam. 6.
Atritio, & contritio non differunt solum ratione maioris, vel minoris perfectionis gradualis. 7.
Soluitur obiectum deductum ex eodem Concilio Tridentino. 8.
Item aliud ex eodem deductum. 9.
Quamuis resoluantur in pænitentiam, procedunt tamen ex diuerso motiuo, à quo specificantur. 10.
Illa diuersa motiua, quamuis sint extrinseca pænitentiæ, vt sic, non sunt tamen extrinseca pænitentiæ, vt tali. 11.
Quomodo intelligendum sit, quod quis in Sacramento de atrito fiat contritus. 12.

1 Qui docent nō differre specie ratione eiusdem motiui.

QVi docent atritionem, vt iustificet peccatorem in Sacramento, debere esse dolorem de peccatis ex motiuo charitatis siue elicito, siue imperato, videntur teneri asserere, atritionem à contritione non differre essentialitèr, & specie, sed dumtaxat secundum magis, & minus, cum actus specificentur à motiuo, sub quo tendunt, quod, cum non sit diuersum diuersitate substantiali, non potest gignere actum substantialitèr diuersum, & specie: Sed, cum *Concilium Tridentinum d. sess. 14. c. 4.* distinguat contritionem ab atritione ex eo, quod hæc sit contritio imperfecta, disputant DD., qui sustinent, atritionem debere, vt sit iustificatiua in Sacramento, procedere ex motiuo charitatis, an illa maior, & minor perfectio, quæ reperitur respectiuè in atritione, & contritione sit tantum gradualis, an vero substantialis, intra tamen eandem speciem? *Pontius disp. 41. de virtute pænitentiæ q. 3. de atritione concl. 2. vers. hinc sequitur*, sentit, non esse merè gradualem, sed substantialem, quatenus vnus actus secundum propriam substantiam, & indiuisibilitèr sit perfectior altero.

2 Sententia docēs differre specie.

Contensonius lib. 11. part. 3. dissert. vnica c. 1. de diuis. contritionis vers. hinc sequitur, existimat atritionem, & contritionem non differre specie, cum vtraque ab eadem virtute pænitentiæ procedat; quod, si eidem obijciatur, quod contritio procedat ex motiuo dilectionis Dei, atritio verò ex metu Gehennæ, vel ex turpitudine peccati, respondet hæc motiua esse extrinseca, & accidentalia actui pænitentiæ. Cæterum omnis atritio, & contritio, inquit, debet a virtute pænitentiæ procedere asserente *D. Thoma q. 86. art. 6. ad vltimum*, quod *actus pænitentiæ virtutis habet, quod sine eo non possit fieri remissio culpæ, in quantum est inseparabilis effectus gratiæ, quæ operatur in omnibus Sacramentis*. His tamen non obstantibus fit

3 Sententia docens nō differre specie.

Conclusio. Atritio, & contritio essentialitèr, & in specie differunt. *Camerota tract. 6. de contrit. dub. 2., Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 1. punct. 3. prop. 4. n. 11. per tot., Madernus tract. 4. de virt., & Sacram. pænit. qu. 2. art. 14. num. 4., & per tot.*

4 Essentialitèr differūt.

Probatur primò aduersus primam sententiam asserentem atritionem, vt iustificatiuam in Sacramento pænitentiæ debere procedere ex motiuo charitatis. *Concilium Tridentinum d. sess. 14. c. 4.* distinguens atritionem, seu contritionem imperfectam à perfecta non distinguit ob maiorem, vel minorem perfectionem actus procedentis à motiuo charitatis, sed ob diuersum motiuum, quatenus perfecta procedit ex charitate, imperfecta vero ex metu Gehennæ, vel consideratione turpitudinis peccati, sed actus procedentes ex diuerso in specie motiuo non possunt, non esse in specie diuersi, ergo atritio, & contritio sunt in specie diuersa.

5 Concil. Trid. distinguit ratione diuersi motiui.

Dices primò. Concilium loc. cit. dicere quidem atritionem conceptam ex metu Gehennæ, & pænarum, & consideratione turpitudinis peccati esse actum bonum, & honestum, non autem dicere, esse dispositionem sufficientem ad iustificationem in Sacramento; vnde, vt sit talis, exigit, vt ex alio motiuo charitatis procedat. Sed contra primò, quia Concilium, postquam dixit esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum, subdit, *& quamuis sine Sacramento pænitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pænitentiæ impetrandam disponit*, vbi vides, atritionem ex metu pænarum, & consideratione turpitudinis peccati Concilium dicere dispositionem ad gratiam cum Sacramento pænitentiæ; Neque dicas, Concilium ibi non loqui de dispositione proxima, & vltimata, sed de remota, quatenus hæc disponit ad actum contritionis eliciendum; contra enim impugnaberis, quia inprimis Concilium non dicit huiusmodi atritionem esse dispositionem ad contritionem, sed dispositionem ad gratiam in Sacramento suscipiendam. Deinde Concilium comparat contritionem charitate perfectam tanquā dispositionem ad gratiam suscipiendam extra Sacramentum, ac atritionem conceptam ex metu gehennæ &c. ad eandem suscipiendam in Sacramento, sed illa est dispositio proxima nemine reluctante ad eandem gratiam, ergo, & ista in Sacramento.

6 Et asserit disponere ad gratiam.

Contra secundò, quia, vel nomine maioris perfectionis ratione contritionis ex motiuo charitatis intelligunt aduersarij maiorem perfectionem gradualem, vel maiorem perfectionem substantialem intra eandem

dem

dem speciem; Si maiorem perfectionem in primo sensu, iam non distinguunt contritionem ab atritione, quia iuxta superius dicta contritio non exigit determinatum gradum, sed in quocunque gradu etiam remisso, si perueniat ad naturam contritionis, satis secundum se sit ad iustificationem ponendam; si maiorem perfectionem in secundo sensu; hoc non videtur posse subsistere, quandoquidem intra eandem speciem non possunt dari actus, qui sint intrinsecè, & substantialitèr diuersi, prout latè diximus in quæstionibus de anima, vbi probauimus non dari animam vnam substantialitèr, & intrinsecè diuersam ab alia. Quod, si dixeris, inter ipsas dilectiones, ac contritiones perfectas, quamuis habeant idem motiuum, & obiectum, dari differentiam inæqualitatis perfectionis, siue ex maiori conatu voluntatis, siue ex maiori intensione habitus, & tamen vnusquisque actus siue contritionis, siue dilectionis intelligitur indiuisibilis, ergo etiam &c. Statim impugnaberis, quia talis maior perfectio est solummodo gradualis, & dato etiam, quod esset entitatiua, & substantialis, quæcunque illa sit, erit in linea contritionis perfectæ, vt contradistinctæ ab atritione, quia quæcunque contritio, quantumuis remissa, si sit in linea contritionis, est sufficiens ad delenda omnia læthalia, vt supra probauimus.

7 Perfectio, quæ dicitur maior in contritione non potest intelligi de graduali.

Dices secundò, *idem Concil. Trident.* quamuis *d. sess. 14. c. 4.* loquens de atritione nullam faciat mentionem de dilectione Dei; attamen *sess. 6. c. 6.* inter dispositiones requisitas ad iustificationem ponit, quod quis incipiat diligere Deum. *Illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, ac detestationem, hoc est per eam pænitentiam, quæ ante baptismum agi oportet*, ergo quomodocunque sumatur atritio, ad hoc, vt sit iustificatiua, debet oriri ex dilectione Dei. Sed contra, quia Concilium ibi loquitur de dispositionibus requisitis ad acquirendam iustificationem per baptismum ante actualem susceptionem eiusdem, vt supra dicebamus, non in ipsa susceptione baptismi, ad quam non prærequiritur contritio, vt loquitur *D. Thomas in 4. dist. 6. q. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad quintum*, Ibi. *Vt homo se præparet ad gratiam in baptismo recipiendam prærequiritur fides, sed non charitas, quia sufficit atritio præcedens, & si non sit contritio.*

8 Obiectũ ex Concilio deductum, & dissolutum.

Dices tertiò, Concilium Tridentinum ibi non fecisse mentionem de dilectione, sed tantum de metu Gehennæ, ac de turpitudine peccati, quia ibi arguebat aduersus hæreticos asserentes actum ex illis motiuis conceptum, non esse bonum, nec honestum, adeoque tantum meminit de actu concepto ex illo metu, vt eos confunderet, non de dilectione, cum hæretici de illius bonitate non dubitarent; cæterum Concilium ibi non statuit, actum illum ex metu conceptum à charitate omnino præcisum esse atritionem sufficientem ad iustificationem, & sic atritio, vt iustificatiua debet esse ex motiuo dilectionis Dei. Sed contra, quia Concilium ibidem non solum dicit, talem actum ex metu Gehennæ esse bonum, sed etiam disponere ad gratiam in Sacramento nulla facta mentione dilectionis.

9 Aliud ex eodẽ dissolutum.

Probatur secundò aduersus secundam sententiam Contensonij. Licet tam atritio, quam contritio elicitiuè resoluatur in eandem virtutem pænitentiæ, denegari tamen non potest, quin vtraque procedat ex diuerso motiuo formali, contritio scilicet ex dilectione Dei, atritio vero ex metu Gehennæ, vel consideratione turpitudinis peccati, actus autem specificantur ex diuerso motiuo, sub quo procedunt, ergo, cum respectu vtriusque sint diuersa motiua formalia, erunt actus specie diuersi.

10 Quamuis resoluatur in eandem pœnitentiã procedunt ex diuerso motiuo.

Dices primò quantumuis vtraque ex diuerso motiuo procedat, negari tamen non potest, quin vtraque sit actus pænitentiæ secundum se, cæteroqui ex illis venia peccatorum acquiri non posset, prout loquitur *D. Thomas q. 86. art. 6. ad vltimum. Dicendum, quod actus pænitentiæ virtutis habet, quod sine eo non possit fieri remissio culpæ*; actus autem pænitentiæ non differunt inter se specie, ergo &c. Sed contra, quia licet actus pænitentiæ secundum se sumpti dici non possint differre specie, prout tamen sunt informati diuersa specie virtute saltem inadæquè ratione eiusdem virtutis diuersæ differunt; sic pænitentia, seu dolor de peccatis charitate perfectus specie differt a dolore ex timore pænarum concepto.

Dices secundò, illa motiua ex amore Dei, vel ex Gehennæ metu actui pænitentiæ sunt omnino extrinseca, & accidentalia, ergo ex illis non est desumenda diuersitas specifica. Sed contra; licet sint extrinseca, & accidentalia pænitentiæ vt sic, non sunt tamen extrinseca, & accidentalia pænitentiæ vt tali; nam dolor, vt est contritio perfecta debet esse charitate in Deum informatus, vt vero est atritio debet esse motiuo timoris affectus, & sic, vt tales differunt inter se specie.

11 Nõ sunt extrinseca pænitentiæ vt tali.

Hinc deduci potest, quod, cum huiusmodi actus specie inter se differant, atritio nunquam fieri potest contritio, sicuti homo, quia specie differt a Leone, nunquam potest fieri Leo. Quod, si communiter dicatur,

catur; quod quis in Sacramento de atrito fiat contritus, hoc intelligendum extrinsecè, & ratione effectus, quem vtraque causat, non intrinsecè, & ratione sui, quatenus scilicet, sicuti contritio causat secundum se effectum gratiæ etiam extra Sacramentum cum voto tamen eiusdem, ita atritio simul cum Sacramento causet eundem effectum gratiæ remissiuæ peccatorum.

11 Atritio nunquã potest transire in contritionem.

In hoc nobiscum consentit *Contensonius loc. cit.* quamuis sustineat atritionem non differre specie à contritione, sed incongruè, & non conformitèr ad sua principia, videtur procedere; quod etenim est imperfectum, & solum accidentalitèr diuersum adueniente perfectiori potius perficitur, quam destruatur, sic calor intensus, vt tria adueniente maiori calore intenditur, nec desinit esse.

ARTICULUS XIV.

An atritio putata sit sufficiens ad valorem Sacramenti, quamuis non ad effectum iustificationis.

SUMMARIUM.

Sententia asserens, atritionem putatam esse sufficientem ad valorem Sacramenti, licet non ad fructum. 1.

Non est sufficiens nec ad valorem, nec ad fructum, ac proinde non datur Sacramentum, quod sit validum, & informe. 2.

Atritio vera non solum est dispositio, sed etiam pars essentialis. 3.

Materia putata Eucharistiæ non est materia sufficiens pro illa. 4.

Defectus integritatis culpabilis irritat Sacramentum. 5.

Non currit paritas de alijs Sacramentis, & quarè. 6.

Dolor debet esse vniuersalis. 7.

Non sufficit propositum non peccandi de cætero sine retractatione præcedentium peccatorum. 8.

Non distinguitur duplex dolor, alter, qui sit dispositio, alter qui sit pars. 9.

Qui accederet cum atritione putata, quamuis non consequeretur Sacramentum, non contraheret tamen aliquam noxam: 10.

Cognito defectu teneretur omnia peccata iterum clauibus subijcere. 11.

HIc titulus solet sub alijs terminis communitèr proponi; An scilicet dari possit Sacramentum pænitentiæ validum, quod tamen sit informe; cuius sensus coincidit cum eo, qui à nobis proponitur; ideo enim arbitrari potest validum, quia est cum atritione putata sufficienti, quæ sufficiens non est; informe verò, quia, cum illa dispositio secundum se non sit apta iustificare, vtpotè elicita sine debitis conditionibus, ideo Sacramentum reputetur informe, vtpotè sine effectu gratiæ iustificantis.

1 Sententia asserens esse sufficientem.

Videtur dicendum, vtique atritionem putatam esse sufficientem ad valorem Sacramenti, licet non ad eius effectum, seu, quod idem est, posse dari Sacramentum validum, sed informe, prout sentiunt *D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. quæstiunc. 1.*, *Caietanus tom. 1. opuscul. tract. 5. q. 5.*, *Toletus in summa lib. 3. c. 20.*, *Bonacina de Sacramento pænit. disp. 5. q. 3. punct. 2. n. 11.*, *Suarez disp. 20. sect. 2.*, *Lugus disp. 14. sect. 6.*, *Conetus disp. 10. art. 1.*, & hoc desumpta paritate à cæteris Sacramentis; qui etenim recipit baptismum cum affectu ad aliquod peccatum, validè suscipit, sed non cum effectu gratiæ; qui recipit ordines sine detestatione peccati, validè suscipit, sed informitèr, hoc est sine effectu gratiæ informantis. Nihilominus sit

2 Non est sufficiẽs nec ad fructũ, nec ad valorẽ.

Conclusio. Non potest dari Sacramentum validum, quod sit informe, seu, quod idem est atritio putata, quæ secundum se non sit vera, sicuti non est apta ad fructum Sacramenti pænitentiæ, ita non est apta ad eius valorem. *Gabriel in 4. dist. 17. q. 1. art. 1. dub. 2., & ibi Maior q. 9.*, *Vega lib. 13. in Trident. c. 26., & 34.*, *Vasquez q. 92. art. 2.*, *Coninchus disp. 4. dub. 5., & 11.*, *Turrianus disp. 28. dub. 1.*, *Laiman lib. 5. mor. tract. 6. c. 9.*, *Arriaga tom. 7. de Sacrament. in gen. disp. 11. sect. 1. 2., & 3.*, *Madernus tract. 4. de virt., & Sacram. pænit. q. 4. art. 12. n. 1.*, quamuis hic discrepet in casu, quo quis accedat ad Sacramentum cum dolore supernaturali omnium peccatorum, quorum recordatur, non propter motiuum aliquod vniuersale, sed ob specialem deformitatem, & turpitudinem, quæ reperitur in aliquo speciali peccato, & ex alia parte commiserit alia peccata læthalia, quorum non recordatur.

3 Atritio vera est pars essentialis.

Probatur primò; deficiente aliqua parte substantiali, & essentialitèr requisita ad Sacramentum, Sacramentum ipsum non potest subsistere, sed atritio supernaturalis est pars essentialis, & substantialis Sacramenti, & non mera dispositio, ergo eadem non existente secundum rationes requisitas non potest Sacramentum pænitentiæ subsistere. Minor patet *ex Concil. Trid. d. sess. 14. c. 4.* vbi assignantur partes substantiales huius Sacramenti, & inter cæteras ipsa atritio; Neque dicas, quod quamuis deficiat huiusmodi atritio secundum suum esse verum, & reale, existat tamen secundum existimationẽ, & apprehensionem

sionem confitentis; Contra enim impugnaberis, quia atritio requiritur secundum veritatem, non secundum meram apprehensionem; & sicuti, si in Sacramento Eucharistiæ adhiberetur hostia, quæ reputaretur triticea, & talis secundum se non esset, non validum conficeretur Sacramentum, quia secundum veritatem deficeret pars essentialis materialis, ita, si in Sacramento pænitentiæ adhiberetur atritio, quæ reputaretur sufficiens, & non esset secundum veritatem talis, non validum conficeretur Sacramentum; cum non minus hæc sit pars essentialis materialis pænitentiæ, ac hostia triticea sit pars essentialis materialis Eucharistiæ.

4 Euincitur paritate materiæ Eucharistiæ.

Hoc argumento etiam euincitur, quod non subsistat Sacramentum, quando quis ad illud accedit sine discussione diligenti propriæ conscientiæ, cuius omissio sit culpabilis, cum etiam talis discussio diligens præcipiatur à Tridentino, & pertineat ad integritatem confessionis, quæ etiam est pars eiusdem, & sine eadem valida non sit confessio, quæ vtpotè etiam pars essentialis eiusdem Sacramenti, si deficiat in substantialibus, cuiusmodi est integritas siue materialis, siue formalis ex culpa, reddit irritum Sacramentum. Dixi *ex culpa* à qua non potest præscindi, si non facta fuerit diligens discussio, si hæc fieri potest.

5 Defectus integritatis culpabilis irritat Sacramentũ.

Dices alia Sacramenta validè conferuntur, quantumuis recipiantur cum obice affectus ad aliquod peccatum, vt dicebamus in principio præsentis tituli, ergo non est, cur validè hoc Sacramentum non conferatur, quantumuis non fuerit cum debita dispositione reali, maximè cum fuerit cum putata. Sed contra; neganda est consequentia, quia in reliquis Sacramentis illæ dispositiones non sunt partes essentiales Sacramentorum, sed tantum dispositiones ad dignam, & fructuosam susceptionem, vnde positis requisitis essentialibus non est, cur non debeant esse valida; in Sacramento verò pænitentiæ atritio vera, & supernaturalis, & integritas confessionis sunt partes essentiales, quæ propterea, si deficiant, non constituunt Sacramentum validum.

6 Nõ currit paritas de alijs Sacramẽtis.

Probatur secundò specialitèr contra exceptionem Maderni. Non potest esse dolor sufficiens ad iustificationem, nisi sit vniuersalis; debet enim tendere ad reconciliationem cum Deo, quæ non potest esse quoad aliqua peccata, non quoad alia. Rursus debet esse cum voluntate non amplius peccandi in quacunque materia, ergo debet esse ex motiuo vniuersali excludente quamcunque voluntatem peccandi; Neque dicas cum *Maderno loc. cit. num.* 11., posse peccatorem habere propositum verum non peccandi de cætero, & tamen nõ retractare præterita peccata, vt signantèr eueniret in eo, qui proponeret non peccare de cætero ex motiuo malitiæ, quæ considerari potest in reincidentia in læthale; hic etenim haberet animum non peccandi imposterum; & tamen vi illius actus non retractaret peccata præterita, cum hæc non haberent malitiam reincidentiæ; contra enim impugnaberis, quia, quidquid sit, quod possit dari voluntas non peccandi de cætero sine detestatione præcedentium peccatorum, certum est, quod vt Sacramentum sit validum, requiratur vtrumque copulatiuè, & voluntas scilicet non peccandi de cætero, & detestatio præcedentium, quod optimè innuisse videtur *Tridentinum d. sess.* 14. *c.* 4., vbi non solum requirit propositum non peccandi de cætero, sed etiam odium anteactæ vitæ, quinimmò hoc odium anteactæ vitæ videtur implicitè inuolui in ipsa voluntate non amplius peccandi; qui enim proponit non amplius peccare; ideò proponit, quia nouit peccata esse sibi noxia, & iniuriosa Deo, adeoque omnia detestatur sub tali motiuo. Cæterum ad veram atritionem requisitam ad valorem Sacramenti siue implicitè, siue explicitè exigitur, vt sit odium anteactæ vitæ, & incohatio nouæ per illam voluntatem non amplius peccandi.

7 Dolor vniuersalis requiritur.

8 Nõ sufficit propositum nõ peccandi de cætero sine retractatione præcedentiũ.

Pro solutione argumentorum, quæ fieri possunt contra nostram conclusionem aduerte, atritionem supernaturalem, quæ est pars essentialis materialis Sacramenti esse simul, & semel dispositionem sufficientem ad recipiendam gratiam iustificationis; nec Concilium Tridentinum duplicem dolorem distinguit, & requirit in Sacramento pænitentiæ, alterum, qui sit pars materialis eiusdem, alterum, qui sit dispositio ad gratiam acquirendam, sed esse vnum, & vtrumque, qui indiuisibilitèr præstat vtrumque munus, & effectum, vnde prout est sufficiens ad valorem est etiam sufficiens ad fructum, & vbi non est sufficiens ad fructum, nec est sufficiens ad valorem.

9 Non distinguitur duplex dolor alter, qui sit dispositio, alter pars.

Hinc sequitur primò, quod, si quis accesserit ad Sacramentum bona fide existimans se habere dolorem sufficientem, cum tamen non habeat, non recipiat quidem validè Sacramentum, non tamen sacrilegè excusante a sacrilegio bona fide, cum actio non possit esse peccaminosa, nisi voluntas ad peccatum concurrat. Secundò, quod, si postea peccator cognoscat defectum illius debitæ, & legitimæ atritionis, teneatur omnia peccata tunc confessa in alia confessione repetere *Adrianus in 4. de confes.*

10 Accedens bona fide non cõtraheret aliquam noxam.

confess. q. 4. in fin., *Petrus Soto lib. 10. de confess.*, *Nauarrus c. 9. n. 19.* Neque hic audiendi sunt *Sotus in 4. dist. 18. q. 3. art. 3. concl. 3.*, *Victoria n. 160.*, *Henriquez lib. 5. c. 11. n. 1.*, qui ex quo asserunt, quod, si quis per negligentiam etiam mortalem omiserit peccatum mortale confiteri, reliquorum confessio sit quidem informis, non tamen inualida, videntur etiam teneri asserere, quod eorundem non sit repetenda confessio, sed illius duntaxat, quod fuit per negligentiam mortalem omissum; Non, inquam, audiendi sunt, quandoquidem falsò innituntur principio; ex quo etenim peccator non habet dispositionem vniuersalem ad detestanda omnia peccata (non enim ad illud, quod culpabiliter reticetur, habet oppositam voluntatem) non habet dispositionem sufficientem, quæ ex Concil. Tridentino debet esse vniuersalis, quinimmo, nec intelligitur habere voluntatem illud dimittendi, cum culpabiliter detineat.

11 Cognito defectu omnia peccata essent iterū clauibus subijcienda.

ARTICULUS XV.

An atritio, vt sit iustificatiua, debeat in fide Christi fundari.

SUMMARIUM.

Fides Christi altera explicita, altera implicita, & quid vtraque. 1.
Sententia asserens ex necessitate non debere in eadem fundari. 2.
Atritio, ut sit iustificatiua, debet fundari in fide Christi saltem implicitè. 3.
Euincitur ex Concil. Trid. 4.
Sufficit, si sit implicita. 5.
Sine fide impossibile est placere Deo. 6.
Præcisa fide detestatio peccatorum non esset supernaturalis. 7.

Fides Christi duplex est, altera explicita, altera implicita. Prima, quantùm pertinet ad præsens institutum iuxta *Concilium Tridentinum sess. 6. c. 6.* consistit in eo, quod credamus à Deo iustificari impium per gratiam eius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quatenus credamus Christum propitiatorem per fidem in sanguine ipsius &c. Secunda in eo consistit, quod credamus non posse peccatum aliter remitti, quàm per beneplacitum Dei, & eo modo, quo Deo placet; seu est voluntas Dei, quæ ex *Concil. Trident. sess. 6. c. 7.* est, vt hominibus remittantur peccata per Christi merita. Ibi *Quamquam nemo possit esse iustus, nisi cui merita Passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur.* Dicitur autem hæc fides implicita, eo quia continetur in alio obiecto, nempe in beneplacito Dei.

1 Fides Christi duplex altera implicita, altera explicita.

Videtur in hoc dicendum, non esse necesse, hanc atritionem in Christi fide fundari, eo quia ad deperdendam gratiam sufficit consensus ad obiectum, quod sit contra rationem rectam, ergo etiam ad eandem reassumendam sufficiens erit consensus, seu dolor, quem quis concipit de peccatis, eo quia sunt contra rationem rectam, nam per ea, per quæ quis obstringitur, eius vinculum dissoluitur; Hæc autem habentur, quantumuis in Christo fide non fundentur. His tamen non obstantibus sit

2 Sententia docens nō fundari in tali fide.

Conclusio. Atritio, vt sit iustificatiua necessariò debet in Christi fide siue explicita, siue implicita fundari. In hanc consentit *Reginaldus lib. 5. de contrit. c. 6. sect. 2. n. 74.*, & ab ea arbitror neminem dissentire.

3 Debet in eadē fundari.

Probatur primò, *ex Concil. Trid. sess. 6. c. 6.* vbi dicitur, *disponi ad ipsam iustitiam, dum excitati Diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum credentes vera esse, quæ Diuinitus reuelata, & promissa sunt.* Rursus *fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.* Confirmatur *ex eod. Concil. Trident. d. sess. 14. cap. 4.* vbi ad impetrandam iustificationem requiritur spes veniæ, Ibi *si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ*; rursus, *si cum fiducia Diuinæ misericordiæ*; spes autem non potest esse, nisi per fidem in Christo Domino, cuius merita nobis per fidem applicantur, & communicantur.

4 Euincitur ex Concil. Trid.

Quamuis autem hæc fides per Christum requiratur ad iustificationem, non est tamen necesse, quod hæc sit explicita; sufficit enim, quod sit implicita contenta in obiecto illius fidei quo creditur, quod Deus sit, & inquirentibus se remunerator sit iuxta modum præscriptum ab eodem Deo remunerationis, quæ est per Christum Iesum.

5 Sufficit, si sit implicita.

Probatur secundò, ex illo Apostoli ad Hæbreos 11. *Impossibile est sine fide placere Deo*, ergo etiam sine eadem impossibile erit eidem reconciliari; fides autem per Christum, & in Christo habetur; Neque obstat, si dicatur, fidem non connumerari inter dispositiones substantiales requisitas ad iustificationem in Sacramento; Non obstat, inquam, quia dispositiones aliquæ sunt transcendentes, & vniuersales, aliæ propriæ, & particulares; primæ requiruntur in quocunque opere, vt hoc sit meritorium; secundæ in determinatis actionibus iuxta earum naturam, & conditionem versantur; licet igitur fides non connumeretur inter dispositiones proprias Sacramenti pænitentiæ, prærequiritur tamen

6 Sine fide impossibile est placere Deo.

men tanquam dispositio transcendens, sine qua nullum opus potest esse meritorium, & dispositiuum ad gratiam.

7 Præcisa fide detestatio non esset supernaturalis.

Probatur tertiò, quia præcisa fide detestatio peccatorum ex eo præcisè, quod sint contra rectam rationem non est opus supernaturale, nam hoc etiam præstant Ethnici, ergo illa præcisè secundum hanc rationem sumpta non est dispositio sufficiens ad iustificationem acquirendam, siquidem dispositio merè naturalis non est proportionata effectui supernaturali, cuiusmodi est gratia remissiua peccatorum; atque per hoc eliditur argumentum pro contraria parte adductum.

Pro cuius solutione etiam adde, quod plura requiruntur ad resurgendum à peccato, quam ad ipsum committendum, quandoquidem ad lethale peccatum committendum sufficit libertas humani arbitrij, cum commissio proueniat ex defectu in agendo; ad resurgendum autem requiritur conatus, non quomodocunque, sed ex motu Dei, & Spiritus Sancti impulsu, vt loquitur Concil. Trident.

ARTICULUS XVI.

An contritio cadat sub præcepto, & quonam, & pro quo tempore.

SUMMARIUM.

Loca Scripturæ inducentia præceptum Diuinum. 1.
Contritio cadit etiam sub præcepto naturali. 2.
Sententia asserens, contritionem eliciendam esse statim, ac quis sibi conscius sit se lethaliter peccasse. 3.
Argumentum pro hac sententia deductum à paritate læsionis proximi. 4.
Aliud à ratione præcepti negatiui. 5.
Aliud à periculo grauis damni spiritualis. 6.
Aliud ab auctoritate D. Thomæ. 7.
Sententia asserens non teneri statim conteri, nec statim, ac memoria peccata occurrunt. 8.
Rationes pro hac sententia. 9.
Præfertur hæc secunda sententia. 10.
Præceptum de contritione est affirmatiuum. 11.
Non est perseuerantia positiua in inimicitia Dei. 12.
Paritas de læsione proximi in bonis fortunæ, & famæ nil conuincit. 13.
Præceptum negatiuum, si quod est, in quo consistat. 14.
Periculum solum proximum est vitandum. 15.
Explicantur dicta D. Thomæ. 16.
In periculo mortis, & in quacunque alia necessitate sumendi Sacramenta vrget præceptum contritionis. 17.
Etiam in periculo proximo futuræ amentiæ. 18.
Nomine contritionis venit vel perfecta, vel imperfecta simul cum confessione Sacramentali. 19.
Sententia asserens in articulo mortis sufficere atritionem cum confessione. 20.
Sententia requirens contritionem perfectã. 21.
Præfertur prima sententia. 22.
Atritio cum confessione est remedium omnino certum. 23.
Extra articulum mortis, & necessitatem recipiendi Sacramenta, quandonam obliget varia sententiæ. 24.
Quoad tempus determinatum nil certi potest statui. 25.
Non obligat pro diebus festis. 26.
Non est diu differenda. 27.
Ex præcepto Ecclesiastico per accidens tenetur singulis annis. 28.
Et vrgente graui tentatione aliter insuperabili. 29.

1 Præceptum Diuinum ex Sacris paginis.

Dari præceptum Diuinum de contritione eliciendâ post peccata actualia læthalia commissa est certo certius, iuxta illud Ezechielis 18. *Proijcite à vobis omnes iniquitates vestras, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* Matthæi 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Ioel. 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, fletu, & planctu, & scindite corda vestra.*

Difficultas solum est, an præceptum etiam naturale obliget ad huiusmodi contritionem, & ratio dubitandi ex eo consurgit, quod, cum huiusmodi contritio sit actus supernaturalis, non videtur posse sub naturæ legibus cadere, nam obiectum supernaturale est omnino naturæ ignotum, adeoque non potest ab ea imperari, nec elici. Nihilominus sentiendum est cadere etiam sub præcepto naturali Diuino, nam, si valeret regula præacta, quod obiectum supernaturale non posset cadere sub præcepto naturali, nec etiam de lege naturæ teneremur Deum super omnia diligere, quod est contra communem omnium sententiam, & consensum, cum dilectio Dei super omnia sit actus supernaturalis. Quamobrem dicendum est, quod aliqui actus licet sint supernaturales, ita sint naturæ ipsi consentanei, vt ab ipsa natura præcipi valeant, cuiusmodi est diligere Deum super omnia; Deo offenso satisfacere, & similia, & licet huiusmodi actus naturæ viribus nequeant elici, quia tamen Deus gratiam omnibus oblatam sine hominis culpa non subtrahit; videntur mediante eadem gratia sub hominum potestate constitui.

2 Cadit etiam sub præcepto naturali.

Sup-

Supposito iam præcepto Diuino, & naturali de elicienda contritione post peccata læthalia actualia commissa, suboritur immediatè difficultas, pro quonam tempore obligent huiusmodi præcepta. In hoc video DD. acritèr inter se discrepantes, & quidem vtrique rationibus validis, & æquè efficacibus pugnant. Alij sentiunt, peccatorem statim, ac peccauerit, teneri de peccatis conteri, & statim, ac memoriæ occurrunt; atque pro hac opinione *Contensonius lib. 11. part. 3. dissert. vnica c. 1. de partibus pænit. vers. his tamen non obstantibus* allegat *Alexandrum de Ales, D. Bonauenturam, Siluestrum, Paludanum, & D. Thomam in 4. dist. 17. q. 1. art. 1. quæstiunc. 4., & in supplem. tertiæ partis q. 6. art. 5.* Rationes pro hac sententia sunt huiusmodi. Prima, si quis proximum iniustè læserit, vel in bonis fortunæ, vel in bonis famæ, & honoris, tenetur illico damnum illatum reparare per restitutionem, ergo etiam, si quis Deum, quantum est ex affectu peccantis grauitèr offenderit, tenebitur statim offensam per contritionem reparare. Secunda, tenemur præcepto negatiuo non esse Dei inimici, & esse tales ita est intrinsecè malum, vt nulla ratione, nulloue titulo possit cohonestari, ergo etiam præcepto negatiuo tenemur non perseuerare in Dei inimicitia, cum præceptum negatiuum obliget semper, & ad semper. Tertia, quia pro omni tempore tenemur vitare periculum grauis damni spiritualis, & mortis maximè æternæ; sed qui perseuerat in peccato læthali, non subtrahitur à periculo grauis damnis spiritualis, quinimmo grauioris iuxta illud D. Gregorij. *Peccatum, quod per pænitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit*, & etiam mortis æternæ iuxta illud Ecclesiastici 5. *Ne tardes conuerti ad Dominum; nec differas dè die in diem, subito enim venit ira eius*. Quarta, fundatur in auctoritate *D. Thomæ in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. quæstiunc. 4., & in supplemento 3. part. q. 6. art. 5.* vbi sic. *Respondeo dicendum, quod, cum propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum, quando ad contritionem tenetur, scilicet quando peccata memoriæ occurrunt*. Hoc idem asseruit *secunda secundæ q. 62. art. vlt.* Ibi *Manifestum est autem, quod, nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur statim deserere secundum illud* Ecclesiastici 21. *Quasi à facie colubri fuge peccatum, & ideo tenetur quilibet statim restituere*.

3 Sententia docēs immediatè post peccatum eliciendam esse contritionem.

4 Argumentū deductū è læsione proximi.

5 A ratione præcepti negatiui.

6 A periculo grauis damni.

7 Ab auctoritate D. Thomæ.

Alij è contra sentiunt, non teneri hominem statim, ac peccauit, vel quoties peccata memoriæ occurrunt de illis contritionem elicere; atque hæc etiam opinio rationibus non minus efficacibus innititur, quarum prima est, quod præceptum de contritione, seu pænitentia agenda post commissum peccatum, est affirmatiuum, quod non obligat semper, & ad semper, vt videre est in alijs præceptis affirmatiuis. Secunda, quia non minus est necessaria ad salutem contritio post commissum peccatum, ac sit necessaria fides, dilectio Dei, ac baptismus, sed non tenemur exire in actus fidei, dilectionis Dei semper, & ad semper, nec tenemur nulla interposita mora baptismum suscipere, ergo, nec tenemur statim post peccata commissa conteri. Tertia est, quia nemo etiam timoratorum assolet de huiusmodi omissionibus, seu dilationibus confiteri, & confessarij quantumuis prudentes, & solliciti de ijs non interrogant; signum satis euidens saltem ab extrinseco, quod huiusmodi præceptum non statim obligat: non enim præsumendum est, quod tot cordati viri ita tuto negligerent sine conscientiæ synderesi obseruantiam huius præcepti, si hoc vrgeret. Quid iam in hac controuersia concludendum?

8 Sententia docens nō teneri statim conteri.

9 Rationes pro eadem sententia.

Conclusio I. Præceptum de contritione elicienda post commissa peccata læthalia non obligat statim, nec toties, quoties memoriæ peccata occurrunt. *Durandus in 4. dist. 17. q. 10. n. 5., Angelus verb. contritio, Medina C. de pænit. tract. 1. q. 6., Gonetus disp. 7. art. 5. §. 3., Vasquez q. 86. art. 2. dub. 5., Lugus disp. 7. sect. 11., Amicus disp. 9. n. 15., Arriaga disp. 28. sect. 2. subsect. 1., Madernus tract. 4. de virt., & Sacram. pænit. q. 2. art. 12. num. 2., & alij magis communitèr*.

10 Præfertur hæc secunda sententia.

Probatur primò ratione à priori. Præceptum de contritione elicienda post peccata commissa est affirmatiuum; præcipit enim actum positiuum detestationis peccatorum, & dilectionis Dei super omnia, ergo ad normam aliorum præceptorum affirmatiuorum nec statim, nec semper, & ad semper obligat; Neque dicas, quod de ratione præceptorum huiusmodi sit quidem non obligare semper, & ad semper, non tamen tollere, quin obligent statim, quando aliqua ratio vrget, vt res præcepta statim exequatur; ratio autem vrget, ne quis etiam ad tempus perseueret in Dei inimicitia; Contra enim impugnaberis, quia, cum vt fatentur Aduersarij, non obliget hoc præceptum semper, & ad semper debet determinari tempus, pro quo obliget; quod autem hoc debeat esse statim, ac quis peccauit, nullibi videtur statui; nec vrget ratio adducta de onere non perseuerandi in inimicitia Dei, quandoquidem velle positiuè perseuerare in tali inimicitia, animo scilicet posi-

11 Præceptum est affirmatiuum.

12 Non est perseuerātia positiua in peccato.

positiuo, vt peccatum duret, est quidem contra præceptum naturale, & Diuinum; velle autem negatiuè perseuerare in tali inimicitia, quatenus negligat statim pænitentiam agere, non videtur esse à natura, seu eius legibus statutum; nec talis neglectus videtur secundum se peccaminosus, cum non sit cum affectu ad peccatum, sed tantum cum carentia pænitentiæ ad tempus. Ad confirmationem huius nostræ opinionis plurimum conferunt ea, quæ fuerunt adducta pro secunda sententia.

Potior probatio huius nostræ conclusionis erit solutio obiectorum, quæ in principio fuerunt allata. Primum deductum ex læsione hominis vel in bonis fortunæ, vel famæ non vrget, quia in primis præceptum restitutionis in nostris principijs, quamuis exprimatur nomine positiuo, inuoluit tamen præceptum negatiuum, prout etiam docuit *D. Thomas secunda secundæ q. 62. art. vlt. in responsione ad primum argumentum*; præceptum autem contritionis est affirmatiuum. Deinde diuersa est ratio de læsione proximi in bonis fortunæ, & famæ, ac de offensa Dei; siquidem ex dilatione restitutionis faciendæ proximo ex iniusta læsione imminere potest graue damnum eidem læso; ex dilatione autem pænitentiæ, seu contritionis in offensa Dei nullum eidem damnum potest imminere; Quod, si supponas, quod ex Dei offensa oriatur aliqua iniuria Deo ex dilatione reparationis, puta, quia quis hæresim euomuerit, ex qua alij possent infici, tunc dicendum erit, quod teneatur statim reparare per retractationem immediatam, quia tunc vrget præceptum negatiuum restitutionis, quæ reparatio quoad hunc effectum tollendi damnum, quod extrinsecè imminet Deo ratione infectionis aliorum, qui remoueri possunt ab eius fide, sufficientèr fit per retractationem expressam erroris, etiam, si tunc non eliceretur actus contritionis.

13 Nō currit paritas de læsione proximi.

Secundum etiam non valdè vrget propter eandem rationem, qua respondimus præcedenti obiecto, quandoquidem tenemur quidem præcepto negatiuo non fieri, nec esse Dei inimici positiuè, hoc est non offendere Deum, & positiuè velle in eius offensa perseuerare, non autem negatiuè, quatenus non placeat peccatum, nec perseuerantia in eodem, licet non statim contritionem, seu pænitentiam de eodem eliciat; hoc etenim licet sit præter amicitiam, non est tamen contra amicitiam Dei.

14 Circa quę versetur præceptum negatiuū.

Tertium etiam non valdè nos premit, quia, licet teneamur vitare periculum grauis damni, quando hoc est proximum, & valdè probabile, non tamen, quando remotum est, & probabilitèr non futurum, licet quandoque eueniat; nec allegata Scripturæ, & D. Gregorij loca euincunt præceptum statim conterendi, sed dumtaxat suadent, non differendam pænitentiam, ne mors inopinata pręueniat; vnde, vt infra dicemus in probatione sequentis conclusionis, tunc tantum ex pręcepto tenemur, quando vrget graue, & proximum periculum.

15 Periculum solu proximum est vitandum.

Quartum demum desumptum ex auctoritatibus D. Thomę, licet videatur magnam vim facere ob auctoritatem tanti Doctoris, relinquit tamen valdè dubitandum de eius mente, cum alibi, & pręcipuè *in supplemento ad tertiam partem q. 6. art. 5. ad secundum*, contrarium videatur asserere, Ibi- *Quod non est de necessitate salutis temporalis, vt statim medicus quæratur, nisi quando necessitas curationis incumbit, & similitèr est de morbo spirituali*. Ne igitur dicamus S. D. sibi contradicere, debemus explicare eius dicta pręcedentia, vt intelligenda sint solummodo vel exhortatiuè, vel quoad commissionem peccati, & perseuerantiam positiuam in ipso, vnde refert illud Ecclesiastici 21. *Quasi à facie colubri fuge peccatum*. Cęterum considerando singillatim eius dicta non videntur nostro sensui aduersari; in primo etenim dicit, quod, cum votum confessionis sit annexum contritioni, tunc tale votum est eliciendum, quando elicienda est contritio; Quod, si dicat, hanc eliciendam esse, quando peccata memorię occurrunt, hoc intelligendum est, non quando memorię occurrunt quomodocunque, sed quando occurrunt, vt confessioni subijciantur; tunc etenim elicienda est vel contritio perfecta, vel saltem imperfecta; in secundo vero D. Thomas intelligendus est loqui de perseuerantia positiua, non merè negatiua iuxta modum supra explicatum.

16 Explicantur dicta D. Thomæ.

Eius dicta conciliantur.

Neque dicas, magis cohęrere menti D. Thomę, si explicetur textus pro nobis adductus ex supplemento *ad tertiam partem q. 6. art. 5. ad secundum*, in eum sensum, vt intelligendus sit de actuali confessione Sacramentali, quę non obligat statim, non de ipsa contritione, quam quod allegati textus pro parte aduersa trahantur in sensum nimis abstrusum, & declinantem à verborum, quibus concipiuntur, significatione. Contra enim impugnaberis, quia textus à nobis allegatus facta comparatione morbi corporalis ad spiritualem absolutè dicit, non esse de necessitate salutis corporalis, vt statim medicus queratur, sed tunc solum quando vrget necessitas curationis, & hoc applicat etiam ad salutem spiritualem, Ibi- *Et simi-*

Intelligit de quocunque remedio spirituali.

similitèr est in morbo spirituali, & proinde intelligendus est de quocunque remedio spirituali, siue habeatur per meram contritionem, siue per confessionem Sacramentalem.

Quod, si vrgeas, quod ibidem D. Thomas loquatur de medico quoad morbum corporalem, & propterea intelligendus etiam sit de medico, qui est Confessarius in ordine ad morbum spiritualem, & propterea, quod debeat intelligi solummodo de confessione Sacramentali; Statim impugnaberis, quia potest facilè intelligi de medico principali, qui est Deus, ad quem possit confugere per contritionem, ac de medico minus principali, & instrumentali, qui est Sacerdos per Sacramentalem confessionem; atque hic videtur planior sensus, cum loquatur de curatione quomodocunque, & dicat, non esse eam quærendam, nisi cum necessitas eiusdem vrgeat.

Cum igitur nemine refragante præceptum contritionis obliget, & iuxta mox à nobis exposita non obliget statim, ac pro omni tempore, remanet modo explicandum, pro quonam tempore vrgeat, & obliget. Duplex quoad hoc hominis status considerari potest, alter, quo est in proximo vitę periculo, vel in alio discrimine, vel necessitate exercendi aliquam actionem, ad quam dignè eliciendam requiratur contritio; alter, quo quis extra tale periculum, vel extra illam necessitatem in peccato viuit.

17 In periculo mortis, & in quacunque alia necessitate sumendi Sacramenta vrget hoc præceptum.

Conclusio II. In periculo mortis, vel alterius ęquiualentis discriminis, & etiam in necessitate alicuius, actionis, ad cuius dignam susceptionem requiritur contritio, vrget, & obligat præceptum contritionis. In substantia arbitror in hoc communius conuenire, quamuis aliqui discrepent in modo. D. Thomas *in 4. dist. 17. q. 1., & ibi Durandus q. 10. num. 5., & 6.* relati à *Maderno tract. 3. de virtute, & Sacram. pænit. q. 2. art. 13. n. 2.* sentiunt ex natura rei, & ab intrinseco teneri solummodo in articulo, vel periculo mortis. *Caietanus in summa verb. contritio, Medina C. de pænit. tract. 1. q. 60. art. primo, Sotus in 4. dist. 17. q. 2. art. 6.* sentiunt in alijs casibus à nobis recensitis, & alijs recensendis teneri quidem non ab intrinseco, & ex natura rei, sed per accidens.

Probatur. Contritio ad eum finem, & effectum inducta est, vt per ipsam post peccatum reconciliemus nos Deo, & vitemus mortem ęternam nobis debitam post idem peccatum, ergo tunc potissimum elicienda est, quando imminet periculum proximum eiusdem mortis ęternę; adeout, si non eliciatur, eadem mors sit moralitèr certò secutura, sed hoc periculum vrget imminente morte corporali, ergo tunc est ex necessitate eadem contritio elicienda. Confirmatur, tunc est ex necessitate elicienda contritio, quando, si tunc non eliceretur, non posset amplius elici, sed, si imminente morte non eliceretur, non posset amplius elici, cum post illam non detur spacium pęnitentię, ergo &c.

18 Etiam in periculo perpetuæ amentiæ.

Hoc eodem argumento euincitur, quod, si adesset proximum, & probabile periculum perpetuę amentię teneatur non solum, quia hęc ęquiualet morti, sed etiam, quia, si tunc non eliceretur, non posset amplius elici, cum ipsa amentia tollat rationem voluntarij, & reddat impotentem peccatorem ad legitimè conterendum.

Sancta sunt sanctè pertractanda.

Probatur secundò, quando elicienda est actio, ad cuius dignam susceptionem prærequiritur gratia. Ex præcepto Diuino, & ex natura Sacramentorum Sancta sunt sanctè pertractanda, vt latè probauimus, dum de Sacramentis in genere loquendo de Sacramentis viuorum, quę supponunt vitam in exercentibus, & suscipientibus, ergo existente peccato lęthali ad hoc, vt quis se constituat in statu, quo sanctè eadem Sacramenta possit tractare vel exercendo, vel suscipiendo, debet se disponere ad gratiam necessariam ad dignam ipsorum susceptionem.

19 Nomine contritionis venit perfecta, vel imperfecta cū confessione.

Dices, in casu susceptionis Sacramentorum potest peccator se disponere per atritionem simul cum confessione Sacramentali, ergo non est necessaria contritio ad hunc effectum. Sed contra, quia nomine contritionis intelligimus vel eam perfectam charitate secundum se, vel eandem imperfectam simul cum confessione Sacramentali; finis etenim legis præcipientis in hac hypothesi contritionem, eo tendit, vt dignè Sacramenta exerceantur, vel percipiantur, qui finis ęque habetur per contritionem perfectam, ac per imperfectam simul cum confessione Sacramentali; quinimmo consultius eadem Sacramenta exerceantur, vel recipiuntur pręmissa confessione Sacramentali, ac pręmissa contritione.

20 Sententia asserens in articulo mortis sufficere atritionem cū confessione.

Hic suboritur difficultas, an constitutus in articulo mortis sufficientèr adimpleat hoc pręceptum per confessionem Sacramentalem simul cum atritione, an vero requiratur absolutè contritio. In hoc video DD. inter se altercantes. *Fagundez in 2. præcepto lib. 2. c. 4. n. 13., Laiman lib. 5. mor. tract. 6. c. 3. n. 6., Turrianus in select. part. 1. disp. 21. dub. 2., & alij plures,* sentiunt sufficere atritionem cum Sacramentali confessione. Ex aduerso *Suarez disp. 15. sect. 4. n. 17., Tannerus tom. 4. disp. 6. q. 6.*

q.6. dub. 3., *Coninchus disp. 3. dub. 1.*, *Gonetus disp. 7. n. 103.*, *Arriaga disp. 17. n. 25.* sustinent adhuc requiri contritionem, sine qua non adimpleretur præceptum. Sentiendum existimo pro adimplemento huius præcepti sufficere atritionem simul cum confessione Sacramentali.

21 Sententia requirens pro illo articulo contritionem.

Ratio ex eo deducitur, quod atritio in Sacramento idem præstat, quod contritio secundum se extra Sacramentum, ergo per eandem atritionem habetur, quidquid haberi potest per contritionem, adeoque per illam sufficienter satisfit fini talis præcepti; Neque dicas, non sufficere, quod quis in articulo mortis sit constitutus iustus; nam adhuc tenetur ex præcepto elicere actum amoris Dei, ergo, si fuerit peccator ex cognitione, & memoria eiusdem tenebitur elicere actum contritionis, quia stante memoria talis peccati, non potest elicere actum dilectionis Dei, nisi doleat de eodem peccato, adeoque conteratur; Contra enim impugnaberis, quia, cum atritio secundum se, si sit supernaturalis, sit simul cum Sacramento sufficiens ad iustificationem, quantum ad effectum intentum in tali lege, satisfacit eidem legi. Quod deinde requiratur, quod in articulo mortis homo se per actum dilectionis Dei eidem se coniungat, est ex alio præcepto charitatis, cui satisfacere potest post acceptam Sacramentalem absolutionem, non ex virtute, & præcepto pœnitentiæ.

22 Præfertur prima sententia.

Vrgebis, in illo mortis articulo tenetur quis tutioribus remedijs sibi consulere; adeoque conuerti ad contritionem tanquam certiorem dispositionem, & tutius salutis remedium, ne eadem salus periclitetur. Sed contra, cum post *Concil. Trident. sess. 14. c. 4.* sit omnino certum per atritionem simul cum confessione Sacramentali iustificari impium, non videtur amplius hæsitandum de valore, & efficacia Sacramenti posita eadem atritione, si sit supernaturalis, & in ipsa potest conscientia quiescere, quæ cæteroqui nimis agitaretur, si requireretur contritio, semper anxia, an ad eius perfectionem peruenerit. Fateor quidem, quod rectius ageret pœnitens, si conaretur ad actum perfectæ contritionis eliciendum, tum quia magis meritorius est; tum quia per talem conatum, quantumuis non perueniret ad substantiam, & perfectionem contritionis, redderet tamen magis tutam ipsam atritionem.

23 Atritio cum confessione est remedium omnino certum.

Hinc deduces primò cum *D. Thoma in 4. dist. 17. q. 1.* in casibus periculi mortis, & perpetuæ amentiæ obligari peccatorem ad contritionem eliciendam ex natura rei, & ab intrinseco. Secundò in casu actionis exigentis statum gratiæ obligare tantum per accidens, hoc est non ratione sui, sed ratione illius actionis, quæ exercenda est, & hoc est, quod innuit *Caietanus supra allegatus in verb. contritio*, & cum eo *Medina, C. de pænit. tract. 1. q. 60. art. 1.*

Nonnullæ illationes ex prædictis.

Extra recensitos casus articuli, seu periculi mortis imminentis, & actionis ad sui executionem requirentis statum gratiæ loquendo de tempore vitæ extra tale periculum oritur hic difficultas, an præceptum huiusmodi obliget pro aliquo determinato tempore, & pro quonam? *Arriaga disp. 18. sect. 3.* existimat hoc præceptum obligare pro singulis annis. *Coninchus de charitate disp. 24. dub. 3. n. 53.*, *Lugus disp. 7. sect. 11. §. 2. n. 253.* allegati à *Maderno tract. 4. de virtute, & Sacram. pænit. q. 2. art. 13. n. 5.* extendunt ad maius spacium obligationem, nempè ad duos, vel tres annos. Nonnulli, inter quos Sotus, & Gabriel allegati à *Contensonio lib. 11. part. 3. dissert. vnica c. 1. sub tit. de præcept. contritionis vers. secundum, quod elicio*; est, strictius procedentes asserunt hoc præceptum obligare pro omnibus diebus festis, & præcipuè Dominicis, quorum opinio fundari videtur in illo *Leuitici c. 16.* Ibi *In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris, coram Domino mundabimini; Sabbatum enim requietionis est, & affligetis animas vestras Religione perpetua.* Rursus *ibid. c. 23. Affligetis animas vestras, omne opus seruile non facietis in tempore diei huius; omnis anima, quæ afflicta non fuerit in die hac, peribit de populo suo.* Alij tandem asserunt, vrgere hoc præceptum quoties vrget aliqua grauis tentatio, quæ aliter superari nequeat. Quid iam in hoc concludendum?

24 Variæ sententiæ circa tempus, quo obligat extra casum mortis.

Conclusio III. Tempus, pro quo ex genere suo, & ex natura rei extra periculum mortis, vel perpetuæ amentiæ obligat hoc præceptum, non potest certum assignari, nec congruè ex necessitate assignari possunt dies festi; non diu tamen est differenda eius obseruantia; ex præcepto verò Ecclesiastico contritio saltem æquiualens quoad effectum intentum non differenda est vltra annum, nec quando vrget grauis tentatio, quæ sine ipsa superari nequeat.

25 Quoad tempus determinatum nil certi potest statui.

Probatur quoad primam partem, quod scilicet quoad obligationem ex natura rei nequeat certum tempus assignari, quia nullibi constat de determinato tempore talis obligationis; non enim tenetur peccator statim, ac peccatum commiserit, prout supra probatum est; nec semper, nec ad semper, cum hoc præceptum sit affirmatiuum, non negatiuum; aliud tempus certum non est assignatum, nec in Sacris Scrip-

Scripturis, nec potest ratione assignari, quia non est maior ratio de vno, ac de alio tempore.

26 Non obligat pro omnibus diebus festis.

Probatur secundò, quod non obliget pro omnibus diebus festis, & pręcipuè Dominicis, quia opera pręscripta pro illis diebus sunt cessatio ab operibus seruilibus, vt possit quis Deo vacare in orationibus, & auditio sacri, nec alicubi reperitur, quod pro illis diebus pręcipiatur contritio, ergo illa ex necessitate pręcepti non est pro illis elicienda; Neque dicas, finem intentum in illis pręceptis operibus pro diebus festis esse in ordine ad reconciliationem cum Deo per expiationem peccatorum, quę haberi nequit sine contritione; contra enim impugnaberis, quia, quidquid sit de illo fine, ipso tamen admisso, nihil per hanc instantiam euincitur, nam, cum finis legis non cadat sub lege, quamuis finis ipse non acquiratur, adhuc, si opera pręcepta exequantur, pręceptum ipsum completur. Certè finis cuiuscunque legis est charitas, finis imperati ieiunij est eleuatio mentis in Deum; Quis autem diceret pręceptum nullum implere, qui opus imperatum eliceret, non tamen mentem dirigeret in Deum summè dilectum? Quis diceret ieiunij pręceptum non seruare, qui animum ad celestes contemplationes non erigeret? Nec loca Leuitici allegata quidquam euincunt, quia in illis pręcipiebantur ceremonialia, & legalia, quę per legem Euangelicam sunt abrogata. Quod, si in ea parte, qua dicitur, animas affligendas, & expurgandas videantur continere quodamodo legem naturę, quę non est abolita per legem gratię, dicendum est, continere quidem legem naturę quoad afflictionem, & contritionem animę simpliciter, & quoad substantiam, non autem quoad tempus illud determinatum, & quoad modum ibi pręscriptum, quę sunt merè ceremonialia. Deinde, si ibi erat assignatum certum tempus expiationis, modò est assignatum certum tempus ab Ecclesia, nempè annuę confessionis, quę successit illi pręcepto, sed de hoc infra.

Soluuntur rationes oppositæ.

27 Non est diu differenda.

Probatur tertiò, quod diu non sit differenda, quia scilicet illa diuturna dilatio cederet quodamodo in iniuriam Dei, & in graue damnum eiusdem differentis; in iniuriam Dei affectiuè, quia importat neglectum amicitię Dei, & quodamodo eiusdem contemptum, maximè eodem excitante, & mouente; vnde *Apostolus ad Romanos 2. Ignoras*, inquit, *quoniam benignitas Dei ad pænitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impænitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ*; in graue damnum eiusdem differentis, quia versatur in periculo damnationis ęternę, in iactura grauissima spiritualium bonorum, in periculo recidendi, & indurationis in malo, vnde *D. Gregorius homil. 11. in Ezechielem*, habet. *Peccatorem diu expectat Deus, vt redeat, non redeunti, atque contemnenti ponit offendiculum, vbi grauius impingat.*

28 Ex præcepto Ecclesiastico per accidens tenetur singulis annis.

Probatur quartò, quod ex pręcepto Ecclesiastico non sit vltra annum differenda. Ex pręcepto Ecclesiastico tenemur ad annuam confessionem, ergo etiam ad annuam contritionem saltèm ęquiualentem. Consequentia tenet, quia dignam confessionem habere non possumus, nisi præexistente saltem atritione supernaturali, quæ simul cum eadem confessione præstat effectum, quem præstat ipsa contritio secundum se, etiam extra Sacramentum, quod est æquiualere contritioni; vnde hinc possumus dicere, quod præceptum, quod indefinitum quoad tempus Deus contulit de contritione, Ecclesia eius interpres determinauerit ad singulos annos, ea proportionali ratione, qua præceptum de confessione, & communione indefinitũ restrixit ad annuam. Sed hæc ratio probat solummodò teneri per accidens ratione scilicet confessionis habendæ singulis annis conteri. Sed, an teneatur per se, & ex natura rei non euincit; vnde remanet adhuc explicandum, an per se obliget pro aliquo determinato tempore, & pro quonam. Mihi adhuc non constat. Remittendum arbitror regulato prudentum confessariorum iuditio, qui pensatis omnibus decernat.

29 Et vrgente graui tentatione aliter insuperabili.

Probatur tandem, quod elicienda sit contritio, quando vrget grauis tentatio sine eadem moraliter insuperabilis. Ad euitanda mala culpæ tenetur quisque omnibus modis periculo eorum occurrere, ergo quando sunt imminentia, nec possunt aliter euitari, nisi per actum contritionis, tenebitur illam elicere.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

De confessione altera parte materia proxima.

ALtera inter partes materiales Sacramenti pœnitentiæ recensitas à *Concilio Trid. sess.* 14. *can.* 4. est confessio, cuius naturam, qualitates, & conditiones in præsenti quæstione assumimus examinandas, eiusque conuenientiam, & necessitatem contra hæreticam prauitatem propugnandam. Procedit autem titulus non de confessione quomodocunque accepta, sed de eadem, prout est Sacramentalis, & pars Sacramenti, quæ propterea debet habere omnes conditiones, quas in processu eiusdem quæstionis recensebimus.

ARTICULUS I.

An confessio sit de iure Diuino, & an omni tempore post Christum natum viguerit.

SVMMARIVM.

Prima hæresis docens, confessionem esse humanum inuentum. 1.
Secunda docens, sufficere peccata confiteri Deo, non Sacerdoti. 2.
Tertia docens, non præequiri examen conscientiæ. 3.
Confutatur primus error ex Sacris Scripturis. 4.
Ex definitionibus Conciliorum. 5.
Reprobatur etiam secundus error ex Scripturis, & Concilijs. 6.
Vendicatur à nota Nestarius Archiepiscopus Constantinopolitanus. 7.
Item D. Ioannes Chrysostomus. 8.
Euincitur necessitas contra Viclephum. 9.
Vsus confessionis Sacramentalis inualuit à tempore Apostolorum. 10.
Ostenditur necessitas discussionis, seu examinis conscientiæ. 11.

1 Prima hæresis docens confessionem esse humanum inuentum.

NVnc nobis aduersus hæreticos colluctatio habenda est, & veritas catholica propugnanda. Plures circa eandem confessionem, hæreses exortæ sunt. Prima docet, eandem à Deo minimè institutam, sed esse merum hominum inuentum. Auctor huius falsitatis fuit quidam Petrus Hispanus Oxomensis in Salmantina Vniuersitate Teologiæ professor, qui postea hanc hæresim, & alias, quas euomuerat, retractauit. Huic accessit Caluinus, qui in suo Tridentini supra omne venenum pestifero antidoto tradidit, nullum post annos mille à Christo nato fuisse in Ecclesia confessionis vsum, donec, inquit, *Innocentius III. cum pauculis cornutis bestijs* (hoc nomine appellat Sacros Antistites in Concilio Lateranensi congregatos) *laqueum hunc populo Christiano induxit, quem Tridentini Patres adstringunt*.

2 Secunda docēs sufficere peccata confiteri Deo.

Secunda hæresis docuit, non esse necessarium confiteri peccata Sacerdoti, sed soli Deo. Auctor fuit quidam Iacobus Sirus apud Antiochiam ortus obscuris quidem natalibus, & propterea dictus Zanzalus. Hanc postea secutus est Lutherus; atque eidem opitulari Nestarium Archiepiscopum Constantinopolitanum successorem Gregorij Nazianzeni, & Antecessorem Chrysostomi, & ipsum Chrysostomum dixerunt *Socrates lib.* 5. *c.* 19., & *Sozomenus lib.* 7. *c.* 16.: Hanc etiam docuit Viclephus, dum dixit confessionem esse superfluam.

3 Tertia docens nō præquiri consciētiæ examen.

Tertia hæresis, quamuis videatur admittere confessionem, asserit tamen ante confessionem necessariam non esse examinationem omnium suorum peccatorum; atque huius falsitatis auctor fuit flagitiosissimus Lutherus, cui postea adhæserunt eius sectatores.

Verum hi omnes errores euidentèr conuincuntur falsitatis, tum ex Sacris Scripturis, tum ex Conciliorum definitionibus; ex Sacris Scripturis euincitur falsitas primi, quod confessio non sit à Deo instituta præcipuè ex illo *Ioannis* 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* ex quibus verbis colligo manifestè præceptum Diuinum ordinans confessionem sic. Apostolis, & Sacerdotibus per allegata verba collata est potestas remittendi, & retinendi peccata, sed hoc inducit necessitatem subijciendi peccata, ergo &c. Minor probatur, quia potestas hæc remittendi, & retinendi non est potestas quædam legislatiua, quæ residet tantum penes supremum, vel ad comminandum, vel ad leges stabiliendas sine vlla causæ cognitione, sed est potestas quædam iudicialis, quæ exerceri debet ex causæ cognitione, sed hæc potestas exerceri nequit, nisi deferatur peccatorum causa clauibus, seu confessioni, ergo &c.

4 Confutatur primus error ex Sacris Scripturis.

5 Ex definitionibus Cōciliorū.

Ex Conciliorum definitionibus, & primo ex Constantiensi sub Ioanne XXIV. celebrato anno salutis 1415. vbi *sess.* 8 damnans errores Viclephi damnauit etiā hunc

nuhc, quo dicebat, confessionem esse merum hominum figmentum. Secundò ex *Trident. sess. 14. c. 5.* Ibi *Ex institutione Sacramenti pænitentiæ vniuersa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis necessariam existere.* Rursus eadem *sess. 14. can. 6.* Ibi *Si quis negauerit, confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse iure Diuino, aut dixerit modum secretè confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper obseruauit, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inuentum esse humanum, Anathema sit.* Tertiò ex Concil. Complutensi coacto sub Alphonso Carillo Archiepiscopo Toletano in quo damnata fuit propositio Petri Oxomensis asserentis confessionis præceptum non esse iuris Diuini, quæ damnatio confirmata fuit à Sixto IV.

6 Reprobatur etiam secundus error ex Scripturis, & Concilijs.

Ex eisdem Scripturæ locis euincitur falsitas secundi asserentis, non esse necessitatem confitendi peccata Sacerdoti, sed soli Deo. Ex eo etenim, quod *Ioannis 20:* facultatem Christus tradiderit remittendi, & retinendi Sacerdotibus, vtique implicitè obligauit peccatores ad eisdem subijcienda propria peccata; frustranea etenim foret talis potestas, si non esset obligatio fidelium peccata sua eisdem subijciendi. Hinc *Concilium Trident. dicta sess. 14. c. 5.* dixit. *Quia Dominus Iesus Christus è terris ascensurus ad cælos Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit tanquam præsides, & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur in quæ Christi fideles ceciderunt.* Accedit, quod Christus Dominus omnia Sacramenta instituit in signis sensibilibus tam ratione materiæ, quam formæ, à quorum natura non est secernendum Sacramentum pænitentiæ; quomodo autem hoc Sacramentum esset sensibile ratione formæ, si confessio non Sacerdotibus, sed soli Deo fieret?

Hinc vindicandi sunt à nota, quæ eisdem inuritur, quod adhæserint huic errori, Nestarius Archiepiscopus Constantinopolitanus, dum confessionem, quæ fit Sacerdoti abrogauit, & Chrysostomus, qui confessione coram Deo facta contentus fuit, & Sacramentalis confessionis vsum arbitrarium reliquit, dum *homil. 2. in Psalmum 50.* dixit. *Peccata tua dicito, vt deleas illa; si confundaris alicui dicere, quia peccasti, dicito ea quotidiè in anima tua; Non dico, vt confitearis conseruo tuo, qui exprobet, dicito Deo, qui curat ea.* Vindicandi, inquam, sunt ab hac nota; nam inprimis Nestarius non abrogauit absolutè confessionem, quæ fit Sacerdoti, sed dumtaxat publicam peccatorum recitationem ex multis causis tunc occurrentibus adductus, & præcipuè ex vno nobilis Matronæ, quæ cum peccasset cum quodam Diacono, eius peccatum cum ingenti scandalo illius populi ex illa consuetudine publicè peccata confitendi promulgatum est; Pro cuius vindicationis plenìori notitia sciendum est, vt refert Sozomenus, visum esse antiquis Pontificibus, (sunt verba eiusdem) vt velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi delicta pandantur, & ad hanc causam Presbiterum bonæ conuersationis seruantemque secretum, ac sapientem vnum statuerint, ad quem accedentes ij, qui deliquerant, delicta propria fateantur. Ex hac consuetudine irrepserant ingentia scandala cum occasione ruinæ spiritualis in populis ex manifestatione enormium criminum, & signantèr illius nobilis Matronæ, quam consuetudinem publicè confitendi delicta prudentèr Nestarius abstulit, non vero confessionem auricularem. Nec obesse potest id, quod Sozomenus in præcitatis verbis dixit, *& seruantem secretum*, quæ verba denotant peccata secretò consueuisse exponi; Ad quid etenim seruare secretum, si publicè peccata fuerunt recitata? Non, inquam, potest obesse; tum quia ex hoc infertur, parum deferendum esse testimonio Sozomeni, cum aperte in eadem dictione sibi contradicat; tum quia, quamuis confessio fieret secreto ad aures illius Presbiteri, imponebatur tamen in theatro publica pænitentia iuxta qualitatem delictorum, ex qua arguebatur qualitas eorundem; vnde merito, & prudenter mos ille fuit sublatus. Addit *Contensonius lib. 11. part. 3. dissert. vnica c. 1. sub tit. secunda pænitentiæ pars Confessio vers. hoc non improbabiliter* pro defensione Nestarij parum deferendum esse fidei Socratis, & Sozomeni, tum quia eorum scripta plena sunt mendacijs, tum quia ipsi adhæserunt errori Nouatiorum acerrimorum Sacramenti pænitentiæ hostium, & proptérea mirum non est, quod ad cohonestandam suam perfidiam falso attraxerint auctoritatem Sanctorum Pontificum.

7 Vindicatur à nota Nestarius Archiepiscopus Constantinopolitanus.

Eodem modo vindicandus est à notæ, eidem per hæreticos incussa D. Chrysostomus, qui solum arbitrariam reliquit illam publicam peccatorum recitationem, quod colligitur ex contextu verborum eiusdem. *Non dico, vt confitearis ea conseruo tuo; ne exprobet*; quod clarius explicans *homil. 40. de Lazaro*, vbi mentionem facit de consuetudine illa adducendi peccatores in publicum theatrum, & subdit. *Cane homini dixeris, ne tibi exprobet. Neque enim conseruo confiteris, vt in publicum proferat: Non cogo te in medium prodire theatrum, ac mul-*

8 Item D. Ioannes Chrysostomus.

tos adhibere testes. Cæterum D. Chrysostomus passim pluribus in locis nedum confessionem Sacramentalem commendat, sed necessariam asserit.

Ex allegatis etiam rationibus manifestè euincitur, quam turpiter errauerit Viclephus dicens, confessionem esse superfluam; eius etenim necessitas non solum colligitur ex illo *Ioannis 2.* vbi collata potestate Sacerdotibus intelligitur inducta obligatio peccatoribus illis peccata subijciendi; sed etiam ex pluribus Concil. Trident. definitionibus, & primò *sess. 14. c. 5.* Ibi- *Institutam etiam esse à Christo Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis iure Diuino necessariam.* Secundò *eadem sess. 14. can. 6.* Ibi- *Si quis negauerit confessionem Sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse iure Diuino*, & nonnullis interpositis, *anathema sit*. Sed de his infra occurret sermo vberior.

9 Arguitur necessitas contra Viclephum.

Ex hac item Christi institutione, & necessitate confessionis ad salutem iure Diuino arguitur, quam turpitèr errauerit Caluinus, dum dixit. Nullum post annos mille à Christo nato fuisse in Ecclesia confessionis vsum, donec Innocentius III. cum pauculis cornutis bestijs laqueum hunc populo Christiano induxit. Si enim de iure Diuino fuit necessaria ab eius institutione, numquid credibile est per mille annos in hoc deliquisse eam omittendo? Euincitur item falsitatis, nam temporibus etiam Apostolorum veri Christi fideles peccata sua Sacerdotibus manifestabant, vt inde gratiam amissam acquirerent, vt legitur *in actis Apost. c. 19. Multi credentium veniebant confitentes, & manifestantes actus suos*. Fallitur item in eo, quod dixit hunc vsum inductum fuisse per Patres Concilij Lateranensis, quos iniquè bestias cornutas vocat; nam inprimis illi Patres in Concilio congregati non statuerunt hunc vsum, sed dumtaxat præscripserunt modum, & tempus, quo habenda esset huiusmodi confessio. Deinde constat ante Concilium Lateranense hunc vsum semper in Ecclesia Dei viguisse, vt constat ex *Concil. Trident. d. sess. 14. c. 5.* Ibi- *Cum à Sanctissimis Patribus magno, vnanimique consensu secreta confessio Sacramentalis, qua ab initio Ecclesia Sancta vsa est, & modo etiam vtitur, fuerit semper commendata, manifestè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à Diuino mandato alienam, & inuentum humanum esse, atque à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse dicere non verentur*. Cesset igitur latrare in Sanctos Antistites hæc bestia cunctis alijs truculentior, & desinat euomere venenum, quod ipsum in æternum interitu perduxit.

10 Vsus confessionis inualuit à tēpore Apostolorum.

Tandem euellitur hæretica prauitas, quæ tertio loco recensita fuit, quod scilicet data etiam conuenientia, & necessitate confessionis, non sit eidem præmittenda conscientiæ, & peccatorum discussio. Euellitur, inquam, primò ex *Concil. Trident. d. sess. 14. can. 7.* vbi necessitas talis discussionis indicatur. Ibi- *Si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessariam non esse iure Diuino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur*, & nonnullis interpositis, *anathema sit*. Secundò ratione; De iure Diuino debet vnusquisque confiteri omnia peccata læthalia non solum secundum diuersitatem specificam, sed etiam secundum numericam; & circunstantias mutantes speciem, vt definiuit *Concil. Trident. loc. mox cit.*, sed hoc non potest præstare, nisi præmittat discussionem propriæ conscientiæ, & peccatorum, in quæ lapsus est, ergo talis discussio prærequiritur, & sicuti integra confessio est de iure Diuino, ita de iure Diuino debet esse præcedens discussio, nam quo iure præscribitur finis, eodem præscribuntur media ad ipsum conducentia.

11 Ostenditur necessitas examinis consciētiæ.

Firma igitur stat veritas catholica de institutione confessionis Sacramentalis à Christo Domino, & de necessitate eiusdem ad salutem ex Sacris Scripturis manifestata, Conciliorum definitionibus stabilita, & rationibus corroborata; vnde non est, cur oblatrent Hæretici euomentes venenum contra medicinam salutiferam ad sanandas animas à morbo peccatorum.

ARTICULUS II.

Quæ, & qualis debeat esse huiusmodi confessio.

SVMMARIVM.

Nec

CONclusio I. Confessio Sacramentalis bene sic definitur. Est legitima, & Sacramentalis accusatio de proprijs delictis facta Sacerdoti, ad obtinendam remissionem peccatorum per absolutionem.

1 Definitio confessionis Sacramentalis, eiusque expositio.

Dicitur, *legitima*, hoc est facta iuxta leges vel à Deo, vel ab Ecclesia eius interprete præscriptas. Dicitur, *Sacramentalis*, hoc est ordinata ad Sacramentalem absolutionem impetrandam; non enim quælibet sui ipsius accusatio facta Sacerdoti est propriè quoad effectum intentum confessio, sed illa dumtaxat, quæ ordinatur ad finem iustificationis peccatoris. Dicitur, *de proprijs peccatis*, eo quia peccata aliena non sunt materia huius Sacramenti, & licet quandoque quis per interpretem sua peccata explicet, hic tamen non explicat nomine proprio, sed nomine sui principalis, respectu cuius dicuntur propria, & ad ipsum ordinatur absolutio, non ad interpretem. Dicitur, *facta Sacerdoti*, per quod significatur minister huius Sacramenti, qui solum potest esse Sacerdos. Dicitur, *ad obtinendam remissionem peccatorum*, quæ est principalis finis, propter quem institutum est hoc Sacramentum. Dicitur, *per absolutionem*, & sic explicatur forma tanquam vltimum complementum.

Conclusio II. Ad constituendam legitimam, & perfectam confessionem plures, assignantur conditiones, quarum aliquæ pertinent ad substantiam, aliæ ad modum, & perfectionem, quæ omnes his versiculis continentur:

2 Assignatur conditiones eiusdē.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrimabilis, accelerata,
Fortis & accusans, & sit parere parata.

Explicantur singulæ. Prima est, vt sit simplex, hoc est non composita ex inutilibus, & artificiose appositis ad illudendum confessarium, ne grauitatem delicti ponderet, quamuis idem delictum exponat, vel delectandum concinnitate sermonis ad eum finem, vt eloquentia captus Sacerdos vel minuat pænam, vel minus obiurget crimina. Debet quidem pænitens ita explicare peccata sua, vt confessarius percipiat statum pænitentis tam quoad peccata quoad speciem, quam quoad numerum, & circunstantias necessarias, de quibus infra. Hic tamen aduerte, quod, si ita explicet, vt confessarius dignoscere valeat peccata tam quoad numerum, quam quoad speciem, licet per verba inutilia cælet quoad grauitatem, non propterea faciat confessionem irritam, eo quia maior, & minor grauitas non mutans speciem non est ex necessitate in confessione explicanda: Non excusarem tamen sic compositè confitentem à peccato veniali, eo quia ea, quæ præstat componendo, intelligitur, præstare ea arte, vt fallat ipsum confessarium in ea re.

3 Quomodo debeat esse simplex.

4 Excludit verba inutilia, & artificiosa.

Secunda est, vt sit humilis, ita vt non solum internè coram Deo pænitens cognoscendo sua crimina se humiliet veniam suppliciter impetraturus, sed etiam externè coram Confessario humilitèr explicans eadem peccata absolutionem ab ipso accepturus. Dixi, *externè, & humilitèr*, hoc est flexis genibus, & aperto capite, nisi aliud necessitas exigat propter reuerentiam Christo, & Sacramento debitam, sine qua veniale committeretur, eo quia negatio debiti honoris semper est cum aliqua culpa coniuncta: Hic tamen aduerte, quod humilitatis istius defectus, si contingeret non inualidaret Sacramentum, dummodo esset debitus dolor; sic non damnarem tanquam inualidam confessionem, neque vt obnoxium peccato læthali pænitentem, qui ex aliquo iusto fine, ne detegeretur confiteri sua peccata, confiteretur ambulans, vel sedens; si tamen huiusmodi defectus humilitatis esset coniunctus cum aliqua iactantia, & gloriatione in peccatis, probabilius arbitror cum *Bonacina disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 2. prop. 3.* confessionem fore inualidam, eo quia imperceptibile videtur, posse esse dolo-

5 Quomodo debeat esse humilis.

6 Hęc humilitas debet esse, interna, & externa.

7 Ex iusta causa potest fieri sedendo, vel ambulādo.

dolorem de peccatis, de quibus quis gloriatur, quibus propterea per affectum, & per iactantiam actualitèr adhæret.

8 Quomodo debeat esse pura.

Tertia est, vt sit pura, hoc est non praua intentione affecta, vt vult *Bonacina loc. mox alleg.*; si etenim sit aliquo prauo fine affecta, qui finis sit mortalitèr peccaminosus, tunc certè confessio redditur inualida, & pœnitens mortalitèr peccans; si verò sit tantum finis venialitèr malus, confessio erit quidem valida, sed pœnitens venialitèr peccans. *Caietanus in summa verbo confessio. vers. secunda* per ly, *pura*, intelligit, quod confessio non debeat esse cum admixtione impertinentium ad proprium statum; qui etenim hæc admiscet, vix potest excusari à peccato vaniloquij; debet multo magis esse pura ab admixtione alienorum peccatorum, si commodè propria possint exprimi sufficientèr in confessione sine alienis; si verò nequeant peccata propria sufficientèr exprimi sine alienis; tunc dicerem, si Confessarius esset notæ integritatis, & prudentiæ, ita, vt nullum timeretur periculum futuræ infamiæ, vel alterius mali, posse pœnitentem propria peccata explicare etiam, si ex eis sequeretur notitia peccatorum alienorum, vel etiam peccata aliena expressè manifestarentur ad detegenda propria, si hoc esset necessarium; si vero timeretur periculum infamiæ alienæ, tunc alter Confessarius incognitus esset adeundus, & coram ipso explicanda peccata sine manifestatione propriæ personæ, vel aliorum, quorum sunt peccata. Quod, si supponas pro tunc alium Confessarium non adesse, & vrgere præceptum communionis, vel aliqua alia circunstantia, vt sine communione foret admirationis, vel scandali, tunc quoad illud peccatum, quod non videtur posse manifestare sine manifestatione aliorum, id penitus debet præstare, quod peragerer, si non haberet copiam confessarij, eo quia confessio cum aliena iactura esse non debet.

9 Quomodo debeat esse fidelis.

Quarta est, vt sit fidelis, hoc est sine deceptione, & mendacio. Hoc autem mendacium, siue deceptio contingere potest vel quoad materiam necessariam, vel quoad materiam tantum sufficientem; si contingat quoad materiam necessariam, inficit pœnitentem culpa læthali, & facit Sacramentum irritum; cuius ratio est,

10 Si mendacium sit circa substantiam irritat Sacramentum.

quia, sicuti est peccatum læthale omittere voluntariè sine causa excusante aliquod peccatum læthale; ita est læthale illud mendacio obuelare; si contingat circa materiam sufficientem, Caietanus eodem verbo confessio adhuc distinguit, vel enim est in ordine ad ea, quæ pœnitens ex se subijcit confessioni, vel in ordine ad ea, quæ ex se non subijcit, sed vel inquiruntur à Confessario, vel aliqua alia ratione narrationis causa, non intentione confessionis proferuntur; si deceptio sit circa primum distinctionis membrum, existimat decipientem irretiri culpa læthali, quia est mendacium licet in re leui, perniciosum in iudicio non quomodocunque, sed Sacramentali, & iniuriam infert Sacramento; si sit circa secundum distinctionis membrum, sentit esse dumtaxat peccatum veniale, sicuti mentiri in alijs rebus ex natura sua non est, nisi leue; nec obstat, quod fiat in confessione, eo quia id, circa quod fit mendacium ex intentione pœnitentis non subijcitur Sacramento, cum nec teneatur illud subijcere, adeoque parum auget, quod fiat in confessione.

11 Si circa materiã sufficiẽtem regularitèr non irritat.

Existimo tamen probabilius, deceptionem in materia tantum sufficienti regularitèr non inducere culpam læthalem, nec irritare Sacramentum. Moueor, quia omne mendacium de re leui est veniale, & parum lædit iudicium Confessarij, nec ex eo, quod fiat in Sacramento, transfertur ad esse mortiferum, eo quia nonnisi leuiter lædit ipsum Sacramentum, & in re, ad quam ipsum Sacramentum non obligat. Dixi *regularitèr*, nam quandoque contingere potest, vt mendacium in Sacramento circa rem leuem, sit graue, & irritet ipsum Sacramentum, vt contingeret in casu, quo quis vnum tantum, vel alterum veniale confiteretur, & circa illud vtrumque mentiretur, nam tunc frustraretur forma Sacramentalis, & in hoc casu existimo tantum habere locum doctrinam Caietani.

12 Refertur casus, in quo irritat.

13 Frequẽtia qualis esse debeat, & sub quo ponitur.

Quinta est, vt sit frequens, quæ conditio requiritur tantum ex consilio, & ad melius esse, nam circa hanc nullum est præceptum, nisi de confessione annua, de quo infra vberius. Hoc consilium ideo vrget, vt benè asserit Caietanus, quia est medicina valdè conseruatiua hominis in timore Dei, vt qui sæpius cadit, sæpius etiam eleuetur, & per erubescentiam, quam habet in aperiendis iisdem peccatis, remoueatur à frequenti ipsorum commissione, quæ omnia verificantur non solum, quando fit repetita confessio eorum, quæ iterum, atque iterum committuntur, sed etiam quando reiteratur confessio eorum, quæ iam fuerunt clauibus subiecta, eo quia per nouum gratiæ augmentum, quæ acquiritur in reiteratione, acquiritur noua vis ad resistendum occasionibus, & motiuis inducentibus ad nouam commissionem, & ad perseuerandum in gratia remissionis iam obtentæ.

14 Nuda, & simplex cõueniũt.

Sexta conditio est, vt sit nuda, quæ in multis conuenit cum prima conditione,

ac

ac proinde non est, cur debeamus in eius explicatione immorari. Recolite ea, quæ in ipsa dicta sunt.

15 Quid veniat per ly *discreta*.

Septima, vt sit discreta, quæ particula multas exigit aduertentias, primo quoad verba, quibus fit; explicanda quippe sunt peccata per verba honesta, non turpia, nec maleolentia, ne pias Confessarij aures, nedum enormitate commissorum, sed etiam obscænitate sermonis offendat. Secundò quoad circunstantias, vt aperiat aperiendas, & tegendas contegat, quod præcipuè obseruandum est in peccatis carnis; non enim hic, nisi necessaria sunt explicanda, ne materia hæc libidinosa inciter. Tertiò quoad modum narrandi, vt verbis expeditioribus exprimat, & quæ potest coniunctim, non exprimat separatim, ne tædium ingerat Confessario audienti; Quartò quoad electionem Confessarij idonei; debet enim eruditum, & probum apud Deum, & homines eligere, vt suo exemplo moueat, & doctrina instruat docendo, quæ recta sunt vt ea sequatur, & praua, vt ab illis effugiat.

16 Quomodo debeat esse libera.

Octaua, vt sit libera, hoc est voluntaria, quod dupliciter contingere potest; primò, cum fit non coactè, sed concurrente per liberam electionem voluntate pænitentis media cognitione, cui voluntati non obstat metus aliquis, vel infamiæ, vel mortis, vel alicuius alterius damni secuturi, si confessio non habeatur, nam metus quamuis constituat inuoluntarium secundum quid, non tollit tamen rationem voluntarij simplicitèr, vt suppono ex quæstionibus de actibus humanis; secundò fit quando omnino liberè fit cum exclusione cuiuscunque inuoluntarij etiam secundum quid. Voluntarium primo modo sumptū est sufficiens, eo quia metus, quantumuis grauis, non tollit voluntatem, & intentionem confitendi, & sicuti metus mortis, ratione cuius constitutus in periculo naufragij proijcit merces in mare ad saluandam vitam, non tollit, quin voluntariè proijciat, ita metus vel infamiæ, vel mortis, vel excommunicationis, ratione cuius mouetur ad confessionem faciendam non tollit, quin voluntariè ipsam efficiat; vterque enim actus procedit à principio intrinseco concurrente cognitione. Voluntarium secundo modo, nedum est sufficiens, sed maximè perfectum, vt ex se patet.

17 Debet esse verecunda tam internè, quam externè.

Nona est, vt sit verecunda, non solum penes ipsum pænitentem interius per cognitionem turpitudinis propriorum criminum, & fœditatis propriæ conscientiæ, sed etiam penes Confessarium exterius per manifestationem eidem faciendam talis turpitudinis, non per modum narrationis historiæ, sed mestæ, & dolorosæ subiectionis. Hanc verecundiam, seu erubescentiam non esse de necessitate Sacramenti docent DD. magis communitèr, eo quia stare possit firmus, & efficax dolor sufficiens ad valorem legitimæ pænitentiæ sine tali erubescentia, quæ potius consequitur ad eundem dolorem, quam ipsum constituat; secus non validè confiteretur, qui ad euitandam talem verecundiam inquireret Confessarium omnino incognitum. Valdè vero vtilem, & fructuosam esse talem erubescentiam colligitur tum ex eo, quod est medium valdè aptum ad remouendum imposterum à noxis, tum ex eo, quod ex Dei gratia imputatur ad partem satisfactionis, si pro Dei amore superetur.

18 Non est de essētia Sacramēti.

19 Integritas duplex, altera per se, altera per accidēs.

Decima est, vt sit integra, hoc est quoad omnia peccata læthalia prius non confessa tàm in specie, & numero, quam quoad omnes circunstantias mutantes speciem, de quibus infra. Dupliciter autem potest contingere, quod confessio non sit integra; primo per se, secundo per accidens; Confessio non integra per se, tunc est, quando pænitens consultò, & ex intentione omittit aliqua peccata, quod ex multis causis contingere potest, vel ex verecundia, & pusillnamitate, & sic redditur confessio irrita, & sacrilega, vel ex aliqua causa propter temporis importunitatem ad continuandam confessionem cum animo tamē illam integrandi pro futuro tempore, & sic nullum committitur peccatum. Sed, an in hoc casu debeat dimidiata confessione Confessarius impendere absolutionem, an vero teneatur differre vsque ad complementum eiusdem, dissident non parum inter se DD., & praxis iuxta diuersitatem opinionum est pro vtraque parte firma. Ego distinguendum crederem, vel enim peccata, quorum confessio dimmidiatur, essent iam antecedentèr ritè confessa, & per generalem confessionem ex maiori pænitentis deuotione iterum subijciuntur; vel sunt læthalia, & non anteà ritè confessa; si primum asseratur, sentio facta dimmidiata confessione posse confessarium absolutionem impendere; cum possit pænitens aliqua in confessione manifestare, & alia omittere, cum non sint materia necessaria *Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5., Regnaldus lib. 6. num. 97., Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 3. punct. 1. num. 11.* quinimmo addit *Reginaldus n. 98.* posse licitè pænitentem partem peccatorum ritè Confessorum manifestare hodie, & partim cras in distinctis confessionibus siue vni, siue alteri Sacerdoti; si secundum asseratur; probabilius crederem, debere Sacerdotem suspendere absolutionem vsque

20 An absolutio possit impendi dimidiata tantum confessione extante causa.

que ad complementum confessionis, nisi extaret aliquod periculum in mora, vel aliqua necessitas vrgeret sumendæ Eucharistiæ, quæ sine graui scandalo omitti non posset. Ratio est, quia confessio fit, vt per ipsam peccata remittantur, sed non potest vnum remitti sine alio, ergo necesse est, vt omnia ante absolutionem manifestentur. Dixi, *nisi sit periculum in mora*; nam, si timeretur de morte proxima pænitentis, tunc non perfecta confessione posset absolui, cum esset legitima causa excusans à perfectione; si verò vrgeat scandalum propter omissionem communionis, crediderim, tutius esse, si conteratur, & communicet cum proposito sequenti die efficiendi veram, rectam, & completam confessionem *Granadus 3. part. contr. 7. disp. 5. sect. 3. num. 20.*, quamuis non improbabile existimet, si timeretur prudenter, non fore eliciendam contritionem, confessionem dimmidiatam posse permitti, ne nouum peccatum committat. Potest item contingere, quod pænitens non aperiat Confessario omnia peccata, ex aliqua causa excusante, vt eueniret, si non posset proprium peccatum aperire, nisi delinquentes alios aperiret, quod in multorum sententia excusat à confessione. Sed de his infrà vberius. Confessio non integra per accidens tunc est, quando non voluntariè dimmidiatur, sed omittitur aliquod peccatum, quod cæteroqui esset omnino aperiendum, per obliuionem, & confessio hoc modo non integra valet, & suum consequitur effectum, quoniam est per se, & formalitèr integra, & solum per accidens, & materialitèr dimmidiata. Sed de integritate prolixior occurret sermo infrà.

21 Sub distinctione resoluitur quæstio.

22 Non integra per accidens quando dicatur.

Vndecima est, vt sit secreta, hoc est sine teste, & coràm solo Sacerdote, quæ propterea ab aliquibus dicitur confessio auricularis, quatenus fit ad aures Sacerdotis. Congruè inductum est, vt fiat secreto, tum ad euitandam infamiam delinquentis, tum ad maiorem facilitatem acquirendæ remissionis sine graui incommodo, quod afferret confessio publica. Contra hanc auricularem confessionem insultant hæretici nostri temporis, talemque vsu superstitiosum vocant, contra quos egimus in præcedentibus; E contrario quidam Scholastici, hanc confessionem secretam ita necessariam æstimant, vt sine ipsa putent non posse subsistere Sacramentum pænitentiæ; verum asserendum est, non esse de necessitate Sacramenti, vt fiat secretò, nam, si ita necessaria esset, nunquam posset esse validum Sacramentum facta confessione publicè; sic inualida esset confessio facta per interpretem, & facta ab existentibus in periculo naufragij, vel ab infectis tempore pestis, in quibus casibus nonnisi alta voce potest contingere; cur autem huiusmodi confessiones teneant, ex eo habetur, quod stante manifestatione peccatorum cum debito dolore, & proposito emendationis habetur, quidquid requiritur ad rationem validæ confessionis. Quod, si dicas, non posse subsistere Sacramentum pænitentiæ, quando in actuali susceptione ipsius committitur peccatum læthale, quod certè fit per publicam confessionem, cum pænitens prodat famam suam, quam nequit sine peccato prodere; statim impugnaberis, quia confessio publica non inducit secundum se noxam læthalem proditionis famæ propriæ, nam vel talis confessio fit ex necessitate, vel ex libera electione pænitentis; si ex necessitate; cum motiuum illud, à quo oritur talis necessitas, sit fortius, cùm sit motiuum salutis æternæ, quam motiuum famæ propriæ conseruandæ, debet præualere, &, si quid famæ deperditur per apertionem publicam peccatorum, quid magis acquiritur adimplendo id, ad quod impellit necessitas, vel per consecutionem alicuius maioris boni, vel per euitationem maioris mali; Si ex libera electione; contra est, quia sic prodere propriam famam non est intrinsecè malum, eo quia non est contra iustitiam, cum vnusquisque famæ propriæ sit Dominus, nec contra charitatem, quia nulli nocet, &, licet aliquid infamiæ secum afferat, compensatur tamen per actus internæ humilitatis, & satisfactionis. Verum tamen est, quod sine rationabili causa talis publica confessio non sit consulenda, nec facienda, cum etiam dubium sit, an Ecclesia possit præcipere talem confessionem, cum adimpletio talis præcepti foret in se difficilima, nec valdè vtilis.

23 Debet esse secreta.

24 Si fieret publicè nó irritaretur.

25 Confessio publica nó est consulenda.

Duodecima, vt sit lacrimabilis, non quia ad validitatem huius Sacramenti requirantur exteriores lacrimæ, sed quia requiritur internus animi dolor cum proposito saltem virtuali vitandi peccata de cætero.

26 Quomodo debeat esse lacrimabilis.

Tertiadecima, vt sit accelerata, hoc est, quod post commissum peccatum non differatur ipsius confessio, si commodè fieri potest ad eum finem, ne perseueret peccator in statu damnationis, & ne meritum bonorum operum, quæ pro illo tempore fortè exercebit, deperdatur. Hæc conditio, vt benè notat Caietanus in ordine ad executionem, consilij est, non præcepti, cum nullum præceptum inueniatur circa tempus confessionis faciendæ, nisi Diuinum pro tempore mortis, & Ecclesiasticum de ipsa habenda, semel in anno.

27 Explicatur ly accelerata.

Quar-

Quartadecima, vt sit fortis, ita vt nullo motiuo humano sinat pænitens se retrahere à confessione, sed vincat omnes tentationes, superet omnes difficultates, & timorem retrahentem penitus destruat.

28 Item ly *fortis*.

Quintadecima, vt sit accusans, quod multipliciter potest intelligi, primò, quatenus pænitens sibi tribuat, & propriæ malitiæ peccata, non cælo, non fato, non propriæ carni, non dæmoni, non socijs &c. secundo, quatenus non debet verborum inuolucris, vel excusationibus incongruis excusare delictum, sed ipsum manifestare, sicuti est; sic non debet mulier excusare fornicationem, vel adulterium à se commissum dicendo, vel hoc fecisse propter egestatem, vel propter importunas Amasii preces.

29 Item ly *accusãs*.

Sextadecima, vt sit parere parata, hoc est, quod pænitens in præparatione animi accedens ad confessionem sit dispositus confessario obedire non solum in ordine ad occasiones fugiendas, media remouenda, sed etiam in ordine ad pænas obeundas, quæ ab eodem Confessario imponentur; cum etenim in hac exerceatur iudicium emendatiuum, vtique ea sunt præstanda, quæ conferre possunt ad emendationem, quæ sunt occasiones euitare, media effugere conducentia ad peccatum, & pro commissis satisfacere.

30 Item ly *parere parata*.

ARTICULUS III.

De examine conscientiæ ad confessionem prærequisito.

SUMMARIUM.

Talis diligentia adhibenda est in hac discussione, qualis quisque prudens adhibere solet in negotio arduo. 1.
Intellige quoad discussionem læthalium. 2.
Nec per hoc ingeritur occasio scrupulorum. 3.
Sententia asserens in ijs, qui labilis sunt memoriæ, onus non esse scribendi peccata, cum illa commiserit. 4.
Sententia asserens illud onus vigere. 5.
Præfertur prima sententia non cognoscens necessitatem scribendi. 6.
Soluuntur rationes oppositæ. 7.
Discussio conscientiæ potest suppleri per congruas Confessarij interrogationes. 8.
Hic tamen modus non est congruè adhibendus extra necessitatem. 9.
An, & quando teneatur Confessarius conscientiam pænitentis discutere per interrogationes. 10.

Plura de hoc diximus in præcedenti articulo primo huius quæstionis, vbi confutauimus errorem Viclephi, & aliorum hæreticorum asserentium, non requiri discussionem propriæ conscientiæ ad confessionem Sacramentalem, & probauimus, hanc de iure Diuino requiri. Modo inquirimus, qualis debeat esse, &, an possit per aliquid aliud suppleri, an hoc debeat esse præuium ad confessionem, an vero possit in eadem fieri.

1 Qualis diligentia sit adhibéda.

Conclusio I. Illa diligentia in discussione propriæ conscientiæ adhibenda est, quam vnusquisq; iuxta conditionem propriæ personæ adhiberet in negotio arduo peragendo. Consentiunt *Nauarrus in man. c. 9. n. 10., Suarez de pænit. disp. 23. sect. 10. n. 3., Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 4., Valentia tom. 4. disp. 7. q. 11. punct. 1., Zerola de pænit. c. 7. q. 35., Vasquez q. 91. art. 1. dub. 6., Coninchus disp. 7. dub. 9. n. 71., & alij magis communitèr.* Procedit conclusio de examine circa peccata læthalia, nam circa venialia, sicuti non tenetur ea, vel omnia clauibus subijcere, sed potest vel omnia omittere, vel aliqua, ita non tenetur diligentiam in eorum discussione adhibere. Hæc diligentia æqualis non exigitur in omnibus, sed potest esse maior, vel minor iuxta conditionem personarum; nam, si quis frequens se accusat, non tenetur tantam adhibere, quantam adhibere tenetur, qui diutius, & raro confessionem peragit.

2 Intellige quoad discussionẽ læthalium.

Probatur. Eo maior regularitèr loquendo adhiberi solet diligentia in aliquo negotio peragendo, quo maioris momenti, & æstimationis est negotium, quod peragitur, sed opus confessionis est magni ponderis, & æstimationis, vtpotè, quod conducit ad salutem animæ, quæ præferenda est cæteris quibúscunque rebus, ergo æqualis saltem, ni fortasse maior est adhibenda diligentia in tali discussione, quam in alijs rebus. Neque dicas, ex hoc induci scrupulos, eo quia semper quis angeretur, & dubitaret, an sufficientem adhibuerit diligentiam, si plusquam mediocris requireretur; Contra enim impugnaberis, quia sufficit, quod sibi conscius peccator sit, quod talem diligentiam adhibuerit, qualem adhiberet in re graui, nec in hoc debet magis esse sollicitus; cæteroqui posset etiam angi dubio (si solum requireretur mediocris) an tantam adhibuerit, quanta sufficiat ad mediocrem. Quamobrem licet non debeat esse nimis vehementèr sollicitus, non debet tamen esse ita facilis quietis, & paccatæ conscientiæ, vt statim acquiescat cuicunque discussioni, & examini.

3 Non ingeritur occasio scrupulorum.

Cum igitur secundum conditionem personarum requiratur ea diligentia, quæ adhibetur in negotijs arduis, oritur hic diffi-

difficultas, an habens lubricam, & labilem memoriam, teneatur successiuè scribere sua peccata, vt possit omnia clauibus subijcere. Video DD. in hoc inter se dissidentes. *Henriquez lib. 4. c. 4. num. 8., Vasquez q. 90. art. 1. dub. 4. num. 22., Tabiena verb. confessio 2. num. 45., Valentia tom. 4. disp. 7. q. 9. punct. 4., & q. 11. punct. 1. circa finem*, non agnoscunt hanc necessitatem scribendi, sicuti eandem non agnoscunt statim confitendi peccata, ne memoriæ excidant, sed dicunt sufficere, quod tunc, quando confessio est habenda, diligenti discussione reuocet in mentem peccata, quæ tunc possunt occurrere. Ex aduerso nonnulli apud *Vasquez d. q. 90. art. 1. dub. 4. n. 24.* sentiunt, homines labilis memoriæ teneri scribere, ea moti ratione, quod quando præuidetur periculum delinquendi, tenemur, quatenus possumus, eidem occurrere, & non occurrendo delinquimus, cum defectus inde contingens dici possit voluntarius in causa. Probabilius arbitror, non teneri, sicuti non tenetur statim, ac peccauerit, confiteri, ne memoriæ peccatum, seu peccata excidant. Ratio est, quia nec ex præcepto Diuino, nec ex iure Ecclesiastico tenemur post peccatum commissum illud immediatè clauibus subijcere, nec propriam conscientiam discutere, nisi, quando vel ex necessitate, vel ex libera electione habenda est confessio, & tunc sufficit, quod illa diligentia adhibeatur, quæ adhiberetur in negotio arduo iuxta conditionem personæ; ergo non est necesse, quod illa discussio fiat antecedenter per scriptionem peccatorum, potissimum cum hoc nimis graue esset peccatori memoriæ labilis, cum semper teneretur secum deferre instrumenta scribendi. Nec obstare potest, si dicatur præceptum scribendi oriri ex natura rei stante illa memoriæ labilitate; nam, sicuti in præcedentibus diximus, quod stante periculo perpetuæ amentiæ, teneatur ab intrinseco, & ex natura rei peccator elicere actum contritionis, ita stante periculo omissionis ex labilitate memoriæ teneatur idem peccator, vel immediatè confiteri, vel saltem ea peccata scribere, ne a memoria labantur. Non, inquam, obstare potest, quia per se non tenetur peccator conscientiam suam discutere, nisi quando habenda est confessio, nec ex natura sua tenetur peccata semper memoriæ retinere; non tenetur autem statim ex natura rei confiteri, adeoque nec statim discutere; nec obstat circunstantia labilitatis memoriæ, cui occurrere teneatur per scriptionem; Non, inquam, obstat, quia huic labilitati non tenetur occurrere cum tot incommodis, cum periculo, ne carta excidat, & peccata pandantur cum discrimine eius famæ, & honoris; nec currit paritas de onere eliciendæ contritionis extante proximo periculo perpetuæ amentiæ, & onere scribendi peccata extante periculo obliuionis ob labilitatem memoriæ, quandoquidem extat præceptum Diuinum extante periculo mortis, cui æquiualet periculum perpetuæ amentiæ, eliciendi huiusmodi actum; nullum autem præceptum vrget scribendi peccata, sed tantum discutiendi conscientiam, cum confessio est habenda. Deinde actus ille contritionis non trahit secum illa incommoda, quæ trahit onus successiuè scribendi omnia peccata, cum fuerint commissa.

4 Sententia asserens labilem memoriæ non teneri scribere peccata.

5 Sententia asserens teneri.

6 Præfertur prima sententia.

7 Soluuntur rationes oppositæ.

Conclusio II. Hæc discussio propriæ conscientiæ potest æquiualentèr suppleri per diligentes Confessarij interrogationes; consultius tamen est, quod ipse pænitens præmittat diligentem inquisitionem. Arbitror in hoc communitèr conuenire DD.

8 Discussio propriæ conscientiæ potest suppleri per interrogationes confessarij.

Ratio est, quia finis talis discussionis est, vt pænitens dignoscat propria peccata, vt detestetur, & Confessarius cognoscat statum pænitentis quoad peccata tam secundum speciem, quam secundum numerum, & circunstantias mutantes speciem, sed hæc omnia haberi possunt per diligentes Confessarij interrogationes, & debitas pænitentis responsiones, ergo talis discussio sufficientèr suppleri potest per easdem.

Dixi, *consultius tamen est, quod ipse pænitens præmittat diligentem inquisitionem*; tum quia ad eum spectat discutere, ad quem pertinet peccata exponere; ad pænitentem autem pertinet exponere; tum quia *Concil. Trid. sess. 14. can. 7.* imponit hoc onus discussionis pænitenti, Ibi: *quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur*; memoria autem pertinet ad eum, qui commisit, non ad confessarium; tum quia, cum Confessarius non nouerit propensiones, & procliuitates pænitentis, nec eiusdem conditionem, & materia confessionis latissima sit, vix poterit indagare statum eiusdem pænitentis, quin plura, & plura omittat. Quamobrem crederem, tunc solummodo huiusmodi defectum discussionis propriæ suppleri debere per Confessarij interrogationes, quando pænitens est rudis, & ignarus, & Confessarius cognoscit deficere, vel ex morali impotentia, vel ex negligentia inculpabili.

9 Cōgruētius discussio facienda est per ipsum pænitētem.

Vtrum vero Confessarius teneatur adhibere huiusmodi interrogationes, quando cognoscit pænitentem in huiusmodi examine defecisse, asserendum existimo, quod vel Confessarius cognoscit, quod pænitens adhibendo maiorem diligentiam ista, quam adhi-

adhibuit, possit acquirere notitiam perfectam suorum peccatorum, vel cognoscit, quod illam non acquiret, quantamcunque diligentiam adhibeat; si primum nouerit, non tenetur examinare, sed potest illum dimittere ad perfectius discutiendum statum propriæ conscientiæ; non enim tenetur adimplere partes pænitentis, nisi quando ipse pænitens deficit, vel ex morali impotentia, vel ex negligentia inculpabili; Si secundum nouerit, tunc certè ex lege charitatis teneretur per interrogationes diligentèr perquirere, tum quia sic definitum est in *Concil. Lateran. relato in c. omnis vtriusque sexus*, tum quia Confessarius gerit munus Iudicis, & Medici simul, ad quorum alterum spectat causam Rei perfectè cognoscere, antequam ipsum absoluat, ad alterum indagare ægritudines infirmi non solum in se, sed etiam in causa ad ipsius salutem procurandam.

10 An, & quomodo Cōfessarius teneatur adhibere huiusmodi interrogationes.

ARTICULUS IV.

An, & quomodo sit necessaria confessio Sacramentalis.

SUMMARIUM.

Confessio de peccatis lethalibus commissis post baptismum est necessaria necessitate medij, vel in re, vel in voto. 1.
Signanter hoc euincitur ex Concil. Trid. 2.
Votum confessionis requiritur, quando in re haberi non potest. 3.
Sufficit votum virtuale, & implicitum. 4.
Præceptum Diuinum quoad hoc vrget instante mortis periculo, & quando sumenda sunt alia Sacramenta in eo, qui sibi conscius est peccati lethalis. 5.
Fæmina primo, & proximè paritura tenetur confessionem præmittere. 6.
Item, quæ pati debet incisionem ad extrahendum fætum. 7.
Item milites mox pugnaturi, & longam nauigationem habituri. 8.
Præceptum Ecclesiasticum, an, & quando obliget remissiuè. 9.

IN præcedentibus latè egimus de iure, quo tenemur actus contritionis elicere. Rursus sub hac eadem quæstione art. 1. ex Concil. Trident. probauimus confessionem esse necessariam de iure Diuino. Modo indagandum, an sit necessaria necessitate medij siue in re, siue in voto. Secundò, prout est necessaria de iure Diuino, pro quonam tempore ad illud implendum sit elicienda. Tertiò, an etiam sit necessaria de iure Ecclesiastico, & quandonam.

Conclusio I. Confessio de peccatis lethalibus commissis post baptismum est necessaria necessitate medij siue in re, siue in voto ad salutem *Suarez de pænit. disp. 17. sect. 2. num. 3.*, *D. Thomas in addit. ad tertiam part. q. 6. art. 1.*, *Vasquez de pænit. q. 84. art. 5. dub. vnico nu. 44.*, *& alij magis communitèr apud ipsos.*

1 Est necessaria vel in re, vel in voto.

Probatur. Illud est necessarium necessitate medij ad aliquem finem obtinendum, quod per se directè, immediatè, & positiuè influit in illum finem, & sine quo finis ille non haberetur ad differentiam rei necessariæ solummodo ex necessitate præcepti, quæ propriè non influit in finem, licet ex extrinseca voluntate præcipientis ipse finis non acquiratur, sed talis est confessio in ordine ad remissionem peccatorum lapsis post baptismum, nam verè talem remissionem causat, & sine ipsa esse non possit, ergo &c. Confirmatur ex *Concil. Trident. sess. 14. c. 2.* vbi habetur. *Est Sacramentum pænitentiæ lapsis post baptismum necessarium, vt nondum regeneratis ipse baptismus*, ergo, si hic necessarius est necessitate medij, vel in re, vel in voto, vt omnes Theologi concedunt, & nos firmauimus in quæstionibus de baptismo, etiam tali necessitate erit necessarium lapsis post baptismum Sacramentum pænitentiæ, particula enim, *Sicut*, importat identitatem rationis, eandemque necessitatem.

2 Definitio Concil. Trident.

Probatur secundò, speciatim quoad necessitatem vel in re, vel in voto: Quandoque haberi potest vera, & realis peccatorum remissio sine actuali confessione, ergo, quando non est confessio in re, erit sufficiens in voto. Antecedens probatur, si quis eliceret verum actum contritionis, & statim periret, consequeretur salutem, & tamen non haberet actualem confessionem. Neque dicas, ex hoc sequi, confessionem in re non esse necessariam necessitate medij; necessitas enim medij hoc inducit, vt res, ad quam dicitur necessaria, aliundè haberi non possit sine ipsa, adeoque incongruè posita est particula disiunctiua vel in re, vel in voto, si solum votum eiusdem confessionis quandoque sufficere potest; Contra enim impugnaberis, quia, cum dicimus, esse necessariam confessionem in re, hoc intelligimus, quando hæc fieri potest iuxta modum præscriptum, vel à Christo Domino, vel ab Ecclesia, in quo casu non sufficit confessio in voto, quod sufficit, & requiritur dumtaxat, quando actualis ipsa confessio, vel instante morte, vel alia legitima causa excusante haberi non potest, sicuti euenit in Sacramento baptismi; vnde confessio ipsa actualis necessaria est necessitate medij, quando haberi potest, in voto autem ne-

3 Votum requiritur quādo confessio in re haberi non potest.

cessaria, & sufficiens est, quando actualis haberi non potest.

Vtrum autem hoc votum debeat esse formale, & explicitum, an vero sufficiat virtuale, & implicitum, dicendum est, sufficere virtuale, & implicitum; cuius ratio esse potest primo, quia, si quis instante morte eliceret verum contritionis actum, & nil cogitaret de confessione futura consequeretur gratiam, nec tamen haberet votum formale, & explicitum confessionis. Secundò, quia ad consequendam gratiam remissiuam peccatorum in confessione sufficit propositum virtuale vitandi peccata imposterum, ergo etiam ad eandem gratiam obtinendam sufficiet in contritione votum implicitum confessionis futuræ. Antecedens probatum est supra. Consequentia probatur, quia ex vna parte id efficit per se contritio, quod efficit confessio simul cum atritione; ex alia in tantum sufficit propositum virtuale in atritione, vel contritione, in quantum in his includitur votum placendi Deo, adimplendi eius præcepta, & euitandi ea omnia, quæ sunt eidem contraria, sed etiam in contritione includitur voluntas implicita adimplendi Dei, vel Ecclesiæ præcepta, inter quæ est confessio, ergo sufficit votum virtuale ipsius.

4 Sufficit votum virtuale & implicitũ.

Conclusio II. Præceptum Diuinum de confessione habenda obligat potissimum instante periculo mortis, & quoties sumendum est aliud Sacramentum respectu eorum, qui sibi conscij sunt peccati læthalis.

5 Quãdonam vrgeat pręceptum Diuinũ.

Ratio primæ partis est, quia denegari non potest, quin hoc præceptum Diuinum obliget, & pro aliquo tempore sit exequendum, cæteroqui frustraneum esset, sed aliud opportunius tempus haberi, & assignari non potest ab illo mortis imminentis, cum tunc potissimum vrgeat finis, ad quem instituta est, nempe consecutio gloriæ, & salutis æternæ, ergo tunc potissimum obligat. Confirmatur ex dictis in quæstionibus de Eucharistia, vbi, quod pro illo tempore mortis imminentis vrgeat pręceptum Diuinum sumendæ Eucharistiæ, ergo a fortiori pro illo tempore vrgere debet præceptum Sacramentalis confessionis habendæ, quæ magis ex se est necessaria ad salutem, cum hæc habeat reuocare ad vitam spiritualem, illa supponat talem vitam.

Hic duæ oriuntur difficultates, ad quas aliæ similes possunt reduci. Prima est, an fæmina primo, & proximè paritura ita quoad hunc effectum obligationis confessionis habendæ intelligatur constituta in periculo mortis, vt teneatur tunc hoc præceptum adimplere. Secunda, an ille, qui passurus est incisionem ad euellendam petram, qua premitur, teneatur eandem confessionem præmittere, quod idem intelligendum est de fæmina, quæ pati debeat cesionem ad extrahendum ab eius vtero fætum vel mortuum, vel viuum, qui aliter extrahi nequeat, & idem inquirendum est de eo, qui diutinam nauigationem est aggressurus.

Nõnullę rationes dubitandi.

Ad primam asserendum est, vtique teneri *Nauarrus in man. c. 2. num. 90.*, *Sotus in 4. dist. 18. q. 1. art. 4.*, *Reginaldus lib. 6. nu. 22.*, *Vasquez de pænit. q. 90. art. 3. dub. 2. num. 21.*, *Filliutius tract. 7. c. 2. q. 4.*, *& aly* plures apud *Bonacinam de Sacram. pænit. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 4. prop. 3. num. 14.*, quod idem sentiendum est de fæmina, quæ alias peperit, sed magna cum difficultate. Ratio ex eo deducitur, quod tunc vrgeat valdè probabile proximum mortis periculum, nec expectandum est euidens periculum, quando agitur de summa rerum, cuiusmodi est salus æterna, quæ cæteroqui valdè periclitaretur.

6 Fæmina primo, & proximè parituræ tenetur hoc præcepto.

Ad secundam idem dicendum est, prout tradunt præcitati DD., & ratio eadem est; quia in tali incisione adest periculum valdè probabile mortis, & vt plurimum in eadem incisi occumbunt; quod idem dicendum est de fæmina incidenda ad effectum fætus, vel mortui, vel viui extrahendi, cum tunc etiam valdè vrgeat mortis periculum.

7 Item, quæ pati debet incisionem ad extrahendũ fætum.

Propter eandem rationem satis communiter asserunt, quod suscipientes periculosas nauigationes, & milites, quando de proximo aggressuri sunt prælium cum hostibus, teneãtur ex iure Diuino cõfessionem præmittere, quia intelliguntur constituti in probabili vitæ discrimine. Alios similes casus ad normam præcitatorum sunt decidendi.

8 Item milites mox pugnaturi.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod Sacramenta debeant sanctè pertractari, & Sacramenta potissimum viuorum respectu sumentium supponunt gratiam; vnde quotiescunque in subiecto gratia non inuenitur ratione præexistentis peccati læthalis ex necessitate inquirenda est per Sacramentalem confessionem, quæ est medium necessarium ad ipsam obtinendam. Quamobrem in susceptione aliorum Sacramentorum hæc semper pręrequiritur, vel in re, vel in voto; in re quotiescunque hæc actu fieri potest; in voto, quando actu fieri non potest, & vrget necessitas sumendi alia Sacramenta, quæ omitti non possint sine graui infamia, & scandalo; tunc enim præmittendus est actus contritionis, in quo implicitè inuoluitur votum confessionis Sacramentalis.

Hic latè agendum esset de præcepto

9 Præceptum Ecclesiasticum, an, & quado obliget.

Ecclesiastico annuæ confessionis, sed quia inuenior de hoc latè egisse in præcedentibus, nempè *q. 1. art. 5.* sicuti etiam de præcepto Diuino, quæ è mente exciderant, ideo ab vlteriori examine abstineo.

ARTICULUS V.

An dolor debeat præcedere confessionem, an sufficiat, quod elliciatur in ipso confessionis actu ante absolutionem.

SUMMARIUM.

Rationes suadentes dolorem debere præcedere confessionem. 1.
Non est necesse, quod præcedat confessionem verbalem. 2.
Fit dolorosa confessio per subsequentem dolorem. 3.
Sub diuersa consideratione confessio, & dolor sunt sibi adinuicem substratum. 4.
Soluuntur rationes oppositæ. 5.
Commendatur praxis confessariorum, qui audita confessione excitant pœnitentem ad dolorem. 6.
Confessio, & dolor debent præcedere absolutionem. 7.
Dispositio debet præcedere formam. 8.
Et cognitiò causæ sententiam. 9.
Sacramenta etiam Physicè causánt gratiam. 10.
Si dolor subsequatur incæpta iam forma essentiali inutilis est. 11.
Non currit paritas de baptismo. 12.

1 Sententia docens dolorem debere præcedere cõfessionẽ.

Videtur prima fronte dicendum, requiri dolorem præcedere confessionem, prout sentiunt *Coninchus disp. 4. dub. 6. Laiman lib. 5. tract. 6. c. 4. num. 4. assert. 5.*, eo quia confessio verbalis debet reddere sensibilem internum animi dolorem, quæ propterea eundem animi dolorem debet præsupponere; non enim potest reddere sensibile id, quod non est; nec sufficit, quod subsequatur idem dolor, eo quia id, quod debet inducere aliquam qualitatem in subiecto, debet illud supponere existens. Deinde, vt confessio sit pars materialis Sacramenti pænitentiæ, non sufficit, quod sit manifestatio peccatorum quomodocunque, sed debet esse manifestatio dolorosa; non potest autem dici dolorosa, quando ipse dolor non præcedit, vel non est cum ipsa manifestatione; Nihilominus sit

2 Non est necesse, quod præcedat cõfessionẽ verbalẽ.

Conclusio I. Ad valorem Sacramenti pænitentiæ dolor non debet ex necessitate præcedere verbalem confessionem, sed tantum absolutionem *Suarez de pænit. disp. 20. sect. 4. num. 31., Filliutius tract. 7. c. 6. q. 9. num. 158., Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 3. punct. 2. n. 18.*

Probatur primò. Ad gratiam iustificationis consequendam in Sacramento pænitentiæ, sufficit, quod præcedat absolutionem confessio Sacramentalis, quæ habeat consuetam rationem accusationis, non meræ narrationis, sed hoc haberi potest, etiam si dolor non præcedat confessionem verbalem, ergo &c. Maior ex se patet. Minor probatur. Posita prius confessione merè verbali, quæ secundum se non est vera, & sufficientèr Sacramentalis, si postea accedat atritio, & per hanc informetur, redditur in ratione Sacramentalis confessionis, & fit materia proxima ipsius. Hinc nota, quod duplex considerari potest confessio, alia purè verbalis, & materialis, quæ consistit in verbis per quæ peccata manifestantur præcisè; alia formalis, seu Sacramentalis, quæ est materia proxima formæ absolutoriæ, & consistit in manifestatione peccatorum, vt informata dolore, per quam constituitur propriè in ratione materiæ proximæ absolutionis. Prima secundum se non sufficit; secunda verò sufficit.

3 Fit dolorosa confessio per subsequentẽ dolorẽ.

4 Sub diuersa consideratione confessio, & dolor sunt adinuicem substratum.

Dices, non posse esse hanc confessionem, vt Sacramentalem, nisi præcedat dolor, cum ipse dolor sit substratum confessionis, non confessio substratum doloris, cum non possit esse dolorosa confessio, quæ fiat sine dolore. Sed contra, quia licet non sit dolorosa, prout est merè verbalis, fit tamen dolorosa, prout eidem subsequitur dolor, cum quo moralitèr coniungitur; vnde dici potest, quod confessio, & dolor sub diuersa consideratione possint sibi inuicem esse substratum; confessio scilicet respectu doloris, quatenus eadem afficitur qualitate doloris, quæ eandem informat, & constituit dolorosam tanquam forma; dolor respectu confessionis, quatenus hæc illum reddit sensibilem. Adde, quod tam confessio, quam dolor sint substratum absolutionis; vnde sufficit, quod vtraque eandem præcedat, potissimum cum versamur in complexis moralibus, in quorum materia sufficere videtur coexistentia moralis.

5 Soluuntur rationes oppositæ.

Hinc responderi potest ad argumenta Coninchi, & Laiman supra allegata; Ad primum etenim de sensibilitate dicendum est; primò, dolorem reddi sensibilem etiam per præcedentem confessionem, quæ, cum sit in ordine ad absolutionem, semper significat dolorem, vel præsentem, vel præteritum, vel futurum, dummodo sit ante eandem absolutionem; secundò, quod, cum agatur de substrato absolutionis, sufficiat, quod tam sensibilitas, quam ipse dolor secundum se eandem præcedant, & parum

parum referre possit ordo præcedentiæ inter eundem dolorem, & sensibilitatem, quæ habetur per confessionem verbalem. Tertiò, dici potest, quod quando dolor subsequitur ipsam confessionem reddatur sensibilis per externam humiliationem coram Sacerdote, per quam humiliationem relatam ad confessionem paulo ante habitam constituitur ipsa confessio in ratione propria Sacramentalis materiæ proximæ. Ad secundum idem fere respondendum est.

6 Euincitur ex praxi confessariorum excitantiū ad dolorem.

Probatur secundò. Non est damnabilis, nec inutilis, quinimmo commendabilis, & proficua consuetudo Confessariorum, qui auditis pænitentium peccatis ipsos solent ante absolutionem ad dolorem excitare, sed non esset talis, si ex necessitate prærequireretur dolor ad confessionē verbalem, ergo necessario non prærequiritur. Minor probatur, quia illa excitatio ad nihilum valeret, siquidem ille dolor, qui per talem excitationem eliceretur in ordine ad fructum pænitentiæ, cum non esset præcedens confessionem, perindè se haberet, ac si non esset elicitus.

7 Confessio, & dolor debent præcedere absolutionem.

Conclusio II. Confessio, & dolor debent ex necessitate præcedere absolutionem. In hanc arbitror omnes consentire, & signantèr *Suarez. de pænitentia disp. 20. sect. 4. nu. 30., Bonacin. de Sacram. pænit. disp. 5. q. 3. punct. 2. num. 20.*

Ratio ex eo deducitur, quod ex genere suo omnis dispositio, & causa materialis debet præcedere formam, ad quam est dispositio, & causa materialis, ergo, cum confessio, & dolor sint dispositio, & causa materialis absolutionis, debent eam præcedere, quæ præcessio non solum debet esse in causis Physicis, respectu quarum in ordine ad effectum sufficit, quod fit cum prioritate naturæ, sed etiam in causis moralibus, quando dispositio, & causa materialis est per vnum exhibenda, & forma ab altero est impendenda, in quibus videtur in dispositione prærequiri prioritas temporis; cum etenim non possit fieri simul applicatio dispositionis, & formæ, dispositio, vt plurimum non solum præcedit natura, sed etiam tempore.

8 Dispositio debet præcedere formam

9 Et cognitio causæ sententiam.

Confirmatur, quia Sacramentum pænitentiæ exercetur per modum iudicij reconciliatiui; sed in iudicio reconciliatiuo ante Iudicis sententiam prærequiritur cognitio causæ cum accusatione rei, ergo ante absolutionem requiritur confessio Sacramentalis, hoc est dolorosa &c.

Dices, in causis moralibus non esse necesse applicationem esse Physicam; sed sufficere moralem, quæ æquè haberi potest, siue materia applicetur formæ immediatè antea, siue immediatè post; sicuti enim non est necesse, quod causa moralis existat, quando effectus producitur, vt videre est in forma Eucharistiæ, quæ quando est effectus transubstantiationis, non est; sicuti igitur in moralibus non requiritur coexistentia Physica causæ, & effectus, sed tantum moralis consistens in eo, quod causa immediatè præcesserit, ita non videtur in eisdem moralibus requiri præexistētia materiæ adæquatè sumptæ ad formam, sed sufficit, vel sola coexistentia simultanea, vel etiam subsequens. Sed contra, quia in primis Sacramenta non causant tantum moralitèr, sed etiam Physicè, vt vidimus in quæstionibus de Sacramentis in genere; vnde verba consecratoria causant corpus Christi, quando sunt non formalitèr, & secundum se tota, sed virtualitèr, & secundum vltimam particulam, in qua tota virtus refunditur, & sic stante hac doctrina cessat tota vis instantiæ.

10 Sacramenta etiam Physicè causant gratiā.

Dici etiam potest, & quidem clarius, & directius ad rem præsentem, quod, cum hic agatur de iudicio reconciliatiuo, de cuius natura, & conditione est, vt ante sententiam reconciliatiuam cognoscatur status Rei reconciliandi, vtique prærequiratur ad eandem materia, supra quam cadere debet reconciliatio, quæ ratio non militat in causis moralibus vniuersalitèr loquendo, quæ, cum causent non per influxum Physicum, sed tantum intentionalem, vtique causare possunt, etiam si Physicè non perseuerent.

11 Si dolor incæpta iam forma essentiali subsequatur non est vtilis.

Hic soboritur alia difficultas, an, si pænitens post præmissam confessionem verbalem eliciat actum doloris incæpta iam forma absolutionis, validè, & vtilitèr eliciat, & consequatur effectum Sacramenti. Ex præactis videtur affirmatiuè respondendum, cùm etenim Sacramenta, vt mox exemplificatum est in illo Eucharistiæ, tunc solummodo causent suum effectum, quando terminatur vltima sillaba formæ eorundem, & materia ponatur ante eandem vltimam sillabam videtur sufficientèr poni pro tempore, pro quo potest ad eundem effectum concurrere. Procedit difficultas quoad verba, quæ habent rationem formæ essentialis, nam, si dolor eliceretur, quando proferuntur verba, quæ sunt præambula ad ipsam formam essentialem, & solum sunt deprecatoria; non dubitarem, quin talis dolor esset sufficientèr, & validè elicitus, cum plenè præcesserit ipsam formam essentialitèr absolutoriam. Loquendo igitur de ipso dolore elicito incæpta eadem forma essentiali probabilius sentiendum est, non sufficere ad valorem Sacramenti *Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 3. punct. 2. num. 19.* Ratio est,

eſt, quia, ſi dolor applicaretur abſoluta iam forma, inutiliter applicaretur, ergo etiam ſi applicaretur incæpta iam forma ſubſtantiali. Conſequentia probatur, quia tota forma eſt de eſſentia Sacramenti, adeout, ſi deficiat pars eiuſdem, totus eiuſdem valor deficiat, ergo eodem modo ratiocinandum eſt, quando materia proxima applicatur perfecta tota forma, ac quando applicatur eadem iam cæpta; Neque vrget argumentum pro parte aduerſa adductum, quandoquidem, licet tota vis formæ refundatur in vltimam ſillabam, vltima tamen ſillaba habet vim non à ſe ipſa, ſed à præcedentibus verbis eſſentialibus, quæ intelliguntur vim in eandem transferre, vnde, ſi vltima ſillaba ſolummodo proferretur, nihil efficeret; cum igitur materia proxima debeat eſſe applicata ante formam, eamque eſſentialem, vtique debet eſſe applicata, antequam pars eiuſdem formæ eſſentialis ſit prolata nihilò ſuffragante, quod vltima ſillaba eiuſdem formæ adhuc ſit proferenda, cum hæc non habeat vim ſine præcedentibus, quæ præcedentia, quando forma fuit applicata, non amplius exiſtebant, adeoque non poterant eandem materiam informare.

12 Nõ currit paritas de baptiſmo.

Dices, ſi proferatur aliqua pars eſſentialis formæ baptiſmi, vel fortè etiam tota forma, antequam infans abluatur, validè baptiſmus confertur, quamuis ablutio ſit materia proxima eiuſdem, ergo etiam ſi proferatur pars eſſentialis formæ pænitentiæ, antequam dolor eliciatur, validè Sacramentum confertur. Sed contra, quidquid ſit de forma baptiſmi, de qua latus erit ſermo in quæſtionibus de eodem, non currit paritas de ipſo baptiſmo quoad præſens inſtitutum, ac de Sacramento pænitentiæ, quandoquidem hoc exercetur, vt ſupra innuebamus, per modum iudicij reconciliatiui, de cuius ratione eſt, vt ante reconciliationis ſententiam præcedat cognitio cauſæ, non quomodocunque, ſed doloroſæ.

ARTICULUS VI.

De Confeſsione per interpretem.

SUMMARIUM.

Synopſis agendorum circa hunc titulum. 1.

Congruè non eſt facienda confeſſio per interpretem, quando fieri poteſt ore proprio. 2.

Si fiat per interpretem ſine cauſa, an ſit valida. 3.

Si ita fiat ex fine mortalitèr prauo, erit inualida, ſecus, ſi ex fine, qui non ſit mortalitèr prauus. 4.

Si careat idiomate, quo poſſit à Confeſſario intelligi, non ſolum vrgente neceſſitate, ſed etiam extra illam confiteri poterit per interpretem. 5.

Vrgente præcepto annuæ confeſſionis non tenetur confiteri per interpretem. 6.

In periculo mortis; ſi aliter non poteſt, tenetur per eundem interpretem confiteri. 7.

SUb hoc titulo plura veniunt examinanda. Primò, an, ſi quis habens liberam facultatem ore proprio confitendi propria peccata, poſsit licitè ex libertate vti alio tanquam interprete, qui ſua peccata referat Sacerdoti. Secundò, an, quando non habet idioma, quo eiuſdem peccata poſsint percipi a Sacerdote, poſsit, ſi velit eadem per interpretem eidem Sacerdoti exponere, & an teneatur vrgente aliquo confeſſionis præcepto. Tertiò, an ſaltem teneatur eundem interpretem adhibere, quando eſt conſtitutus in articulo mortis, nec poſſit aliter exponere.

1 examinanda circa hunc titulum.

In ordine ad primum, non approbarem, confeſſionem poſſe ſine iuſta aliqua cauſa fieri per interpretem, quando fieri poteſt ore proprio. In hoc arbitror communitèr conuenire; tum quia inter cæteras conditiones confeſſionis ſupra recenſitas eſt, vt ſit ſecreta, & Concilium Lateranenſe expreſsè dicit, *Omnia ſua ſolus peccata confiteatur proprio Sacerdoti*, & Concilium Florentinum in decreto Eugenij tradit materiam huius Sacramenti eſſe confeſſionem oris; non eſſet autem ſecreta, ſi ſine cauſa fieret per interpretem, nec pænitens ſolus confiteretur, nec per confeſſionem oris; tam quia modus confitendi propria voce eſt communi vſu receptus; à quo ſine cauſa non licet recedere; tum quia ſine aliqua iuſta cauſa, & neceſſitate prodigeret propriam famam, &, ſi illicitum eſt teſte *Bonacina diſp. 5. q. 5. ſect. 2. §. 2. num. 23.* ſaltem ſub veniali confiteri peccata alio audiente, eo, quia ſine cauſa apud ipſum prodigeretur propria fama, certè non poterit eſſe, niſi illicitum confiteri peccata per interpretem, cum hoc fieri poſſet ore proprio, cum etiam apud interpretem prodigeretur eadem fama; tum quia modus manifeſtandi peccata voce propria eſt magis accomodatus ad obtinendam remiſſionem peccatorum, ſeu fortè etiam maiorem gratiam, ſiquidem trahit ſecum quandam erubeſcentiam, quæ, quamuis neceſſaria non ſit, confert tamen ad maiorem dolorem, & ſatisfactionem.

2 Non eſt facienda per interpretem, quando fieri poteſt per ſe ipsũ.

Sed, an, ſi fieret ſine cauſa per interpretem, cum commodè fieri poſſet per propriam vocem, intelligeretur inualida eadem confeſſio? Reſolutio pendet ab eo, an

3 Si fiat per interpretẽ ſine cauſa, an ſit valida.

an in tali modo confessionis per interpretem sine causa inuoluatur aliqua culpa lęthalis, quæ potius consideranda est penes affectum, & fines sic confitentis, quam penes naturam rei; non enim ex institutione Christi restrictum est onus ad eandem faciendam ore proprio. Quamobrem dicendum est, quod, si non inuoluat aliquem prauum finem læthalitèr peccaminosum, non sit peccaminosa læthalitèr, adeoque ex hoc præciso capite, nec inualida. Ratio est, quia ex nullo ex allegatis motiuis in probatione nostræ opinionis resultat noxa læthalis; non ex eo, quod debeat esse secreta, confessio oris, & coram solo Sacerdote, quia hæc omnia sunt ex consilio, & ad melius esse, non ex præcepto, & ad necesse esse, item secundum id, quod consuetum est, non secundum id, quod necessarium est; non ex eo, quod fiat recessus à communi modo confitendi peccata, quia ille modus inductus est non limitatiuè, & restrictiuè, sed quia magis proprius videtur, & magis accomodatus, nec cum onere illum seruandi sub læthali; nec ex eo, quod prodat propriam famam apud interpretem, quia, vt asserit idem *Bonacina loc. cit.*, hoc non est læthale, sed ad summam veniale, &, sicuti non est læthale, si quis amico proprium delictum manifestet, à quo sciat non esse alijs manifestandum, ita, nec videtur lęthale, si illud prodat interpreti, quem nouit non posse alijs prodere; non tandem ex eo, quod manifestando per interpretem videatur quodamodo se eximere a quadam erubescentia, quam contraheret manifestando ore proprio, quia talis erubescentia non est de necessitate Sacramenti, sed dumtaxat dolor, qui consistere potest sine eadem.

4 Si fiat ex fine, qui non sit mortaliter prauus non est irrita.

Rationes pro hoc asserto.

In ordine ad secundum, quando pænitens non habet idioma, quo possit intelligi à Confessario, dicendum est primò, posse licitè non solum vrgente aliquo præcepto puta annuo confessionis vti interprete, sed etiam nullo vrgente præcepto, si velit ex propria deuotione confiteri ad emundandam animam suam à peccatis. Ratio est, quia nullo iure est prohibita confessio per interpretem, quando fieri nequit ore proprio immediatè, & directè, & consilium, si quod est, vt fiat ore proprio, intelligitur, quando hoc commode fieri potest, nec est præsumendum, quod Christus Dominus, seu Ecclesia voluerint in hac hypothesi priuare pænitentes vtilitate Sacramenti; Neque obstant, quæ dicebantur in probatione præcedentis nostri asserti, quia illa omnia cessant interueniente necessitate, & vtilitate eiusdem pænitentis, qui potest velle præferre salutem propriæ animæ cuicunque incommodo ex illa confessione resultanti, & etiam propriæ famæ.

5 Si careat idiomate intelligibili à confessario potest vti interprete etiam extra necessitatem.

Dicendum secundò, etiam vrgente præcepto annuæ confessionis, si non possit ore proprio, non teneri confiteri per interpretem, & excusari tunc ab obseruatione præcepti. *Scotus in 4. dist. 17. q. 1. art. 4., Caietanus in summa verb. confessio condit. 11., Nauarrus in c. Fratres num. 86. dist. 5. de pænit., Toletus lib. 3. c. 6. num. 4., Valentia disp. 7. q. 11. punct. 1., Laiman lib. 5. tract. VI. c. 6. num. 5., Bonacina de Sacram. pænit. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 2. prop. 11. num. 22.* Ratio ex eo deducitur, quod Ecclesia non solet præcipere, nisi, vt confessio fiat, quando est facienda, secreta, vnde in Concil. Lateranensi dicitur, *Omnia sua solus peccata confiteatur proprio Sacerdoti*, nec præsumendum est, Ecclesiam velle obligare cum tanto incommodo, & iactura aliquali propriæ famæ.

6 Vrgente præcepto annuæ confessionis non tenetur confiteri per interpretem.

In ordine ad tertium, quando quis est constitutus in periculo mortis, nec potest aliter sua peccata manifestare, sentiendum est, teneri per interpretem eadem confessario exponere, præsertim, si dubitet, non posse verum contritionis actum elicere. *Canus relect. 6. de pænit., Suarez disp. 21. sect. 3., Henriquez lib. 4. c. 4. n. 4., Laiman lib. 5. tract. 6. de Sacram. pænit. c. 6. num. 5., Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 2. prop. 11. num. 23. vers. addo fieri posse.* Ratio est, quia periculum animæ præponderare debet iacturæ famæ, aliorumque bonorum externorum, & lex charitatis erga se ipsum potissimum in tanto vitæ discrimine obligat ad ea media, quæ reputantur necessaria, & tutiora ad æternam salutem obtinendam.

7 Vrgente periculo mortis tenetur.

ARTICULUS VII.

An confessio fieri possit absenti, vel per literas, vel per nuntium.

SUMMARIUM.

Varij sensus sub quibus potest titulus procedere. 1.

Confessio facta absenti, vel per literas, vel per nuntium non subsistit, si etiam absolutio absenti impendatur. 2.

Hoc videtur voluisse Concilium Tridentinum. 3.

Hocque euincit ipsa forma absolutionis. 4.

Confessio facta absenti per literas, & implicitè ratificata præsenti valida est. 5.

Non est necesse, quod fiat per verba proprij oris. 6.

Dispar ratio de absolutione, quæ fieri debet per

per verba, ac de confessione. 7.
Non sufficit præsentia pænitentis quomodocunque, sed requiritur saltem virtualis ratificatio personalis. 8.
In quo consistat illa virtualis ratificatio. 9.
Quomodo intelligendum sit decretum Clementis VIII. 10.
Variæ DD. sententiæ circa tale intellectum. 11.
In quo dissentiant Suarez, & Madernus. 12.
Non sufficit præsentia pænitentis materialis. 13.
Euincitur ex declaratione Pauli V. 14.
Per solam præsentiam materialem Sacerdos non redditur certus de dispositionibus eiusdem. 15.
Soluitur instantia de eo, qui correptus morbo dedit signa pænitentiæ absente Sacerdote coram alijs, qui deponunt de talibus signis. 16.

1 Sensus, sub quibus potest titulus discuti.

MVltipliciter potest titulus sumi; vel quatenus fieret confessio per scripta, vel per nuntium Confessario absenti, & ab hoc etiam absolutio impenderetur pænitenti adhuc absenti, vel quatenus confessio fieret Sacerdoti absenti per literas, vel per nuntium, sed absolutio impenderetur pænitenti præsenti, quatenus postea hic accederet, & peteret à Sacerdote absolutionem peccatorum, quæ in literis expressit, vel manifestauit per nuntium, vel quatenus missis iam literis expressiuis peccatorum, vel nuntio eadem manifestante pænitens factus præsens ratificet peccata in literis exarata, vel à nuntio manifestata, vel quatenus factus præsens non ratificet, nec vllum præbeat doloris signum.

2 Confessio, & absolutio simul facta absenti nó tenet.

Conclusio I. Confessio facta absenti per literas, vel per nuntium non est subsistens, si etiam absolutio absenti impendatur *Pitigianus in 2. dist. 17. q. vnica art. 8. concl. 2., Valentia tom. 4. disp. 7. q. 11. punct. 1., Suarez disp. 19. sect. 3. num. 7., Toletus lib. 3. c. 6., Vasquez de pænit. q. 91. art. 3. dub. 2., & alij communiter*, nec videtur amplius ambigendum stante decreto hac de re habito à Clemente VIII., vbi absolutionem absenti collatam declarat inualidam, & afficit excommunicatione Summo Pontifici reseruata, qui absoluunt absentem, quod decretum refert de verbo ad verbum *Suarez loc. cit. num.* 15.

3 Euincitur ex Concil. Trid.

Probatur primò, ex *Concil. Trident. sess. 14. c. 2.* vbi sic loquitur. *Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc Tribunal tanquam reos sisti voluit.* Nota illas particulas, *ante hoc tribunal sisti voluit*, quæ secundum propriam significationem important præsentiam sistentis, vt colligitur *ex tot. tit. ff. si quis cautionibus.*

4 Et ex ipsa forma absolutionis.

Probatur secundò, ex ipsa forma essentiali absolutionis, in qua dicitur, *Absoluo te*, sed pænitente absente non potest verificari illa particula *te*, quæ ex genere suo est indicatiua personæ præsentis, supra quam cadit absolutio, seu cadere debet, ergo non verificata forma non potest subsistere eadem absolutio.

Probatur tertiò, quia absolutio debet cadere supra actus immediatos pænitentis, qui sunt dolor, & confessio, sed non caderet immediatè super istos actus pænitentis immediatos, si hic non esset præsens, ergò absolutio, vt sit valida, debet habere pænitentem præsentem. Minor probatur, quia, vt cadat super actus immediatos pænitentis, debet huiusmodi actus innotescere Confessario absoluenti, & esse eidem præsentes, vnde requiritur præsentia eius, cuius sunt actus.

Ex his rationibus clarè liquet, inualiditatem Sacramenti, quando pænitens est absens, dum impenditur absolutio, esse ab intrinseco institutionis Sacramenti, non ex mera lege Pontificis, quod etiam alia ratione euincitur, quia scilicet Clemens VIII. in eadem sua Constitutione declarauit, sententiam asserentem esse validum Sacramentum, esse falsam, temerariam, & scandalosam, sed non esset talis, nisi esset inualidum Sacramentum ex sua intrinseca institutione, quia Ecclesia non potest inualidare Sacramenta, quæ ex sua intrinseca ratione sunt valida, ergo, si Pontifex declarat Sacramentum inualidum, quod confertur absenti, hoc est, quia inualidum sentit ex sua intrinseca institutione, non propter suam declarationem, per quam non potest inualidare.

5 Facta absenti, & ratificata præsenti valida est.

Conclusio II. Confessio facta absenti per literas, vel per nuntium, si postea pænitens accedat ad Confessarium petens absolutionem eorundem peccatorum, quæ manifestauit per nuntium, vel literas, valida est, & suum consequitur effectum. *Bonacina de Sacram. pænit. disp. 5. q. 4. punct. 5. num. 2., Nugnus in addit. q. 6. art. 3. difficult. 2. vers. pro explicatione, Pitigianus in 2. dist. 17. q. vnica art. 8. concl. 2., Madernus tract. 4. de virt., & Sacram. pænit. q. 4. de confessione art. 10. num. 5.* dum dicit posse absolui, si in præsentia Confessarij ratificet confessionem factam in scriptis, vel per nuntium; Intelligitur autem ratificare, dum præsens petit absolutionem eorundem peccatorum.

6 Non est necesse, quod fiat per verba propria.

Probatur primò, quia non est necesse ad valorem Sacramenti, quod peccatorum confessio fiat verbis à pænitente prolatis, cæteroqui esset inualidum Sacramen-

mentum factum per confessionem pænitentis muti per nutus, vel per signa, vel factam per interpretem, vel proximi ad mortem dantis signa pænitentiæ, ergo etiam poterit validè fieri per scripta, vel per nuntium, si cætera concurrant requisita ad valorem ipsius Sacramenti, puta dolor manifestatus per sensibilia signa, & manifestatio eorundem peccatorum, quæ intelliguntur concurrere, quando facta confessione in scriptis pænitens petit absolui ab illis peccatis, quæ in illis scriptis continentur.

Probatur secundò, quia posita materia remota peccatorum subiectata clauibus, & proxima per actus doloris pænitentis præsentis, & exprimentis se ea peccata, quæ scripto expressit, detestari, & petere ab illis absolui, & debita absolutione habetur quidquid requiritur ex Christi Domini institutione ad substantiam huius Sacramenti; habetur enim verum iudicium per formam iudicatiuam, & iudicialem; refertur etenim ad pænitentem præsentem, & ad peccata per ipsum subiectata in scriptis, ergo non est, cur non debeat esse validum Sacramentum.

7 Dispar ratio de absolutione ac de confessione.

Dices, absolutio essentialitèr consistit in verbis à Sacerdote proferendis, nec sufficienter poni potest per literas, nec per nutus, ergo etiam confessio debet esse essentialitèr per verba pænitentis, nec potest poni &c. Sed contrà, dispar omninò est ratio, nam absolutio, vt per Concilia definitur; ex sua institutione, cum sit forma, debet esse per verba, cum omnia Sacramenta excepto matrimonio, constent verbis tanquam forma; materia autem saltem remota consistit in rebus, nec alicubi constet, definitum esse in Sacramento pænitentiæ requiri confessionem ore faciendam esse, sed per actus externos remotam subijciendam esse clauibus, quod æquè habetur per verba, ac per nutus, seu scripta; Neque dicas ex Apostolo *ad Roman.* 10. haberi, *Ore autem confessio fit ad salutem.* Contra enim est, quia ibi, vt habetur ex contextu aliorum verborum præcedentium, & subsequentium, est sermo de confessione fidei, quæ vrgente necessitate verbis proferenda est ad tirannorum perfidiam superandam, vt videbimus, dum de fide.

8 Requiritur cū præsentia saltē virtualis ratificatio.

Conclusio III. Facta confessione per literas, seu per nuntium ad validam absolutionem non sufficit præsentia pænitentis quomodocunque, sed requiritur vlterius, quod vel formalitèr, vel æquiualentèr ratificet eandem confessionem. Consentit *Madernus tract. 4. de virtute, & Sacram. pænit. q. 4. de confessione art. 10. n. 5.* Dixi, *vel formalitèr, vel æquiualentèr,* quia non est necesse, quod expresse dicat; Ratifico confessionem peccatorum, quæ sunt in literis ad te missis exarata, vel per nuntium talem exposita, sed sufficit, quod præsens de illis peccatis petat absolutionem, quia talis petitio æquiualet ratificationi. Procedit potissimum conclusio in casu, quo pænitens præsens possit, si velit confessionem factam in literis, vel per nuntium ratificare, & dare signa doloris, & non ratificet, & non det talia signa; nam in casu, quo non possit ratificare, eo quia constituatur in articulo mortis, & sensus omnes amiserit, erit alibi sermo.

9 In quo cōsistat illa virtualis ratificatio.

Probatio hujus conclusionis potissimum dependet ab intellectu propositionis damnatæ à Clem. VIII. ac eiusdē decreti, quod sic habet. *Sanctissimus &c. maturè; ac diligentèr considerata re hanc propositionem scilicet licere per literas, seu internuntium Confessario absenti peccata Sacramentalitèr confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere ad minus vti falsam, temerariam, & scandalosam damnauit &c.* Circa quam propositionem, & decretum diffident DD. an illud intelligendum sit copulatiuè, adeo vt comprehendat non solum absolutionem factam absenti, sed etiam confessionem absenti factam per literas, seu internuntium, an vero disiunctiuè, quatenus per illud damnetur propositio quoad vnā partem, non quoad alteram, hoc est quoad absolutionem, non vero quoad confessionem factam absenti, vt ab eodem præsente postea absoluatur. *Suarez disp. 23. sect. 1. §. atque ex hac resolutione Becanus de Sacramentis c. 37. q. 8., Filliutius tom. 2. tract. 7. c. 1.* intelligunt damnationem intelligi copulatiuè de vtroque, adeout vim habeat solummodo, quando tam absolutio, quam confessio fit inter absentes. *Arriaga disp. 36. sect. 4.* vult intelligi non solum copulatiuè, quando vtraque fit absenti, sed etiam disiunctiuè quoad vnam partem quoad absolutionem scilicet faciendam absenti, non autem quoad confessionem factam per literas absenti, quando absolutio impenditur præsenti. *Madernus d. tract. 4. q. 4. art. 10. num. 5.* sentit per decretum Clementis VIII. non solum damnari opinionem, quæ asserebat posse licitè dari absolutionem absenti, sed etiam quæ dicit confessionem Sacramentalem posse fieri absenti, adeout, si præsentia desit, siue in absolutione, siue in confessione non subsistat Sacramentum. Quamuis autem, tam Suarez, & alij mox allegati, quam Madernus intelligant damnationem procedere copulatiuè, discrepant tamen in eo, quod Suarez vult non posse validè impendi absolutionem, quando deficit, & præsentia

10 An decretum Clem. VIII. intelligēdum sit copulatiuè, an disiunctiuè.

11 Variæ DD. sententiæ.

sentia in confessione, & etiam in absolutione, secus autem, quando solum deficit in confessione, non in absolutione; Madernus vero non solum vult, vt non possit impendi absolutio, quando præsentia deficit in vtroque, sed etiam quando deficit in sola confessione, licet non deficiat in absolutione; quod, vt explicet, admittit quidem, posse per literas, seu internuntium deferri peccata Sacerdoti absenti, sed non admittit esse confessionem Sacramentalem, nisi in præsentia ratificetur illa confessio facta in scriptis, & per internuntium, quando erat absens. Retenta hac doctrina Maderni, sic iam

12 In quo dissentiant Suarez, & Madernus.

Probatur conclusio. Illa confessio facta in scriptis, vel per internuntium Sacerdoti absenti non est valida secundum se, nisi à Sacerdote præsente, & in præsentia pænitentis impendatur absolutio, vt expressè colligitur ex decreto eiusdem Clementis VIII., & fatentur etiam contrariæ sententiæ assertores, ergo neque erit valida, quantumuis a Sacerdote præsente impendatur absolutio, nisi ipse pænitens ratificet præcedentem confessionem factam in scriptis, vel per internuntium. Hæc consequentia probatur, quia per præsentiam illam materialem pænitentis non constituitur illa confessio in ratione propria materiæ proximæ Sacramenti, quæ antecedentèr non erat talis; in tantum etenim illa præsentia requiritur, in quantum per illam actus pænitentis requisiti ad valorem Sacramenti debent constitui moralitèr saltem præsentes, sed per illam præsentiam merè materialem actus non constituuntur præsentes, qui antecedentèr non erant, nisi de nouo ponantur per ratificationem, siue formalem, siue virtualem, ergo non erit valida illa confessio, nisi in præsentia ratificetur, &, si non ratificetur, remanet in ratione solum materiæ remotæ, non Sacramentalis. Propter hanc rationem, ni fallor, consentiunt in hanc opinionem plures ex antiquis Thomistis signantèr *Victoria in summa num. 121.*, *Nugnus in addit. tertiæ partis q. 9. art. 3. diffic. 2.*, *Petrus Dusal in q. 1. supplem. art. 2. disp. 3.*, *Aluarez in prima secundæ disp. 80.*, *& alij*.

13 Nō sufficit præsentia pænitētis materialis.

Probatur secundò, ex declaratione *Pauli V. die 14. Iulij 1605.* cui, cum fuisset proposita explicatio, quam nonnulli habebant super decreto Clementis VIII. asserentes damnari ab eodem Clemente propositionem illam copulatiuè, non disiunctiuè, ita vt non possit quidem dari absolutio absenti, possit tamen sine læsione eiusdem damnationis quis per literas confiteri absenti, respondit illam explicationem non posse subsistere, & iterum confirmauit decretum eiusdem Clementis; ergo &c.

14 Euincitur ex declaratione Pauli V.

Probatur tertiò ratione. Confessarius non potest licitè absolutionem impendere, nisi sit moralitèr certus de dispositionibus pænitentis requisitis ad valorem Sacramenti; sed per illam confessionem factam in absentia siue per literas, siue per internuntium, & per illam præsentiam merè materialem pro tempore absolutionis non potest esse moralitèr certus de illis dispositionibus, nisi in præsentia fiat ratificatio siue formalis, siue virtualis, ergo &c. Minor probatur, quia potest contingere, quod pænitens animum mutauerit, vel aliquod aliud peccatum commiserit.

15 Per solā præsentiam materialem Sacerdos non redditur certus de dispositionibus pænitentis.

Dices, confessio petita absente Sacerdote, & manifestata eidem per testes adstantes pro tempore, quo fuit petita, sufficiens est, vt eidem possit impendi absolutio à Sacerdote præsente, cui nota facta fuit petitio per eosdem testes; hoc contingeret in casu, quo quis inopinato morbo correptus peteret confessionem præsentibus testibus sine Sacerdote, cui postea aduenienti notificata fuerit petitio; hic etenim potest absolutionem impendere, quantumuis tunc præsentialitèr nulla doloris, & pænitentiæ signa sensibilia ederet, vt expresè tradit *D. Thomas opusc. 65. §. de Sacramento extremæ vnctionis*, & idem habetur in Rituali Romano iussu Pauli V. edito, vbi sic legitur. *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri vox, & loquela ægri deficiat, nutibus, & signis conetur Sacerdos, quoad fieri poterit, peccata pænitentis cognoscere. Quibus vtcunque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam, si confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est*, quinimmo *Cardinalis de Lugo disp. 17. sect. 4.* refert eundem Clementem VIII. interrogatum, an in hac hypothesi, qua moribundus dedisset signa pænitentiæ coram aliquibus, & postea loquelam amisisset, liceret absolutionem impendere, si isti attestentur Sacerdoti de signis pænitentiæ editis, respondisse, licere, ergo etiam poterit impendi absolutio pænitenti præsenti, qui prius confessionem in scriptis, vel per nuntium edidit Sacerdoti absenti, quantumuis tunc, quando Sacerdos est præsens, nulla ederet signa pænitentiæ, nec confessionem præhabitam in scriptis ratificaret. Sed contra; tum quia in moribundo sensibus destituto, qui ante signa pænitentiæ alijs præsentibus edidit manifestata per eosdem adstantes, actus eiusdem intelliguntur moralitèr præsentes, cum moralitèr censeatur durare in tali dispositione; in alio verò, qui edidit peccata per scripta, vel per nuntium, si postea fiat præsens, nec ratificet,

16 Soluitur instātia de eo, qui in periculo mortis dedit signa pænitentiæ absente Sacerdote.

ficet, nec præſentialitèr vlla doloris ſigna edat, cum ratificare, & edere poſsit, non præſumuntur actus eiuſdem requiſiti moralitèr præſentes, cum præſentia præciſè materialis eiuſdem talés non conſtituat; vnde Paulus V. in eodem Rituali exigit, vt in moribundo prius exigantur per nutus, & ſigna actus doloris, & pænitentiæ, & tunc ſolum admittit abſolui per atteſtationem eorum, qui fuerunt præſentes, quando ipſe non poteſt alia ſigna edere; Cum igitur pænitens, qui confeſſus eſt abſenti per literas, & nuntium poſsit ſigna edere, & ratificare, ſi non ratificet, & edat, non videtur abſoluendus; tum quia reſpectu moribundi, qui præcedentèr ſigna dedit pænitentiæ manifeſtata per teſtes poteſt eſſe moralitèr certus, quod non mutauerit ſententiam, nec aliud peccatum commiſerit, cum ſtatim deſtitutus fuerit ſenſibus, & loquela priuatus, & moralitèr cenſetur in illa diſpoſitione perſeuerare, cum agatur de æterna animæ ſalute inſtante periculo proximo mortis; reſpectu vero illius, qui peccata detulit per ſcripta, vel per nuntium non poteſt eſſe moralitèr certus, quod perſeueret in eadem diſpoſitione, cum potuerit ſententiā mutare, & in aliud peccatum incidere; tandem, quia Clemens VIII. expreſsè tradidit hunc caſum moribundi non comprehendi in ſuo decreto de confeſsione facta abſenti. Sed de his erit ſermo infrà vberior.

ARTICVLVS VIII.

An, & quomodo confeſsio debeant eſſe integra quoad ſpecies peccatorum.

SVMMARIVM.

Species in duplici differentia, Phyſicæ ſcilicet, & morales. 1.
Ad integritatem ſubſtantialem requiritur expreſſio omnium ſpecierum moralitèr diſtinctarum. 2.
Euincitur ex Concil. Trid. 3.
Iudicium pænitentiale exigit, vt fiat cognita cauſa, & ſtatu Rei. 4.
Species diuinationis differunt tantum Phyſicè. 5.
Peccatum beſtialitatis non differt in ſpecie ratione diuerſorum brutorum, cum quibus commiſſum. 6.
Iudicium ſalutare exigit diſtinctam notitiam culparum. 7.

SPecies ſunt in duplici differentia; aliæ ſunt Phyſicæ, aliæ morales. Phyſicæ illæ ſunt, quæ verſantur circa obiectum Phyſicum, & ſunt diuerſæ, ſi habeant diuerſa obiecta Phyſicè. Morales, quæ verſantur circa obiectum morale, à quo ſpecificantur. Diuerſitas ſpecifica moralis peccatorum non deſumitur a diuerſitate ſpecifica Phyſica obiectorum, cum idem actus moralis in ſpecie poſsit habere pro obiecto diuerſos actus in ſpecie Phyſicos; ſic, ſi v. g., ſi quis in ordine ad fornicandum mittat dona ad Amaſiam, iter diuturnum ſuſcipiat &c. habet actiones Phyſicè ſpecie diuerſas, & tamen eſt vnum peccatum morale in ſpecie fornicationis; ſic etiam poteſt quis vnam actionem in ſpecie Phyſica exercere, quæ tamen habeat diuerſam in ſpecie malitiam moralem, vt, ſi quis ad occidendum inimicum iter ſuſciperet, & ſegetes contereret, contraheret duplicem moralem in ſpecie malitiam, & tamen vnam actionem Phyſicam exerceret.

1 Species aliæ Phyſicæ, aliæ morales.

Concluſio. Ad integritatem ſubſtantialem confeſsionis ſpectat, omnia peccata læthalia exponere clauibus ſecundum ſpecies morales, quæ poſt diligentem diſcuſſionem memoriæ occurrunt, quod dixerim ad innuendum non ſemper requiri ad validitatem Sacramenti integritatem materialem, ſed quandoque ſufficere formalem, vt infra ex profeſſo diſcutiemus. Dixi, *ſubſtantialem*, quatenus ſine ipſa non poſſit Sacramentum ſubſiſtere, & propterea ſubdidi *omnia peccata læthalia*; nam integritas quoad venialia nec eſt neceſſaria, nec pertinet ad ſubſtantiam Sacramenti. Dixi, *quoad ſpecies morales*, quia ſpecies Phyſicæ, ſi non aduerſentur moribus, & rectæ rationi nullam malitiam inuoluunt, &, ſi quam inuoluunt, non ſolum ſunt Phyſicæ, ſed etiam morales.

2 Requiritur confeſſio omnium ſpecierum moralium.

Expreſsè colligitur *ex Concil. Trid. ſeſs.* 14. c. 5. Ibi- *Itaque, dum omnia, quæ memoriæ occurrunt peccata Chriſtifideles confiteri ſtudent, procul dubio omnia Diuinæ miſericordiæ ignoſcenda proponunt; qui vero ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nil Diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt; ſi enim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat*, vbi nota primò illa verba. *Quæ memoriæ occurrunt*, quæ indicant ſufficere integritatem formalem, cum poſsit contingere, quod pænitens alia peccata commiſerit ab illis, quæ memoriæ occurrunt, & tamen ibi dicitur, quod Diuinę bonitati ignoſcenda proponuntur; Nota ſecundò, quod *qui ſcienter retinet aliqua, nil Diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponit*, intelligitur autem quis aliqua retinere, qui peccatorum ſpecies non manifeſtat. Confirmatur *ex eodem Trident. loc. cit.* Ibi. *Colligitur præterea eas etiam circumſtantias*

3 Euincitur ex Concil. Trid.

in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant, ex quibus ad rem nostram argumentum sic efformo. Circunstantiæ mutantes speciem sunt necessario in confessione aperiendæ, ergo à fortiori sunt aperiendæ ipsæ species diuersæ. Consequentia probatur; si enim propter diuersitatem specificam, quam habent illæ circunstantiæ sunt aperiendæ, multo magis ipsæ species diuersæ sunt manifestandæ iuxtà illud. *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis.*

4 Iudiciū exigit cognitionem status rei.

Probatur deinde ratione. Iudicium pænitentiale tale est, vt fieri debeat cognita causa, & statu Rei, sed non potest esse cognita causa, & status Rei, nisi per pænitentem aperiantur omnium peccatorum species morales; diuersus etenim est status Rei illius, qui infectus est labe luxuriæ ab illo, qui infectus est labe iniustitiæ, & diuersum efformatur iudicium de illo, ac de isto, & diuersa vtrique remedia sunt applicanda ad easdem labes sanandas, ergo sunt ómnes peccatorum species aperiendæ.

5 Species diuinationis differūt tantum Physicè.

Nec aliquod negotij mihi facescunt ea, quæ adducit *Caietanus tom. 1. opuscul. tract. 5. q. 3.* dicens, nimis onerosam esse pænitentibus obligationem explicandi singulas species, qui propterea eas distinguit in illas, quæ nec admodum notæ sunt, nec diuersum ingerunt iudicium in Confessario ad cognoscendum statum Rei, & ad imponendam congruam, & salutarem pænam, inter quas enumerat species in genere diuinationis, Necromantiam, Hydromantiam, Acromantiam &c., & in illas, quæ per se regularitèr notæ sunt, & in explicatione diuersum iudicium causant; has necessario aperiendas dicit, non illas. Addit vlteriùs iudicium Sacramentale diuersum esse à iudicio vindicatiuo, adeoque in hoc requiri exactam culparum cognitionem, & debitam pęnarum impositionem iuxta illud *Matthæi 5. Non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem*; in illo vero vtpotè medicinale nec in ordine ad pænas, nec in ordine ad iudicium exigi tam exactam cognitionem, cum non sit inductum ad pænam, seu vindictam, sed ad salutarem medelam iuxta illud. *Non misit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed, vt saluetur mundus per ipsum.*

Non, inquam, aliquod negotij mihi facescunt; nam illæ species, quas Caietanus asserit nec admodum notas esse, nec diuersum iudicium ingerere, sunt tantum diuersæ in genere naturæ, non in genere moris, quæ propterea necessario non sunt exprimendæ; huiusmodi sunt præallegatæ species diuinationis; vnde pænitens satisfacit dicendo: Toties peccaui peccato diuinationis, etiam si non addat per Necromantiam, vel per Hydromantiam &c. quia hæc diuersitas non est moralis, sed tantum Physica. Hac eadem ratione satisfacit, qui cum diuersis speciebus animalium peccatum bestialitatis commisit, sufficit enim, quod dicat toties peccatum bestialitatis commisi, etiam si non exprimat species animalium, cum quibus commisit. Eadem ratione dicunt plerique satisfacere in foro pænitentiæ Sacramentalis eum, qui prolapsus est in varias hæreses, modo Caluinianam, modo Nouatianam, modo Pelagianam &c. si dicat. Toties prolapsus sum in hæresim, etiam si non exprimat qualitates hæresum, in quas incidit, cum in specie morali non differant vtpotè, quæ opponuntur eidem virtuti Religionis, licet differant in specie Physica. Dixi, *in foro interno Sacramentalis pænitentiæ*, nam potest esse diuersa ratio in foro externo Sacræ Inquisitionis ob conuincendos specialitèr errores, in quos incidit, & congruas delicto pænas imponendas.

6 Peccatū bestialitatis cū diuersis brutis non differt in specie.

7 Iudiciū salutare exigit cognitionem distinctā culparum.

Ad illud, quod subdit idem Caietanus dicendum est, cum hoc iudicium sit salutare, requirere plenam culparum cognitionem, vt possit Confessarius tanquam medicus opportunum remedium ijs omnibus applicare, & pænitentiam non quidem ad vindictam, vt fit in iudicio vindicatiuo, sed ad medelam imponere.

ARTICULUS IX.

A quo desumenda sit diuersitas specifica peccatorum.

SUMMARIUM.

Sententia distinguens species peccatorum in ordine ad diuersa præcepta. 1.
Impugnatio huius sententiæ. 2.
Sententia distinguens ratione diuersorum obiectorum. 3.
Impugnatur, si procedat de obiectis materialibus. 4.
Sententia distinguens per ordinem ad diuersam in specie virtutem. 5.
Impugnatur ab Azorio. 6.
Ratio naturalis, & communis modificatur per diuersa motiua. 7.
Proximè specificantur peccata per oppositionem ad diuersas virtutes, remotè ab obiectis formalibus. 8.
Rapina, & adulterium non solum opponuntur iustitiæ, sed alijs virtutibus. 9.
Voluntas generalis malè viuendi, & malè agendi resoluitur in actum oppositum charitati sui ipsius. 10.

Nec tunc continet malitiam omnium peccatorum. 11.
Intentans occidere se ipsum ex varijs motiuis, non solum peccat contra charitatem propriam, sed etiam contra virtutes, quibus opponuntur illa motiua. 12.
Actus specificantur ab obiectis. 13.

QVamuis non videatur hic propria sedes huius quæstionis, cum potius videatur pertinere ad quæstiones de vitijs, & peccatis, quia tamen valdè confert ad distinguendas species peccatorum, quæ ex necessitate subijciendæ sunt clauibus, non incongruè hic examinandam assumimus; circa quam plures dicendi modos variasque inuenio sententias.

1 Sententia distinguēs species peccatorū per ordinē ad diuersa præcepta.

Prima sententia docet, peccata specie inter se distingui in ordine ad diuersa præcepta, quibus vetantur; sic docet *Scotus in 2. sentent. dist. 37. q. 1., Gabriel ibid. dist. 35. quæst. 1. art. 3.*, & quoquo modo idem videtur sentire *Pontius in suo cursu integro Theologiæ disp. 22. q. 4. concl. 3.*, dum dicit, diuersitatem præceptorum ex eo, quod superiores præcipientes sint notabilitèr differentes in superioritate, videri sufficere ad diuersitatem specificam transgressionum inducendam. Sed meritò hanc opinionem impugnant *D. Thomas prima secundæ q. 71. art. 6. ad secundum*, *Alexander part. 2. q. 115. in secundo*, nam, vel loquimur præcisè de pluribus præceptis ab eodem emanatis, vel de pluribus à diuersis superioribus impositis; si loquamur de primis; denegari non potest, quin sint duo præcepta ab eodem Deo imposita illa, *Non furaberis, non concupiscas rem alienam*, & tamen specie non differunt. Item, quia sunt duo illa. *Non mœchaberis, & non concupisces vxorem proximi tui*, & tamen violatio vtriusque non sunt duo peccata specie distincta. Item in ordine ad præcepta Ecclesiastica, non sunt duo peccata numero distincta, quin immo, nec specie fractio ieiunij in die, in qua viget præceptum propter quatuor Tempora, & propter peruigilium Apostoli tunc occurrens, & tamen sunt duo præcepta; Si vero loquamur de secundis, etiam denegari non potest, quod ex hoc capite præcisè non oriatur diuersitas specifica peccatorum, quod sic ostendo. Lex naturalis prohibet simplex furtum, quod etiam interdicit lex Diuina scripta, *Non furaberis*, & etiam lex humana; quis autem diceret furtum habere tres species distinctas?

2 Impugnatio huius sententiæ.

Secunda sententia docet, diuersitatem specificam peccatorum desumi ex diuersitate obiectorum, & in hoc videtur consentire *D. Thomas prima secunda q. 72. art. 1.*, quem postea secuti sunt eius discipuli, quod probant ea ratione, quia peccata sunt actus; actus autem distinguuntur per res obiectas; vnde, si obiecta sunt specie diuersa, etiam actus, & peccata erunt specie diuersa. Verum circa hanc sententiam considerandum est, an loquatur de obiectis materialibus, an vero de obiectis formalibus, & quidem, si loquatur de materialibus, non videtur posse subsistere, quia vnum, & idem obiectum materiale potest terminare diuersas in specie malitias, sic vna, & eadem gemma valoris centum aureorum potest terminare actum simplicis furti, si clanculum, & inscio Domino surripiatur, & etiam rapinam, si per vim, & iniuriam præsente Domino, & renitente accipiatur; furtum autem, & rapina specie differunt. Rursus possunt esse obiecta materialia specie diuersa, & tamen actus circa ipsa non differre specie, sic carnes, & pisces sunt obiecta materialia specie diuersa, & tamen, si quis intemperantiam in esu ipsorum committeret, non contraheret malitiam specie diuersam. Si verò loquatur de obiectis formalibus, potest hæc sententia verum habere, si nomine obiecti formalis intelligat res obiectas, non sub ratione præcisè entitatis, & rei, sed sub respectu, & ordine, quo contrariantur rectæ rationi. Sed adhuc remanet hic explicandum, quomodo, quamuis procedant sub illo respectu, & ordine, differant specie, cum recta ratio videatur vna, & eadem in specie? Sed ad hoc responderi potest, quod, quamuis ratio recta sit vna, & eadem in genere, diuersificatur tamen ex diuersa formalitate, quæ constituit diuersam rationem, de qua infra in conclusionis nostræ probatione.

3 Sententia distinguēs ratione diuersorum obiectorum.

4 Si procedat de obiectis materialibus non bene procedit.

Tertia sententia docet, peccata diuersificari in specie per oppositionem ad diuersam in specie virtutem, atque hæc videtur magis communis inter Theologos. Sed hanc impugnat *Azorius Instit. mor. tom. 1. lib. 4. c. 2. quæst. 3.* multis rationibus; & primò, quia iustitia est virtus in specie vna, & tamen aduersus eandem sunt multa in specie peccata, vt rapinæ, furti, adulterij, & similium. Secundò, quia pleraque sunt peccata, quæ nulli virtuti in particulari repugnant, sed solummodo aduersantur rectæ rationi, quæ est quid superius ad omnes virtutes; hoc multis in casibus exemplificat, & signantèr in eo, quo quis habet voluntatem generatim malè viuendi, & malè agendi, in qua certè peccatum inuoluitur, non tamen contra aliquam determinatam virtutem, sed contra synderesim, & contra rectam rationem. Item in eo, qui mortem sibi intentat, quod non semper præstat ex odio, ira, & praua ali-

5 Distinguens per oppositionem ad diuersam virtutē.

6 Impugnatur ab Azorio.

qua voluntate, sed quandoque ex bono alioqui voluntatis affectu, puta ne Deum amplius offendat, aut ne corporis integritatem amittat, at hoc non præstat contra aliquod alicuius virtutis motiuum, sed contra naturalem propensionem, quæ est quid superius ad quamcunque virtutem, quam quisque habet ad se conseruandum, seu habere debet. Tertiò, quia prodigalitas, & auaritia sunt vitia specie diuersa, & tamen sunt contra eandem in specie virtutem liberalitatis.

7 Ratio naturalis modificatur per diuersa motiua.

Pro resolutione præsentis quæstionis aduerte, quod, quamuis recta ratio, & naturalis propensio, si secundum se præcisè sumantur, sint quid superius ad quamcumque specialem virtutem, habeant tamen suas regulas, & motiua, per quas, seu, quæ diriguntur; vnde quodamodo comparantur ad illas tanquam genus ad suas species, sic naturalis, & recta ratio indicat, ne res aliena surripiatur, & ne nomen Dei blasphemetur, & ne alteri fiat, quod quisque sibi fieri non vult, & tamen illa ratio ex diuersis motiuis, à quibus specificatur, regulatur, & quoad primum ex motiuo iustitiæ, quoad secundum ex motiuo Religionis, & quoad tertium ex motiuo charitatis. Quibus positis sit

8 Proximè specificantur à virtutibus, remotè ab obiectis formalibus.

Conclusio. Vnitas, & diuersitas specifica peccatorum desumitur proximè, & formalitèr per oppositionem ad rectitudinem, & honestatem virtutum, quibus opponuntur, remotè autem, & fundamentalitèr ex obiecto formali. In hanc expressè consentit *D. Thomas prima parte q. 48. art. 1., & prima secunda q. 72. art. 1., Laiman lib. 1. tract. 3. c. 2. n. 2. de peccatis, & alij magis communitèr.*

Probatur prima pars, quia denegari non potest, quod peccatum formalitèr sit priuatio boni honesti, in quo virtus consistit, sed priuationes accipiunt speciem à forma, prout loquitur *D. Dionysius c. 4. de diuin. nomin., & D. Augustinus in Enchirid. c. 11., & seqq., & lib. 12. de Ciuit. Dei c. 8.*, ergo peccata speciem desumunt ab oppositione virtutum, contra quarum honestatem procedunt.

9 Rapina, furtum, & adulterium non solum opponuntur iustitiæ, sed alijs etiam virtutibus.

Neque obstant, quæ opponebantur ex aduerso contra tertiam sententiam; non primum desumptum ex oppositione rapinæ, furti, & adulterij ad virtutem iustitiæ, quia illa peccata enumerata non solum sunt contra iustitiam, sed etiam aduersantur alijs virtutibus; sic rapina non solum est contra iustitiam, sed etiam contra pietatem, & reuerentiam vnicuique debitam, quod optimè considerasse videtur *D. Thomas secunda secundæ q. 66. art. 4. in corpore*, dum dixit; iniusti duas esse species secundum diuersam rationem inuoluntarij, cum aliud sit per violentiam, aliud per ignorantiam personæ læsæ, violentia autem non solum est contra iustitiam, sed etiam contra pietatem, & reuerentiam &c.; furtum autem simplex est solummodo contra iustitiam; adulterium vero etiam contra virtutem castitatis.

10 Voluntas generalis malè viuendi opponitur charitati erga se ipsum.

Non secundum, quia licet recta ratio, & naturalis inclinatio sit vna in genere, diuersificatur tamen in specie iuxta diuersa motiua relata ad diuersas rationes formales, sub quibus procedit; nec obstant exempla allata; Non primum de voluntate generali malè viuendi, & malè agendi, quia illa voluntas resoluitur in actum oppositum charitati sui ipsius, adeoque per oppositionem ad illam specificatur; non enim potest dici, quod in illa voluntate sic generatim sumpta inuoluantur tot peccata specie distincta, quot sunt species, in quas posset incidere malè viuendo, & malè agendo; vnde tot illas species contrahet postea, quot virtutibus contrariabitur in cursu vitæ. Hoc exemplo à contrario sensu euincitur. Qui elicit actum contritionis, implicitè elicit actum, quo dicit, volo Deo placere in omnibus, & seruare omnia ejus mandata, nec tamen in illo actu acquirit meritum obseruantiæ illorum omnium mandatorum, quod tamen acquirit in actuali obseruantia eorundem, & ratio à priori est, quia in illo actu habet solum respectum ad Deum summè diligibilem, ergo à contrario sensu, qui elicit actum, quo dicit, volo malè agere, & per consequens displicere Deo, in illo actu non acquiret demeritum transgressionis omnium mandatorum, cum solum habeat pro obiecto voluntatem placendi sibi ipsi in omnibus delectabilibus, quorum malitiam postea contrahet in exercitio; & voluntate particulari illorum delectabilium.

11 Nec tūc continet malitiam omniū peccatorum

12 Intentus occidere se ipsū ex varijs motiuis non solū peccat contra charitatē propriam, sed etiā contra virtutes, quibus opponuntur illa motiua.

Non secundum, quia, qui intentat occidere se ipsum, vel ex ira, vel ex desperatione, vel ex aliquo, cæteroqui bono voluntatis affectu non solum peccat contra naturalem inclinationem conseruandi se ipsum inditam non solum creaturis rationalibus, sed etiam irrationalibus, sed etiam contra speciales virtutes oppositas iræ, desperationi &c. à quibus desumit speciem.

Non tertium, quia licet auaritia, & prodigalitas differant specie Physica, quia illa in retinendo, & acquirendo consistit, ista in dimittendo, & proijciendo, non differunt tamen specie morali, quia eidem virtuti opponuntur, ea proportionali ratione, qua præsumptio, & desperatio contra virtutem spei, & infidelitas, & nimia credulitas contra virtutem fidei licet Physicè differant, non differunt tamen moralitèr

litèr, cum illa habeat oppositionē contra spem, quæ est vnica virtus in specie, ista contra fidem, quæ etiam est vnica virtus.

Probatur secunda pars, quia virtutes etiam ipsæ specificantur penes ordinem ad obiecta, ergo peccata, quæ eisdem virtutibus opponuntur, saltem radicalitèr ab eisdem obiectis speciem desumunt. Confirmatur *ex D. Thoma prima secundæ q. 72. art.* 1. peccata sunt actus, sed actus sumunt suam specificam diuersitatem ab obiectis. Neque his, quæ hic dicuntur, obstant ea, quæ diximus in probatione primæ partis conclusionis nostræ, nempè, quod peccata computentur pro priuationibus, quæ desumunt speciem à forma, quæque propterea non possunt tanquam actus specificari ab obiectis; Non, inquam, obstant, nam in eo sensu dicuntur priuationes; quatenus carent ordine, & conuenientia rectitudinis; vnde quatenus carent ordine, & conuenientia rectitudinis, computantur, vt priuationes, quæ desumunt speciem à formis, quibus opponuntur, prout sunt actus speciem sumunt ab obiectis.

15 Actus specificantur ab obiectis.

ARTICULUS X.

An, & quomodo ad integritatem confessionis requiratur expressio numeri peccatorum.

SUMMARIUM.

Numerus peccatorum læthalium per conscientiæ discussionem memoriæ occurrentium est necessario in confessione aperiendus. 1.
Non tamen venialium. 2.
Nec læthalium, quæ fuerunt ante ritè confessa. 3.
Euincitur ex Concil. Trid. 4.
Numerus peccatorum diuersus diuersum parit iudicium. 5.
Quando certus numerus non innotescit, verisimilis est exponendus. 6.
Meretrix omnibus prostituta quomodo debeat numerum, & speciem peccatorum exprimere. 7.
Sententia Caietani exponitur, & excluditur. 8.
Verisimilior regula præscribitur. 9.

CONclusio. Ad integritatem substantialem confessionis requiritur, vt omnia peccata læthalia, quæ aliàs non fuerint confessa, secundum numerum eorundem clauibus exponantur, quæ post diligentem discussionem memoriæ obuenerint. Consentiunt communitèr, & signantèr *D. Thomas in 4. dist. 47. q. 3. art. 4., Suarez disp. 22. sect. 1. num. 6., Valentia tom. 4. disp. 7. q. 11. punct. 1. col. 1., Henriquez lib. 5. c. 5. num. 8., Bellarminus lib. 3. de pœnit. c. 1., Coninchus disp. 7. dub. 1. concl. 1. & alij.* Dixi, *læthalia*, nam, sicuti quoad venialia nulla est obligatio illa subijciendi confessioni simplicitèr, ita, nec est obligatio illa subijciendi quoad numerum, vnde pænitens poterit aliqua intra eandem speciem subijcere, & non omnia, vel vnum in vna specie, alterum in altera, quantumuis in vtraque multa numero contraxerit.

1 Numerus peccatorū læthalis est necessario in confessione aperiēdus.

2 Non tamen venialiū.

Dixi, *quæ aliàs non fuerint confessa*; nam quoad legitimè iam confessa nulla adest obligatio illa iterum clauibus exponendi; vnde, si pænitens velit ad effectum consequendi maiorem gratiam illa iterum subijcere, poterit aliqua, vel in specie, vel in numero exponere, & non alia. Intellige, si fuerint legitimè confessa, nam, si ritè non facta esset prior confessio, sed inualidè, vtique omnia quoad numerum teneretur confiteri, perinde, ac, si illa clauibus non subiecisset.

3 Nec læthalium ante ritè confessorū.

Dixi, *quæ post diligentem discussionem memoriæ obuenerint*, ex quibus verbis duo deducuntur; primum necessariam esse hanc diligentem discussionem, quam suprà diximus esse de iure Diuino; secundum, quod, si contigerit per diligentem discussionem non occurrere aliquod peccatum commissum, valida adhuc esset confessio, cum esset integra, si non materialitèr, saltem formalitèr, quod sufficit, vt infra videbimus.

Probatur iam conclusio primò ex Concilio Florentino in decret. Eugenij, vbi expressè hoc remanet definitum, & deducitur etiam satis expressè *ex Trident. sess.* 14. *c.* 5., vbi dicitur omnia peccata explicanda esse non solum in specie, sed etiam singillatim, quæ particula significat distinctionem, quæ non potest esse, nisi specifica, vel numerica, specifica autem esse non potest, cum Concilium de illa iam definierit, & illa particula *non solum*, cum sit relatiua importat distinctionem inter vnum, & aliud, ad quod refertur; subdit deinde idem *Concil. eod. loc., & ille, qui scienter aliquid retinet, nihil Diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum relinquit.*

4 Euincitur ex Concil. Trid.

Probatur secundò ratione. Diuersum est iudicium, quod efformat Confessarius circa vnum dumtaxat peccatum in specie, v. g. adulterij ab illo, quod efformat circa decem in eadem specie, & diuersus est status pænitentis infecti vna tantum labe peccati per vnum actum, ac ille alterius infecti multiplici labe per multos actus in eadem specie, ergo, cum requiratur ad absol-

5 Numerus peccatorū diuersus diuersificat iudicium.

absoluendum Reum, & sanandum ægrotum, quoad omnia perfectum iudicium; & diuersum iuxta diuersum statum pænitentium requiritur, vt omnia peccata in numero exponantur. Consequentia hęc probatur. Ideo requiritur ad integritatem requisitam ad confessionem expressio diuersitatis specificę peccatorum, quia iudicium fieri debet cum causę cognitione; & diuersum iuxta diuersitatem causę, scilicet peccatorum, adeout sit proportionatum statui pęnitentis; sed etiam iudicium quoad numerum peccatorum debet esse cum causę cognitione, & potest esse diuersum iuxta maiorem, vel minorem numerum eorundem, ergo &c.

Alia ratio pro asserto.

Probatur tertiò. Qui decem furta, v.g. secundum se lęthalia commisit per decem distinctos actus tenetur in omnium sententia vnum, vel alterum confiteri, ergo etiam tenetur omnia confiteri. Consequentia probatur. Decimum, vel nonum furtum, & sic de cæteris, si perueniat ad malitiam læthalem, vt suppono, non minus est peccatum, ac sit primum, vel secundum, quinimmo eiusdem omnino rationis, ergo, si tenetur ad primum, & secundum, tenebitur etiam ad nonum, vel decimum, ac sic de alijs.

Dices, non esse necesse, quod exprimatur, vel primum, vel secundum, vel aliud, sed sufficere, si asserat præcisè furtum commisisse. Sed contra, quia hoc non est exprimere peccata singillatim omnia, vt definit Tridentinum loc. cit. nec hoc ingerit in Confessario rectum, & exactum iudicium, cum sit diuersum, quando est de vno tantum peccato in aliqua specie, ac quando est de pluribus in eadem specie.

6. Quando certus numerus non innotescit verisimilis est exponendus.

Aduerte tamen, quandoque contingere posse, vt nequeat pęnitens certum suorum peccatorum numerum exprimere, vel ex obliuione inculpabili, vel ex nimia frequentia, & procliuitate in aliquod peccatorum genus cum effectu, vel ex ignorantia inuincibili. Quibus in casibus has statuo regulas. Si peccata non sint ex illis, in quę frequens pęnitens, vel ex procliuitate naturę, vel ex proxima occasione incidit, sentio sufficientèr satisfacere, si considerato attentè tempore, occasione, loco, & similibus, verisimiliorem numerum exponat, cum ex vno capite ad impossibile nemo teneatur, sed ad solam diligentem discussionem; ex alio per verisimilem expressionem probabile, & cum rationis dictamine iudicium ingerat confessario circa statum propriæ conscientiæ.

Si vero peccata sint circa materiam, circa quam nimia consuetudine, & frequenter peccator versatus est, vt videre est in meretrice prostituta; tunc *Caietanus tom. 1. opusc. tract. 5. q. 3.* sentit sufficere, si pænitens per tempus, & frequentiam, qua solitus fuit perpatrare delictum, exponat proprium statum, vt, si meretrix dicat. Per decem annos admisi quoscunque viros, cuiuscunque status, & conditionis, coniugatos, liberos, obstrictos voto castitatis &c. eo quia ex declaratione temporis, & frequentiæ magis intelligitur status pænitentis, quam per expressionem verisimilis numeri. Sed hæc opinio sic absolutè prolata, & sine alio addito non videtur subsistere; eo quia per talem expressionem Confessarius non potest prudens, & verisimile iudicium efformare, cum contingere possit, quod duę meretrices in eodem tempore semper paratę ad meretricandum non ęqualia in numero, & in specie crimina perpatrent, altera centum, altera mille. Quamobrem pro tutiori regula addendum existimo, quod pęnitens teneatur vltra tempus, & frequentiam verisimilitèr dicere. Toties in die, vel toties in hebdomada circum circa tale delictum committebam, quo posito debet Confessarius acquiescere, nec vlterius cogere pęnitentem ad certiorem numerum peccatorum exprimendum, ne in tali supputatione mentiatur. Ratio autem, cur pęnitens, & Confessarius per expressionem hoc modo factam debeant acquiescere, ea est, quia integritas ad confessionem requisita non est necesse, quod semper sit conformis peccatis commissis secundum se, sed eisdem peccatis secundum facultatem, & conscientiam pænitentis.

7 Quomodo meretrix debeat exponere.

8 Regula Caietani exponitur, & excluditur.

9 Verisimilior regula statuitur.

ARTICULUS XI.

A quonam desumatur vnitas, & distinctio numerica peccatorum.

SUMMARIUM.

Secundum nostra principia indiuiduatio sumitur ab entitate rei. 1.

Peccata, quæ circa idem obiectum animo perficiuntur, non multiplicantur, nisi moralitèr interrumpantur, & repetantur. 2.

Actiones morales non multiplicantur, quoties moralitèr perseuerant. 3.

Moralis interruptio distinguit inter vnum, & alium actum. 4.

Sententia docens, non constitui moralem interruptionem, nisi per retractationem, vel formalem, vel virtualem prioris actus. 5.

Interruptio in ijs, quæ solo animo perficiuntur, inducitur per solum temporis interiectum. 6.

Illatio deducta ex asserto. 7.

Non

EX resolutione huius quæstionis plura resultabunt, ex quibus facilè erit dignoscere, quando sit, nec ne multiplicatus numerus peccatorum, & sic plura explicabuntur, quæ fuerunt omissa in præcedenti articulo.

1 Secundum nostra principia indiuiduatio sumitur ab entitate rei.

Secundum nostra principia in metaphysicis res aliundè non indiuiduantur, seu non constituuntur vnæ in numero, nisi per propriam entitatem, seu hæcceitatem, quæ non solum videntur procedere quoad res Physicas, sed etiam quoad morales, & intentionales; ex quibus consequentèr modo videtur inferendum, idem sentiendum esse de peccatis, siue consistant in positiuo, siue in priuatiuo, adeout, si in positiuo ipsa entitas actus sit ratio indiuiduans, si in priuatiuo, ipsa priuatio, vt talis constituat ipsum peccatum in numero tale. Hæc videntur sine dubio procedere stantibus talibus principijs, sed quia, vel ratione durationis actus præcipuè in moralibus, vel ratione connexionis plurium actuum, vel ratione relationis vnius actus ad diuersa obiecta, oriri possunt variæ rationes dubitandi circa vnitatem, vel diuersitatem numericam eorundem, ideo hunc specialem titulum instituimus, quo singulas rationes examinabimus.

2 Quomodo multiplicentur peccata circa idem obiectū, quæ animo perficiuntur.

Dicendum primò. Peccata, quæ circa idem obiectum animo perficiuntur, ex sola duratione non multiplicantur numero, nisi moralitèr interrumpantur, ac repetantur. *Nauarrus in man. c. 6. n. 16., D. Thomas in 2. dist. 42. q. 1. art. 1., Maior in 4. dist. 15. q. 29. §. ex qua definitione, D. Antoninus part. 2. tit. 5. c. 1. §. 10., Laiman lib. 1. tract. 3. c. 3. n. 3.* Dixi, *quæ solo animo perficiuntur*, cuiusmodi sunt odium, superbia, inuidia, hæresis, delectatio morosa, iudicium temerarium, ambitio, nam de alijs, quæ ordinantur, & complentur opere externo infra dicemus.

3 Actiones morales nō multiplicantur, quoties moralitèr perseuerant.

Probatur primò, quia non multiplicantur peccata, nisi multiplicentur actiones, quibus peccatum committitur, sed actiones morales, quæ in solo animo consistunt, non intelliguntur multiplicari, quousque moralitèr perseuerant, ergo, nec multiplicantur peccata, quousque eædem actiones durant. Minor probatur, quia tempus continuatum non habet secundum se multiplicare actiones potissimum morales, & moralitèr continuatas.

Probatur secundò quoad particulas exceptiuas, *nisi moralitèr interrumpantur, & repetantur*. Per moralem interruptionem, & repetitionem actus multiplicantur, ergo non est, cur non debeant etiam multiplicari peccata. Antecedens probatur

4 Moralis interruptio distinguit vnum ab altero actu.

primò, quia in actibus Physicis denegari non potest, quin per Physicam interruptionem, & repetitionem actus Physicè replicentur, seu melius multiplicentur; sic, si quis apertis oculis videat, & deinde non videat, & post aliquod temporis iterum videat, quis negabit illum habere duas visiones Physicè, ergo etiam in actibus moralibus per moralem interruptionem, & repetitionem actus morales multiplicabantur. Secundò, quia, si quis alterum odio habeat, & deinde ab illo odio desistat, & postea repetat actum odij, quis negabit illum duos actus odij elicuisse? nō enim primus, qui cessauit esse, potest idem reuiuiscere. Tertiò, quia actus, qui in

actione

actione externa perficiuntur, toties multiplicantur, quoties actio externa repetitur, ergo etiam actus, qui per internum affectum perficiuntur, toties multiplicantur, quoties iidem actus semel moralitèr interrupti repetuntur. Consequentia primi argumenti ex eo euincitur, quia, cum actus, & per consequens etiam peccata sumant vnitatem, & distinctionem numericam ab entitatibus, quibus constant, toties dicenda sunt vnum, & toties plura, quoties eorum entitas est vna, vel multiplex, ergo, cum illæ actiones, seu peccata moraliter interruptæ, seu interrupta, & postea repetitæ, seu repetita sint plures, vel plura, cum habeant entitates numero distinctas, erunt plura in numero.

Duo dubia excitata.

Dixi, *moralitèr interruptæ*, circa quas particulas duo insurgunt hic examinanda. Primum est, quid requiratur ad hoc, vt illæ actiones dicantur moraliter interruptæ, an sufficiat aliqua temporis mora inter primum actum interruptum, & alium, qui repetitur, an vero requiratur, quod primus retractetur per contrariam voluntatem. Secundum ex suppositione, quod sufficientèr ad hunc effectum interrumpantur per temporis moram, qualis, & quanta hæc debeat esse.

5 Sententia docens nō poni moralē interruptionē, nisi per retractationem prioris actus.

In ordine ad primum, *Caietanus tom. 1. opusc. tractat. 31. qui est responsio 17. in responsione 15. ad secundam dubitationem*, sentit ad moralem interruptionem requiri, quod prior actus fuerit retractatus per contrariam voluntatem, vel formaliter, vel æquivalentèr; formalitèr, quatenus expressè fuerit elicitus actus reuocatorius primi; æquiualentèr, quatenus, si non expressè, & directè reuocet primum actum, ponat tamen alium actum, qui sit incompossibilis cum primo, vt, si postea actum amoris erga eum, quem occidere intendebat, eliciat. Hinc asserit, quod, si quis interno odio concupierit necem alterius, talem concupiscentiam per contrarium actum reuocauerit, & deinde eandem reassumpserit, intelligatur duo peccata numero contraxisse, si vero priorem voluntatem actu non retractauerit, & interim dormierit, vel nihil de morte eiusdem cogitans negotiatus fuerit, & postea necem eiusdem exoptauerit, vnum tantum peccatum in numero intelligatur contraxisse, & rationem ex eo deducit, quia per illam secundam necis concupiscentiam non multiplicatur prima, sed solum confirmatur, quæ licet non remaneat actu, remanet tamen habitu; atque, vt cōfirmet suam opinionem, ponit exemplum de eo, qui suscepit longum iter cum animo, & intentione occidendi suum inimicum, vel aliquid aliud peragendi, cuius animus, & intentio intelligitur perseuerare toto tempore suscepti itineris, quæ licet millies in itinere repetatur, confirmari dicitur, non multiplicari.

6 Interruptio in iis, quę solo animo perficiuntur, inducitur per solum temporis interiectum.

Contrarium tamen sentiendum existimo, si loquamur præcise de peccatis, quæ solo animo perficiuntur, scilicet hæc moralitèr interrumpi per solum temporis interiectum, etiam si interim contraria voluntas non intercedat. *D. Thomas in 2. dist. 42. q. 1. art. 1.*, *Armilla verb. peccatum n. 4.*, *Tabiena verb. peccatum 1. q. 8.*, *Maior in 4. dist. 15. quæst. 29. §. ex qua definitione*, *D. Antoninus part. 2. tit. 5. c. 1. §. 10.*, Rationem ex eo deduco, quia illa prior voluntas elapso aliquo morali temporis interuentu, nec perseuerat in se ipsa, nec in aliquo effectu, qui adhuc perseueret, ergo non est, cur subsequens voluntas ad illam temporis moram non debeat esse noua voluntas, adeoque nouum peccatum. Antecedens quoad primam partem patet, quia actus, qui iam interijt, non potest viribus naturæ redire; quoad secundam partem ex eo euincitur, quia non potest assignari effectus, in quo perseueret; cum etenim ille actus in sola voluntate perficiatur, nec ad aliquod externum ordinetur, non habet, in quo radicetur ad differentiam actuum, qui in externo opere perficiuntur, quique in solo illo externo opere complentur, de quibus infra dicam.

7 Illatio deducta ex asserto.

Hinc in particulari deducitur primò, quod, si quis concupierit mortem alterius, vel eius felicitati inuiderit, & deinde per noctem dormierit, vel alijs distractus curis per aliquod temporis negotiatus fuerit, post quam dormitionem, & negotiationem concupiscentiam, & inuidiam iterum elicuerit, intelligatur duo peccata numero distincta contraxisse, in quo videntur consentire *D. Thomas*, & alij pro nostra sententia allegati, quia in nullo est, in quo possit prior voluntas radicari, vnde sequens actus concupiscentiæ, & inuidiæ non est confirmatio prioris actus, sed consimilis actus renouatio.

8 Non tamen per breuem tēporis moram.

In ordine ad secundum propositum dubium existimo, non per quamcunque breuissimam temporis morulam intelligi priorem actum interruptum, quantum ad effectum, vt actus morales intelligantur multiplicati in numero. Ratio est, quia in moralibus præcipuè, quæ parum distant, nihil distare videntur, & intelliguntur moralitèr continuata, non etenim in his attendenda est Physica coexistentia, sed sufficit moralis; nec prodest dicere, quod actus, qui semel perijt, non possit naturalitèr redire, adeoque, nec possit continuari cum alio subsequenti, & sic, cum prior actus in illa mora quantumuis exigua

perierit, non possit amplius redire, adeoque neque habere vnitatem cum sequenti; Non prodest, inquam, quia intelligitur desijsse Physicè, non autem moralitèr, cum in moralibus, vt dicebam, non requiratur coexistentia Physica, sed moralis consistens in eo, quod secundum communem conceptum non multum distent; & sicuti actus, qui ex genere suo sunt successiui, quãtumuis prior pars desinat succedente altera, dicũtur moralitèr continuari in illis partibus, ita etiam huiusmodi actus, qui non moralitèr distant, quantumuis prior in actu Physico desinat, intelligitur moralitèr in secundo, & cum secundo continuari nihilo releuante illa modica distantia &c. quæ tantum est Physica.

Sed, si quæratur, quanta debeat esse illa mora inter priorem actum, & posteriorem, vt prior actus intelligatur moralitèr interruptus, & non continuatus cum posteriori, quantum est præcisè ratione temporis. Dixi, *quantum est præcisè ratione temporis*, nam, si prior actus fuerit interruptus per contrariam voluntatem, certum est, quod, si post talem interruptionem immediatè iteretur actus, hic multiplicet actum, non præcisè confirmet priorem. Respondeo talem moram non aliundè desumendam esse, cum de ipsa non habeamus præscriptam regulam, quam a prudentum existimatione, hæc etenim in moralibus est interpres moralis certitudinis. Hoc tamen in communi aduerterem, non debere esse magnam, non tamen ita restringerem, vt ad modicissimum reducerem, nec methamaticè metirer, sed moralitèr.

9. Standũ est arbitrio prudentum circa moram ad interruptionem.

Dicendum secundò. Peccata, quæ circa idem obiectum ordinantur ad externam operationem, & in ipsa perficiuntur, regularitèr non multiplicantur per repetitionem actuum circa idem obiectum, nisi primus actus, seu propositum illud opus efficiendi fuerit reuocatus, seu reuocatum per contrariam voluntatem, vel formalitèr, vel æquiualentèr. In hoc consentiunt *Caietanus Opusc. tom. 1. tract. 31.*, *Azorius Instit. moral. tom. 1. lib. 4. c. 4. q. 4. circa fin.* Dixi, *vel æquiualentèr*, quatenus licet positiua contraria voluntas non sit posita intelligatur positus actus, vel omissio actus, qui, vel, quæ compati non possint cum primo actu, quatenus hic, nec in se perseueret, nec in aliquo effectu permaneat: Hoc contingeret in casu præallegato de eo, qui longum iter assumpsisset ad effectum aliquod opus peragendi, & deinde ab itinere desisteret, & rediret ad locum, à quo recessit, & ibi in diutinis negotiationibus versaretur, & postea iter de nouo assumeret ad eundem effectum; illa etenim cessatio ab itinere, regressus ad pristinum locum, diutina detentio in alijs negotiationibus absque cogitatu ad illud prius propositum æquiualent formali reuocationi eiusdem propositi, cum non perseueret, nec in se, nec in aliquo medio ordinato ad finem, cum recesserit ab itinere, & alia assumpserit non ordinata, immo quoquo modo repugnantia eidem fini.

10. Peccata ordinata ad actus externos non multiplicantur, nisi prior actus internus retractetur.

11. In quo cõsistat virtualis retractatio.

Probatur conclusio. Quotiescunque idem propositum perseuerat circa aliquod obiectum, seu circa aliquem effectum, actus circa idem, seu circa eundem repetiti non tollunt illud propositum, sed confirmant, sed, nisi reuocetur per contrariam voluntatem, siue formalitèr, siue æquiualentèr, illud propositum intelligitur perseuerare, ergo, quantumuis actus circa illud repetantur, non intelliguntur illud demere, sed potius confirmare, adeoque, nec multiplicare peccata, cum omnes illi actus firmentur in eodem proposito, tanquam in primo substrato, & ab illo suam vim sortiantur. Minor probatur, quia, sicuti illud propositum refertur ad illam actionem externam primo intentam, ita illi omnes actus repetiti; &, cum illud propositum non compleatur, nisi in illa actione externa, si non reuocetur, intelligitur perseuerare, donec compleatur.

12. Actus perseuerat in actu externo.

Hinc deduces, quod, si quis longum iter susceperit ad effectum fornicandi cum Amasia, quæ longè abest, vel ad interficiendum inimicum, vel ad quid simile, quantumuis in via moretur, vel dormiat, vel aliquod aliud peragat, quod non sit retractatiuum illius prioris intentionis, & illam sæpè repetat, non intelligatur tot peccata numero committere, quot repetit intentiones, cum istæ confirment priorem, & prior, si non remanet in se formalitèr, remanet virtualitèr in effectu intento. Neque hic audiendos existimo *Laiman lib. 1. tract. 3. c. 3. num. 4.*, *Nauarrum c. 6. nu. 18. in fin.*, *Vasquez prima secundæ dis. 75. c. 3.*, *& in moralibus de restitut. c. 5. §. 1. dub. 3.* dum dicunt, quod, si ille, qui iter ad illos effectus assumpsit somno opprimatur, ita vt effectus intentus non subdatur voluntatis libertati, & post somnum renouet priorem actum, duo numero peccata committat; Non, inquam, audiendos existimo, quia illa interruptio per somnum non intelligitur extinguere illum priorem actum; cum perseueret in opere illo externo intento, ad quod, tanquam ad finem ordinatur, & somnus vtpotè impediens exercitium liberum voluntatis, suspendit quidem præexistentem actum, non tollit eius efficaciam perseuerantem in eodem fine intento non reuocato.

13. Illationes ex prædictis.

Dicen-

14 **In opere externo concurrẽtibus pluribus actionibus ordinatis ad idem nõ multiplicãtur peccata.**

Dicendum tertiò. In opere externo concurrentibus pluribus actionibus, ordinatis ad vnam tanquam ad finem, non multiplicantur tot numero peccata, quot sunt illæ actiones, sed omnes sumunt vnitatem numericam ab illo opere, ad quod ipsæ ordinantur. In hanc satis communitèr consentiunt, & signantèr *Azorius Instit. mor. part. 1. lib. 4. c. 4. q. 6. circa fin.*, *Zerola c. 12. q. 15.*, *Diana part. 1. tract. 7. resol. 39., & part. 2. tract. 4. resol. 67.*, *Henriquez lib. 5. c. 5. num. 5., & in glos. lit. V.* Hoc exemplificant in eo, qui dispositus fornicari cum fæmina præmittit fornicationi verba obscena, amplexus, oscula, aliosque actus libidinosos, qui propterea non tot peccata numero committit, quot actus ad copulam præmittit, sed vnum dumtaxat ex copula. Idem exemplificari potest in eo, qui homicidium commisurus arma capit, exit domo, hostem rure quæritat, hic etenim vnum solum numero peccatum homicidij contrahit.

Probatur, quia illæ omnes actiones, vel tanquam dispositiones, vel tanquam media, vel tanquam causæ, vel effectus complent, & integrant vnam actionem, ergo non multiplicant peccata, sed vnum dumtaxant complent. Confirmatur, quia actiones specificantur, seu sumunt vnitatem à fine, in quem tendunt; finis autem est fornicatio, qui vtique vnus est.

15 **Etiam si istæ actiones sint secũdum se peccaminosæ.**

Dices, quando media sunt ex genere suo indifferentia, vtique contrahunt vnitatem, & specificationem à fine, in quem tendunt, secus autem, quando eadem media sunt ex genere suo praua; sic vt sistamus in vno ex allatis exemplis, exitus è domo, sumptio armorum, transitus per viam, & inquisitio inimici ad eum interficiendum non multiplicant peccata, quia secundum se sunt actiones indifferentes, transitus vero per agros cum conculcatione segetum ad eundem occidendum, cum sit actio per se praua, vtpotè iniuriosa Domino agri, peccatum multiplicat, ergo, cum verba obscæna, oscula, & amplexus sint secundum se peccaminosa, quantumuis ordinata ad copulam, multiplicabunt peccata. Sed contra; Quando prauitates, quæ sunt in actibus præcedentibus dispositiuis ad vltimum actum, sunt in eodem ordine, & genere, in quo est prauitas eiusdem vltimi actus, aggrauant quidem intensiuè eundem actum, non vero multiplicant eiusdem malitiam, cum non nisi vnicam compleant; quando verò prauitates præcedentium actuum sunt in diuerso genere, & ordine, vtique multiplicant malitiam non solum in specie, sed etiam in numero, cum sint actiones distinctæ, & habeant diuersam moralitatem;

16 **Exemplificatur in actibus ordinatis ad fornicationẽ.**

sic, qui iter habet ad occidendum inimicum, conculcat segetes alienorum agrorum, contrahit prauitatem distinctam in genere ab illa homicidij; qui verò ad actum formalem fornicationis præmittit verba obscæna, oscula, & amplexus, vtique exercet actiones secundum se prauas, quia tamen prauitas est in eodem ordine, & genere luxuriæ, & vtique ordinata ad prauitatem vltimæ actionis, non multiplicat malitias, licet adaugeat.

17 **Quid, si huiusmodi actus subsequantur ad fornicationem.**

Hic oritur difficultas, an saltem huiusmodi actus, scilicet oscula, & amplexus, alijque actus libidinosi, si subsequantur copulam, constituant diuersam numero malitiam. *Suarez in tertiam part. tom. 4. disp. 22. sect. 2. num. 8. & seqq.* sentit huiusmodi actus consequentes constituere diuersam numero malitiam, quia sunt quodamodo initia, & dispositiones ad aliam copulam, & sicuti alia copula est peccatum distinctum à prima, ita dispositiones ad illam sunt peccata distincta. *Henriquez verò lib. 5. c. 5. n. 5., & in Glosa lit. V.* sentit, non multiplicari peccata per illos actùs, quia eos reputat pro complemento copulæ præcedentis. Vtramque hanc opinionem conciliare possumus, si dicamus, opinionem Suarez verum habere, si ipse fornicator ordinet huiusmodi actus ad aliam copulam; illam verò Henriquez subsistere, si nullo alio habito fine congaudeat præcedente copula, illamque compleat per actus subsequentes; vnde hæc difficultas dirimenda videtur ex intentione eiusdem fornicatoris.

18 **Quid, si huiusmodi actus nõ fuerint ordinati ad copulam, si hæc postea tũc fuerit secuta.**

Sed quid erit dicendem, si quis oscula, & amplexus, aliosque actus libidinosos habuerit cum fæmina sine intentione copulæ, & postea copula haberetur, an tunc erunt distincta numero peccata? *Hurtadus de Sacramentis disp. 9. diffic. 6., & Diana part. 4. tract. 4. resol. 205.* sentiunt, hunc contrahere duo numero peccata necessario in confessione explicanda; quod verum crederem, si in illis actibus positiuè excluserit intentionem copulæ, secus verò, si nec incluserit, nec excluserit, sed indifferenter se habuerit. Ratio primæ partis est, quia ex intentione peccantis actus intelligitur completus in illis actibus, qui secundum se sunt peccaminosi, cum illos ad aliud non ordinauerit, quinimmo aliud excluserit, ergo, si subsequatur alius actus, erit ex noua intentione, adeoque à primo totalitèr distinctus; ex diuersis enim actibus ad inuicem non ordinatis non potest fieri quid vnum. Ratio secundæ partis est, quia, cum huiusmodi actus ex genere, & natura sua sint veluti dispositiones, & quasi incohationes copulæ, vbi actum contrarium, & obsistentem non inueniunt,

facilè moralitèr cum eo, ad quod dispo-nunt, coniunguntur, quinimmo implicitè, & in causa peccans intelligitur illam coniunctionem voluisse, ex quo illam non exclusit, & ex eo, quod se constituerit in illa proxima occasione, debet sibi imputare, quod ceciderit, & ille casus intelligitur implicitè volitus in causa.

19 Cubans cũ Amasia per noctem, & ter eã cognoscẽs tria peccata cõmittit.

Ex dictis sub hac conclusione plura deduces, & primò, quod, si quis per noctem integram cubauerit cum sua Amasia, & tres fornicationis actus completos cum eadem habuerit, tria numero peccata distincta contraxerit necessario in confessione explicanda, non obstante, quod diutinum tempus inter vnam, & alteram intercesserit, quandoquidem huiusmodi fornicationes non ordinantur ad inuicem, sed vnaquæque in suo esse per vnum actum completur, vnde in hoc non militat eadem ratio, quæ militat de osculis, & amplexibus, alijsque actibus libidinosis præcedentibus copulam, nam isti ordinantur ad illam tanquam ad finem veluti dispositiones, quæ propterea ab illa sumunt completam malitiam; copulæ verò non ordinantur tanquam dispositiones ad inuicem, sed vnaquæque in se ipsa completur.

20 Continuato sermone ter peirans, vel blasphemãs tria peccata cõmittit.

Deduces secundò, quod, si quis continuato sermone ter peieret, vel tres blasphæmias in Deum euomat, vel eandem personam ter iniuriet appellando eam latronem, tria numero peccata distincta contrahat, quia sunt tria periuria, tres blasphęmiæ, tria conuitia singula suo verbo completa, nec adinuicem ordinata, quod idem dicendum est, si quis ter mentiatur, nec refert, quod continuato sermone proferantur, quia sufficit, quod vnumquodque in suo esse compleatur, & vnum non sit pars alterius; sicuti, si tres fornicationes continuarentur vna post alteram per completam vniuscuiusque copulam nemine disceptante essẽt tria peccata numero distincta non obstante, quod pro eodem tempore, & vno quasi luxuriæ impetu perpetrarentur; ita &c. Neque hic audiendi sunt primò, qui desumpto argumento à textibus legalibus dicunt, quod qui vno impetu in iudicio appellauit ter, semel appellasse censetur per *glosam in c. qui vno dist. 31. q. 2.*, & qui eandem rem alteri in testamento bis, vel ter legauit, perinde est, ac, si semel legauerit per textum *in l. cum quæstio, C. de legatis, §. sed, & alia dicitur*; ex quibus inferunt, quod, qui eodem continuato sermone ter blasphęmat, ter peirat, & ter iniuriat, censeatur semel blasphęmasse, semel peierasse, semel iniuriasse: Neque item audiendi sunt secundò, qui dicunt illas tres blasphæmias, peierationes, & iniurias computari pro partibus vnius pugnæ, rixæ, & contentionis, adeoque integrare vnum dumtaxat peccatum; Non, inquam, audiendi sunt; non primi; quia non valet argumentum deductum ex allegatis textibus ad rem præsentem, quia ter appellasse eodem contextu, & ter legasse, cum habeant eundem effectum externum, nempè suspensionem primæ sententiæ, & eandem rem legatam, in eodem solum complentur, nec diuersum effectum exigunt; ter verò peierasse, blasphæmasse, & iniuriasse omnia complentur in se ipsis in suo vniuscuiusque verbo, & suum vnumquodque sortitur effectum distinctum, scilicet detractionem, iniuriam &c. nec secunda peieratio, blasphæmia, & iniuria vim accipit à prima; Non secundi; quia, cum vnaquæque ex illis actionibus in se ipsa compleatur, parum referre potest, quod in eadem rixa, pugna, & contentione fiat; & sicuti, si in eadem pugna, rixa, & contentione tres actiones specie diuersas exerceret, contraheret tres malitias specie diuersas non obstante identitate pugnæ, & hoc quia vnaquæque compleretur in suo distincto obiecto, ita, qui exerceret tres actiones distinctas, & completas in suo esse solo numero diuersas, contraheret tria numero peccata distincta, cum hoc solo discrimine, quod primæ essẽt specie diuersæ ex diuersitate specifica obiecti, istę solo numero ex complemento vniuscuiusque in suo esse.

Soluuntur rationes contrariæ.

Deduces tertiò, quod, si quis in eodem conflictu, eodemq; animo alterum ter vulnerauerit, non intelligatur tria peccata numero commisisse, sed vnum dumtaxat, prout sentiunt *Layman lib. 1. tract. 3. c. 3. num. 5.*, *Azorius Instit. mor. part. 1. lib. 4. c. 4. q. 5.*, *Nauarrus in man. c. 6. n. 18.* Rationem ex eo deduco, quia illa tria vulnera in eodem conflictu, eodemque animo inflicta intelliguntur ordinata ad necem tanquam ad vltimum finem, adeoque ab eadem desumunt vnitatem; nec valet paritas de tribus contumelijs, & peierationibus eodem continuato sermone prolatis, quia istæ perficiuntur in se ipsis in suo verbo sine ordine ad aliud; quod, si repetas, quod etiam contumeliæ, iurgia ordinentur ad diffamationem, & contumeliam personæ per easdem, seu eadem impetitæ; statim impugnaberis, quia diffamatio, & contumelia patiuntur diuisionem, & magis quis diffamatur, & contemnitur per plura iurgia, & contumelias, quam per vnicam, quinimmo vnumquodque iurgium completur in suo verbo, & importat suam diffamationem distinctam ab altero subsequente; mors autem consistit in indiuisibili, nec patitur diuisionem, nec magis quis moritur per vnum, ac per alterum vul-

21 In eodẽ conflictu eodẽque animo ter eundem vulnerãs vnũ dumtaxat peccatum cõmittit.

vulnus, sed omnia vulnera complentur in vna morte, & cum sint ordinata ad illam, ab illa sumunt vnitatem.

21 Eadem actio relata ad plura obiecta adæquata inuoluit plura peccata.

Dicendum quartò. In actione peccaminosa respiciente plura obiecta secundum se adæquata, multiplicantur numero peccata ad numerum obiectorum *Vasquez in tertiam partem tom. 4. q. 91. art. 10. dub. 4. n. 8.*, *Bonacina de Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 3. n. 16.* quidquid ex aduerso dixerit *Suarez in tertiam partem tom. 4. disp. 22. sect. 5. num. 35.*, nec à nostro sensu dissidet D. Thomas, dum asserit actus desumere vnitatem, & distinctionem ab obiectis.

Probatur; quia actus constituuntur in suo esse ex potentia, & obiecto, ergo, si plura erunt obiecta, ex quibus actus constituuntur, erunt etiam plures actus, &, si ex obiecto sunt peccaminosi, erunt plura peccata.

Dices primò, amplexus, oscula, & alij actus libidinosi sunt secundum se læthalia, & habent obiecta numero distincta, & tamen iuxta superius dicta non multiplicant peccata supra copulam, ergo ex diuersitate obiectorum non est arguenda diuersitas peccatorum. Sed contra, quia, vel oscula, & amplexus secundum se sumuntur, vel prout sunt ordinata ad copulam; si sumuntur secundum se, certè sunt obiecta peccati, &, si replicentur, erunt diuersa peccata; si sumantur prout sunt ordinata ad copulam, sumuntur tanquam dispositiones, initia, & inchoationes eiusdem, adeòque cum illa integrant vnum tantum peccatum desumptum a fine; ac proinde in conclusione dixi *obiecta secundum se adæquata*, qualia non sunt illi amplexus, & oscula, quando sunt ordinata ad copulam.

23 Nó sufficit, quod illa obiecta sumantur per modum vnius.

Dices secundò, quamuis obiecta, ad quæ tendit actus, sint plura secundum se, sumuntur tamen per modum vnius, sic, si quis vno ictu plures homines occideret, illorum occisio se haberet per modum vnius, ergo ex illis non multiplicantur peccata. Sed contra, quia quando obiecta sunt adæquata, non possunt sumi per modum vnius; ex duobus enim entibus in actu non potest vnum per se constitui, vnde malitia secundum se resultat ex vnoquoque obiecto. Ad exemplum, quod refertur de occidente vno ictu plures homines, considerandum est, an eiusdem intentio sit relata ad illorum omnium occisionem, an verò ad necem vnius dumtaxat, licet per accidens, & præter eius intentionem sequatur occisio aliorum; si primum; non videtur posse excusari a pluralitate peccatorum, cum, & obiecta sint plura, & intentio saltem virtualiter multiplex; si secundum; cum voluntariè non intenderit, nisi necem vnius, aliorum occisio vtpotè non volita, seu præter voluntatem non est ipsi ad peccatum imputanda, cum non sit peccatum, nisi voluntarium. Verum tamen est, quod, si præuiderit periculum occisionis aliorum, & non abstinuerit ab ictu, eadem occisio eius culpæ adscriberetur.

24 Intendés vno actu nō ieiunare per totam Quadragesimã tot peccata cōmittit, quot sũt dies Quadragesimæ.

Ex dictis sub hoc asserto plura inferuntur, & primò, quod, si quis vno actu intenderit per totam Quadragesimam non ieiunare, vel per annum integrum, si fuerit Sacerdos, non recitare Diuinum Officium, &, si sæcularis, per eundem annum non audire sacrum, tot peccata numero distincta contrahant, quot sunt dies Quadragesimæ quibus non ieiunat, vel dies anni, quibus officium non recitat, vel dies festi, quibus non audit sacrum. Ratio horum omnium est, quia multiplicantur peccata ad multiplicationem dierum, cum vnusquisque dies habeatur pro obiecto adæquato peccati.

25 Lædens famam plurĩũ cōmittit plura peccata.

Secundò, quod lædens vno sermone famam plurium personarum plura numero peccata committat propter eandem rationem, quia sunt plura obiecta adæquata secundum se distincta, quod idem dicendum est, si vnico ictu tres clericos percuteret, quinimmo in hoc casu contraheret tres excommunicationes *ex Can. si quis suadente*. *Nauarrus c. 6. num. 18.*, *& alij*.

26 Maledicens eodē sermone Deum, & Deiparam duo peccata cōmittit.

Tertiò, quod maledicens eodem sermone Deum, Deiparam Virginem, & D. Petrum tria numero peccata distincta contrahat. Quid verò esset dicendum, si eodem sermone malediceret Deum, & duodecim Apostolos; tunc *Henriquez lib. 5. c. 8. n. 4.* asserit, vnum dumtaxat peccatum contrahere, sed hoc asserit, quia arbitratur cum *Suarez loc. cit.* non multiplicari peccata ad multiplicationem obiectorum, quando ista sumuntur per modum vnius, quod à nobis negatur, quando obiecta sunt adæquata. *Fagundez part. 2. lib. 1. c. 5. n. 10.* asserit, duo peccata committere, vnum contra Deum, alterum contra Apostolos; quia Apostolatus in genere in iure vna persona reputatur. Hac eadem ratione tradunt plurimi, & inter cæteros idem Fagundez, quod, si quis imprecaretur mortem Paulo, & toti eius familiæ, duo tantum peccata contraheret, quia in iure familia computatur pro vna persona. Sistendo tamen in nostra opinione placet cum *Vasquez tertia part. tom. 4. lib. 1. art. 1. dub. 4. num. 10.* respondere, quod in primo casu Apostolorum, tredecim numero peccata committeret, vnum contra Deum, cætera contra singulos Apostolos, & in secundo casu Pauli, & totius eius familiæ

27 Maledicēs Deũ, & Apostolos tot peccata, quot sũt Deus, & Apostoli.

milię tot peccata prętèr illud contra Paulum contraheret, quot sunt personæ eiusdem familiæ, cum vnusquisque Apostolorum, & vnusquisque familiæ Pauli computentur pro obiecto adæquato; nec obstat, quod concipiantur nomine generico, non specifico, vel indiuiduali cuiuscunque, quia considerandum est, quid veniat sub illo nomine, non ipsum nomen nude sumptum, & intentio refertur ad personas, non ad ipsum nomen; nec releuat, quod quandoque in iure familia computetur pro vna persona, quia ad summum hoc est fictione eiusdem iuris, non secundum veritatem, quæ in hoc signantèr attendenda est.

28 Delectatio de tribus fæminis tria inuoluit peccata.

Quartò, quod qui morosè delectatur de triplici actu nefando commisso, tria numero peccata committat, cum vnusquisque ex illis actibus sit obiectum adæquatum, quod idem dicendum est de illo, qui in actu pollutionis appeteret tres fæminas coniugatas, qui contraheret tria peccata adulterij, quantum est ex affectu appetentis, prout tradit *Henriquez, lib. 7. c. 8. n. 8.*

29 Sacerdos in peccato existens tot peccata cõmittit, quot successiuè absoluit.

Quintò, quod, si Sacerdos existens in peccato læthali plures successiuè, continuatè tamen, & sine longa mora inter ipsos absolueret, tot peccata contraheret, quot absolutiones impenderet. Item, si quis interrogatus super plures, & distinctos articulos super omnes mentiretur tot peccata committeret, quot sunt articuli, in quibus mentitur. Hic non possum acquiescere Henriquez, qui aperto ore *d. lib. 7. c. 8. n. 8.* docuit appetentem in eodem actu pollutionis tres fæminas coniugatas tria peccata committere, dum loquens in casu de mendacio super tres articulos vnicum tantum peccatum agnoscit *lib. 5. c. 5. n. 6. in glos. lit. F.*; si etenim concupiscentia trium fæminarum ad earum numerum peccata multiplicat, cur mendacium super tres distinctos articulos eadem non multiplicat?

ARTICVLVS XII.

De circunstantijs Peccatorum, earumque diuisionibus.

SVMMARIVM.

Circunstantia quid propriè sit. 1.
Alia mutans speciem, alia solum aggrauans. 2.
Alia minuens, & quid hæc sit. 3.
Alia aggrauans notabiliter, alia leuitèr. 4.
Secundum D. Thomam non datur circunstantia aggrauans in infinitum intra eandem speciem. 5.
Circunstantia mutans speciem non est propriè circunstantia. 6.

1 Quid sit circunstantia?

CIrcunstantia ex ipsa vi nominis importat aliquid, quod alteri tanquam substrato circunstat, vnde circunstantia actus peccaminosi erit aliquid, quod non pertinet ad ipsam substantiam actus, nec ipsum constituit, sed eidem quodamodò aduenit tanquam accidens, quamuis quandoque ipsum actum in diuersa specie morali constituat; sic circunstantia loci sacri in furto non constituit ipsam substantiam furti, quamuis attingat, & circunstet idem furtum, & de vna specie contra iustitiam transferat in aliam contra Religionem.

2 Alia mutans speciē, alia solum aggrauās.

Circunstantia multiplicitèr diuiditur; primò in mutantem speciem, & in simplicitèr aggrauantem intra eandem speciem. Prima est illa, quæ vltra substantiam actus addit nouam speciē malitiam, cuiusmodi est qualitas personæ per votum castitatis Deo obstrictæ, quæ, si coniungatur cum actu fornicationis, addit eidem actui nouam sacrilegij speciem; idem efficit qualitas loci sacri respectu furti in eodem commissi, quod etiam ratione eiusdem loci trahitur ad malitiam diuersam sacrilegij; idem efficit qualitas consanguinitatis in fornicantibus, quæ trahit fornicationem ad speciem incestus &c. Secunda est, quæ non mutat speciem peccati, sed illud aggrauat intra eandem speciem; huiusmodi sunt maior intensio actus peccaminosi, maior duratio eiusdem, maior quantitas &c.

3 Alia minuēs, & quid hæc sit.

Secundò, in circunstantiam aggrauantem, & minuentem peccatum. Prima est illa, de qua mox locuti fuimus. Secunda est illa, quæ quoquo modo minuit grauitatem eiusdem, vel ratione diminutionis materiæ, vel ratione minorationis voluntarij. Ratione primi est circunstantia minuens, quando quis de furto maioris quantitatis aliquid detrahit. Ratione secundi, quando quis ex metu aliquem actum exercet, vt, si fæmina consentiat in fornicationem ob metum illi incussum per Amasium; quamuis enim metus non tollat voluntarium simplicitèr, multum tamen detrahit de voluntario, & constituit inuoluntarium secundum quid?

4 Alia aggrauans notabilitèr, alia leuitèr.

Tertiò, subdiuiditur circunstantia aggrauans in notabilitèr aggrauantem, & in aggrauantem leuitèr. Prima est, quæ secundum communem conceptum auget notabilitèr grauitatem peccati, vt, si quis furetur supra quantitatem requisitam ad peccatum læthale aliam quantitatem simul, & semel considerabilem, vel, si quis aliquem odio prosequatur cum magna inten-

intentione. Secunda est, quæ non nisi modicam supra actum grauitatem constituit, vt, si furto peruenienti ad læthale addatur modica quantitas, vel actus odij eliciatur, sed cum modica intensione, & conatu.

Hic disputant DD., an dentur circunstantiæ intra eandem speciem aggrauantes in infinitum. D. Thomas *in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiunc. 4. in corpore, & q. 2. de malo art. 4. in corpore*, nullam agnoscit circunstantiam aggrauantem peccatum in infinitum intra eandem speciem. Verba S. D. hæc sunt. *Non potest in infinitum quantitatem peccati augere, vt ex veniali mortale fiat, quia circunstantia taliter aggrauans ex suppositione præcedentis deformitatis habet rationem maioris deformitatis ex eius virtute; vnde, si etiam illa sit infinita, non potest infinitam deformitatem addere*; & congrua quidem ratione hoc decernit, quandoquidem, vel huiusmodi circunstantiæ aggrauantes in infinitum intelliguntur aduenire peccato veniali, idemque in infinitum augere, vel intelliguntur aduenire læthali, eidemque nouam, & diuersum deformitatem superaddere; si primum intelligatur; peto, vel ita aggrauant veniale, vt illud transferant ad esse læthale, vel solum intra genus venialis augent; primum dici nequit, quia fieret transitus extra statum quæstionis, eo quia transferendo ad statum læthalis, immutarent speciem, cum nequeant veniale, & læthale in eadem specie conuenire; nec item secundum, quia non potest esse circunstantia in infinitum aggrauans, cum veniale permanens in suo esse veniali in genere moris non possit esse in infinitum auctum, cum non recedat simpliciter a bono infinito, nec mereatur pœnam infinitam; Si secundum intelligatur; peto iterum, an illa noua, & diuersa deformitas sit intra eandem speciem, in qua est peccatum, cuius dicitur circunstantia, vel extra eandem; si primum dicatur, sicuti iuxta nostra principa peccatum ipsum non est infinitum, ita, nec potest esse infinita illa circunstantia; Deinde dato etiam, quod deformitas peccati esset infinita, illa, quæ additur eidem intra eandem speciem per illam circunstantiam non potest in infinitum aggrauare, vt benè tradit D. Thomas per allegata verba, cætoroqui intra eandem speciem esset vnius ab altero infinita distantia; si secundum dicatur, iam non est aggrauans intra eandem speciem, cum diuersam constituat, & in hoc conuenit *D. Thomas loc. cit.*, quod scilicet circunstantia in infinitum aggrauans possit esse, quando mutat speciem.

5 Non datur circunstātia aggrauans in infinitum intra eandem speciē.

Rationes pro hoc asserto.

Aduertit hic tamen *D. Thomas loc. cit.*, quod circunstantia mutans speciem non sit propriè pro circunstantia computanda, & rationem idem S. Doctor adducit *in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiunc. 3. ad primum*, quia circunstantia mutans speciem ex hoc, quod mutet speciem, iam pertineat ad speciem, & rationem actus, in quantum moralis est; se habet enim, vt differentia specifica eius, vt ait idem *D. Thomas prima secundæ q. 88. art. 5. in corpore*; differentia autem specifica est propria substantia actus. Nihilominus, quia *Concilium Trident. sess. 14. c. 4.* has circunstantias mutantes speciem agnoscit; dum dicit, eas explicandas esse in confessione, & istæ communiter accipiuntur, vt distinctæ à simpliciter aggrauantibus, placet & nobis eas recipere, vndè ad illud, quod dicitur ex *D. Thoma loc. cit.* dicendum est, quod possunt dupliciter sumi, vel comparatiuè ad actum, cui dicuntur circunstare secundum se, vel comparatiuè ad actum talem; comparatiuè ad primum possunt dici circunstantiæ, quia verè illi circunstant; comparatiuè verò ad actum, vt talem non possunt propriè dici circunstantiæ, cum potius illum constituant; vnde D. Thomas intelligendus est in hoc secundo sensu.

6 Circunstantia mutans speciem non est propriè circunstantia.

ARTICULUS XIII.

An circunstantiæ mutantes speciem sint necessariò in confessione explicandæ.

SUMMARIUM.

Circunstantiæ mutantes speciem sunt materia necessaria Sacramenti pœnitentiæ. 1.
Euincitur ex Concil. Trid. 2.
Diuersum iudicium de simplici fornicatione, ac de adulterio. 3.
Circunstantia mutantes speciem pertinent quodamodo ad substantiam actus. 4.

Conclusio. Circunstantiæ huiusmodi mutantes speciem sunt necessariò in confessione exponendæ *D. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiunc. 5. in corp., & dist. 41. q. 1. art. 4. in corp., TurreCremata de pænit. 5. c. 1. n. 11., D. Antoninus 3. part. tit. 14. c. 19. §. 7., Siluester verb. confessio q. 9., & verb. circunstantia n. 2., & 3., Nauarrus c. 6. n. 7., & in c. consideret de pænit. distinct. 5. num. 6., Zanardus in direct. Theol. part. 1. de Sacram. pænit. q. 18., Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 4.*

1 Circunstantiæ mutātes speciem sunt necessariò exponēdæ.

Expressè definitur à *Concil. Trident. d. sess. 14. c. 5.* Ibi- *Colligitur præterea etiam eas circunstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant*, & rationem

2 Definitio Concil. Trident.

nem etiam adducit ex eo, *quod sine expressione illarum peccata ipsa neque à pænitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innotescant*, quod est id, quod etiam considerauit *D. Thomas loc. cit.*, dum dixit, quod homo teneatur omninò confiteri circunstantias trahentes in alterum genus; non enim homo confitetur peccatum suum, nisi speciem confiteatur peccati, quæ cognosci non potest, nisi per circunstantias trahentes ad aliud genus, ex quibus peccatum specificatur.

Probatur deinde ratione. Diuersum iudicium in foro etiam pænitentiali efformatur ex cognitione simplicis furti, ac ex cognitione eiusdem simul cum sacrilegio; diuersum, quod habetur ex cognitione simplicis fornicationis, ac illud, quod habetur ex cognitione adulterij, vel incestus, vel sacrilegij, sed talis diuersitas habetur ex circunstantijs mutantibus speciem, ergo, sicuti ad efformandum rectum iudicium requiritur expressio diuersitatis huiusmodi peccatorum, ita requiritur expressio huiusmodi circunstantiarum. Confirmatur. Ideo species, & numerus peccatorum sunt exprimenda in confessione, quia per cognitionem illorum efformatur prudens, & rectum iudicium de statu Rei, & vtique diuersum ex diuersitate illorum, sed etiam ex diuersitate circunstantiarum mutantium speciem efformatur diuersum substantialitèr iudicium de statu Rei, ergo, & istæ sunt explicandæ in confessione. Confirmatur secundò, quia circunstantiæ mutantes speciem faciunt actum habere oppositionem ad diuersam in specie virtutem, ergo inducunt diuersam malitiam in specie actui, cui circunstant, cum diuersa in specie malitia resultet ex oppositione ad diuersam in specie virtutem, ergo; sicuti actus habentes secundum se diuersam in specie malitiam sunt ex necessitate in confessione exponendi, ita huiusmodi circunstantiæ, vtpotè diuersificantes in specie malitiam actuum erunt exponendæ. Confirmatur tertiò, quia huiusmodi circunstantiæ mutantes speciem pertinent quodamodo ad ipsam substantiam actus, cum sint rationes specificæ, ergo, si actus secundum se specie diuersi sunt necessariò in confessione exponendi, etiam erunt exprimendæ huiusmodi circunstantiæ.

3 Diuersũ iudiciũ de adulterio, ac de simplici fornicatione.

4 Circunstantiæ mutantes speciẽ pertinent ad substantiã actus.

Hinc in vniuersum deduces, quod, quotiescunque aliquis actus ex genere suo malus habet oppositionem non solum ad illam virtutem, cui aduersatur ipse actus, sed etiam ad aliam virtutem specie diuersam, debeat in confessione exprimi secundum vtramque qualitatem, cum diuersificet actus in specie. Quinam autem actus in particulari habeant huiusmodi oppositionem, vel certam, vel dubiam latè explicabitur infra, dum de singulis circunstantijs in particulari.

ARTICULUS XIV.

An circunstantiæ simplicitèr aggrauantes, vel alleuiantes sint necessariò in confessione aperiendæ.

SUMMARIUM.

Circunstantiæ simplicitèr aggrauantes non sunt necessariò in confessione aperiendæ. 1.
Euincitur ex Concil. Trident. 2.
Concilium loquens de necessarijs ad hoc Sacramentum nec verbum facit de huiusmodi circunstantijs. 3.
Esset onus nimis arduum, si huiusmodi circunstantiæ essent exponendæ. 4.
Soluuntur nonnullæ instantiæ. 5.
Nullibi constat de tali onere. 6.
Nec circunstantiæ alleuiantes sunt necessariò aperiendæ. 7.
Euincitur ex mente D. Thomæ. 8.
Intellige, si alleuient intra eandem speciem. 9.
An confitens maiorem numerum peccatorum illis, quæ commisit, teneatur cognito errore illum retractare, negat Bonacina. 10.
Reijcitur idem Bonacina. 11.
Verus numerus est enuntiandus. 12.
Hæc opinio non subiacet damnationi Innocentij XI. 13.

Conclusio. Circunstantiæ, siue simplicitèr aggrauantes, siue alleuiantes intra eandem speciem non sunt ex necessitate aperiendæ; esset tamen laudabile, si aperirentur. *D. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiunc. 5. in corpore, & dist. 41. q. 1. art. 4. in corpore, Vasquez q. 91. art. 1. dub. 2. n. 6., Valentia tom. 4. disp. 7. q. 11. punct. 1. assert. 6., Sairus de pænit. c. 8. n. 3.* aduersus *Suarez disp. 22. sect. 3., Sotum in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. concl. 7., & alios.*

1 Circunstantiæ solũ aggrauantes non sunt necessariò aperiẽdę.

Probatur prima pars de circunstantijs simplicitèr aggrauantibus ex *Concil. Trident. sess. 14. c. 5.* vbi numerans ea, quæ necessariò debent confessioni subijci, mentionem facit solummodo de speciebus, numero, & circunstantijs mutantibus speciem, nullamque de simplicitèr aggrauantibus, ergo, quia nullam agnouit necessitatem exprimendi ipsas, vt simplicitèr aggrauantes. Consequentia probatur, quia, si Concilium talem necessitatem agnouisset, vtique exposuisset, sicuti exposuit de mutantibus speciem, quinimmo cum has incluserit, videtur illas exclusisse iuxta regulam generalem iuris. *Inclusio vnius est exclusio alterius*; Nec præsumendum est, quod Con-

2 Euincitur ex Concil. Trid.

Concilium, quod in principio, & progressu huius sessionis professum est, se voluisse omnia necessaria ad hoc Sacramentum exponere, inconsulto omiserit necessitatem harum circunstantiarum, si verè esset talis necessitas.

Dices, Concilium, si non affirmauit expresse has circunstantias esse aperiendas, non tamen negauit, quin potius videtur implicitè intulisse, cum enim subdiderit, circunstantias mutantes speciem esse aperiendas, vt Iudices de grauitate criminum rectè censere possint, & pænam opportunam pænitentibus pro illis imponere, videtur implicitè voluisse etiam aggrauantes esse exponendas, & hoc dependentèr à ratione adducta, cum diuersimodè Iudex censere illis expressis posset, & diuersum iudicium efformare, ac sentiret, & efformaret, si non exprimerentur, & item diuersas, & congruas delictis pænas imponere, quinimmò antiquitùs in sacris Canonibus pænitentialibus de facto statutæ erant diuersæ pænæ pro solis circunstantijs aggrauantibus. Sed contra, quia, cum ibi Concilium ageret de necessarijs, certè expresse talem necessitatem quoad has circunstantias exposuisset, si illam cognouisset: Ad id, quod deinde ex paritate rationis intendunt Aduersarij inferre, dicendum est, Concilium expressisse necessitatem confitendi mutantes speciem, quia quoad has variatur iudicium substantialitèr, & in specie, cum autem quoad aggrauantes non varietur, nisi accidentalitèr, quoad maiorem, vel minorem extensionem, vel quantitatem, vel modum, nullam agnouit quoad has necessitatem, cum non pertineant in genere moris ad essentialem differentiam, sed ad materialem indiuiduationem. Ad id, quod subditur, quoad pænas à pænitentialibus Canonibus statutas, dicendum est, Ecclesiam consueuisse pro illis temporibus peccata etiam venialia grauissimis pænis punire, quamuis nulla esset necessitas illa clauibus subijciendi; vnde mirum non est, quod etiam graues pænas instituerit pro circunstantijs aggrauantibus, ex quo non propterea infertur, quod hæ essent in confessione aperiendæ; Ratio autem, propter quam Ecclesia tunc illas imponeret, ea fuit, vt arbitror, quia, cum tunc maximè ferueret charitas, Ecclesia per eas ad vberiorem fructum promouebat.

3 Concilium loquens de necessarijs ad hoc Sacramentũ nõ meminit harum circunstantiarum.

Probatur secundò eadem prima pars, quia data sententia obligante ad manifestationem circunstantiarum simplicitèr aggrauantium imponeretur pœnitentibus onus quasi importabile, & maxima conscientijs tortura, siquidem exprimenda esset intensio maior, vel minor actuum, maior, & minor extensio temporis, maior, & minor quantitas in furto, antecedentia, concomitantia, & subsequentia ad quælibet, & singula peccata, quod vix possibile videtur; si enim tam desudant Confessarij, & pænitentes in perquirendis circunstantijs mutantibus speciem, & numerum peccatorum, quanto magis desudare deberent, si in peccato v. g. fornicationis exprimere deberent, an tanto, vel minori prauo affectu accesserint, an tanto, vel minore tempore praua intentio durauerit, quot, & quænam verba, quot, & quænam oscula, quot, & quinam tactus, quot, & quænam libidines ad eandem fornicationem præcesserint, & qualis, & quinam affectus subsecutus fuerit.

4 Esset onus vix exequibile.

Dices primò, durationem esse necessariò exprimendam, quia, si quis intra terminum duarum horarum v. g. distinctos tres assensus fornicationis eliciat, tenetur distinctè omnes hos tres actus exprimere, ergo etiam tenebitur exprimere durationem vnius, & eiusdem assensus, si in eodem per duas horas perseuerauerit, siquidem maior malitia in hoc secundo casu apparet, quam in primo, cum in illo possint virtualitèr distingui tot actus, quot sunt partes temporis, in quibus perseuerat. Secundò etiam quantitatem in materia præcipuè furti; qui enim furatus est centum grauius peccatum videtur commisisse, quam ille, qui per duas, vel tres vices furatus est tantum triginta, ergo, si tenetur illa furta per tres vices commissa fateri, tenebitur etiam illud furtum in tanta quantitate commissum explicare; quod idem dicendum est de maiori intensione actus, quæ æquiualere videtur pluribus remissis. Sed contra, quia, vt suppono ex quæstionibus Physicis, actiones nullo modo indiuiduantur à tempore, &, licet ex diuersitate temporis propter interruptionem diuersitas actionum arguatur, hæc tamen diuersitas non est arguenda, quotiescunque interuenit idem in specie obiectum, idem modus tendendi potentiæ, & idem tempus continuatum, vt in casu nostro, vnde extensio temporis, quamuis talis sit, vt in ipsa possint plures, & plures distincti actus elici, quia tamen correspondet vni, & eidem actioni, ipsam actionem non multiplicat, sed tantum extrinsecè afficit; ex quo patet discrimen inter eum, qui in spacio duarum horarum elicit tres distinctos actus, & eum, qui pro eodem tempore non nisi vnum continuatum; in illo etenim peccata multiplicantur in numero ratione diuersorum actuum, in isto nequaquam, cum tempus secundum se non indiuiduet actiones, quæ per se constituuntur, & sunt indifferentes, vt correspon-

5 Soluuntur nõnulla obiecta.

respondeant huic, vel illi temporis differentiæ maiori, vel minori. Ad secundum dico eum, qui furatus est centum nummos aureos, grauius peccatum obiectiuè commisisse, quam qui furatus est triginta tribus distinctis vicibus, non tamen grauius in specie, nec multiplex in numero, maior autem grauitas in obiecto, nisi hoc sit specie morali diuersum, non est exprimenda, sed tantum peccatorum numerus, qui multiplicatur ratione actuum diuersorum, non ratione maioris, vel minoris quantitatis eiusdem obiecti. Ad tertium dicendum est, quod illa maior intensio constituit quidem maiorem grauitatem in eodem actu accidentalem, & intensiuam, non autem multiplicitatem numericam, nec grauitatem specificam.

6 Nullibi constat de tali onere.

Probatur tertiò eadem prima pars. Præceptum confessionis habendæ est positiuum iuxta voluntatem Christi Domini nobis declaratam, vel per Sacram Scripturam, vel per aliquam Ecclesiæ traditionem, vel per definitionem Conciliorum, sed de voluntate Christi præcipiente confessionem circunstantiarum aggrauantiũ, nec per Sacras Scripturas constat, cum assignari nequeat textus, qui hoc indicet, nec per Ecclesiæ traditionem, quia, nec de hac constat, cum satis viguerit in eadem Ecclesia constans opinio, quod non sit necessitas illas exprimendi, quæ opinio certè non posset adesse, si Ecclesiæ esset traditio contraria, cum traditiones Ecclesiæ, etiam si Scriptura clara nequeant probari, sint tamen tantæ auctoritatis quanta est sacra pagina vnde *Apostolus secunda ad Thessalon. 2.* dixit. *Itaque Fratres Custodite traditiones seniorum, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolas nostras;* & *Concil. Trident. sess. 6. c. 1.* anathematizat, qui traditiones contempserit tum ad fidem, tum ad mores attinentes; Nec item per definitiones Conciliorum, cum etiam de his non appareat, quinimmò ipsum Concilium Trident. supra allegatum numerans, quæ de necessitate sunt confitenda, nullam de his mentionem facit, sed solum de circunstantijs mutantibus speciem.

7 Nec circunstãtiæ alleuiantes sunt necessario exponẽdæ.

Probatur iam secunda pars de circunstantijs alleuiantibus intra eandem speciem. Confessio ex genere suo est voluntaria sui ipsius accusatio ad humiliandum potius peccatorem; quam excusandum, ergo, si hic non tenetur circunstantias aggrauantes, quæ maximè conferunt ad humilitatem, & confusionem, exponere, multo minus tenebitur alleuiantes manifestare; cum hæ potius deseruiant ad diminuendam humilitatem quoquo modo requisitam ad eandem confessionem Sacramentalem; sic quamuis metus grauis, & vehemens sollicitatio ad peccatum, minuant notabilitèr grauitatem eiusdem, & quamuis quis occidens virum in adulterio deprehensum cum propria vxore, minus grauitèr peccet, ac, si occidat extra talem circunstantiam, nihilominus satisfacit confessioni ille, qui non exprimendo metum sibi incussum, vel sollicitationem, solum exprimit fornicationem commissam, & ille, qui non expressa circunstantia adulterij confitetur homicidium patratum.

8 Euincitur ex mente D. Thomæ.

Probatur secundò eadem secunda pars ex mente *D. Thomæ in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiunc. 5. in corpore*, vbi hæc expressè habet. *Circunstantias verò, quæ in aliud genus peccati non trahunt, non tenetur homo confiteri, sicut, nec peccata venialia, licet sit laudabile, quod ea confiteatur; eadem enim ratio videtur esse de huiusmodi circunstantijs, ac de venialibus peccatis.* Quibus positis sic argumentor. Peccata venialia non tenetur quis confiteri secundum omnes circunstantias, siue aggrauantes, siue alleuiantes, sicuti, nec ipsa venialia tenetur exponere, ergo, nec tenetur exponere circunstantias præcisè aggrauantes, seu alleuiantes secundum qualitatem maioris, vel minoris grauitatis, cum eadem ex mente S. D. sit ratio de circunstantijs, quæ non trahunt ad aliud genus peccati, ac de venialibus.

9 Intellige, si alleuient intra eandem speciem.

Dixi, *intra eandem speciem*, nam, si ita alleuiarent, vt efficerent peccatum veniale; quod alioqui esset mortale præcisa tali circunstantia, vel fortè ex illa circunstantia peccatum cessaret esse peccatum, tunc certè non videtur esse negandum talem circunstantiam alleuiantem esse ex necessitate exponendam; tum quia ingereret illam reticendo diuersum in specie iudicium in Confessario ab illo, quo res esset in se; tum quia proderet suam famam apud eundem Confessarium, sicuti proderet, qui conficeretur peccatum, quod non commisit; Neque dicas, si quis in confessione certum numerum peccatorum expressit, qui sit maior illis, quæ reuera commisit, non tenetur postea cognito errore illum fateri in altera confessione, vt tradit *Bonacina de Sacrament. pænit. disp. 5. sect. 2. punct. 3. prop. prima n. 7. vers. si verò bona fide*, quamuis, si minorem numerum enuntiauerit in prima confessione, teneatur peccata, quorum numerum omisit, in altera explicare, ergo etiam non tenebitur in confessione explicare circunstantiam, quæ alleuiaret peccatum talitèr, vt de læthali transferret illa enuntiata in veniale. Consequentia probatur, quia, sicuti in primo casu exponit clauibus plura peccata ab illis, quæ commisit, ita in

10 Sententia Bonacinæ asserens expresso maiori numero hũc esse reuocãdum.

hoc

hoc secundo exponit eadem secundum rationem, secundum quam non commisit, & in vtroque casu se ipsum aggrauando, ergo, sicuti in primo casu non tenetur minorem numerum in altera confessione aperire, nec tenebitur in isto secundo casu illam circunstantiam alleuiantem exponere. Contra enim, quia in primis assumptum non ita verum est, vt supponit Bonacina; ex suppositione etenim, quod circunstantiæ alleuiantes, quando mutant peccatum, vt efficiant veniale, quod alioqui esset mortale, sint in confessione aperiendæ, vt fatetur ingenuè ipse *Bonacina dicta disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 3. prop. 1. n. 4.* non video, cur, si istæ sunt exponendæ, non sit etiam in secunda confessione aperiendus error maioris numeri peccatorum, qui contigit in prima; nec valet ratio eiusdem *Bonacinæ d. punct. 3. n. 7. vers. si verò bona fide*, quod non sit aperiendus in altera confessione error circa maiorem numerum enuntiatum in prima, eo quia absolutio lata in prima circa maiorem numerum intelligatur etiam lata circa minorem in maiori contentum; Non valet, inquam, quia etiam in confessione peccati sine illa circunstantia minor grauitas continetur in maiori, & tamen iuxta eundem Bonacinam hæc circunstantia est aperienda.

11 Reijcitur idē Bonacina.

Deinde consideratio eiusdem Bonacinæ, quod maior numerus enuntiatus in prima confessione processerit bona fide, non euacuat difficultatem, quia illa bona fides efficit quidem, quod non fuerit inualida prima confessio, non autem efficit, quod verus numerus cognito errore non sit aperiendus in altera confessione cum retractatione erroris, sicuti, si bona fide enuntiauerit minorem numerum ab illo, quem re vera commisit, sit quidem, quod non sit inualida confessio, non autem, quod cognito errore non teneatur numerum omissum enuntiare; tam etenim est onus confitendi numerum peccatorum, qui verè commissus est, quam non confitendi peccata non commissa; atque in hoc arbitror consentire quotquot sustinent circunstantias alleuiantes, quæ transferunt peccatum in aliud genus, esse aperiendas in confessione.

12 Verus numerus est enunciandus.

Aduersus ea, quæ hactenus dicta sunt præcipuè quoad circunstantias aggrauantes videtur militare damnatio per Innocētiū XI. propositionis primæ qua dicebatur; *Non esse illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiori*; non enim negari potest, quod sit tutior opinio asserens has circunstantias esse aperiendas, cùm illis expressis certum omnino sit, validum esse Sacramentum nemine disceptante, illis non expositis, non ita certum sit, cum plerique tali opinioni refragentur. Sed ad hæc latè respondet *Cardenas in sua Crisi Theologica dissert. 2. c. 6. art. 3. q. 1.*, qui scripsit post damnatas propositiones ab Innocentio XI., & est cōmuniter receptus, qui propterea videndus est. Nec arbitrandum est, hanc nostram opinionem comprehendi sub illa damnatione, cum sit munita præsidio Concil. Trident.

13 Hæc opinio non subiacet damnationi Innocētij XI.

ARTICULUS XV.

An saltem ratione alicuius annexi circunstantiæ aggrauantes sint in confessione aperiendæ.

SUMMARIUM.

Exponitur status controuersiæ. 1.
Rationes suadentes huiusmodi circunstantias non posse reseruari. 2.
Ratione reseruationis circunstantia annexa peccato lethali est in confessione aperienda. 3.
Reseruatio afficit concretum peccati affectum illa circunstantia. 4.
Incongrua emanantia ex opposita sententia. 5.
Reseruatio aufert facultatem à Confessario absoluendi. 6.

Difficultas potissimum procedit in casu, quo actui secundum se non sit imposita, vel reseruatio, vel excommunicatio, sed eidem dumtaxat, vt affecto tali, vel tali circunstantia aggrauante, vt si furto v. g. in tanta quantitate determinata puta mille aureorum sit annexa, vel excommunicatio, vel reseruatio, an scilicet tunc talis circunstantia ratione excommunicationis, vel reseruationis sit ex necessitate in confessione aperienda.

1 Status quæstionis.

Videtur prima fronte dicendum, non posse huiusmodi circunstantias reseruari, nec subijci excommunicationi, sicuti, nec possunt reseruari, nec eidem excommunicationi subijci peccata venialia, de quibus pariformitèr loquitur *D. Thomas in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiunc. 5. in corpore*, ac proinde non esse ex necessitate clauibus subijciendas, quandoquidem, cum huiusmodi circunstantiæ non sint materia necessaria confessionis potest pænitens eas in eadem confessione præterire, nec reseruatio potest inducere obligationem eas subijciendi, cum non augeat malitiam, nec excommunicatio videtur posse eas afficere, cum non transferat eas de specie ad speciem, & propter delicta leuia non videatur congruè imponi. Nihilominus sit

2 Rationes suadentes huiusmodi circunstantias nō posse reseruari.

3 Ratione reseruationis est aperienda.

Conclusio. Ratione annexi nempè reseruationis, vel excommunicationis circunstantia aggrauans peccatum læthale est confessioni subijcienda. In hoc consentiunt *Ghetius verb. circunstantia, §. quas circunstantias teneatur homo confiteri sub num. 23. vers. confessio circunstantiarum propè medium. Nauarrus in man. c. 6. num. 8., Henriquez lib. 2. de pænit. c. 7. n. 2., Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. §. 3. diffic. 3. prop. 2. num. 5. in resp. ad obiect. 4. in fin.*

4 Reseruatio non est præcisè ob circunstantiã, sed ob eandem simul cũ peccato.

Ratio ex eo deducitur primò, quod superior reseruans, & excommunicans non reseruat præcisè illam circunstantiam aggrauantem, nec præcisè propter illam excommunicat, sed reseruat totum conflatum ex actu ipso substantiali peccaminoso, & illa circunstantia, & contra illud statuit excommunicationem; totum autem illud conflatum potest esse subiectum excommunicationis, & reseruationis, ergo supposita reseruatione, & excommunicatione, quæ ferri potest in illud conflatum, hoc erit clauibus exponendum. Neque dicas, quod, quamuis totum illud conflatum possit esse subiectum reseruationis, & excommunicationis, pænitens tamen non teneatur totum illud conflatum in confessione exprimere, cum expresso actu substantiali possit reticere circunstantiam, vtpotè merè aggrauantem; contra enim impugnaberis, quia, quamuis secundum se non teneatur illam circunstantiam exprimere, tenetur tamen quando simul cum actu substantiali constituitur subiectum reseruationis, & sic, si non ratione sui, ratione connexi videtur obligari.

5 Incongrua, quæ ex opposita sententia sequerentur.

Probatur secundò, quia semel dato, quod etiam ratione annexæ reseruationis, seu excommunicationis non esset obligatio confitendi peccatum in substantia læthale cum circunstantia aggrauante, actum esset de reseruationibus, quod sic probo. Reseruatio vtpotè ex genere suo odiosa intelligenda est de actu vsquequaque completo, & perfectè elicito, vnde, si aliquid deficit a complemento actus, ipsa reseruatio non intelligitur obligare; Quo posito per varios casus discurrendo sic procedo. Demus, quod sit reseruatus incestus in primo, & secundo gradu; supponamus vlterius iuxta sententiã satis communem gradus consanguinitatis non differre specie; tunc sic; incestuosus in primo, vel secundo grbdu, si non teneretur fateri circunstantias aggrauantes, quantumuis simul cum actu substantiali reseruatas, posset non exprimere primum, & secundum gradum, & solum dicere commisi incestum, & ecce delusa reseruatio. Item demus, quod in aliqua Diæcesi sit reseruatum furtum in certa quantitate puta mille aureorum; si non tenetur exprimere quantitatem aggrauantem, sed solum substantiam actus læthalitèr peccaminosi, posset dicere commisi furtum in quantitate sufficienti ad læthale, & reticere quantitatem reseruatam, & ecce iterum delusa reseruatio. Vlterius data sententia, quod reseruatio sodomiæ sine alio afficiat solum agentem, & non patientem, & item, quod peccatum agentis, & patientis non differat specie, sed tantum secundum circunstantiam aggrauantem respectu agentis, posset hic solum dicere sodomiam commisi, & non exprimere qualitatem agentis, & ecce item delusa eadem reseruatio. Quis autem hæc diceret sine horrore? ergo fatendum est, quod quando peccato simul cum circunstantia aggrauante est annexa reseruatio, vel excommunicatio, illa sit exprimenda.

Actum esset de reseruationibus.

6 Reseruatio aufert facultatem absoluendi.

Dices, annexa reseruatio, nec transfert peccatum in aliam speciem, nec multiplicat numero, ergo non efficit, vt ille circunstantia aggrauans sit necessario in confessione aperienda, cum solæ species, numerus, & circunstantiæ mutantes speciem ex necessitate sint exponendæ. Sed contra, quamuis reseruatio non multiplicet peccatum, nec in specie, nec in numero, aufert tamen potestatem à Confessario, ne possit absoluere; vnde, ne pænitens subiaceat inualiditati confessionis, tenetur illam circunstantiam aperire.

ARTICVLVS XVI.

De circunstantijs in particulari, prout speciem mutant, vel solum aggrauant.

Summa contentorum sub hoc titulo.

QVamuis ex prædictis principijs possit sufficientèr innotescere in casibus etiam particularibus, quænam sint mutantes speciem, & quænam simplicitèr aggrauantes, & propterea quænam ex necessitate subijciendæ confessioni, at quænam non; nihilominus ad vberiorem, & clariorem notitiam placet per capita, quæ communitèr assignantur, eas inuestigare. Septem autem sunt capita, quæ nouerunt DD. huiusmodi circunstantiarum. Primum est ratione personæ, quæ peccat attenta eius qualitate, & conditione. Secundum ratione rei, seu obiecti, circa quam, seu quod peccat. Tertium ratione loci, vbi peccatum commissum sit. Quartum ratione concomitantium, seu coadiuuantium ad peccatum. Quintum ratione finis, ob quem factum est. Sextum ratione modi, quo fit; Septimum ratione temporis. Hæc omnia capita illo

versi-

versiculo continentur.

Quis, Quid, Vbi, quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.

Hæc omnia nos in præsenti adamussim, & ex professo examinabimus sub præsenti titulo, quem maioris claritatis gratia in plures §. diuidemus, in quorum singulis singula capita enucleabimus.

---

§. I.

Explicatur prima circunstantia desumpta ex qualitate personæ importata per ly *Quis*.

SVMMARIVM.

Per ly Quis *importatur non ipsa persona, sed eius qualitas.* 1.

Obstrictus duplici voto, vel vtroque solemni, vel altero solemni, altero simplici castitatis hac violans non contrahit duplicem in specie malitiam. 2.

Ius, quod acquirit Religio in subditum ratione voti solemnis superaddit solum ius delinquentem puniendi. 3.

Ex multiplicatione præceptorum præcisè non multiplicantur peccata. 4.

Sententia docens obstrictum voto, & iuramento seruandi castitatem non contrahere diuersam malitiam, si delinquat contra eandem. 5.

Sententia docens delinquentem contra votum, & iuramentum contrahere diuersam malitiam præfertur. 6.

Delictum est contra diuersam rectam rationem. 7.

Soluuntur rationes oppositæ sententiæ. 8.

Masculus primo fornicans non tenetur in confessione exprimere qualitatem virginitatis amissæ. 9.

Sententia docens fæminam, quæ consensit, non teneri illam qualitatem exprimere. 10.

Sententia docens teneri. 11.

Si fæmina consensit, & non fuerit sub cura parentum probabilius non tenetur. 12.

Fæmina habet ius ad suam integritatem. 13.

Si tam fæmina, quam parentes consenserint non tenetur illam circunstantiam aperire. 14.

Si fæmina consenserit dissentientibus parentibus tenetur. 15.

Accedens ad virginem, & frangens claustrum, & non seminans intra illud, an contrahat malitiam deflorationis. 16.

Probabilius contrahit. 17.

Sponsi ante matrimonium inter se fornicantes non tenentur circunstantiam sponsalium aperire. 18.

An, si sponsa fuerit per vim oppressa à sponso hic contrahat speciem stupri duplex sententiæ probabilis. 19.

Si alter ex sponsis fornicetur cum alio probabilius tenetur circunstantiam sponsalium aperire. 20.

An Confessarius fornicans cum pœnitente teneatur hanc circunstantiam aperire triplex sententia. 21.

Regularitèr non tenetur. 22.

Exceptio ad prædicta. 23.

Fidelis fornicans cum infideli tenetur circunstantiam hanc aperire. 24.

Coniugatus cognoscens sodomiticè aliam fæminam, vel puerum tenetur exprimere se esse coniugatum. 25.

Lædit ius alterius suæ coniugis. 26.

Non valet argumentum à simplici pollutione deductum, & quarè. 27.

Cognoscens propriam vxorem sodomiticè vltra peccatum contra naturam contrahit aliam malitiam. 28.

Cognoscens, vel masculum, vel aliam fæminam non tenetur aperire, an fuerit masculus, an fæmina. 29.

Ratione tamen annexi quandoque tenetur, & quando. 30.

Cognoscens sodomiticè propriam vxorem contrahit malitiam supra peccatum contra naturam in confessione aperiendam. 31.

Linea, & cognatio multiplex. 32.

Non tenetur incestuosus exprimere lineam rectam. 33.

Ex indispensabilitate non arguitur diuersa malitia. 34.

Idem est motiuum prohibitionis pro linea recta, ac pro transuersali. 35.

Consanguineus fornicans cum consanguinea non tenetur exprimere gradum consanguinitatis. 36.

Tenetur tamen quandoque ratione adiuncti. 37.

Non tenetur exprimere, an cognatio sit naturalis, an legalis, an spiritualis. 38.

Soluitur obiectum de cognatione spirituali. 39.

Nec tenetur exprimere, an persona, cum qua peccauit, fuerit consanguinea, an affinis. 40.

NOmine personæ hic non intelligimus personam simpliciter efficientem, nam hæc ad actionis substantiam pertinet, sed intelligimus qualitatem, seu statum personæ peccantis, an scilicet sit persona libera, an coniugata, an sit Religiosa, & obstricta voto castitatis, an sæcularis, an consanguinea, vel affinis, an matrimonio copulata, an soluta, & similia, quæ qualitates in ordine ad aliqua crimina diuersificant peccata in specie, & sunt necessario in confessione aperiendæ. Circa quas qualitates multæ insurgunt diffi-

1 Ly *Quis* importat qualitatem personæ.

difficultates, quas hic breuitèr expendo.

Prima est, an persona obstricta duplici voto castitatis, altero simplici emisso ante professionem, altero solemni emisso in eadem professione, vel duplici solemni, altero in professione solemni, altero in susceptione ordinis Subdiaconatus contrahat duplicem in specie malitiam, si peccet contra castitatem, quæ propterea sit in confessione aperienda, an vnicam tantum magis grauem, non ex necessitate explicandam in eadem confessione.

2 Obstrictus duplici voto non contrahit duplicē in specie malitiā.

Respondeo, in neutro casu contrahere malitiam specie diuersam, nec teneri delinquentem huiusmodi votis obstrictum vtrumque in confessione explicare, si deliquerit contra castitatem, sed sufficere, si dicat. Peccaui peccato fornicationis contra castitatem, cuius voto teneor, *Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 3. prop. 3. n. 13.* Ratio in vniuersum esse potest, quia vtrumque votum respicit vnam, & eandem in specie virtutem castitatis, ergo peccata eidem opposita non diuersificantur in specie, nam ex superius dictis diuersitas specifica peccatorum non desumitur, nisi per oppositionem ad diuersas in specie virtutes.

Dices, per votum solemne vouentem non solum obligari Deo ratione fidelitatis eidem promissæ, sed etiam Religioni ratione iuris in eandem translati per idem votum, vnde per actum eidem oppositum duplex contrahitur malitia, altera contra virtutem fidelitatis, altera contra iustitiam; & sicuti per actum adulterij committitur peccatum specie diuersum à simplici fornicatione, eo quia violatur ius acquisitum alteri coniugi supra corpus eius, qui deliquit in adulterio, ita per actum luxuriæ commissum ab eo, qui obstrictus est voto solemni castitatis committitur peccatum specie diuersum à simplici actu luxuriæ, eo quia violatur ius translatum in eandem Religionem. Sed contra, quia

3 Quodnā ius acquirat Religio ratione voti solemnis.

illa obligatio erga Religionem non inducit nouum ius distinctum ab eo, quod per votum translatum est in Deum; sed tantum addit punibilitatem, seu ius puniendi transfert in Religionem tanquam in Dei ministram, ratione iuris Dei violati; cuius veritatis signum est manifestum, quod Religio nullum habet dominium in corpore Religiosorum, cum de illis non possit pro libertate disponere, sed tantum ius quoddam habet prælationis, quale habet Iudex ad conseruandam Rempublicam in obseruatione legum sui Principis, in quarum læsione, sicuti potest Reum punire propter iniuriam factam, vel Principi, vel communitati, in cuius fauorem facta est lex; ita potest Religio delinquentes contra votum punire propter iniuriam affectiuam, vt ita dicam, irrogatam Deo in læsione promissionis factæ per votum ipsi Deo; nec valet argumentum deductum ex adulterio, quia in isto læditur ius proprium, quod habet alter coniux in corpus eius, qui mæchatus est.

4 Ex multiplicatione præcepti non multiplicantur peccata.

Ratio secundò est, quia, si per vnum, & eundem actum violaretur duplex præceptum circa eandem virtutem non multiplicaretur peccatum, nec in specie, nec in numero, nec consurgeret obligatio manifestandi vtrumque præceptum violatum; vt videre est in furto, quod est contra præceptum naturæ vetantis, ne quis suo iure priuetur, contra præceptum Diuinum Decalogi: *Non furaberis*, & contra præceptum Ecclesiasticum, & ciuile, in quorum præceptorum violatione multiplex peccatum non consurgit, nec oritur obligatio manifestandi omnia præcepta; Hoc idem videre est in violatione ieiunij pro die Quadragesimæ, in qua occurreret peruigilium alicuius Sancti de præcepto, in qua violatione non contrahitur duplex malitia necessario in confessione aperienda, ergo non multiplicatur etiam peccatum ex eo, quod violetur duplex votum, quod vtrumque respicit eandem virtutem.

5 Sententia docēs peccantem contra votū, & iuramētum nō contrahere diuersam malitiā.

Secunda difficultas est, an obstrictus voto castitatis, si votum firmet iuramento, & postea contra illud peccet, teneatur in confessione explicare tum votum, tum iuramentum violatum. Videtur prima fronte dicendum, non teneri vtrumque exprimere, sed sufficere, si dicat *Fornicatus sum habens votum castitatis*, quia tam iuramentum, quam votum respicit virtutem castitatis, in quam vtrumque resoluitur, & sicuti, si Prælatus præcipiat aliquid subdito sub obedientia, hic transgrediens præceptum non peccat duplicitèr contra Religionem, & contra obedientiam, quia per obedientiam aliquid præcipitur, quod ratione voti fit materia Religionis, vt notant *Villalobos tom. 1. tract. 9. dub. 36. n. 14., Perez in reg. D. Benedicti c. 5. n. 23., Diana part. 1. tract. 7. resol. 16., & part. 3. tract. 4. resol. 63.* ita, qui transgreditur votum iuramento firmatum castitatis, non intelligitur peccare duplicitèr, eo quia ratione voti iuramentum fit materia Religionis. Nihilominus

6 Contraria sententia præfertur.

Respondeo, vtrumque esse in confessione aperiendum. In hoc videtur consentire *Azorius Inst. mor. part. 1. lib. 4. c. 2. q. 6. circa fin.* Id ipsum sentire tenetur *Nauarrus c. 12. n. 4.*, dum absolutè sustinet, quod violans duo præcepta, contrahat duo peccata, quod nos non probamus ex violatione præcisè duorum præceptorum; vnde, si

de, si hoc statuit in ordine ad duo præcepta, à fortiori debet statuere, quando peccatum est contra votum, & contra iuramentum.

Probatur. Peccata specie differunt etiam per præcepta, quando habent certam, & diuersam speciem cum recta ratione repugnantem, sed actus ille fornicationis habet repugnantiam cum diuersa in specie recta ratione, si quidem opponitur virtuti Religionis ratione voti, & fidei ratione iuramenti, vtpotè repugnans veracitati Dei, quem vocat in testem operis adimplendi, quod non adimplet, ergo &c. Confirmatur, quia diuersimodè affectiuè læditur Deus per violationem voti, ac per fractionem iuramenti; per illam enim læditur, vt Dominus, cum ratione voti speciali iure acquisierit Dominium integritatis vouentis, per istam vero læditur, vt verax, cum vocetur, vt testis operis adimplendi, quod non adimplet.

7 Delictũ est contra diuersam rectam rationẽ.

Nec obstant, quæ pro aduersa parte afferebantur; quamuis enim tam votum, quam iuramentum feratur in castitatem, secundum se tamen important diuersam in specie oppositionem ad diuersam rectam rationem, quod sufficit ad inducendam diuersitatem specificam in peccato; nec exemplum de Prælato precipiente aliquid subdito sub obedientia aliquid euincit; nam Prælatus est minister Dei deputatus ad executionem voti eliciti à subdito in Professione, & iuris Deo ratione eiusdem voti acquisiti; vnde eius Prælati præceptum est pedissequum voto, vnde mirum non est, quod non multiplicet peccatum, si transgrediatur; in casu autem, de quo hic loquimur, vouens per iusiurandum, quod præstitit, nouam obligationem ex nouo titulo sibi inducit, eoque diuerso, sicque votum, & iusiurandum transgrediens non est, cur non contrahat distinctam malitiam. Quamobrem in hoc considerandum est, quod primò onus, ex genere suo est non violandi castitatem opere illicito; secundò, quod nouum onus consurgit eandem seruandi ratione voti; tertiò, quod aliud consurgit ex iureiurando, per quod nouo titulo Deus læditur, vt supra.

8 Soluuntur rationes oppositæ sententiæ.

Tertia difficultas est, an virgo primò fornicans teneatur in confessione exprimere circunstantiam virginitatis amissæ. Procedit difficultas, tam de masculo, quam de fæmina; potior tamen ratio dubitandi est de fæmina propter violationem claustri virginalis, quæ consequitur ad violationem, & videtur constituere speciem stupri, quam speciem definit *D. Thomas secunda secundæ q. 154. art. 1., & 6. in corp.* dicens esse *concubitum viri cum fæmina virgine, quo virginalis carnis integritas corrumpitur.*

Respondeo primò. Masculus primò fornicans non tenetur circunstantiam virginitatis amissæ exprimere in confessione *Suarez disp. 21. sect. 4. n. 7., Caietanus secunda secundæ q. 154. art. 1., & in summa verb. stuprum, Toletus lib. 5. c. 11. n. 1., Reginaldus lib. 2. n. 128., Coninchus disp. 2. dub. 4. n. 19., Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 4., Nugnus in addit. ad tertiam part. q. 9. art. 2. dub. 3. concl. 3.*

9 Masculus primò fornicans non tenetur in confessione exprimere qualitatem virginitatis amissæ.

Probatur, quia licet masculus primò fornicando amittat quandam laureolam irreparabiliter, non tamen amittit aliquam corporis integritatem diuersam ab ea, quam amitteret in quacunque alia successiua fornicatione, vnde non est assignabile, in quo consistat illa diuersa malitia primæ fornicationis à cæteris subsequentibus, ergo nulla est necessitas illam circunstantiam virginitatis amissæ explicare in confessione. Confirmatur primò, quia non est assignabile, ad quam speciem luxuriæ distinctam à simplici fornicatione reducatur illud primum peccatum fornicationis in masculo; nam, si esset assignabilis, esset stuprum; sed hoc non, cum hoc solum possit considerari in fæmina, quæ patitur virginalis carnis integritatis diminutionem, non in masculo, qui eandem non patitur, prout sentiunt *Suarez, Reginaldus, Coninchus supra allegati*, & vlterius *Henriquez lib. 5. c. 8. n. 2., Nauarrus c. 16. n. 3.* Confirmatur secundò, quia primò peccans post susceptum baptismum non tenetur exprimere circunstantiam innocentiæ baptismalis ammissæ, ergo &c.

Loquendo de fæmina virgine primò violata inuenio DD. acriter inter se dimicantes; dum aliqui volunt, quod, si consenserit in fornicationem, non contrahat diuersam in specie malitiam ab eadem fornicatione, nec teneatur illam circunstantiam explicare; atque isti sunt *Suarez tom. 4. disp. 22. sect. 4., Nauarra de restit. lib. 2. c. 3., Vasquez opusc. de restit. c. 3. §. 1. dub. 1. n. 6., & prima secunda disp. 112. c. 1. n. 1., Diana part. 1. tract. 7. resol. 11., & part. 2. tract. 17. resol. 12.* Rationem ex eo desumunt, quod in tantum stuprum constituit speciem distinctam peccati, in quantum opponitur diuersæ in specie virtuti à castitate, nempè iustitiæ, quæ violatur ratione iniuriæ, quæ fit fæminæ virgini; eidem autem consentienti nulla fit iniuria; Quod, si dicatur, iniuriam fieri parentibus, sub quorum cura illa fæmina reperitur, ratione cuius iniuriæ contrahitur diuersa malitia; statim respondent, quod parentes nullum habent ius in integritatem illius fæminæ, cum ipsa sit absolutè

10 Sententia asserens fæminam consentientem primæ fornicationi non teneri eã exprimere.

lutè Domina suæ integritatis; quod, si inde parentes referunt aliquod dedecus, hoc non est ex aliquo iure ipsorum violato, sed ex conditione consanguinitatis &c.

Ex aduerso *D. Thomas secunda secundæ q. 154. art. 6. in corpore, & ibi Caietanus ad primum dubium, Grassius prima part. decis. lib. 2. c. 79., Azorius tertia part. lib. 5. c. 5. q. 1., Filliutius tract. 30. n. 61., & 66., Corradus tom. 2. q. 171., Siluius secunda secundæ q. 154. art. 6.* sustinent, tam masculum, quam fœminam fornicantes adinuicem, quatenus masculus, siue ipse sit virgo, siue non, fornicetur cum fœmina virgine ipsius integritatem violando, contrahere diuersam in specie malitiam à simplici fornicatione. Ratio est, quia *D. Thomas loc. cit.* definit stuprum per hoc, quod sit illicita virginum defloratio sub cura parentum existentium, ex qua definitione duo infert; primum, quod in tali violatione consurgat duplex quodamodo deformitas, altera ex parte puellæ, quæ ex hoc, quod violatur nulla pactione coniugali præcedente, impeditur à legitimo matrimonio consequendo, & ponitur in via meretricandi, à qua retrahebatur, ne signaculum virginitatis amitteret, altera ex parte parentum quibus demandata est cura custodiendi integritatem virginis iuxta illud Ecclesiastici 7. *Filiæ tibi sunt; serua corpus illarum,* ergo, cum illa consurgat deformitas supra simplicem fornicationem, diuersa etiā consurgit malitia. Quod, si dicatur, quod nec puellę, nec parentibus inferatur iniuria, si tam ipsa, quam parentes consentiant, cum scienti, & consentienti non inferatur iniuria, & quamuis parentes dissentiant illa consentiente, adhuc tamen non patiantur iniuriam, cum illa sit domina suæ integritatis, non isti; statim assertores huius sententiæ asserunt primo, quod ipsa non sit domina suæ integritatis, sicut nec vitæ; parentes tamen sint custodes illius, qui propterea patiuntur iniuriam. Secundò, quod, quamuis tam ipsa puella, quam parentes consentiant, minuant quidem peccatum deflorantis, non tamen tollant, addita etiam ratione, quia, cum dominium integritatis puellæ, nec sit penes ipsam, nec penes eius parentes, consensus ipsorum non tollat, quin in violatione eiusdem inferatur iniuria, sicuti, si quis consentiat, quod ipsi amputetur manus, cum non sit Dominus eiusdem, non tollitur, quin per amputationem manus eidem iniuria inferatur. Quid iam in hac controuersia concludendum?

11 Sententia docens teneri ea exprimere.

Respondeo primò, si illa fœmina virgo non fuerit sub cura parentum, & consenserit fornicationi, probabilius est, non contrahere diuersam in specie malitiam à simplici fornicatione. In hoc consentiunt omnes pro prima opinione allegati. Probatur, quia in tantum stuprum constituit diuersam in specie malitiam à simplici fornicatione, in quantum opponitur diuersæ in specie virtuti à castitate; omnia etenim peccata luxuriæ tum ab eadem simplici fornicatione, tum inter se specie distinguuntur, in quantum habent oppositionem ad diuersam in specie rectam rationem, seu virtutem; sic sacrilegium ab eadem distinguitur, in quantum opponitur Religioni, incęstus ab eadem, in quantum hic opponitur reuerentiæ sanguini debitę, & sic de cęteris; sed quando fornicatio sequitur cum fęmina virgine consentiente, & non existente sub cura parentum, non habet oppositionem ad aliam virtutem à castitate, ergo &c. Minor probatur, quia, si haberet oppositionem ad aliam virtutem maximè ad iustitiam ratione iuris, quod habet fœmina virgo ad suam integritatem seruandam, & ratione custodiæ, quam debent habere parentes, sed ad istam verè non habet oppositionem, cum illa consentiat, & consentienti non fiat iniuria ex vulgatis iuribus, nec parentes lędūtur, sub quarum custodia viget, cum nullos habeat custodes sui corporis, ergo &c.

12 Si fęmina cōsēserit, & non fuerit sub cura parentum, non tenetur.

Dices primò, quod, sicuti illa fęmina non habet dominium suę vitę, & membrorum corporis, ita, nec habeat dominium suę integritatis, adeoque, siue consentiat, siue dissentiat, patiatur iniuriam. Sed contra, quia, quidquid sit de dominio suę vitę, & membrorum corporis, in ordine ad integritatem specialis est ratio, quia hęc data est fęminę, vt bonum ipsius, de quā possit liberè disponere; est enim data ad bonum matrimonij, vt fæminæ possint commodius nubere, sed potest fæmina, si velit absque matrimonio permanere, & sic cedere iuri illius commodioris nuptus.

13 Integritas corporis fęminæ est sub eius dispositione.

Dices secundò, quòd, quamuis parentes non habeat, sub quorum cura, & custodia viuat, hoc sit omnino per accidens; iura autem attendunt ad id, quod vt plurimum, & regularitèr solet euenire, non ad id, quod per accidens aliquando eueniт, vnde etiam, si non habeat, non euitat tamen deformitatem, ac si haberet. Ita arguit *Ghetius verb. stuprum sub numero 2.* Sed contra, quia, cum deformitas sit ratione iniuriæ secundum hanc sententiam illatæ parentibus, si non adsunt parentes, iniuria non potest illos afficere, adeoq; &c. & sic quotiescunque deficit iniuria, deficit fundamentū in quo aduersarij innituntur.

Respondeo secundò. Si illa fæmina virgo fuerit sub cura parentum, & tam illa, quam isti consenserint primæ eiusdem fæminæ,

14 Si parētes etiā consenserint, non tenetur.

minæ fornicationi, probabilius est, quod non contrahatur diuersa in specie malitia. In hanc responsionem consentire tenentur, quotquot sustinent fæminam consentientem primæ suæ fornicationi non contrahere hanc diuersam noxam, qui fuerunt supra allegati pro prima sententia.

Probatur. Tota ratio, ob quam *D. Thomas secunda secundæ q. 154. art. 6. in corp.* agnoscit illam diuersam deformitatem in illa prima fornicatione fæminæ virginis, desumitur ex parte puellæ, quæ ex hoc, quod violatur nulla pactione coniugali præcedente, impeditur à legitimo matrimonio consequendo, & ponitur in via meretricandi, & etiam ex parte parentum, quibus demandata est cura custodiendi integritatem virginis; sed hæc ratio cessat consentientibus, tum ipsa fæmina, tum parentibus eidem primæ fornicationi, ergo etiam cessat illa deformitas ab ipso cognita, & insinuata. Minor probatur primò quoad ipsam puellam, quia quoad suam integritatem habet liberam dispositionem; hæc etenim data est fæminæ, vt bonum ipsius in ordine ad matrimonium, vt possit commodius nubere; huic autem bono potest ipsa cedere, cum possit velle innupta permanere. Deinde non apparet, quomodo ex illa fornicatione impediatur à legitimo matrimonio consequendo; cum illa non computetur inter impedimenta, siue simpliciter impedientia, siue dirimentia, & licet ex illa consequatur aliquam notam, ratione cuius non possit inuenire maritum iuxta propriam conditionem, vel sine superexcedente dote, hoc debet sibi imputare, vel innupta remanere. Secundò quoad parentes, quia, ex quo consenserunt illi fornicationi, non possunt in propriam iniuriam eandem imputare, nec possunt ægrè ferre, quod inde teneantur maiorem dotem conferre, cum ipsi consenserint causę, ob quam ratio, & necessitas maioris dotis consurgit; vnde parentes quidem deliquerunt grauitèr consentiendo, & non adimplendo munus suum, non autem possunt in propriam iniuriam imputare, quod lęsum fuerit ipsorum ius in custodia, cum huic liberè cesserint per consensum.

Nec ipsi, nec parentibus infertur iniuria.

Respondeo tertiò. Si illa fęmina virgo existens sub cura parentum consenserit in primam fornicationem inscijs, & inuitis eisdem parentibus probabilius arbitror, tam ipsam, quam masculum secum fornicantem contrahere diuersam in specie malitiam à simplici fornicatione. In hanc consentit *D. Thomas secundâ secundæ q. 154. art. 6., Graffius prima part. decis. lib. 2. c. 79., Suarez de pœnit. disp. 22. sect. 4. n. 6., Azorius tertia part. lib. 5. c. 5. q. 1.* Ratio ex eo deducitur, quod denegari non possit, quin ex illa fornicatione magnum dedecus oriatur in parentibus, & iniuria maxima eisdem inferatur, cum lędatur ius specialis custodię, quod habent ex ordinatione Diuina in integritatem virginis iuxta illud Ecclesiastici 7. *Filiæ tibi sunt, serua corpus illarum*; quarè stuprum sumit speciem propriam ex adiuncta supra illicitum concubitum iniuria paternę custodię. Dixi, *ius specialis custodiæ*; nam paterna custodia potest duplicitèr sumi, vno modo, vt respicit filiam custoditam, siue sit virgo, siue non, & sic non constituit stupri speciem; altero, vt respicit filiam secundum virginale signaculum, & sic constituit speciem eiusdem stupri propter iniuriam parentum in lęsione talis virginalis signaculi; Neque obstant ea, quę in pręcedentibus responsionibus dicta sunt, nempè, quod ipsa fęmina habeat liberam dispositionem suę integritatis, & quod possit velle innupta permanere, qua ratione videtur cessare iniuria Patris, cum non teneatur cum ampliori dote eam matrimonio coniungere; Non obstant, inquam, quia, quantumuis habeat illam liberam dispositionem, non tollitur tamen, quin illam prodigendo agat contra reuerentiam parentibus debitam, quin in illos dedecus ingerat, quin lędat illorum custodiam; vnde habetur Ecclesiast. 42. *Supra filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quando faciat te in obbrobrium venire inimicis.*

15 Si fęmina consenserit inuitis parentibus tenetur.

Læditur ius parentum.

Ex occasione eorum, quę dicta sunt in pręcedentibus responsionibus, oritur hic difficultas, an, supposita diuersa malitia in specie à simplici fornicatione in defloratione fęminę virginis sub cura parentum existentis, si quis cum eadem primò concuberet, & frangeret claustrum virginale, non tamen intra vas seminaret, & deinde alter ad eandem accederet, & vas penetraret, & simul intra idem seminaret, primus, qui fregit, & non seminauit, an secundus, qui non fregit, sed seminauit; an neuter, vel vterque intelligatur contraxisse hanc diuersam deformitatem. Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod ad deflorationem strictè sumptam videntur duo necessariò requiri, & corruptio virginalis integritatis carnis, & seminatio viri intra vas fęminę, & sine altero ipsorum non videtur stuprum subsistere, nam claustrum virginale potest aliter frangi, puta per instrumentum, in qua fractione propriè non consistit defloratio, quæ etiam non ponitur per simplicem seminationem fracto antecedentèr claustro, cum per illam non tollatur carnis virginalis integritas.

16 Frangens, & non seminans, an stuprum comitat.

Interrogatus semel de hoc dubio in hypothesi, qua in quadam Diæcesi erat stuprum reseruatum, an primus, qui fregit, & non seminauit, an secundus, qui seminauit, & non fregit, contraxerit reseruationem; memini respondisse, neutrum in reseruationem incidisse, quia reseruatio, vtpotè odiosa intelligenda est de actu vsquequaque perfecto, & consummato, qui actus in neutro potest considerari. Sed modo loquendo de ipsa substantia actus, in qua consistit illa specialis deformitas, arbitrarer primum, qui fregit, & non seminauit illam deformitatem contrahere, quia *D. Thomas secunda secundæ d. q. 154. art. 6.* definiens stuprum considerat specialitèr violationem integritatis virginalis carnis; dicit enim *est concubitus viri cum fæmina virgine, quo virginalis carnis integritas corrumpitur;* per fractionem autem modo naturali factam virginalis caro corrumpitur; nec obstat, quod dicebatur de fractione facta per instrumentum, quia iuxta mentem D. Thomæ, & secundum veritatem debet esse per concubitum viri defloratio, vt sit stuprum, qui in præsenti hypothesi interuenit. Confirmatur, quia per illam fractionem maximè violatur ius parentum, quinimmo ipsius fæminæ, si non consenserit.

17 Probabilius contrahit.

Quarta difficultas est, an sponsi ante contractum matrimonium fornicantes teneantur in confessione exprimere circunstantiam sponsalium. Difficultas hæc sub duplici sensu potest examinari, vel quatenus ipsi sponsi post contracta sponsalia inter se fornicantur, vel quatenus alter ipsorum fornicatur cum alio, vel sponsus cum alia fæmina, vel sponsa cum alio viro.

18 Sponsi inter se fornicātes non tenentur circunstātiam sponsaliū aperire.

Respondeo primò. Sponsi inter se fornicantes non tenentur circunstantiam sponsalium in confessione explicare, nisi vbi fuerit fornicatio inter sponsos specialitèr reseruata. Ratio est, quia non est assignabilis titulus, propter quem ille concubitus inter sponsos transeat in aliam speciem à simplici fornicatione; non titulus sponsalium, quia hic potius confert ius, quam diminuat, vel transferat in aliam speciem; non titulus iniustitiæ, quia non læditur alicuius ius; non titulus deflorationis, quia ex supradictis hæc consentiente fæmina virgine non importat diuersam in specie deformitatem. Et in ordine ad parentes, vel isti consenserunt sponsalibus, vel non consenserunt; si consenserunt, iam quodamodo, quantum est ex se, tribuerunt sponsis ius aliquod incohatum ad illam integritatem, & iniuria, si quam patiuntur ex illa præuia fornicatione, resarcitur per subsequens matrimonium; si non consenserunt, cum fæmina, & etiam masculus in ordine ad matrimonium sint sui iuris, & solum dependeant ex conuenientia, non ex necessitate à parentibus, & ille præuius coitus sit in ordine ad matrimonium iam incohatum per sponsalia, non videtur importare illam deformitatem constituentem diuersam speciem peccati, nec fæmina per illum amittit ius ad matrimonium, sed potius firmat, vnde nullum damnum, nec dedecus parentibus irrogatur.

Quod, si supponas, quod fæmina virgo post contracta sponsalia, & ante matrimonium fuerit dissentiens per vim oppressa à sponso; tunc magna est inter DD. controuersia, an illa defloratio importet deformitatem specificam à simplici fornicatione; nam aliqui statuunt verè adesse, eo quia adsunt omnes conditiones ad strictam rationem stupri requisitæ, concubitus scilicet viri cum fæmina cum corruptione integritatis virginalis carnis, & iniuria propria eiusdem fæminæ oppressæ; Nec obstant præcedentia sponsalia, quia ista non conferunt ius in corpus sponsæ, quod confertur dumtaxat per matrimonium. Alij verò sentiunt, non importare hanc deformitatem specificam propter ius, quod acquisiuit sponsus per sponsalia contracta, quæ licet non conferant ius in re, conferunt tamen ius ad rem, & si non perfectum, saltem incohatum, ratione cuius sunt licita inter sponsos oscula, & amplexus; nec consurgit in hoc casu illa ratio considerata a *D. Thoma secunda secundæ q. 154. art. 6.* deformationis respectu puellæ, ratione cuius impediatur à legitimo matrimonio consequendo, & paretur ei via ad meretricandum, cum per illam deflorationem potius firmetur ius ad matrimonium, quam impediatur, vt per se patet, nec sternitur via ad meretricandum, cum magis firmetur matrimonium futurum. Vtraque opinio probabilis; secundæ tamen neganti illam diuersam deformitatem libentius adhæreo propter rationes pro ipsa adductas, quibus addo, quod ratione sponsalium sponsa illam virginalem integritatem spopondit sponso, eidemque quodamodo sacrauit, vnde, si illa præuiè abusus est, peccauit quidem contra voluntatem sponsæ, quæ restitit, vt non peccaret, cum vsus sui corporis non esset licitus ante matrimonium contractum, non vt seruaret integritatem virginalem, quam sponso spoponderat, & erat ab eodem violanda.

19 Quid, si sponsa fuerit per spōsum per vim oppressa.

Duplex sententia.

Respondeo secundò. Si alter ex sponsis constantibus sponsalibus fornicetur cum alio, seu alia tenetur circunstantiam sponsalium in confessione aperire. *Sarmiento*

lib. 1.

lib. 1. ſelect. c. 5. n. 3., *Ludouicus Lopez prima part. instruct. c. 29. §. ad hæc libet*, *Antonius Cutus lib. 1. instit. maior. tit. 10. num. 7.*, *Manuel. tom. 1. ſummæ in ſecunda edit. c. 53. n. 3. in fin.*, *& nos ipſi tom. 4. de ſponſal. 1. diſq. 1. §. 2. n. 4.* vbi latè probauimus hanc reſponſionem tam in ordine ad ſponſam fornicantem cum altero, quam in ordine ad ſponſum cubantem cum altera fæmina, eandemque vindicauimus ab omnibus aduerſantium obiectis. Recole, quæ ibi dicta ſunt; non enim vacat hic repetere.

20 Sponſus fornicās cū alia tenetur circunſtantiā ſponſaliū aperire.

Quinta difficultas eſt, an Confeſſarius, qui rem habuit cum filia ſpirituali, teneatur explicare in confeſſione circunſtantiam paternitatis, & filiationis ſpiritualis. Tres circa eandem inuenio ſententias, quarum prima eſt *Homoboni part. 1. tract. 5. c. 12. q. 75.*, & aliorum, quos ibidem citat, aſſerentium talem circunſtantiam, & inducere diuerſam deformitatem, & neceſſario eſſe in confeſſione aperiendam. Secunda extremè oppoſita docet, nec inferre diuerſam malitiam à ſimplici fornicatione, & ſacrilegio ratione perſonæ ſacræ eiuſdem Confeſſarij, nec eſſe in confeſſione aperiēdam. Tertia quaſi media eſt *Ochogauiæ tract. 2. de confeſſione q. 14. n. 14.*, *& Filliutij tract. 10. c. 5. n. 187.* aſſerentium, teneri hanc circunſtantiam Confeſſarium aperire, quando actu recipit confeſſiones illius fæminæ, cum qua concubuit, non autem, quando antecedentèr recepit, actu autem non recipit, vel quando immediatè poſt confeſſionem cum ipſa concubuit, non autem, quando antecedentèr, vel ſubſequentèr ad ipſam, quod ex eo probant, quod per talem circunſtantiam infertur aliqua iniuria Sacramento.

21 An Cōfeſſarius fornicās cum pœnitente teneatur circunſtātiā Cōfeſſarij aperire.

Reſpondeo, regularitèr loquendo nullam adeſſe neceſſitatem talem circunſtantiam aperiendi, quia in iure nulla reperitur ratio, vel decretum inducens cognationem ſpiritualem inter Confeſſarium, & pænitentem, ſicuti reperitur inducens inter ſuſceptorem, & ſuſceptum, baptizantem, & baptizatum, inter confirmantem, & confirmatum in baptiſmo, & confirmatione, & quod ius non inducit, nec nos inducere debemus; Quod, ſi Confeſſarius appelletur Pater ſpiritualis, hoc metaphoricè tantum dicitur, non propriè, eo modo quo metaphoricè tantum dicitur inceſtus fornicatio commiſſa inter eundem Confeſſarium, & filiam ſpiritualem.

22 Regularitèr nō tenetur.

Dixi, *regularitèr loquendo*, nam, ſi motiuum fornicationis habitum fuiſſet in eadem confeſſione, & ratione eiuſdem, tunc adeſt aliqua ſpecialis ratio hanc circunſtantiam manifeſtandi, ſed hoc non oriretur ratione fornicationis præciſè inter Confeſſarium, & pænitentem, ſed ratione abuſionis Sacramenti ad hunc prauum finem, vel ratione ſollicitationis, in quo ſenſu verificatur opinio limitatiua Ochogauiæ, vt ſupra.

23 Exceptio ad prædicta.

Sexta difficultas eſt, an vir Chriſtianus, ſi coeat cum muliere infideli, puta Turca, Hæbrea, Gentili, &c. teneatur exprimere circunſtantiam perſonæ infidelis. Contendunt aliqui, inter quos *Azorius parte 3. lib. 3. c. 29.*, *Filliutius tom. 2. tract. 30. c. 2. n. 52.* coitum huiuſmodi cum infideli non inducere ſpeciem diſtinctam ſupra ſimplicem fornicationem, quinimmo ſuſtinent ſecluſo ſcandalo, & periculo ſubuerſionis, vel contemptus legis, & Religionis ſufficientèr ſatisfacere confeſſioni, qui fornicans cum infideli diceret *Toties fornicatus ſum*, etiam ſi non exprimat, an mulier fuerit infidelis, Turca, vel Iudæa &c. His tamen non obſtantibus

Reſpondeo teneri exprimere circunſtantiam perſonæ infidelis. *Lopez in inſtruct. part. 1. c. 35. §. affine eſt*, *Homobonus de caſibus reſeruatis part. 2. caſ. 4. ſent. 5.*, *Henriquez lib. 2. de pænit. c. 6. n. 3. in Gloſ. lit. M.*, *Sanchez de matrim. tom. 1 lib. 7. diſp. 5. num. 12.*, *Leſſius lib. 4. c. 3. dub. 6. num. 45.* vbi reducit hoc peccatum ad ſpeciem ſacrilegij.

24 Fidelis fornicās cum infideli tenetur hāc circunſtātiam aperire.

Probatur. Ille concubitus fidelis cum infideli non ſolum opponitur virtuti caſtitatis, ſed etiam virtuti Religionis, ergo inducit diuerſam in ſpecie malitiam à ſimplici fornicatione, adeoque circunſtantia infidelitatis erit in confeſſione exprimenda. Antecedens probatur, & quidem, quod ſit contra virtutem caſtitatis non vertitur in dubium, quod autem aduerſetur Religioni, ex eo reſultat, quod licet fidelis in toto rigore non ſit perſona ſacra, comparatiuè tamen ad infideles, ratione fidei, quam profitetur, & ratione Sacramenti baptiſmatis, quo eſt imbutus, computatur pro ſacra, vnde Apoſtolus dicit. Quæ communicatio fidelis cum infideli?

Probatur ſecundò, quia inter fidelem, & infidelem intercedit impedimentum dirimens matrimonium, ergo concubitus eiuſdem fidelis cum infideli eſt diuerſæ rationis vtpote ſpeciali iure interdictus, cum etenim matrimonium ſit in ordine ad concubitum, ſicuti illud eſt ſpeciali iure interdictum inter fidelem, & infidelem, ita, & ſpeciali iure interdictus intelligitur concubitus inter eoſdem, & hoc non ſolum ratione violationis caſtitatis, quia hæc omnibus interdicta intelligitur, & non erat neceſſe, vt ex hoc capite ſpecialitèr interdiceretur, ergo ratione alicuius alterius, quod nequit eſſe, niſi ex titulo Religionis. Confirmatur; Ideo prohibitum eſt matrimonium inter fidelem, & infidelem, quia

Rationes pro hoc aſſerto.

cedit in Religionis dedecus, in detrimentum prolis propter periculum educationis prolis in infidelitate, sed hæc omnia militant etiam in actu fornicario, ergo, si illud prohibitum est ratione offensionis Religionis, & damni prolis, erit etiam prohibitus coitus fornicarius specialitèr ratione talis offensionis Religionis, ergo inuoluit aliquam Religionis violationem, & proinde etiam malitiam specie diuersam.

Septima difficultas est, an coniugatus, qui cognouit sodomiticè alteram fæminam, vel puerum, vel fortè etiam propriam vxorem, teneatur in confessione exprimere, se esse coniugatum. Sub hoc dubio tria examinabimus. Primum, an sodomiticè cognoscens alteram fæminam, vel puerum debeat propriam conditionem coniugati exponere. Secundum, an teneatur exponere, an cognouerit masculum, vel fæminam determinatè exprimendo sexum. Tertium, an teneatur exprimere propriam vxorem talitèr cognouisse.

25 Coniugatus sodomiticè cognoscēs aliā fæminam, vel puerum tenetur exprimere se esse coniugatū.

Respondeo primò, coniugatum cognoscentem sodomiticè alteram fæminam à propria vxore, vel puerum teneri in confessione exprimere se esse coniugatum. Congruit hæc responsio cum ijs, quæ docuimus *tom. 9. de effect. matrim. sub tit. Contractus XV. de matrim. VII. prænot. 3. sect. 3. n. 9.*, & consentire tenentur, quotquot sustinent maritum cognoscentem sodomiticè propriam vxorem contrahere speciem adulterij distinctam a simplici peccato contra naturam, de quibus latè agemus in sequenti tertia responsione.

Probatur, quia per contractum matrimonij coniugatus obligauit suum corpus erga alterum coniugem quoad ea omnia, quæ pertinent ad vsum eiusdem matrimonij, ergo alteri tradendo suum corpus violat ius ab altero acquisitum, adeoque non solum peccato contra naturam peccat, & contra castitatem, sed etiam peccat contra iustitiam lædendo ius alterius coniugis, ideoque committit peccatum specie diuersum, & proinde necessario exprimendum in confessione; Neque dicas, violare quidem ius alterius per veram fornicationem, cum fiat vna caro cum fæmina, cui commiscetur, non vero per actum sodomiticum, per quam caro non commiscetur, neque per illum fiunt duo in carne vna; contra enim impugnaberis, quia non minus traditur corpus coniugati alteri per actum fornicarium, ac per actum sodomiticum, cum per istum tradatur alteri, quod coniungi est debitum; nec ratione præcisè commixtionis carnis violatur ius alterius coniugis, sed ratione traditionis rei priuatiuè obligatæ alteri, in quo consistit læsio. Quod, si rapetas, quod hac ratione coniugatus per simplicem voluntariam pollutionem extra vsum coniugij contraheret malitiam specie diuersam à simplici peccato contra naturam, cum prodigeret id, quod est debitum alteri coniugi; adhuc impugnaberis, quia in primis, si hoc diceretur, non diceretur aliquid, quod non dicatur à grauibus DD. qui agnoscunt in illa voluntaria, & peccaminosa pollutione coniugati diuersam malitiam. Deindè reiecto etiam hoc dicto vtpotè communitèr reprobato, dicendum est coniugatos ex vi coniugij se obligare quidem ad non tradendum alteri vsum sui corporis, non autem ad non vtendum suo corpore, quamuis talis vsus illicitus sit aliundè, seu à natura ipsa prohibitus; vnde compertum est, quod vxores ægrè ferunt, quod earum mariti commisceantur cum alijs, non autem, quod ex se polluantur, cum huiusmodi pollutio possit etiam sequi natura, seu conditione corporis sic impellente, de qua condolere non potest vxor; quod deinde culpabilitèr, seu voluntariè fiat ab ipso marito hoc inducit quidem culpam grauem in eodem, non autem iniuriam in vxorem, nisi crebrò committatur, vt maritus reddatur minus potens ad reddendum eidem debitum coniugale.

26 Lædit ius alterius cōiugis.

27 Non valet argumentum à simplici pollutione.

28 Cognoscēs propriam vxorem sodomiticè cōtrahit malitiā diuersā à simplici peccato cōtra naturam.

Probatur secundò. Coniugatus sodomiticè cognoscens propriam vxorem contrahit diuersam in specie malitiam à simplici peccato contra naturam, vt infra in tertia responsione latè probabitur, ergo etiam quinimmo a fortiori contrahet diuersam malitiam, si sodomiticè cognoscat aliam fæminam. Dixi, *à fortiori*, quia, vt tradit *D. Thomas secunda secundæ q. 154. art. 8. ad secundum*, non violat fidem, quia accedit ad suam, tum quia non tradit alteri, quod debetur vxori, licet inordinatè tradat.

29 Si sodomiticè cognouerit masculum, vel aliā fæminam non tenetur exprimere, an fuerit masculus, an fæmina.

Respondeo secundò. Coniugatus sodomiticè cognoscens vel aliam fæminam, vel masculum non tenetur exprimere in confessione qualitatem masculi, vel fæminæ, cum quo, vel qua concubuit *Diana part. 8. tract. 7. resol. 86.*, *Caietanus q. 2. de confess.*

Probatur, quia cum quocunque concubuerit sodomiticè, semper commisit peccatum contra naturam, & diuersitas sexus non inducit, nisi differentiam materialem, & in genere entis, non autem formalem, & in genere moris. Confirmatur, quia, qui commisit actum bestialitatis, non tenetur exprimere speciem animalis, cum quo concubuit, vt docent communitèr Summistæ, ergo, etiam qui commisit actum sodomiticum non tenetur exprimere differentiam sexus. Hæc consequentia te-

tenet, tum quia magis differunt diuersæ animantium species inter se, quam masculus, & fæmina intra speciem hominis; tum quia, cum in actu sodomitico non commisceatur caro, siue sit cum masculo, siue cum fæmina, ipse actus non habet diuersam rationem formalem.

Aduerte tamen, quandoque contingere posse, vt teneatur exprimere pænitens circunstantiam sexus, puta, si in aliqua Diæcesi Episcopus reseruaret sibi absolutionem actus sodomitici præcisè nihil aliud exprimendo; tunc enim exprimendus esset sexus in sententia eorum, qui sustinent concubitum in vase præpostero cum fæmina non esse propriè, & in rigore sodomiam, cum reseruatio vtpotè odiosa non incurratur, nisi per actum proprium, & rigorosum, & ita sentit *Lupus de cas. reser. dis. 2. c. 10. n. 3.* addita etiam ratione, quia in sodomia propriè peccatur non solum contra vas, sed etiam contra sexum; masculus autem sodomiticè cognoscens fæminam, licet non seruet vas, seruat tamen sexum.

30 Ratione annexi quandoque tenetur.

Respondeo tertiò. Coniugatum cognoscentem sodomiticè propriam vxorem contrahere diuersam in specie malitiam supra peccatum contra naturam aperiendam in confessione *Cardin. de Lugo de Sacram. pænit. disp. 16. sect. 6., Azorius Instit. mor. tom. 3. lib. 3. c. 18., Ioannes Angelus Bossius tom. 3. var. mor. tit. 11. num. 32., & tract. de effect. matrim. c. 7. n. 176., Sanchez de matrim. lib. 9. disp. 18. n. 3., & seqq., Salas prima secundæ tract. 3. disp. 6. sect. 6., Basilius Pontius lib. 10. c. 21. n. 6. in fin., Castrus Palaus tom. 5. de sponsf. disp. 3. p. 4. §. 3. n. 16., & nos ipsi tom. 9. de effect. matrim. sub tit. Contract. XV. de matrim. 7. prænot. 3. sect. 3. num. 7.*

31 Cognoscens sodomiticè propriam vxorem tenetur circunstantiã vxoris aperire.

Probatur primò, quia in gradibus iure naturali prohibitis sodomia habet specialem malitiam, & facit quodamodo ipsam incestuosam, ergo talis circunstantia gradus prohibiti speciali iure naturæ est necessario exprimenda, adeoque etiam sodomia cum vxore. Antecedens probatur, quia in talibus gradibus quæcunque copula etiam naturalis inducit malitiam diuersam, & incestuosam, ergo etiam copula sodomitica. Hæc consequentia probatur. Ideo ob specialem malitiam, quam inuoluit prohibitum est speciali iure matrimonium, & à fortiori fornicatio inter consanguineos, quia sunt contra reuerentiam debitam coniunctioni sanguinis, & contra obseruantiam specialem, quam consanguinei adinuicem sibi exhibere debent, sed hæc militant etiam pro actu sodomitico, ergo, si fornicatio in illis gradibus inducit diuersam malitiam, eandem etiam, & nequiorem inducet actus sodomiticus. Neque dicas, per actum sodomiticum non commisceri carnem, sicuti fit in fornicatione, adeoque istam inducere diuersam malitiam, si sit inter consanguineos, non sic illum; contra enim est, quia illa diuersitas specifica desumitur potissimum per oppositionem, quam habet actus ad reuerentiam sanguini debitam, quæ diuersitas consurgit, etiam si non fiat commixtio carnis, vt videre est in eo, qui morose delectatur circa consanguineam, quæ delectatio est specie diuersa ab illa, qua delectaretur circa extraneam, & tamen non esset carnis commixtio.

Rationes pro hoc asserto.

Probatur secundò, quia talis congressus contra naturam inter coniuges initus est contra finem matrimonij, & bonum fidei, quod dicit, vt vnusquisque tradat suum corpus alteri naturalitèr vtendum ad finẽ generationis, & quod illud seruet castè; non enim est coniux ad quamcunque actum quomodocunque exercendum, sed ad actum simplicitèr naturalem ordinatum ad generationem, & sic accessus ille, cum aduersetur bono matrimonij, videtur inducere speciem adulterij asserente *D. Ambrosio lib. de Patriarchis relato in c. nemo 32. q. 4. quod non solum sit adulterium cum aliena peccare coniuge, sed omne, quod non habet potestatem coniugij.* Quod, si dicas, quod adulterium debeat esse ex genere suo alieni thori violatio, quod in hac hypothesi non contingit, cum illa, cum qua congreditur, sit propria vxor; statim impugnaberis, quia in ordine ad illum actum sodomiticum non computatur, vt propria vxor, cum in ordine ad illum actum nullum ius habeat, & ex D. Ambrosio mox relato omne, quod non habet potestatem coniugij, sit adulterium. Recole, quæ dicta sunt *d. tom. 9. de effect. matrim. De matrim. 7. prænot. 3. sect. 3. à n. 7. vsque ad 12.*

Talis accessus est contra bonum fidei, & finem matrimonij.

Octaua difficultas est, an consanguineus fornicans cum consanguinea teneatur in confessione exprimere lineam, & gradum consanguinitatis. Linea duplex est, altera recta, altera transuersalis. Prima est, coniunctio multorum per dependentiam, & est propria ascendentium, & descendentium. Secunda est, coniunctio multorum ab vno communi capite, qualis est duorum procedentium ab eodem Patre, si inter se comparentur. Gradus distinguuntur per maiorem, vel minorem distantiam ab eodem stipite, vt latè vidimus in quæstionibus de matrimonio. Porro consanguinitas triplex est, altera naturalis, altera spiritualis, altera legalis. Prima est, coniunctio multorum secundum sanguinem; Secunda est, quæ contrahitur in Sacramento Baptismatis, & Confirmationis. Tertia

32 Linea, & cognatio multiplex.

Tertia contrahitur per adoptionem alicuius in filium. Sub hac difficultate tria, vel quatuor examinabuntur. Primum est, an, qui fornicatus est cum consanguinea in linea recta, teneatur in confessione eandem lineam, in qua est persona, cum qua peccauit, exprimere. Secundum, an siue peccatum fuerit in linea recta, siue transuersali teneatur determinatè exprimere gradum, in quo est, cum persona, cum qua peccauit. Tertium, an debeat exprimere, an persona, cum qua peccauit, fuerit consanguinea cognatione naturali, an spirituali, an legali. Quartum, an persona, cum qua concubuit, sit consanguinea, an tantum affinis.

33 Non tenetur incæstuosus exprimere lineam.

Respondeo primò, non teneri incęstuosum in confessione exprimere incęstum fuisse commissum in linea recta *Caietanus secunda secundæ q. 154. art. 9., Faustus tom. primo lib. 4. q. 95., Hurtadus de Sacram. pænit. disp. 9. diffic. 40., Ghetius verb. Incęstus vers. nunc videndum est.*

Probatur, quia cognatio in vtraque linea inducit malitiam, & turpitudinem specie distinctam à simplici fornicatione, quia est contra reuerentiam sanguinis coniunctioni debitam, vt notat *D. Thomas secunda secundæ q. 154. art. 9., & in 4. dist. 41. art. 5. quæstiunc. 1. in corpore, & q. 15. de malo art. 3. in corpore*, sed ex eo, quod respiciat lineam rectam non extrahitur ad quid aliud distinctum ab eadem reuerentia, sed tantum auget ratione maioris coniunctionis, ergo cognatio quoad lineam non est necessario in confessione aperienda. Minor probatur, quia, quod actus luxuriæ sit contra Matrem a filio, vel à fratre contra sororem semper est contra vetitum a natura, eo quia est contra reuerentiam debitam sanguini, nec aliud est assignabile motiuum prohibitionis, sed, quod est contra idem omnino motiuum, & eandem virtutem licet magis, & minus augeatur ratione maioris, vel minoris coniunctionis, non variatur in specie, sed tantum in maiori, vel minori intensione, & grauitate, ergo non extrahitur &c.

34 Ex indispensabilitate non arguitur diuersa malitia.

Neque dicas, nunquam esse dispensabile matrimonium inter consanguineos in linea recta, licet sit dispensabile in linea transuersali, ergo, quia fortius ius prohibet copulam inter illos, ac prohibeat inter istos, adeoque coniunctio inter illos videtur inducere diuersam malitiam. Contra enim est, quia ex indispensabilitate arguitur ad summum maior grauitas propter maiorem, & immediatiorem coniunctionem, non autem diuersitas specifica in actibus, qui contra talem coniunctionem exercentur; ratio autem indispensabilitatis ex eo desumitur, quod matrimonium in linea recta est iure naturæ nullum, circa quod nequit Pontifex dispensare.

35 Idem est motiuū prohibitionis pro linea recta, & transuersali.

Probatur secundò. Ob eundem finem, & idem motiuum, quo inducta est à iure naturæ prohibitio coniunctionis siue coniugalis, siue fornicariæ inter consanguineos in linea recta, etiam de iure naturali, vel positiuo prohibita est huiusmodi coniunctio inter eosdem in linea transuersali; motiuum etenim, & finis est reuerentia debita sanguini; ergo in vtraque linea coniunctio huiusmodi non est diuersa in specie; & militante eodem motiuo, & fine peccata non diuersificantur in specie, nec in numero ex diuersitate præceptorum iuris naturæ, Diuini, ac humani, vt videre est etiam in furto, quod prohibetur iure naturæ, Diuino, & humano, quod tamen, quia est contra eandem virtutem iustitiæ non multiplicatur quoad malitiam nec in specie, nec in numero.

Eluditur argumentum deductum à maiori execrabilitate.

Dices, quod quamuis prohibitio huiusmodi coniunctionis procedat ex eodem motiuo in linea transuersali, ex quo procedit in linea recta, nihilominus coniunctio in linea recta quoad primum gradum puta inter filium, & Matrem sit adeo execrabilis, & naturæ exosa, vt videatur illam transferre in aliam speciem saltem quoad communem hominum conceptum. Sed contra stantibus nostris principijs, secundum quæ non diuersificamus specie peccata, nisi in ordine ad motiua, & virtutes specie diuersa, seu diuersas, hæc instantia nihil euincit; cum illa maior execrabilitas vtpotè procedens ex eodem motiuo adaugeat quidem peccatum in eadem specie, non diuersificet.

36 Non tenetur exprimere gradum consanguinitatis.

Respondeo secundò. Consanguineus fornicariè cognoscens consanguineam non tenetur in confessione exprimere gradum, quem habet consanguinea cognita, nisi fortè teneatur ex adiuncto. In hanc consentiunt omnes præallegati in prima responsione.

Probatur. Maior, & minor propinquitas non variat speciem, sed tantum auget, vel minuit malitiam intra eandem speciem, cum sit circa idem motiuum, & eandem in specie virtutem, ergo non est necessario exprimendus gradus consanguinitatis, cum hic non dicat, nisi maiorem, vel minorem propinquitatem; Quod, si dixeris, primum gradum efficere, vt peccatum sit contra ius naturæ, quod non præstant alij gradus, cum matrimonium in primo gradu iure naturæ prohibeatur, in alijs autem gradibus, non nisi iure Ecclesiastico; statim impugnaberis, quia licet concederemus prohiberi matrimonium in primo gradu iure naturæ, & in alijs gradibus solum iure Ecclesiastico, non propterea

rea ex hoc sequitur, quod violatio pertineat ad diuersam peccatorum speciem, quia hæc non desumitur, vt supra dicebamus, a diuersitate præceptorum. Ad hoc confirmandum videtur maximè facere exemplum adductum a *Cardinali de Lugo de Sacram. pœnit. disp. 16. sect. 6. §. 2. n. 317.* in peccato simoniæ, cuius aliquæ iure naturæ sunt prohibitæ, aliæ iure tantum humano, quæ tamen omnes ad eandem speciem reducuntur.

37 Quandoque tenetur ratione adiuncti.

Dixi, *nisi tamen fortè teneatur ex adiuncto*; nam, si in aliqua Diœcesi, vt passim contingit, sit reseruatus casus incestus in primo, & secundo gradu, ratione reseruationis adiunctæ erit necessitas huiusmodi gradus exprimendi, ne Confessarius exponatur periculo prorogandi auctoritatem, quam non habet, & absoluendi a casu, a quo non possit.

38 Non tenetur exprimere, an cognatio sit naturalis, an legalis, an spiritualis.

Respondeo tertiò. Incestuosus non tenetur exprimere, an consanguinea cum qua peccauit, sit talis cognatione naturali, vel legali, vel spirituali. Consentiunt *Caietanus secunda secundæ q. 154. art. 9.*, *Ghetius verb. Incæstus in secundo quæsito verb. nunc videndum est*.

Ratio est, quia peccatum commissum, siue cum consanguinea naturali, siue cum legali, siue &c. non egreditur rationem incestus, & prohibitũ est ab Ecclesia propter idem motiuum specialis coniunctionis, quæ est inter has personas, & propter reuerentiam huiusmodi consanguinitati debitam, quæ coniunctio certè est, siue fit per sanguinem, siue per adoptionem, siue &c. ergo, quamuis peccans per incæstum legalem &c. teneatur manifestare circunstantiam consanguinitatis vtpotè, quæ inducit malitiam specie diuersam à simplici fornicatione, non tenetur tamen manifestare differentiam cognationis legalis, vel naturalis &c.

Ratio ex D. Thoma deducta

Confirmatur, quia motiua omnia, propter quæ *D. Thomas secunda secundæ q. 154. art. 9. in corpore*, prohiberi asserit fornicationem inter consanguineos, & induci speciem distinctam incestus æquè militant pro cognatione naturali, ac legali &c.; tria enim ipse enumerat, nempè honorificentiam debitam parentibus, necessariam consuetudinem conuiuendi, & cohabitandi, ex qua oriretur nimia opportunitas peccandi, nisi speciali iure peccatum inter ipsos vitaretur, & impedimentum ad multiplicationem amicorum; hæc autem omnia æquè militant, quoad cognationem legalem; est etenim reuerentia debita inter adoptantem, & adoptatum; cum sit inter ipsos quædam species paternitatis, & filiationis, & cum adoptatus, seu adoptata sint sub cura adoptantis, facilè inter ipsos oriretur ex familiaritate, & conuiuendi consuetudine opportunitas crebro peccandi, & impedimentum ad amicitias cum alijs contrahendas, ergo, siue peccetur contra vnam, vel alteram, diuersam in specie malitiam, peccans non contrahet militantibus eisdem motiuis prohibitionis siue in vna, siue in altera.

Nec videntur obstare ea, quæ considerat *Paludanus in 4. dist. 42. q. 1. art. 3. concl. 7.* scilicet non posse esse incestum, nisi in gradu prohibito iure naturæ, eo quia incestus propriè non est, nisi per iura sanguinis; adoptio autem, & cognatio spiritualis est dumtaxat per ius Pontificium, vel per ius Cæsareum, quæ iura sanguinis non possunt immutare. Non, inquam, videntur obstare, quia in primis hoc pacto nulla contraheretur consanguinitas, vel affinitas spiritualis per susceptionem in Baptismo, & Confirmatione, cum in his etiam nulla fiat sanguinis coniunctio, quod manifestè est falsum, & contra communem Ecclesiæ, & DD. consensum. Deinde Ecclesia prohibuit coniugium ex motiuo specialis coniunctionis, quæ coniunctio oritur etiam ex adoptione.

39 Soluitur obiectũ de cognatione spirituali.

Difficultas solummodo aliqua potest esse quoad cognationem spiritualem, cum copula cum consanguinea spirituali non solum sit contra specialem illam coniunctionem, quam Ecclesia respicit, sed etiam contra reuerentiam debitam Sacramento, vi cuius illa cognatio contrahitur, ideoque non solum habet malitiam incestus, sed etiam malitiam sacrilegij, & propterea hæc circunstantia erit in confessione aperienda. Verum arbitror, ratione Sacramenti consurgere quidem cognationem spiritualem, & inde oriri incestum, si illa violetur per concubitum illicitum, non tamen contrahi sacrilegium, cum non fiat abusus Sacramenti, sed violatur solummodo effectus, seu ius ab illo productum, secus, si per hoc contraheretur sacrilegium, contraheretur etiam per concubitum illicitum cum quacunque baptizata, vel confirmata, quod nemo dicet.

40 Nec tenetur exprimere, an persona, cũ qua peccauit, fuerit consanguinea, an affinis.

Respondeo quartò, nec etiam teneri incestuosum exprimere, an incæstus fuerit commissus cum consanguinea, aut cum affine. Ratio est, quia motiuum prohibitionis idem est, tam in consanguinitate, quam in affinitate, nempè specialis coniunctio, ex qua oritur titulus pietatis, & mutuæ reuerentiæ, & materialitèr omninò est, quod coniunctio habeatur per sanguinem, vel per matrimonium, vel per copulam etiam illicitam. Aduerte tamen, quod, si sit affinitas per copulam illicitam, nec inducat speciem incæstus in tertio, vel quarto gradu cum non inducat affinitatem;

tem, nec sit circunstantia exprimenda tanquam inducens peccatum distinctum à simplici fornicatione; cum post Concilium Tridentinum impedimentum matrimonij non afferat vltra secundum gradum, ac proinde, nec speciem incæstus.

§. II.

Explicatur circunstantia circa obiectum importata per particulam *Quid?*

SVMMARIVM.

Rationes dubitandi circa defectus in materia fidei. 1.
Secundum se non est exprimendum mysterium fidei, in quo contingit error, vel ignorantia culpabilis. 2.
Quandoque per accidens est exprimendum, & quando. 3.
Nec est necesse exprimere, an error processerit ex actu positiuo, an vero ex ignorantia culpabili. 4.
Duplex error ex ignorantia culpabili, & qualis. 5.
Odium cum intentione nocendi debet exprimi, an fuerit circa bona vitæ, an circa bona famæ, an circa bona fortunæ. 6.
Homicidium, detractio, & furtum specie differunt. 7.
Diuersa ratio de conuicijs in Deum, Deiparam, & Sanctos. 8.
Delectationes morosæ circa diuersos status personarum differunt in specie. 9.
Soluitur instantia deducta ab his delectationibus morosis. 10.
Considerationes circa delectationes relatas ad diuersas personas. 11.
Si delectatio fuerit circa determinatam personam, coniuncta cum opere exteriori, exprimenda est qualitas personæ. 12.
Doctrina D. Thomæ ad rem præsentem. 13.
Idem est iudicium de operatione, & delectatione. 14.
Soluitur obiectum aduersantium. 15.
Delectatio efficax de obiecto malo, quamuis delectans præscindat à circunstantia, induit etiam malitiam circunstantiæ. 16.
Secus, si fuerit inefficax. 17.
Si delectatio fuerit de persona, quæ tunc menti occurrat, & non refferatur ad illam, vt talem; sed vt præcisè excitet libidinem, non est necesse, vt exprimatur persona. 18.
Qualitas personæ in hoc casu non finalizat. 19.
An vidua capiens delectationem de copula præterita, & sponsus de copula futura peccent, tres sententiæ referuntur. 20.
Probabilius est talem delectationem qua delectatio est, esse peccaminosam lethaliter. 21.
Probatio deducta ex doctrina D. Thomæ. 22.
A fortiori est illicita, si fuerit cum commotione carnis, & spirituum. 23.
Delectatio de re mala sub conditione, si non esset mala; an sit mala, tres sententiæ referuntur. 24.
Probabilius est grauitèr peccaminosa. 25.
Euincitur ex differentia, quæ versatur inter delectationem, & desiderium. 26.
An circa delectationem veneream detur paruitas materiæ excusans à graui. 27.
Sententia affirmatiua. 28.
Sententia negatiua præfertur. 29.
Non currit paritas in alijs materijs, & quarè. 30.
Intellige, si sit propriè de re venerea, non indifferenti. 31.
Quænam possit dici materia indifferens. 32.
Consulens rem moralitèr malam debet exprimere malum, circa quod consuluit. 33.
Excluditur distinctio Cardinalis de Lugo de consilio circa homicidium, & circa fornicationem. 34.
Consilium specificatur à peccato, quod consulitur. 35.

HActenus de circunstantia pertinente ad operantem; Nunc de pertinente ad qualitatem obiecti, vel ad integritatem materiæ, circa quam operans peccando versatur. Hæc circunstantia importatur per ly, *Quid*, positum in præ allegato versiculo, circa quod insurgunt nonnullæ difficultates, quas nunc currenti calamo expendo.

1 Duo dubia circa defectus in mysterijs fidei.

Prima est, an peccatum contra fidem ex ignorantia vincibili alicuius mysterij, vel ex errore culpabili sit exprimendum circa quod mysterium sit. Quoad ignorantiam procedit difficultas de mysterio, quod quisque scire tenetur ratione periculi non assentiendi tali mysterio, vel aliquid afferendi contra ipsum. Ad rectè hoc dubium explicandum, & resoluendum, duo sunt discutienda. Primum, an mysterium, circa quod erratur, vel ex ignorantia, vel ex errore sit exprimendum. Secundum, an diuersum sit peccatum, quod prouenit ex ignorantia ab illo, quod prouenit ex errore.

2 Non est per se exprimendū mysteriū, circa quod quis errauit.

Respondeo primò, per se loquendo non esse exprimendum, circa quod mysterium fuerit, vel ignorantia culpabilis, vel error *Merolla disput. 1. c. 2. diffic. 3. n. 700.* Ratio ex eo deducitur, quia infidelitas circa vnum mysterium non est, nisi materialitèr diuersa ab infidelitate circa aliud, ergo neque ignorantia, neque error circa diuersa

uersa mysteria inducet diuersum peccatum, nisi ad summum materialitèr, & in genere entis. Antecedens probatur, tum quia quicunque actus contra quodcunque mysterium fidei oppositionem solum habent ad eandem in specie virtutem fidei, tum quia, sicut omnes actus fidei licet inter se comparati materialitèr differant, nihilominus, si comparentur, prout subsunt Diuinæ veracitati, & reuelationi tanquam rationi formali non differunt formalitèr, ita quamuis actus oppositi eidem fidei inter se differant ratione diuersorum obiectorum, seu mysteriorum, quia tamen respiciunt eandem Dei veracitatem, & reuelationem, cui formalitèr opponuntur, non differunt formalitèr.

3 Quandoque per accidens est exprimêdum, & quando.

Dixi *per se*, nam quandoque per accidens, & ratione alicujus extrinseci annexi potest oriri obligatio manifestationis mysterij, circa quod errauit. Hoc potissimum contingeret in casu, quo alij ex illo errore essent decepti, & indigerent ab errore extrahi; vel etiam in casu, quo ipse adhuc esset anceps, & indigeret perfectè instrui, & ab errore liberari.

4 Nec est necesse, an fuerit ex actu positiuo, an vero ex ignorantia culpabili.

Respondeo secundò, non adesse necessitatem in peccatis contra fidem per se loquendo exprimere, an fuerint commissa scienter per actum positiuum oppositum fidei, an verò ex ignorantia culpabili per ommissionem actus, qui cæteroqui deberet elici. Probatur, ommissio culpabilis circa eandem in specie virtutem, ac commissio contra eandem non differunt in specie *D. Thomas primâ secundæ q. 72. art. 6.*, ergo non est necesse exprimere, an peccatum fuerit per actum positiuum, vel per negatiuum. Antecedens probatur, quia in vtroque est deficientia contra exigentiam eiusdem virtutis, & ius vi eiusdem præceptum; sed deficientia contra eandem virtutem in specie est in genere moris eiusdem omnino speciei, ergo &c. Neque dicas, actum positiuum, & negatiuum differre in specie; contra enim est, quia ad summum differunt materialitèr, & in entitate, non autem formalitèr, & in genere moris, cum præcipuè peccatum, qua formalitèr tale consistat in negatione rationis ad naturam rationalem; vt suppono ex quæstionibus de vitijs, & peccatis; quamobrem quoad rationem malitiæ actus positiuus, & negatiuus in ratione specifica deficientiæ à recta ratione conueniunt.

5 Dupliciter potest contingere error ex ignorãtia culpabili, & quomodo.

Aduerte hic tamen, peccatum contra fidem ex ignorantia culpabili posse dupliciter contingere; primò, quatenus aliquid affirmet, quod negare tenetur, vel neget, quod affirmare teneatur; Secundò, quatenus nec affirmet, nec neget, quod affirmare, vel negare tenetur. Primò modo non consistit in pura ommissione, & certè omnino eiusdem rationis est cum peccato per commissionem, & ex scientia, ea proportionali ratione, qua est idem in specie peccatum, quo quis scientèr absoluit à peccato, à quo scit se non posse absoluere, & ignorantèr culpabilitèr absoluit cum teneatur scire, se non posse absoluere. Secundo modo consistit in ommissione, & tamen inducit idem in specie peccatum contra virtutem fidei, quæ, sicuti obligat ad non dissentiendum mysterijs eiusdem, ita obligat ad non ignoranda ea, quæ speciali iure, & sunt de fide credenda, & sunt inquirenda, vt credantur; sicuti enim præceptum audiendi sacrum obligat non solum ad audiendum, sed etiam ad non ignorandum tale præceptum, vnde non minus peccat, qui non audit scientèr, ac qui non audit ignorantèr ignorantia vincibili, & culpabili, cum hæc comparetur culpæ, ita &c.

Secunda est, an peccatum odij cum intentione nocendi proximo sit exprimendum cum circunstantia mali, quod eidem intenditur, vel in ordine ad bona fortunæ, vel in ordine ad bona famæ, & honoris, vel in ordine ad bona vitæ.

6 Exprimendũ est circa quæ bona fuerit intentio nocẽdi.

Respondeo, vtique odium debere exprimi cum circunstantia mali, quod intenditur alteri in eo ordine, quo malum intenditur *Suarez de charit. disp. 6. sect. 2. num. 2.* contra *Bonacinam de legib. disp. 3. q. 4. punct. vlt. §. 1. n. 10., Homobonum in examin. Eccl. part. 1. tract. 6. c. 25. q. 112.*

Probatur; iniuria, seu læsio in bonis vitæ est in specie diuersa à læsione in bonis famæ, & honoris, & à læsione in bonis fortunæ, cum illa quandoque constituat homicidium, altera detractionem, altera furtum, vel rapinam; homicidium autem est peccatum diuersum in specie à detractione, & furto, ergo voluntas, qua intenditur homicidium est diuersa ab illa, qua intenditur detractio, vel furtum, ergo illa voluntas est cum sua qualitate in confessione, exprimenda. Neque dicas, quod quamuis illæ læsiones secundum se specie differant, quia tamen attinguntur sub vna, & eadem ratione formali lædendi proximum ex odio, inducant eandem rationem formalem, & specificam malitiæ, à qua specificantur; contra enim impugnaberis, primò, quia ipsæ actuales læsiones in actu positæ præcipuè contra bona vitæ, & honoris regularitèr procedunt ex odio, & tamen nullus est, qui neget homicidium deferre specie à detractione, cum habeant obiecta specie diuersa, ergo etiam ex quo volitiones illæ contra bona vitæ, & bona honoris, & famæ procedunt ex eodem motiuo odij, non extrahuntur à diuersitate

7 Homicidium, detractio, & furtum specie differũt.

 speci-

specifica peccatorum. Contra secundò, quia, quando actiones ipsæ habent in se ipsis diuersam moralitatem, & malitiam distinctam, quamuis procedant sub eodem motiuo, & ex eadem ratione eiusdem motiui, seu finis non exuunt malitiam, quam habent, sic dicebamus *art.* 11. *præsentis quæstionis concl.* 2. *vers. dices quando media*; quod, quando quis domo exit ad finem occidendi inimicum, & transiens per agros conculcat segetes, diuersam malitiam contrahat, & per conculcationem segetum, & per necem inimici, & tamen vtrumque procedit ex motiuo, & fine occidendi inimicum; cum igitur homicidium, detractio, & furtum habeant in se ipsis diuersam moralitatem, & malitiam, quamuis procedant ex eodem motiuo odij, non amittent malitiam, quam habent in se ipsis; vnde non erit, cur voluntates relatæ ad ipsa non habeant etiam diuersam malitiam moralem, cum specificentur à proprijs obiectis.

8 Diuersa ratio de conuicijs in Deum, Deiparam, & Sanctos.

Dices, conuicia in Deum, quæ opponuntur latriæ eidem Deo debitæ differunt à conuicijs in Beatam Virginem, quæ opponuntur hyperduliæ, & a conuicijs in Sanctos, quæ opponuntur Duliæ, si tamen considerentur, vt opponuntur eidem virtuti Religionis in specie non differunt formalitèr, ergo etiam voluntates nocendi alteri in bonis vitæ per homicidium, & in bonis famæ per detractionem, & in bonis fortunæ per furtum, quamuis secundum se specie differant, si tamen considerentur, vt procedunt ex eodem motiuo odij non different formalitèr in specie. Sed contra, quia conuicia in Deum, Deiparam Virginem, & in Sanctos non solum procedunt ex eodem motiuo opposito Religioni, sed etiam sunt in eodem ordine; omnes enim Sancti, & Deipara Virgo, considerantur, vt sunt consortes Diuinæ naturæ, & ordinati ad Deum tanquam famuli ad Dominum speciali quodam iure; vnde mirum non est, quod conuicia in eosdem non differant specie, licet maiorem grauitatem præferant, prout referuntur ad Deum &c. homicidium autem, detractio, & furtum, licet procedant ex eodem motiuo odij, non sunt tamen in eodem ordine, & opponuntur secundum diuersam rationem virtuti charitatis, & iustitiæ.

9 Delectationes morosę circa diuersos status personarum diuersificatur.

Probatur secundò. Delectationes morosæ, vel circa consanguineam, vel circa nuptam, vel circa personam sacram &c. quamuis opponantur eidem virtuti castitatis; quia tamen in se ipsis continent diuersam in specie malitiam, distinguuntur specie, & sunt in confessione secundum suas qualitates exprimendæ, ergo etiam voluntates malorum, quæ quis intendit alteri vel in vita, vel in fama, & honore, vel in bonis fortunæ, quamuis procedant ex eodem motiuo odij, quia tamen in se ipsis habent diuersam in specie malitiam, specie diuersificabuntur, & erunt secundùm mala, quæ intenduntur, exprimendæ in confessione.

Dices, delectationes morosas relatas ad diuersos status personarum vtique differre specie, quia directè, & efficacitèr referuntur ad illos status personarum, nam hoc modo huiusmodi actus opponuntur virtuti contrariæ, & affectus voluntatis circa huiusmodi status specificantur etiam ab obiecto materialitèr volito, quod etiam verificatur in ordine ad homicidium, detractionem, & furtum, quando hæc directè, & efficacitèr in se ipsis intenduntur; quæ tamen non verificantur quoad delectationes, & quoad homicidium, detractionem, & furtum, quando non intenduntur directè, & efficacitèr in se ipsis, sed inefficacitèr, illæ in voluntate opposita castitati, ista in actu odij, quæ solummodò specificantur à motiuo, vi cuius prohibentur, quod in ordine ad primas est generalis virtus castitatis, quoad secunda generalis virtus charitatis. Sed contra,

10 Soluitur instãtia deducta ab his delectationibus.

quia, quamuis illæ delectationes morosæ procedant ex motiuo sibi complacendi contra virtutem castitatis, si tamen sint ad diuersa obiecta quoad diuersos status personarum semper præferunt diuersam in specie malitiam, si illa obiecta efficacitèr intendantur, nihilo reluctante, quod contineantur in illo actu voluntatis generali sibi complacendi; ita etiam, quamuis illæ voluntates nocendi alteri procedant ex illo generali motiuo nocendi, & ex actu odij; cum tamen referantur ad obiecta specie diuersa, si hæc deliberatè, & efficacitèr intendantur, nihilo reluctante, quod contineantur in illo actu odij, erunt specie diuersæ. Pro clariori tamen notitia huius responsionis singularem propono difficultatem.

11 Diuersæ considerationes circa delectationes in ordine ad diuersas personas.

Tertia difficultas est, an in peccatis delectationum illicitarum explicandæ sint personæ, circa quas huiusmodi delectationes versantur. Huiusmodi delectationes, vel coniunguntur cum aliquo opere extoriori, puta cum externa pollutione, vel sumuntur secundum se præcisè, vt referuntur ad obiectum, circa quod tendit delectatio. Rursus hæ delectationes, vel excludunt circunstantiam malam ab obiecto, vt cum quis delectatur de copula cum nupta referendo illam ad tempus, quo nupta non erat, quod idem dicendum est de copula cum consanguinea excludendo circunstantiam illam consanguinitatis, vel non excludendo ab obiecto circunstan-

tiam

tiam malam inducentem diuersitatem specificam. Tandem huiusmodi delectationes, vel sunt circa aliquod obiectum, quod tunc menti occurrit, illoque dumtaxat peccans vtatur ad excitandam libidinem, quam etiam excitaret, si occurreret aliud obiectum cum diuersis circunstantijs mutantibus speciem, vel sunt circa aliquod obiectum determinatum, circa quod determinatè delectatur, quódque moueat voluntatem ad sui assensum. His omnibus satisfiet.

12 Delectatio relata ad determinatā personā coniuncta cum opere externo est exprimēda cum qualitate personæ.

Respondeo primò, si huiusmodi delectationes morosæ sint determinatæ circa aliquod obiectum malum, de quo præcisè delectatur, & coniungatur cum aliquo actu exteriori, puta cum pollutione, tunc non satis est dicere in confessione. *Toties me pollui*; sed debet exprimere circunstantiam personæ, circa quam fuit delectatio *D. Antoninus part. 2. tit. 5. c. 1. §. 6.*, *Nauarrus in man. c. 16. n. 9.*, *& c. 6. n. 8.*, *Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. post septimam concl.*, *Tabiena verb. cogitatio morosa n. 1.*, *Caietanus secunda secundæ q. 154. art. 1. ad secundum*.

Pro cuius intelligentia aduerte cum *D. Thoma in 2. sent. dist. 24. q. 3. art. 4. in corp., & ad secundum, & prima secundæ q. 74. art. 6. ad tertium*, delectationem consequi in nobis ex cognitione aliqua, siue facta per intellectum, siue per imaginationem, siue per sensum exteriorem, vnde differt à cogitatione, quæ semper est per intellectum, cum delectatio sit actus potentiæ appetitiuæ, & sequitur ad cognitionem; hæc autem delectatio ex eodem D. Thoma potest dupliciter considerari; primò, quando sequitur subitam rationis apprehensionem; secundò, quando sequitur post deliberationem rationis inferioris ex diuturnitate. Iuxta primam acceptionem delectatio vix attingit malitiam noxæ venialis. Iuxta secundam, cum consequatur ad delectationem consensus, attingit culpam læthalem, si obiectum, de quo quis delectatur, sit læthalitèr malum, & hac ratione delectatio dicitur morosa, non præcisè ex quantitate temporis, sed magis ex deliberatione rationis, & licet *D. Thomas ibidem* ad delectationem morosam videatur requirere consensum per actum positiuum, non denegat tamen haberi posse per æquiualentem consistentem in ratione moræ, quam facit ipsa ratio in ea expellenda, quia scilicet non expellit eam, quam citissimè potest, & debet; expulsio etenim debita, & non posita perinde est, ac, si esset consensus in eam delectationem. Procedit responsio de hac delectatione morosa, quæ sic.

13 Doctrina D. Thomæ ad rem præsentem.

Probatur. Ex *Philosopho 10. Ethicorum*, idem est iudicium de operatione, & delectatione; vnde subdit *D. Thomas loc. cit.* si operatio est per se bona, & delectatio est per se bona, & è contrario, sed operatio luxuriosa circa personam, quæ sit, vel consanguinitate affecta, vel matrimonio copulata, vel sanguine iuncta &c. est mala malitia in specie diuersa iuxta diuersitatem personarum talibus qualitatibus affectarum, ergò ea delectatio erit diuersa quoad malitiam iuxta earundem diuersitatem, ergo illa diuersitas erit in confessione aperienda; Neque hic audiendi sunt aliqui apud *Azorium Instit. mor. tom. 1. lib. 4. c. 6. q. 3.* qui asserunt, delectationes morosas speciem non sumere ex varietate operis externi, sed sui obiecti, quod opus externum non est, cum delectatio ad actum exteriorem non referatur, immo potius tota in voluntate consummetur; quod pluribus rationibus probant; primò, quia, quandoque actus externus bonus est, & tamen delectatio interna mala est, vt contingit in marito cognoscente vxorem suam, & se delectante in cogitatione de aliena. Secundò, quia delectationes circa actus, qui sunt contra iustitiam, cuiusmodi est adulterium, stuprum, & raptus, vel contra Religionem; cuiusmodi est sacrilegium, vel contra naturalem pietatem cuiusmodi est incæstus non violant nec iustitiam, nec Religionem, nec pietatem. Tertiò, quia in hoc distinguitur delectatio morosa à desiderio, & cupiditate faciendi, quod illa non refertur ad actum externum, sicuti ista ad illum referuntur, ergo, quantumuis ipsum desiderium, & cupiditas speciem sumant pro varietate operis, quod est finis, & terminus, non tamen delectatio potest ex illo specificari, cum perficiatur in ipso voluntatis actu, non in opere externo.

14 Idem iudiciū de operatione, & delectatione.

Non, inquam, audiendi sunt, quia illud idem, quod est obiectum operis, est etiam obiectum delectationis, sicut desiderij, & cupiditatis faciendi, vnde eandem malitiam delectatio contrahit, nec obstat, quod hæc non sit progressus, & motus ad opus, quia ad contrahendam malitiam sufficit, quod amplectatur obiectum ex se malum; opus autem, vt est in mente complacentis, est obiectum cōplacentiæ, & delectationis, quod secundum se malum est, & quidem secundum omnes conditiones, & qualitates, quas habet in se malas, à quibus specificatur ipsa delectatio. Hinc ad primam rationem oppositæ sententiæ dico, quod assumptum non faciat ad rem, nam obiectum complacentiæ mariti non est vsus cum propria vxore, sed vsus vestitus complacentia alienæ vxoris. Ad secundam dico, quod licet illæ delectationes non violent iustitiam, Religionem, & pietatem

15 Diluitur obiectū contra mox dicta.

in re, violant tamen in voto, & in affectu delectantis. Ad tertiam admisso illo discrimine allegato inter desiderium, & delectationem morosam, non sequitur, quod intendit ratio aduersa; nam, si delectatio est de vxore aliena, vel de virgine, vel de consanguinea trahit secum malitiam adulterij, vel sacrilegij, vel incæstus, vt benè notat *Azorius Instit. mor. part. 1. lib. 4. c. 6. q. 6. prop. med.*, videtur tamen grauius peccatum in eadem specie desiderium, quam delectatio morosa, cum illud feratur quantum ad affectum desiderantis ad executionem externam.

16 Delectatio efficax trahit secum malitiã circunstantiæ.

Respondeo secundò. Si delectatio sit de obiecto malo, & excludat ab eodem circunstantiam malam, vt si quis delectaretur de copula cum nupta, vel cum consanguinea, sed præscinderet à statu coniugij, vel consanguinitatis, & sit efficax, trahit secum malitiam incæstus, si sit de consanguinea, vel adulterij, si sit cum coniugata, vel sacrilegij, si sit de Deo sacrata per votum; si verò sit inefficax, trahit solum malitiam obiecti; & non illius circunstantiæ, a qua præscindit: *Vasquez prima secunda c. 3. disp. 111.*, *Coninchus de matrim. disp. 34. dub. 11. n. 108., & seqq.*, *Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrim. q. 4. punct. 8. n. 3.* Pro distinctionis intelligentia aduerte, hic nomine delectationis efficacis venire actum complacentiæ cum ordine ad executionem, vt, cum quis delectatur de fornicatione intendens illam actu committere, qua ratione æquiparatur desiderio, & voluntati faciendi; nomine vero delectationis inefficacis, intelligi complacentiam sine ordine ad executionem, vt cum quis delectatur de fornicatione sine animo illam committendi.

Probatur iam responsio quoad primam partem de delectatione efficaci. Delectatio efficax, cum ordinetur ad executionem actus externi, necessario fertur in illum secundum omnes conditiones, & circunstantias, quas habet, & per consequens etiam in obiectum adæquatum illius actus externi, sed obiectum illius actus externi est fæmina, vel nupta, vel consanguinea, vel Deo dicata, ergo illa delectatio erit ad fæminam, vt coniugatam, vel consanguineam, vel Deo dicatam, & sic trahet malitiam, vel adulterij, vel incæstus, vel sacrilegij; ideoque illa malitia erit in confessione aperienda; Neque obstare potest, quod præscindat se delectans ab illa circunstantia coniugij, consanguinitatis, vel voti; non, inquam, obstare potest, quia, quando delectatio fertur in actum externum, non potest ab illis circunstantijs præscindere; vnde, si actu fornicaretur cum coniugata, quamuis mente præscinderet à coniugio, non eximeretur à delicto adulterij, ita, si delectaretur cum ordine, & desiderio executionis operis externi, non euitaret malitiam eiusdem adulterij, quia actus ille externus attingit obiectum secundum omnes circunstantias, quas habet, nec ab illis potest præscindere.

17 Secus, si fuerit delectatio inefficax.

Probatur quoad secundam partem. Delectatio inefficax, cum non ordinetur ad executionem operis externi, attingit solummodo obiectum, prout rapræsentatur intellectui; intellectui autem potest rapræsentari secundum vnam rationem, puta fæmina, vt fæmina, non secundum aliam nempè, vt nupta, vel consanguinea, ergo trahet solum malitiam, secundum quam rapræsentatur, non secundum aliam, à qua præscinditur.

18 Delectatio relata ad personã ad excitandam præcisè libidinem nõ est exprimẽda.

Respondeo tertiò. Si delectatio fuerit circa aliquam personam, quæ tunc menti occurreret, eaque peccans vteretur ad excitandam præcisè libidinem, non ad inclinandum animum ad assentiendum illi personæ, non necessariò esset in confessione exprimendus status illius personæ. In hanc existimò propendere *Vasquez prima secundæ disp. 112. c. 1.* cuius opinionem non improbabilem iudicat *Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimon. q. 4. punct. 8. n. 19. vers. non existimo tamen.*

19 Qualitas personæ in hoc casu non finalizat.

Ratio ex eo deducitur, quia in hac hypothesi qualitas personæ non finalizat ipsam delectationem, cum solum tendat ad excitandam libidinem, quæ æquè excitaretur siue illud, siue aliud obiectum proponeretur; vnde illa delectatio non sumit speciem ab illa persona, sed solum à motiuo, sub quo procedit; motiuum autem in hac hypothesi est solum affectus venereus, seu illa libido, quæ habet solum oppositionem cum castitate, ergo per illam non constituitur species, vel incæstus, vel adulterij, vel sacrilegij, sed solum simplicis fornicationis.

Quarta difficultas est, an vidua, quæ delectatur de copula coniugali præterita, & sponsus, qui delectatur de futura cum sponsa, quando erit contractum matrimonium, grauitèr peccent in illa delectatione. Tres in hoc inuenio sententias, duas extremè oppositas, aliam quasi mediam. Prima docet, tam viduam delectantem de præterita, quam sponsum delectantem de futura copula peccare læthalitèr. Hanc sequuntur *Sanchez lib. 9. disp. 47. n. 4., & 7.*, *Graffius prima part. lib. 2. c. 74. n. 8.*, *Vasquez disp. 114. c. 2.*, *Filliutius tract. 30. c. 9. n. 359., & tract. 30. n. 205.*, *Nauarrus in c. si cui de pænit. dist. 1. n. 2.* Secunda docet non peccare læthalitèr, sed ad summum venialitèr, quia caret necessitate, & pietate. Hanc approbant *Caietanus in summa verbo*

20 Tres sẽtentiæ circa delectationem viduæ de copula præterita.

de-

delectatio morosa, & in opusc. tom. 1. tract. 14. dub. 2., Paludanus in 4. dist. 9. q. 3. art. 1., Valentia tom. 2. disp. 6. q. 4. punct. 4., Ghetius verbo delectatio morosa vers. ad maiorem supradictorum explicationem. Tertia docet, nō peccare læthalitèr, si delectatio sistat in copula, vt præterita, vel futura comparatiuè ad viduam, & sponsam, secus, si fiat præsens per commotionem spirituum. Hanc ex mente Caietani approbat *Ghetius, loc. cit. eod. vers. circa finem*, dum dicit, quod, si adiungantur in vidua in concupiscibili appetitus, aut in carne commotiones, alitèr sit dicendum.

21 Probabilius est peccaminosa læthalitèr.

Respondeo, probabilius esse talem delectationem, quatenus verè delectatio est, esse peccaminosam læthalitèr. Ita præter præcitatos DD. pro prima sententia *Azorius Instit. mor. part. 1. lib. 4. c. 6. q. 6. per tot., & q. 7., Cordaba in suis quæst. lib. 1. q. 23. dub. 12.* Dixi, quatenus verè delectatio est morosa, in sensu, quo eandem explicat *D. Thomas in 2. sent. dist. 24. q. 3. art. 4. in corp., & prima secunda q. 74. art. 6. ad 3.* dicens, *non esse delectationem morosam ex quantitate temporis iudicandam, sed magis ex deliberatione rationis, si enim post deliberationem rationis inferioris adhuc delectatio illa placeat, morosa delectatio dicetur, & tunc erit in delectationem consensus* (sunt formalia verba D. Thomæ) non autem in sensu, quo vidua solum ratum, & firmum, aut etiam gratum, & acceptum habeat actum coniugalem pristinum, ex quo olim delectationem percepit, nam in hoc secundo sensu nullum peccatum contrahit, quia solum ei placet actus, qui transijt, & fuit bonus, & legitimus, & tota delectatio ex actu bono fuit ante percepta.

22 Probatio ex mente D. Thomæ.

Probatur iam primò, quia ad delectationem morosam ex mente D. Thomæ requiritur deliberatio rationis, & quod post deliberationem rationis inferioris adhuc delectatio illa placeat, & tunc est in deliberationem consensus, ergo, quantumuis illa delectatio sit de obiecto præterito, quod tunc licitum erat, & honestum, quia tamen consensus, & complacentia est de præsenti, vt in mente concepta, erit peccaminosa. Hæc consequentia probatur, quia ille consensus, seu complacentia cum deliberatione rationis est de obiecto, quod in animo concipitur tanquam præsens, & voluntatem, & animum actu sua iucunditate, & delectatione allicit, & mouet; consensus autem, & complacentia præsens de obiecto, quod actu mouet, de copula coniugali extra statum coniugalem semper sunt peccaminosa. Confirmatur, quia delectari carnalitèr, & frui actu voluptate venerea extra statum coniugalem est actio de se peccaminosa, sed vidua hic, & nunc delectaretur carnalitèr, & actu frueretur voluptate venerea extra statum coniugalem existens, ergo &c. Neque obstat, quod concubitus, de quo vidua hic, & nunc delectatur, fuerit aliàs licitus, hoc est tunc, quando fuit elicitus, qui, sicuti non potest euadere illicitus ex eo, quod postea venerit in cogitationem, ita, nec potest fieri talis ex eo, quod venerit in delectationem; Non obstat, inquam, quia aliud est, quod ille concubitus fuerit licitus tunc, quando fuit habitus, nec desinat esse talis, quando venit in cogitatione, aliud, quod eius delectatio post solutum coniugium sit licita. Primum cadit sine difficultate; secundum nequaquam, quia illa delectatio hic, & nunc mouet ad fruendum voluptate illius concubitus, quæ voluptas voluntaria, & cum consensu extra matrimonium venerea, libidinosa, & illicita est.

Soluitur instātia opposita.

Probatur secundò. Pro eo statu, quo non est licita copula, nec potest esse licita delectatio de eadem, siquidem delectatio est consecutiua ad eandem copulam, sed pro statu viduitatis non est licita copula, ergo, nec pro eodem statu potest esse licita delectatio venerea eiusdem; Neque dicas, delectationem esse quidem consecutiuam ad copulam, sed vel præsentem, vel præteritam, vel futuram, & sic quamuis, si esset de præsenti, esset peccaminosa, quia de præsenti non licita est copula, si tamen sit de præterita, erit licita, quia copula præterita fuit licita; Contra enim impugnaberis, quia licet copula pro tempore, pro quo fuit habita, fuerit licita, eadem tamen prout in præsenti mouet, & voluntariè causat illam delectationem non potest esse licita, quia fit quodamodo præsens, & in mente concepta causat effectum, ac, si esset præsens.

23 A fortiori est illicita, si fuerit cum cōmotione spirituum.

Ex his a fortiori deduces, quod, si illa delectatio de copula præterita coniuncta fuerit cum commotione carnis, & spirituum sit illicita, quia tunc non solum est in voluntate, sed etiam in sensibus, & hoc etiam insinuauit *Caietanus in summa verbo delectatio morosa vers. aduerte demum*, dum dixit, quod, quando dicitur, quod memoria delectabilis excusetur in vidua, verum est, si formalitèr hoc intelligatur, &, si nullum aliud adiungatur, sed, si adiungatur, quod in vidua insurgant in concupiscibili appetitus, aut in carne cōmotiones, aliter erit dicendum, nempè, quod talis memoria erit illicita.

Quinta difficultas est. An delectatio de re mala sub conditione, quod non esset mala, sit læthalitèr mala, vt si quis delectaretur de furto, vel de homicidio, vel de for-

fornicatione, & diceret, *Si furtum, homicidium, & fornicatio non essent mala ego furarer, occiderem, fornicarer*. Tres circa hanc difficultatem inuenio dicendi modos. Primus est *Adrian quodlib. 10. art. 2., Azor. instit. mor. prima part. lib. 4. c. 6. q. 10.* asserentium, huiusmodi delectationem sub illa conditione esse læthaliter peccaminosam, si sit de obiecto secundum se, & iure naturali malo, secus, si sit de obiecto iure tantum positiuo prohibito. Secundus est *Vasquez tom. 1. in prima secundæ disp. 116. c. 2., Sairi lib. 8. clauis Regiæ c. 7. n. 30.* asserentium, quod, si illa delectatio de actu coniugij apprehensi sub conditione procedat ex motiuo libidinoso, sit læthaliter peccaminosa; si vero illa delectatio sit efficax, & tendat ad executionem operis, non tamen ex motiuo libidinoso, sed ex alia bonitate, vel vtilitate, quæ ex se non sit læthalis, non sit læthalis. Tertius modus est *Caietani tom. 1. opusc. tract. 14. dub. 1., & in summa verb. delectatio morosa, Nauarri in man. c. 16. n. 9., & in c. si cui n. 1. de pœnit. dist. 1., Ludouici Lopez part. 1. instruct. confess. c. 75. in princip., Valentiæ tom. 2. disp. 6. q. 4. punct. 4., & aliorum,* asserentium illam delectationem de obiecto malo sub conditione, si non esset malum, esse grauitèr peccaminosam.

24 Delectatio de re mala sub conditione, si non esset mala, an sit peccaminosa.

Tres sententiæ referuntur.

25 Probabilius est grauiter peccaminosa.

Respondeo probabiliorem esse hanc tertiam opinionem asserentem talem delectationem de obiecto turpi conditionatam esse grauitèr peccaminosam, quam præter præcitatos DD. sustinent *Bartholomæus Medina part. 2. q. 74. art. 8. dub. 4., Armilla verb. delectatio morosa n. 4., Sanchez in summa lib. 1. c. 2. n. 31., Bonacina de matrim. q. 4. punct. 8. propos. 2. n. 33. Nos ipsi tom. 9. sub tit. Contractus XV. de matrim. 7. disq. 2. §. 6. num. 9.*

Varijs rationibus euincitur responsio.

Probatur primò. Delectatio præsens viduæ de copula præterita habita tempore coniugij ex dictis in præcedenti difficultate, non est licita, quantumuis illa copula pro tempore, quo fuit habita, fuerit licita, ergo etiam delectatio præsens de copula futura sub conditione, quod esset licita, non erit licita. Consequentia probatur; tum quia non minus, quinimmo magis fuit licita copula habita a vidua cum suo coniuge tempore coniugij, ac esset licita copula, de qua delectatur, data conditione, quod non esset vetita, cum illa sit, seu fuerit licita absolutè, hæc non nisi conditionatè, ergo, si non est licitum de illa delectari, nec erit licitum delectari de ista; tum quia ideo prima delectatio est illicita, quia, quamuis sit de obiecto in re præterito, hoc tamen, dum excitat, & mouet voluntatem est in mente præsens, & de præsenti delectatio venerea extra coniugium non est licita, sed etiam delectatio de obiecto turpi sub conditione, quod non esset turpe, est de obiecto, quod, quamuis sit futurum sub conditione, est tamen in mente præsens, dum excitat actu voluntatem ad delectationem, ergo &c.

Confirmatur. Delectatio præsens, quam concipiunt sponsi de copula futura non est licita, vt supra probauimus, ergo neque erit licita delectatio præsens de copula futura ex suppositione, quod non esset vetita; tam enim in primo casu, quam in secundo delectatio est præsens, & obiectum futurum, nec illa conditio minuit vim argumenti, sed potius adauget, quandoquidem non tribuit quid magis actui, qui intenditur, quam bonitatem conditionalem, quam habet absolutè copula futura inter sponsos, dum erit celebratum coniugium, vnde, si hæc non cohonestat delectationem de præsenti, nec illa cohonestabit. Hic, vt verum fatear, non percipio, qua consequentia procedat Caietanus, dum absolutè licitam existimat delectationem de copula futura inter sponsos, & tamen tanquam illicitam damnat delectationem de eadem in suppositione ratione conditionis, quod esset licita; certè in vtroque casu ille delectatio est præsens, & obiectum in re est futurum, &, si ipse dicit, quod delectatio de opere turpi sub conditione, quod non esset tale, damnetur, quia est absoluta, & præsens, & quod conditio excuset desiderium futuri, sed non delectationem præsentem, & ego dicam, quod delectatio inter sponsos de copula futura sit præsens, & quod relatio ad tempus coniugij cohonestat quidem desiderium, non complacentiam præsentem; vnde videtur dicendum, quod in vtroque casu illa delectatio sit illicita; vel, si est licita in vno, sit etiam licita in altero.

26 Euincitur ex discrimine, quod intercedit inter delectationem, & desiderium.

Probatur secundò ex discrimine, quod intercedit inter delectationem, & desiderium, prout in hoc benè considerauit *Caietanus loc. cit.*, nam desiderium fertur in rem absentem, vel futuram, vel possibilem, complacentia autem de re præsenti, vel in re, vel in mente; vnde illud specificatur ab obiecto possibili, & sub ea ratione, sub qua proponitur, vt possibile, ista vero specificatur a re præsenti sub ea ratione, sub qua est præsens; cum autem desiderium sit de illo actu, si esset licitus, & non aliter cohonestatur ab obiecto licito, cum referatur ad illud sub conditione, si esset licitum; delectatio verò, cum sit absoluta, & præsens, & de obiecto prout de præsenti mouet, quod secundum se non est licitum, non potest ab illo cohonestari, quod est id, quod dixit Caietanus, quod scilicet conditio excuset desiderium futuri,

non

non autem delectationem præsentem.

Sexta difficultas est. An circa delectationem veneream possit dari paruitas materiæ excusans à læthali. Ex duplici capite peccatum, quod ex genere suo est læthale, potest fieri veniale; primò ex inconsideratione rationis; secundò ex paruitate materiæ, circa quam versatur; Ex inconsideratione peccatum in delectatione venerea posse esse veniale est certum, hocque expressè insinuat *D. Thomas prima secundæ q. 74. art. 6. ad tertium, & in secundo sentent. dist. 24. q. 3. art. 4. in corp.*, dum dicit appetitum sensualitatis, & delectationem consequentem appetitum ante consensum rationis deliberatæ peccatum mortale non esse; Ex paruitate materiæ in delectatione morosa, posse peccatum esse veniale, non est ita certum; vnde est id, quod modo venit in quæstione.

27 An circa venerea detur paruitas materiæ.

Affirmant *Nauarrus in c. si cui de pænit. dist. 1. n. vlt., Sanchez de matrim. lib. 9. disp. 46. n. 9., Vasquez prima secundæ disp. 108. n. 3., Sairus lib. 8. c. 6. n. 1.*, & alij plures, qui, sicuti agnoscunt in alijs materijs leuitatem culpæ ex paruitate materiæ, ita etiam cognoscunt in delectatione morosa in materia venerea.

28 Sententia affirmatiua.

Negant vero *D. Thomas*, quem allegat, & sequitur pluribus in locis *Rebellus secunda part. de obligat. iust. lib. 3. de matrim. q. 19. sect. 3., Filliutius tract. 30. c. 9. q. 1. n. 166.*, hanceque negatiuam opinionem tutiorem existimat *Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij q. 4. punct. 8. n. 17.*

29 Sententia negatiua, quę pręfertur.

Probabiliorem arbitror hanc secundam negatiuam sententiam, quia delectatio morosa ex genere suo est peccatum læthale, vt asserit *D. Thomas prima secundæ q. 88. art. 5. ad secundum*, vbi solum leuitatem culpæ in huiusmodi venereis delectationibus agnoscit, quando non sunt morosæ, & sunt ex imperfectione actus, & cum eo consentiunt fere omnes scribentes, ergo ex leuitate materiæ, quando sunt morosæ, & procedunt ex deliberatione rationis, non possunt in veniale transire, cæteroqui D. Thomas non adæquatè distinxisset delectationes, quando sunt læthales a delectationibus venialibus ex sola actus inconsideratione.

Nec obstare potest, quod in alijs peccatis, quæ ex genere suo sunt læthalia, detur paruitas materiæ, ratione cuius transeunt in venialia, vt videre est in furto, quod, si fuerit in modica quantitate, est veniale, & alijs huiusmodi. Non, inquam, obstare potest, quia in alijs pluribus paruitas materiæ non excusat à læthali, vt videre est in infidelitate, iuramento, blasphæmia, simonia, & similibus.

30 Non curi rit paruitas in alijs materijs, & quare.

Ratio fundamentalis huius nostræ opinionis in eo consistit, quod hæc leuitas, nec considerari potest in ipso actu delectationis, nec in re obiecta, non in ipso actu, quia, cum hic supponatur morosus, & cum plena deliberatione, non potest esse leuis; non in re obiecta, nam, si hæc sit secundum se venerea, licet in se videatur leuis, semper tamen apta est causare motum sensualitatis, qui, cum sit voluntarius saltem in causa, semper est grauis. Dixi, *si sit per se venerea*, nam, si sit de re obiecta indifferenti, cuiusmodi in sententia *Caietani in opus. tom. 1. tract. 14. dub. 1., & in summa verb. delectatio morosa, Bartholomæi Medinæ part. 2. q. 74. art. 8. dub. 2., & 3., Armillæ verb. delectatio morosa n. 5., Valentiæ tom. 2. disputatione 6. q. 4. punct. 4.* est aspectus mulieris pulchræ, & formosæ, & in aliorum sententia tactus manuum, delectatio præcisa consequens ad talem visionem, & tactum non est peccaminosa læthalitèr. Dixi, *præcisa*, nam, si coniungatur cum appetitu sensitiuo, & de illo delectetur, certè non eximetur à tali culpa; & iuxta hanc explicationem intelligendus est textus Matthæi 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendã eam iam mœchatus est in corde suo*, quem textum explicans D. Augustinus in sua regula dixit, *nec solo affectu, & tactu, sed aspectu quoque appetitur, & appetit concupiscentia fæminarum*, ita, vt procedat solum de delectatione, quæ non præcisè ex aspectu secundum se, sed ex eodem, & appetitu consequitur; vnde idem D. Augustinus in eadem regula subdidit. *Non enim fæminas videre prohibemini, sed appetere, vel ab eis appeti criminosum est.*

31 Intellige, si sit propriè de re venerea

32 Quæ possit dici materia indifferēs.

Septima difficultas est, an consilium datum de re mortalitèr peccaminosa, & mala, debeat in confessione exprimi per ordinem ad rem, & materiam, circa quam opus malum exercetur.

Respondeo, necessario exprimendam esse rem, seu materiam peccati, circa quam fuit consilium *Cardinalis de Lugo disp. 16. sect. 5., Pontius de Sacrament. pænit. disp. 46. q. 7. concl. 2. de circumstantia Quid*, quamuis Lugus non absolutè procedat, sed distinguat inter consilium datum de homicidio, ac de fornicatione, asserens in homicidio grauius peccare consulentem, quam homicidam, in fornicatione verò magis peccare fornicantem, quam consulentem addita ratione, quia, quamuis consulens fornicationem excedat in malitia scandali, quatenus est causa ruinæ proximi, fornicatio tamen excedit aliunde, quia magis opponitur castitati, quæ magis obligat singulos ad eam in se ipsis procurandam, quam in alijs. Nihilominus

33 Consulēs rem malam debet exprimere rem, de qua cōsuluit.

34 Eluditur distinctio Lugi.

Probatur in vniuersum responsio. Consilium specificatur a peccato, quod consulitur,

35 Consiliũ specificatur à peccato, quod consulitur.

litur, quia inducens ad aliquod malum morale participat eandem rationem malitiæ, vnde duplex malitia est in consilio prauo, vna opposita charitati, qua tenemur non inducere ad peccatum, altera opposita virtuti, cuius contrarium consulit.

Neque dicas, ex his sequi, quod grauius peccaret consulens, quam operans, eo quia ille non solum contra virtutem, contra quam operans ex consilio peccat, peccaret, sed etiam contra charitatem; contra enim est, quia, si concedatur grauius peccare, nihil absurdum inde sequitur, vt notat *Pontius loc. cit.*

Neque hic audiendus est *Cardinalis de Lugo loc. cit.*, dum respondens ad hanc instantiam admittit sequelam, quoad consulentem homicidium, negat verò quoad consulentem fornicationem; Non, inquam, audiendus est primò, quia, vt notat *Pontius loc. cit.* non apparet, quomodo castitas magis obliget ad non fornicandum, quam ad non dandum consilium alteri, vt fornicetur; iustitia verò magis obliget ad non occidendum, quam ad non consulendum alteri, vt occidat; vnde videtur eodem modo de homicidio, ac de fornicatione in hoc procedendum. Secundò, dato etiam, nunquam tamen concesso, quod castitas magis obliget singulos ad eam seruandam in se ipsis, quam in alijs, & hoc non præstet iustitia. Quid inde? videndum est, an in consilio importetur duplex malitia, quæ certè resultat in vtroque casu in opere consulto, & patrato vnica duntaxat, &, si hoc verificatur, non est hæsitandum, quod in illo grauius peccetur, quam in isto.

---

§. III.

De circunstantia loci importata per ly *Vbi*.

SVMMARIVM.

Locus quandoque est circunstantia, quandoque ipsa ratio peccati. 1.
Furtum ratione sacri potest tripliciter contingere, & quomodo. 2.
Furtum rei non sacræ de loco sacro est sacrilegum, quamuis res illa non fuerit sub custodia Ecclesiæ. 3.
Læditur reuerentia debita loco. 4.
Ablatio rei sacræ de loco sacro non importat duplicem distinctam malitiam. 5.
Est vnus, & idem actus oppositus eidem virtuti. 6.
Quomodo intelligendus sit D. Thomas distinguens peccata circa res sacras, circa loca sacra, & circa personas sacras. 7.
Quandonam sit sacrilegium ablatio rei iure Ecclesiastico possessæ, & quando non. 8.
Per oscula, & amplexus præcisè præstita in Ecclesia, hæc non polluitur. 9.
Nec contrahitur malitia sacrilegij. 10.
Non sunt hi actus speciali iure prohibiti. 11.
Dictum D. Chrysostomi non importat sacrilegium. 12.
Duplici iure prohibetur pollutio, & copula in Ecclesia. 13.
Ex voluntaria pollutione, & copula in Ecclesia consurgit violatio eiusdem Ecclesiæ. 14.
Si sit occulta contrahitur quidem species sacrilegij, non tamen polluitur Ecclesia. 15.
Per copulam licitam occultam in Ecclesia, non polluitur Ecclesia. 16.
Contrahitur tamen sacrilegium, si habeatur sine necessitate. 17.
Vrgente necessitate non contrahitur. 18.
Ex copula coniugali notoria inducitur pollutio Ecclesiæ. 19.
Quid veniat nomine loci sacri quoad hunc effectum. 20.
Voluntaria occisio, & graue vulnus in Ecclesia inducit sacrilegium, & pollutionem Ecclesiæ. 21.
Occidens in Ecclesia aggressorem cum moderamine non polluit. 22.
Graue vulnus inducit pollutionem Ecclesiæ, quamuis sanguis ibi non effundatur. 23.
Grauiter vulneratus extra Ecclesiam, si in ea sanguinem effundat, eam non polluit. 24.
Quid sentiendum, si percussio fuerit leuis cum effusione sanguinis. 25.

Licet locus secundum se videatur extrinsecus actionibus, quia tamen istæ exerceri nequeunt nullibi, & locus ipse conferre potest ad malitiam, vel honestatē actionū, non incongruè illum inter circunstātias actionum computamus, quinimmò locus ipse quandoque est ipsa formalis ratio actionis peccaminosæ, quæ propterea non habetur, vt circunstantia; hoc verificatur, vt notat *Cardinalis de Lugo loc. cit. n. 461.* in casu, quo quis extraheretur ab Ecclesia, & iudicium a Iudice fieret in Ecclesia; extractio enim, & iudicium non sunt secundum se peccaminosa, sed tantum, vt fiunt à loco, & in loco. Hic solum agemus de eodem loco, prout circunstantia est, examinantes difficultates aliquas, quæ possunt circa ipsum occurrere.

1 Locus regulariter cōputatur pro circūstātia.

Prima difficultas est, an furari rem non sacram de loco sacro, vel rem sacram de loco non sacro, vel rem sacram de loco sacro sit species peccati distincta à simplici furto, scilicet sacrilegium, & in tertio casu duplex

duplex sacrilegium. Ioannes VIII. relatus in c. *quisquis* 17. q. 4. habet hæc verba. *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, aut sacrum de non sacro*. Sub hac difficultate tria potissimum veniunt discutienda. Primum, an ablatio rei non sacræ de loco sacro sit sacrilegium, etiam si non sit sub custodia illius. Secundum, an ablatio rei sacræ de loco sacro sit duplex peccatum necessario in confessione aperiendum. Tertium, an ablatio rei Ecclesiastico iure possessæ à Clerico sit peccatum sacrilegij distinctum à furto.

2 Furtum ratione sacri quomodo possit contingere.

Respondeo primò, ablationem rei non sacræ à loco sacro quomodocunque esse speciem sacrilegij, etiam si res non esset sub custodia illius. Est communis, & clarè euincitur *ex c. quisquis inuentus* 17. q. 4. quamuis quoad particulam ampliatiuam *etiam si res non esset sub custodia illius* sit contra *Lugum disp. 16. sect. 5.*, *Pontium de Sacramento pænit. disp. 47. q. 7. de circumst. vbi n. 85. vers. in quo quidem ego conuenio*.

3 Furtum rei non sacræ in loco sacro est sacrilegium.

Probatur, quia ideo furtum factũ in loco sacro inducit malitiã sacrilegij specie distinctam, quia fit contra reuerentiam loco sacro, seu Ecclesiæ debitam, sed æquè fit contra reuerentiam, siue res, quæ aufertur, sit sub custodia Ecclesiæ, siue non; ergo &c. Minor probatur, quia, cum Ecclesia sit tutus asylus propter cultum Dei, & honorem, qui ipsi defertur, exigit, vt non solum ad ipsum confugientes tuti sint, sed etiam res cuiuslibet in eodem positæ, sicuti Principis palatium, quia est tuta sedes omnium propter honorem eidem Principi debitum, exigit, vt omnes ad ipsum confugientes, & res ibi depositæ ab omni molestia tutentur.

4 Læditur reuerentia debita loco sacro.

Quod, si dixeris, furantem crumenam è latere diuitis existentis in Ecclesia, & orantis non videri inferre specialem iniuriam, eo quia per accidens ibi existat; statim impugnaberis, quia, sicuti reuerentia Ecclesiæ debita exigit, vt ipse diues tutus sit, etiam si per accidens in ipsa existat, ita exigit, vt res eiusdem diuitis in ipsa existentes tutæ sint, quamuis per accidens in ipsa existant, quarè semper talis ablatio rei erit contra honorem debitum ipsi Ecclesiæ.

5 Ablatio sacri de loco sacro non importat duplicem malitiã.

Respondeo secundò, ablationem rei sacræ de loco sacro non inducere duplicem malitiam sacrilegij distinctam, sed tantum aggrauare eandem, vnde in confessione satis erit dicere, furatus sum rem sacram, vel in loco sacro *Fagundez part. 2. lib. 4. c. 5. n. 21.*, *Diana part. 1. tract. 7. resol. 22. §. vnde ex his* contra *Pontium de Sacramento pænit. d. disp. 46. q. 7. de circumstantia vbi vers. sed hinc oritur dubium*.

Probatur, quia in tali ablatione non multiplicatur malitia in numero, cum sit vnus dumtaxat actus, nec in specie, cum sit contra eandem virtutem Religionis, & motiuum prohibitionis sit idem, siue res fuerit sacra, siue non sacra de loco sacro, nempè reuerentia eidem loco sacro debita.

6 Est vnus & idem actus.

Dices primò, cum *Pontio loc. cit. vers. respondendum autem in fin.* talem ablationem rei sacræ de loco sacro continere duplicem malitiam saltem numero distinctam, alteram ratione rei sacræ, alteram ratione loci sacri, quarum quælibet secundum se est peccaminosa læthalitèr, adeoque quælibet ratione numeri distincti sit necessario in confessione aperienda. Sed contra, quia, cum furans feratur in vtramque per modum vnius, non nisi vnicam licet grauiorem contrahit malitiam.

Dices secundò cum eodem, tres sunt species distinctæ sacrilegij iuxta *D. Thomam secunda secundæ q. 99. art. 3.*, vna circa personas sacras, altera circa res sacras, altera circa loca sacra, ergo malitia contracta ex furto rei sacræ est distincta specie à malitia contracta ratione loci sacri, ergo, cum in præsenti hypothesi, & res sacra, & locus sacer violetur, vtraque violatio vtpotè specie distincta erit in confessione aperienda. Sed contra primò, quia *D. Thomas loc. cit.* distinguit solummodo illa sacrilegia ratione maioris grauitatis, quam in eisdem considerat; dicit enim *tanto enim sacrilegium est grauius, quanto res sacra, in quam peccatur, maiorem obtinet sanctitatem; atribuitur autem sanctitas, & personis sacris, idest Diuino cultui dicatis, & rebus quibusdam alijs sacris; sanctitas autem loci ordinatur ad sanctitatem hominis, qui in loco sacro cultum Deo exhibet, & ideo grauius peccatum est sacrilegium, quo peccatur contra personam sacram, quam quo peccatur contra locum sacrum;* ex quibus verbis vides, solummodo maiorem grauitatem agnoscere; quinimmo, cum cognoscat ordinem sanctitatis loci ad personam, non videtur specie distinguere speciem sacrilegij contra locum à sacrilegio contra personam, cum ordo vnius ad alterum non constituat diuersam speciem inter vnum, & alterum. Secundò, dato etiam, sed non concesso, quod species sacrilegij distinguantur, quando sunt circa personas sacras, res sacras, & loca sacra, si separatim sumantur, non distinguuntur tamen, quando inuicem connectuntur, & ius vnius, & eiusdem læditur solummodo contra eandem in specie virtutem; in hac autem hypothesi læditur solummodo ius Ecclesiæ contra reuerentiam eidem debitam, vt per se patet.

7 Explicatur mens D. Thomæ distinguentis tres species malitiæ circa res sacras, circa loca sacra, & circa personas sacras.

S Res-

8 Ablatio rei Ecclesiastico iure possessę, quando sit sacrilegium.

Respondeo tertiò. Ablationem rei Ecclesiastico iure possessæ à Clerico non esse speciem sacrilegij distinctam a simplici furto, si fuerit res destinata ad vsum eiusdem Clerici præcisè; bene tamen, si ad vsum Ecclesiæ, quamuis fuerit sub custodia Clerici. Prima pars est *Pitigiani in 4. tom. 2. dist. 17. q. vnica art. 5. in circunst. Vbi in fin.* Secunda pars est *D. Thomæ secunda secundæ q. 99. art. 3. in corp.*

Probatur prima pars, quia illa res quamuis Ecclesiastico iure acquisita, cum deputetur tamen ad vsum Clerici, non est propriè res sacra nec in se, nec intuitu Ecclesiæ; non in se, cum supponatur eiusdem omnino rationis cum alijs rebus prophanis; non intuitu Ecclesiæ, cum supponatur ab illa circunscripta; & deputata ad vsum Clerici, ergo per ablationem eiusdem propriè sacrilegium non committitur.

Probatur secunda pars, quia res illa, prout est destinata ad vsum, vel ornatum Ecclesiæ possidetur nomine eiusdem, & transit sub nomine oblationis eidem factæ; vnde *D. Thomas secunda secundæ q. 99. art. 3. in corpore*, inter res sacras, ex quarum furto consurgit sacrilegium, numerat, quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ, & ministrorum subdens. *Quicunque autem contra quodcunque prædictorum peccat, tamen sacrilegij incurrit*, & licet ibidem D. Thomas numeret etiam inter res sacras ea, quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum, quod videtur repugnare cum ijs, quæ dicta sunt in prima parte huius responsionis; hoc tamen non officit, quia D. Thomas intelligendus de rebus proprijs Ecclesiæ existentibus apud eundem tam quoad dominium, quam quoad possessionem tam ciuilem, quam naturalem, licet postea concedantur in sustentationem ministrorum.

Dictum D. Thomæ.

Dubia circa actus impudicos exercitos in Ecclesia.

Secunda difficultas est. An non solum copula, vel pollutio, sed etiam actus impudici, puta tactus, oscula, & similia facti in loco sacro habeant malitiam sacrilegij specie distinctam à malitia huiusmodi actuum secundum se consideratorum. Copulam, & voluntariam seminis emissionem in Ecclesia factam eandem polluere, & inducere speciem sacrilegij est certum apud omnes, vnde pro nunc difficultas restringitur ad alios actus impudicos, circa quos duo examinabuntur. Primum, an per eos in loco sacro exercitos ipse locus sacer polluatur. Secundum, an quando etiam non pollueretur, contraheretur tamen species sacrilegij distincta a malitia horum actuum. Hoc secundum, quod modo proponitur examinandum, dependet ab eo, an sacrilegium contrahatur ex eo, quod per Ecclesiam inducta sit per huiusmodi actus pollutio Ecclesiæ, ad quam sequatur sacrilegium, an verò etiam præcisa Ecclesiæ ordinatione inducentis Ecclesiæ pollutionem, eandem habeant ex eo, quod sint contra reuerentiam Ecclesiæ debitam.

9 Per oscula, & amplexus præcisè non polluitur Ecclesia.

Respondeo primò. Per actus impudicos alios à copula, & voluntaria seminis emissione, puta per tactus, oscula, & similia non polluitur locus sacer. In hoc communitèr consentiunt.

Ratio ex eo deducitur, quod pollutio Ecclesiæ non est inducta iure naturali, nec Diuino, sed tantum Ecclesiastico, sed nullum est assignabile ius Ecclesiasticum inducens huiusmodi Ecclesiæ pollutionem per solos actus impudicos præcisa copula, & voluntaria seminis emissione, ergo per eosdem Ecclesia non polluitur, & ideo huic responsioni adhærent *Vasquez prima secundæ tom. 1. disp. 98. c. 3. num. 6., Homobonus part. 1. tract. 5. c. 12. q. 77.* Confirmatur, quia per alia peccata etiam grauiora huiusmodi actibus impudicis exercita in loco sacro non inducitur pollutio eiusdem loci sacri, ergo, nec per huiusmodi actus.

10 Nec cōtrahitur malitia sacrilegij.

Respondeo secundò. Probabilius esse per huiusmodi actus impudicos non contrahi malitiam sacrilegij distinctam specie à malitia huiusmodi actuum. Hanc fatetur communem *Pontius disp. 46. de Sacram. pænit. q. 7. de circumst. Vbi n. 84. vers. an autem omnia peccata*, licet ipse contrariam sententiam amplectatur cum *Medina C. de pænit. tract. 2. q. 9.*

Non moueor ea ratione, qua plerique mouentur asserentes. Ideo committi sacrilegium, quia Ecclesia polluitur, & ideo non committi, quia Ecclesia non polluitur; Cum igitur per actus impudicos Ecclesia non polluatur, sequitur, quod, nec per eosdem sacrilegium contrahatur. Non moueor, inquam; hac ratione, quia, vt infra probabo, pollutio Ecclesiæ potius consequitur ad sacrilegium, quam ipsum constituat. Moueor igitur ea ratione, quod licet huiusmodi actus sint quoquo modo contra reuerentiam debitam loco sacro, quia tamen non sunt speciali iure prohibiti, vt repugnantes eidem reuerentiæ, non inducunt noxam sacrilegij, quod etiam euincitur ex eo, quod alia omnia peccata in quocunque genere exercita in Ecclesia præferunt irreuerentiam contra eandem Ecclesiam, & tamen nota sacrilegij non inficiuntur, vt optimè notauerunt *Caietanus in summa in verb. sacrilegium, Nauarrus in c. consideret num. 20. de pænit. dist. 5., Homobonus de exam. Eccl. tract. 5. c. 12. q. 77. vers. 3. huc pertinet propè med.*

11 Nō sunt hi actus speciali iure vetiti.

Dices ex *Bellarmino de gemitu col. lib. 2. c. 12.*

c. 12. non tolerandum esse, quod quidam in ipsa sacra æde, dum tremenda mysteria celebrantur, vel dum sacra concio habetur ad populum, laqueos oculis quærant, oculis loquantur, & iuxta Domini sententiam oculis, & corde mæchentur; & ex eo, quod refertur de D. Ioanne Chrysostomo, qui, cum cognouisset quosdam de populo Antiocheno inter sacrorum solemnia inter se collocutos fuisse, & subrisisse, ita excanduit, vt dixerit se mirari, quod fulmine de Cælo cadente omnes tunc in Templo existentes non fuerint absorti. Quid dixisset, si vidisset, seu sciuisset, aliquos in Ecclesia Dei oculis, & corde mæchatos? ergo recensita dixerunt, quia in illis actibus specialem aliquam malitiam cognouerunt ex eo, quod in Ecclesia Dei fuerunt exercita, quæ malitia non potest esse, nisi sacrilegij. Sed contra, quia præcitati DD. tanta energia, & emphasi loquuntur de huiusmodi noxis in Ecclesia exercitis, vt ostendant grauitatem culpæ, quæ crescit ex circunstantia loci electi ad preces effundendas, non ad vana colloquia, ad sacrificia offerenda, non ad indecoras actiones, ad cultum Deo exhibendum, non idolis; in hoc imitati Christum Dominum, quem zelus domus suæ comedit; ex hoc tamen non sequitur, quod in illis actibus diuersitatem specificam sacrilegij cognouerint, vt signantèr colligi videtur ex illo D. Chrysostomi, vbi loquitur de simplicibus colloquijs, & subrisionibus: Quis autem diceret simplicia colloquia habita in Ecclesia esse sacrilegia?

12 Dictum D. Chrysostomi non importat sacrilegium.

Dices secundò. Ex his, quæ nos diximus in probatione nostræ responsionis, sequi, quod solummodo sequatur in prauo opere exercito in Ecclesia ratio sacrilegij, quando ex iure positiuo consequitur pollutio eiusdem Ecclesiæ, quod solummodo euenit, quando habetur in eadem copula, & voluntaria seminis emissio, & sic ratio sacrilegij consurgeret ex pollutione eiusdem Ecclesiæ; quod est directè contra ea, quæ diximus in ratione dubitandi. Sed contra. Specialitèr inducta est ratio sacrilegij in copula, & voluntaria seminis emissione in Ecclesia, & non in alijs actionibus, quia in illis cognouit specialem quandam deformitatem contra honorem eiusdem Ecclesiæ, vnde speciali quodam iure eandem copulam, & voluntariam seminis emissionem fieri in Ecclesia prohibuit; nec ex hoc sequitur id, quod in instantia dicebatur, nempè sequi rationem sacrilegij ex pollutione Ecclesiæ; quandoquidem debemus aduertere, duplicem esse Ecclesiasticam prohibitionem copulæ, seu pollutionis in loco sacro, alteram propter irreuerentiam, quæ in eo patratur præcisè; alteram, qua prohibetur celebratio Diuinorum in ipso. Per primam inducitur sacrilegium contra delinquentes; Per secundam violatio Ecclesiæ, quasi in pænam. Prima præsuponitur, vt causa; secunda subsequitur, vt effectus; vnde vt notat *Suarez tom.* 1. *de Religione lib.* 3. *c.* 2. *n.* 9. Concilium Nicænum, & Higinius Papa, qui extiterunt longè ante editionem Decreti, & Decretalium prohibuerunt speciali iure copulam, & pollutionem in Ecclesia, non alia peccata, ex qua prohibitione consurgebat in transgressione species sacrilegij, & subinde per iura Decretalium *in c. proposuisti de consecrat. Eccles., & c.* 1. *eod. tit. in* 6. inducta est pæna pollutionis Ecclesiæ; Ex quibus duo apparent; primò, quod contrahatur species sacrilegij in copula, & voluntaria seminis emissione in Ecclesia, non in alijs actibus impudicis propter specialem prohibitionem quoad illas, non quoad istos; secundò, quod species sacrilegij non consurgat ex pollutione Ecclesiæ; sed potius hæc ex illa.

13 Duplici iure prohibetur pollutio, & copula in Ecclesia.

Tertia difficultas est, an solum ex pollutione, seu voluntaria seminis emissione notoria facta in Ecclesia consurgat species sacrilegij, & pollutio eiusdem Ecclesiæ, an verò etiam ex occulta. Speciem sacrilegij, & pollutionis Ecclesiæ consurgere ex pollutione voluntaria in eadem habita clarè apparet, tum ex decretis *Concilij Nicæni, & Higinij Papæ*, tum ex *d. c. Ecclesijs de consec. dist.* 1., *& ex significasti de adult.* Sed, cum non exprimatur, an talis seminis effusio debeat esse notoria, an etiam comprehendatur occulta, relictus est locus Doctoribus diffidendi inter se, an sub illis iuribus veniat etiam pollutio occulta. Affirmat *Pontius disp.* 46. *de Sacrament. pænit. q.* 7. *de circumstantia Vbi n.* 84. *vers. dico ergo* contrahi etiam per pollutionem occultam. Negat verò contrahi *Vasquez prima secundæ q.* 72. *art.* 6., *& alij* apud *Sanchez lib.* 9. *de matrim. disp.* 15.

14 Ex voluntaria pollutione, & copula polluitur Ecclesia.

Respondeo. Ex voluntaria seminis emissione occulta facta in Ecclesia probabilius contrahi speciem sacrilegij, non tamen per illam pollui Ecclesiam.

15 Si fine occultæ nō polluitur Ecclesia.

Probatur prima pars. Qui percutit Clericum occultè, quamuis non sit vitandus, in foro tamen interno contrahit excommunicationem, ergo, etiam si quis occultè se polluat in Ecclesia, quamuis sacra in eadem non sint vitanda, vt in sequenti probatione secundæ partis ostendetur, incidet tamen in sacrilegium. Secundò, quia sacrilegium non aduenit pollutioni post transactum actum, per hoc quod fieret notoria; id enim extrinsecè, consequentèr, & omnino per accidens ad illam se habet, sed quando pollutio ab esse occulto transit

Rationes suadentes sacrilegium.

transit ad esse notorium, vel per manifestationem factam ab ipso, qui pollutus est, vel alio modo per aduersarios est sacrilegium, ergo, quia in se talis pollutio erit sacrilegium vtpotè actus malus exercitus in loco sacro contra specialem prohibitionem Ecclesiæ: Quid enim addit illa facti notorietas, nisi ad summum aliquid scandali? Quamobrem dicendum est, solum efficere, vt sacra in tali loco sint vitanda, donec reconcilietur: Tertiò, quia prohibitio illa facta ab Ecclesia, ne celebrentur Diuina in loco sacro, in quo habita est voluntaria pollutio, supponit grauitatem huius delicti, & in detestationem ipsius, & quasi in pænam, vt Diuina in ipsa non celebrentur, donec reconcilietur, ergo in se habet malitiam sacrilegij antecedentèr ad eiusdem Ecclesiæ pollutionem.

Probatur secunda pars, quia pollutio Ecclesiæ per voluntariam seminis emissionem in eadem inducta est tantum iure humano, & Ecclesiastico, vt supra dictum est, quod, sicuti pro delicto occulto non imponit, nec consueuit imponere pænitentiam publicam, ita nec præsumendum est, voluisse pro pollutione occulta præscribere violationem publicam Ecclesiæ manifestandam per cessationem Diuinorum officiorum, & per reconciliationem. Secundò, quia ad hoc, vt percutiens Clericum sit excommunicatus vitandus requiritur, vt ipsa percussio sit notoria, vt per se est manifestum; quomodo enim alij ipsum vitabunt, si ignorant esse vitandum? ergo, etiam adhoc vt Ecclesia sit polluta per voluntariam seminis emissionem, requiritur, vt talis pollutio sit publica, ad hoc vt in ipsa cessent sacra, & indigeat reconciliatione. Consequentia tenet, quia, sicuti excommunicatio inducta est contra percussores Clericorum in fauorem status Clericalis, ita prohibitio pollutionis voluntariæ in loco sacro sub pæna violationis Ecclesiæ inducta est in fauorem status Ecclesiæ, ergo, sicuti in primo casu non intelligitur percutiens excommunicatus vitandus, nisi percussio sit publica, ita, nec in secundo præsumenda est violatio, ratione cuius sacra sint vitanda, nisi pollutio sit publica. Tertiò, quia, si per pollutionem occultam violaretur Ecclesia, polluens se teneretur suum crimen occultum propallare, vt Ecclesia reconciliaretur, quod non videtur dicendum.

Rationes euincentes Ecclesiã nõ pollui.

16 Per copulã licitã occultam nõ polluitur Ecclesia.

Quarta difficultas est, an per copulam licitam, seu coniugalem habitam in Ecclesia contrahatur species sacrilegij, & Ecclesia polluatur. Stantibus præmissis de pollutione occulta quoad violationem Ecclesiæ vix videtur, posse esse difficultas, cum ex vno capite vix possit cogitari copulam coniugalem fieri palam, & ex alio capite hæc sit licita cæteroqui secundum se, licet illicita in loco, pollutio autem, & est illicita in se, & etiam in loco; vnde difficultas reducitur solum ad rationem sacrilegij, quando est occulta, & ad violationem Ecclesiæ, quando esset notoria.

Respondeo primò. Per copulam coniugalem habitam in Ecclesia absque necessitate verè contrahi sacrilegium, & hoc non esset circunstantia peccati, cum ipse actus coniugalis secundum se non sit peccaminosus, sed ipsum formale peccatum. *Siluester verb. Debitum n. 5., Toletus lib. 5. c. 12., Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 15., Nauarrus c. 16. n. 32., Rebellus secunda part. lib. 3. q. 19. num. 6., Henriquez lib. 11. c. 16. n. 4., & alij magis communitèr.* Ratio ex eo deducitur, quia licet talis congressus secundum se non sit peccaminosus, sed licitus, denegari tamen non potest, quin lædat honorem, & reuerentiam debitam loco sacro, quinimmo plerique, vt vtique cum recta ratione statuunt per eandem pollui eundem locum sacrum, sic *Ioannes Andreas in eod. c. Ecclesijs de consecr. dist. 1.*, eundemque sequuntur *D. Antoninus, Summa Pisana, Paludanus, & Angelus* relati a *Siluestro verb. Consecratio q. 5. vers. tertius casus est*. Dixi, *absque necessitate*, quia concurrente necessitate, si habeatur congressus coniugalis in Ecclesia, sacrilegij labes non contrahitur *Lessius lib. 4. c. 4. num. 86., Bonacina de ijs, quæ pertinent ad vsum matrimonij q. 4. punct. vlt. n. 6. vers. dixi absque necessitatem,* vbi alios plures allegat. Ratio est, quia, cum labes sacrilegij aduersus coniuges concumbentes in loco sacro inducta sit per ius Ecclesiasticum, hoc non est præsumendum, velle obligare vrgente contraria necessitate. Hoc contingeret, quando periculum esset de incontinentia in altero coniuge, nec alibi esset opportunitas coeundi.

17 Cõtrahitur tamen sacrilegium, si habeatur sine necessitate.

18 Vrgẽte necessitate nõ contrahitur.

Respondeo secundò. Ex notorio congressu coniugali facto in Ecclesia vtique consurgit violatio, seu pollutio eiusdem Ecclesiæ. *Ioannes Andreas loc. mox cit., Azorius Instit. mor. tom. 2. lib. 9. de quarto Decal. precept. c. 5. vers. dubiæ quæstionis est.* Ratio est, quia in alio certiori casu non potest intelligi per congressum coniugalem pollui Ecclesiam, quam in isto notorij congressus. Sed quid esset dicendum, si talis notorius congressus fieret vrgente necessitate, an tunc etiam per ipsum pollueretur Ecclesia? Vix hoc videtur posse contingere, cum nequeat percipi, quod adesse nequeat locus secretus, in quo possint congredi, & natura ipsa resistat illi publico, & notorio congressui; si tamen

19 Ex notoria copula coniugali polluitur Ecclesia.

con-

contingeret, vix in foro externo eximerē locum à nota pollutionis, cum in eodem foro nequeat apparere de tali necessitate, & notorietas illa non possit à scandalo depurari.

Ex occasione eorum, quæ dicta sunt, remanet hic inquirendum, quinam veniat nomine loci sacri, ratione cuius contrahatur noxa sacrilegij per copulam, & voluntariam seminis emissionem, & pollutio Ecclesiæ. Dicendum est, non venire priuata oratoria existentia in domo alicuius equitis deseruientia solum ex indulto Pontificis ad vsum eiusdem, & familiæ, nec item campanilia, nec sacristias Ecclesiarum, immo a fortiori, nec dormitoria, nec bibliothecas Regularium, sed solum corpora ipsa Ecclesiæ intrinsecus, & oratoria publica ad vsum publicum ab Episcopo destinata; Neque obstat, si dicatur campanilia, sacristias, dormitoria, & huiusmodi gaudere immunitate non minus, ac corpora ipsa Ecclesiæ, adeoque etiam dici sacra, quantum ad effectum, de quo hic loquimur; Non obstat, inquam, quia priuilegium immunitatis vtpotè fauorabile tum ipsi Ecclesiæ, tum fidelibus magis ampliatur, & extenditur ex ipsa iuris dispositione, & non solum ad loca in se sacra refertur, sed etiam ad annexa eisdem, vel ad aliqua etiam ex priuilegio, qualia sunt Palacia Episcoporum, & Cardinalium ratione dignitatis personarum; Prohibitio vero copulæ, & pollutionis voluntariæ in loco sacro sub pæna sacrilegij, & violationis eiusdem loci, cum quodamodo sit odiosa, ex eadem iuris dispositione restringitur ad sola loca in se sacra, vt colligitur *ex d. c. quisquis 17. q. 4.* quod solum exprimit locum sacrum.

20 Quid veniat nomine loci sacri ad contrahendū sacrilegium, & pollutionem Ecclesię.

Quinta difficultas est, an per occisionem, seu vulnus inflictum in Ecclesia contrahatur sacrilegium, & Ecclesia ipsa polluatur.

Respondeo, per voluntariam occisionem factam in Ecclesia, & per graue vulnus in eadem inflictum contrahi speciem sacrilegij, & simul Ecclesiam pollui. In hanc responsionem sub his terminis conceptam communitèr consentiunt. Expresse colligitur *ex c. proposuisti de consecr. Eccl.* Dixi, *voluntariam*, nam, si casu mors, seu vulnus acciderit, nec sacrilegium, nec violatio induceretur. Ex eo item, quod mors, vel vulnus debeant esse voluntaria, sequitur, quod, si quis ex amentia, vel furore factus rationis impos se in Ecclesia interimat, non intelligatur ex illa interemptione Ecclesia polluta, secus, si se ipsum cum plena ratione occidat *Hostiensis, & Hugo in d. c. proposuisti de consecr. Eccl. Geminianus in c. 1. de consecr. Eccl. in 6.*

21 Occisio voluntaria, & graue vulnus inflicta in Ecclesia inducūt sacrilegium, & pollutionē.

Quid, si quis ab altero aggressus in Ecclesia aggressorem occiderit cum moderamine inculpatæ tutelę, an ipse contrahat culpam sacrilegij, & Ecclesia violetur? Negant *Innocentius, & Abbas in d. c. proposuisti de consecr. Eccl., Azorius Instit. mor. part. 2. lib. 9. c. 5. q. 1.* secus, si occiderit non seruato tali moderamine; & congrua quidem ratione hæc statuunt, quandoquidem non videtur congruè posse esse pæna, vbi non est culpa.

22 Aggressus in Ecclesia occidēs aggressorem cū moderamine non polluit Ecclesiā.

Quid, si graue vulnus, seu percussio fuerit inflicta in Ecclesia sine sanguinis effusione, an tunc Ecclesia remanebit polluta, & inflictor sacrilegus. Negat absolutè *Pontius de Sacram. pænit. disp. 46. q. 7. §. de circunstantia Vbi n. 85.* quinimmo arguit Fagundez contrarium docentem dicens sine fundamento in hoc procedere. Sed quo fundamento ipsum repellat, non explicat. Arbitror eum moueri ex textu *in c. 1. de consecr. Eccl. in 6.*, vbi dicitur per seminis, & sanguinis emissionem Ecclesiam pollui. Sed congruentius arbitror cum *Glosa in c. 1. de consecrat. Eccl. in 6., Abbate, & alijs in d. c. proposuisti de consecr. Eccl., Azorio dict. part. 2. lib. 9. c. 5. q. 1. in fin., & alijs*, & Ecclesiam pollui, & sacrilegium contrahi. Euincitur primò, quia *in d. c. proposuisti de consecrat. Eccles.* statuitur violatio Ecclesiæ ob mortem, & vulnus inflictum, & tamen ibi nulla fit mentio de sanguinis effusione, vt legenti sit manifestum. Secundò, quia communitèr statuunt, quod, si Iudex in Ecclesia furem suspendat, & contrahat sacrilegium, & Ecclesia polluatur. Tertiò, quia non minus est delictum aliquem in Ecclesia vulnerare, ac ipsum ab Ecclesia extrahere, extrahere autem ab Ecclesia est species sacrilegij etiam sine sanguinis effusione; Quod, si per hanc extractionem non polluitur Ecclesia, est, quia hoc non est inductum à lege, sicuti est inductum pro vulnere inflicto; Nec releuat id, quod dicitur in *d. c. 1. de consecr. Eccl. in 6.*, vbi fit mentio de sanguinis effusione; Non releuat, inquam, quia ibi dicitur, quod communitèr euenit, sumpto effectu pro causa, non autem excluditur vulnus graue per se.

23 Graue vulnus inducit pollutionem Ecclesię, quāuis sanguis ibi non effundatur.

Quid, si quis fuerit grauitèr vulneratus extra Ecclesiam, & deinde receptus in Ecclesiam ibi mortuus fuerit effuso ibidem sanguine, an tunc Ecclesia censebitur violata, & vulnerator sacrilegus, vel è contra grauitèr fuerit in Ecclesia vulneratus nullo in eadem effuso sanguine, & deinde egressus magna sanguinis emissa copia occubuerit, an etiam in hoc casu vtraque pæna intelligatur & vulneratem, & Ecclesiam afficere. Sentiendum est in primo casu,

24 Grauitèr vulneratus extra Ecclesiā effundēs in ipsa sanguinem eā nō polluit.

casu, nec Ecclesiam violari, nec vulnerantem sacrilegio notari; bene tamen in secundo *Glosa in d. c. proposuisti de consecr. Ecclesiæ*, *Azorius loc. cit.* Ratio primæ partis est, quia per vulnus ipsum vulnerans non læsit reuerentiam debitam Ecclesiæ, cum extra illam vulnerauerit; quod postea mors, & effusio sanguinis sequatur in Ecclesia, nihil officit, quia aliquem mori in Ecclesia, & sanguinem ibi effundi, quando non est ex violentia ibi attentata, non est cum offensa Ecclesiæ, quinimmo hæc benignè omnes recipit, siue viuos, siue morientes. Ratio secundæ partis est, quia per vulnus graue in Ecclesia inflictum læditur honor, & reuerentia debita eidem Ecclesiæ, & quod in eadem sanguis non fuerit effusus, non officit, vt supra.

25 Quid dicendum, si percussio fuerit leuis cum effusione sanguinis.

Quid tandem, si quis leuitèr alterum in Ecclesia percusserit, puta alapha, per quam è naso sanguis effluxerit in Ecclesia, an sic percutiens noxam sacrilegij contraxerit, & Ecclesia fuerit violata. *Marchinus de sacris ordin. tract. 3. part. 3. c. 11. n. 11.* sentit per tale leue vulnus licet ex eodem profluat è naso magna sanguinis copia, non pollui Ecclesiam eo, quia nasus est organum ad mittendum sanguinem nimis facile: Contrarium tamen sustinet *Siluius in tertia part. qu. 83. art. 3.*, cui videtur etiam adhærere *Diana part. 6. tract. 6. resol. 24* quibus, & ego adhærendum censeo, quia denegari non potest, quin illa percussio sit grauis, & per eandem lædatur reuerentia Ecclesiæ debita, &, si communitèr statuunt, quod alapha in faciem Sacerdotis inflicta inducatur excommunicatio propter læsionem status Sacerdotalis, non video, cur ratione eiusdem alaphæ in Ecclesia inflictæ non inducatur species sacrilegij, & violatio Ecclesiæ propter irreuerentiam contra eandem Ecclesiam commissam.

---

§. IV.

Expenditur circunstantia Comitum, seu instrumentorum importata per ly, *Quibus auxilijs*.

SUMMARIUM.

Quid importet hac circunstantia. 1.
Complex in delicto, an sit manifestandus, quando alitèr cognosci nequeat species peccati. 2.
Si potest adire alium Confessarium non potest complicem manifestare. 3.
Si non potest alium adire, & vrgeat præceptum, seu necessitas confessionis, sententia asserens non posse manifestare complicem. 4.
Sententia asserens teneri illam circunstantiam manifestare. 5.
Præfertur hæc secunda opinio. 6.
Integritas confessionis præualere debet famæ complicis. 7.
Quandoque eximi potest ab onere manifestandi complicem, & quando. 8.
In hac hypothesi teneretur exprimere peccatum reticita circunstantia. 9.
Soluitur ratio contrariæ sententiæ. 10.
Quid dicendum de peccante opera mediatoris. 11.
Si mediator sit dispositus aliundè, quatenus assuetus ex munere, quod exercet, non tenetur peccans eius operam exprimere. 12.
Secus, si mediator non esset dispositus. 13.
Ludens instrumento sibi vetito sub graui, & fraudans colludentem tenetur vtrumque in confessione exprimere. 14.
Quid sentiendum de vtentibus medijs superstitiosis in extractione nominum in ludo vulgo al lotto. 15.
Quænam dicantur media superstitiosa. 16.
Vtens talibus medijs, quæ talia sint, peccat & contra Religionem, & contra iustitiam saltem affectiuè. 17.
Non seruaretur æqualitas. 18.
Adhibitis illis medijs, si dignoscatur lucrum ex illis prouenisse, est restituendum. 19.
Si lucrum inde non prouenerit, non est restituendum. 20.
Quid sentiendum sit, si quis illis medijs lucrum acquisierit, dum alij vtentes eisdem non acquisierunt. 21.

1 Quid sit hęc circunstātia.

HÆc circunstantia appellat instrumenta, & concausam peccati. Instrumenta ista, vt plurimum non sunt in confessione aperienda, nisi, quatenus aliquo iure sunt prohibita; si verò, alius homo fuerit concausa, hoc erit explicandum, quando cum scandalo fuerit inductus ad cooperandum in peccato. Circa huiusmodi circunstantiam nonnulla contingunt in præsenti dubitari, quæ breuitèr expono, & dilucidè diluo.

2 Cōplex in delicto, an possit manifestari, quando alitèr species peccati non potest innotescere.

Primum dubium est, an complex in delicto sit necessario in confessione explicandus, quando aliundè non potest innotescere species peccati, vel haberi nequeat integritas confessionis. Sit exemplum. Titius in aliquo rure existens carnalitèr cognouit Catherinam consanguineam suam vnicam in tali loco, in quo solus Parochus est Confessarius, qui vtriusque, & consanguinitatis notitiam habet. Si Catherina incæstum fateatur, vel ipse Titius, certum est, quod Parochus in cognitionem deueniet complicis. Quæritur igitur, an in hoc

hoc casu, & similibus teneantur exprimere circunstantiam consanguinitatis ad integrandam confessionem, & exponendam speciem peccati, an verò ad occultandam personam complicem possit solummodo exprimere actum fornicationis reticita circunstantia consanguinitatis, & incæstus, vel reticere etiam actum fornicationis expressis alijs peccatis.

3 Si potest adire aliũ Confessarium non potest cõplicem manifestare.

Hoc certum videtur, quod, si possit pænitens alium adire Confessarium, qui non nouerit ipsum, nec aliam personam complicem in delicto non teneatur, quinimmò, nec licitè possit peccatum illud cum sua circunstantia manifestare Sacerdoti, qui ex illa circunstantia veniret in cognitionem complicis, prout rectè notauit *D. Thomas opusc. 12. q. 6., & in 4. sent. dist. 12. q. 3. art. 2. quæstiunc. 5. in corpore, & dist. 41. q. 1. art. 4. in corp.*; quod pluribus rationibus probat primò, quia prodere crimen alterius, & lædere eius famam est peccatum, quod maximè vitandum est in confessione, per quam quis quærit peccata præterita delere. Secundò, quia in confessione est credendum peccatori confitenti pro se, & contra se, sed contra alium nullo modo est credendum, alioqui daretur multis occasio fictæ confessionis, & fraudulentæ infamationis, & ideo, si potest speciem peccati confiteri non explicando personam, cum qua peccauit, peccat eam exprimendo &c. Hæc fere ad verbum D. Thomas, qui postea subdit; sed, si fieri potest, debet quærere talem Confessorem, qui personam complicis penitus non cognoscat.

4 Sententia asserens nõ posse complicẽ manifestare.

Difficultas igitur solummodo est, quando vrget necessitas confessionis, nec alium potest adire Confessarium, vel quia pænitens constituitur in articulo mortis, vel quando non potest omittere sumptionem Eucharistiæ sine graui scandalo, nec posset aliunde confiteri. In hac hypothesi *Pontius de Sacram. pænitent. disp. 46. q. 7. n. 90. de circunst. complicis, Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. ad quartum, Villalobos tom. 1. tract. 9. dub. 38. n. 3.* sustinent, non posse pænitentem propallare illam circunstantiam, ex qua Confessarius veniret in cognitionem complicis, ad quod asserendum pluribus rationibus mouentur; primò, quia non licet proximum infamare, nisi inde resultet maius emolumentum proprium, quod præponderet detrimento famæ alterius; hoc autem emolumentum non resultat ex confessione cum manifestatione complicis, quandoquidem hoc non potest esse, nisi consecutio gratiæ, vel cessatio obligationis peccatum illud confitendi alteri Confessario, dum aderit illius copia; neutrum autem ex his potest præponderare illius infamiæ detrimento; non primum, quia in illa hypothesi ad consequendam gratiam non est necessaria integra confessio, sicuti non est necessaria, quando timeretur, ne Confessarius vni, vel alteri esset manifestaturus peccatum; Non secundum, quia obligatio confitendi illud in alia confessione apud Confessarium externum, non est tanti momenti, quanti est infamia complicis. Secundò, quia non est damnabilis sententia asserens in illa hypothesi posse illud peccatum, seu circunstantiam reticeri, cum sit multorum DD. auctoritatibus suffulta, ergo, qui illam sequitur, vtpotè sequens dictamen prudentis rationis confitens cætera peccata isto omisso cum cæteris peccatis confessis indirectè consequetur remissionem istius.

5 Sententia asserens teneri manifestare circũstantiã illam.

E contra verò *D. Thomas loc. cit.; Cardinalis de Lugo apud Pontium loc. cit., Vasquez tertia part. q. 91. art. 11. dub. 1., & 3., Valentia tom. 4. disp. 7. q. 11. part. 1., Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 4. diffic. 4. n. 5. vers. an verò manifestari possit*, sustinent nedum posse, sed teneri pænitentem exprimere circunstantiam illam, ex qua possit manifestari complex apud Confessarium. Recito verba D. Thomæ. *Si verò speciem peccati exprimere non possit, nisi exprimendo personam, cum qua peccauit, necesse est, vt exprimendo peccati speciem, exprimat personam.*

6 Præfertur hæc secunda sententia.

Respondeo cum hac secunda sententia, teneri exprimere. Auctoritas D. Thomæ valdè ad hoc asserendum me vrget. Adhuc tamen eam sic comprobo. Concurrente præcepto integræ confessionis, quod est Diuinum cum præcepto non manifestandi complicem delinquente, quando vtrumque seruari non potest, debet præualere præceptum primum; tum quia hoc respicit valorem Sacramenti, ad quem requiritur integritas, illud vitationem læsionis famæ complicis; Sacramentum autem debet præualere famæ complicis; tum quia illa infamia complicis, quæ consequeretur ex manifestatione illius circunstantiæ, non tanti æstimanda est, vt deobliget ab integritate confessionis, siquidem Confessarius non potest vti illa scientia, quam habuit in confessione, nec de illo crimine potest loqui, &, si *Diana part. 1. tract. 7. resol. 49.* asserit, quod delictum alterius occultum possit vni, vel alteri amico taciturno, & prudenti manifestari (quod, an verum sit, alij iudicent) non video, cur non possit manifestari Confessario, qui sigillum seruare tenetur ad complendam confessionem; tum quia licitum est extra confessionem manifestare delictum alterius ob propriam vtilitatem, vel ad euitandum damnum, vel proprium,

7 Integritas confessionis præualere debet famæ.

vel

vel alienum, ergo à fortiori licitum erit cum proprio delictum alterius manifestare ad consequendam gratiam Diuinam in confessione; tum quia complex in delicto peccando cum altero sponte se subiecit periculo manifestationis, cum scire debuerit peccatum illud, in quo fuit complex, aperiendum esse in confessione; tandem, quia *D. Bernardus c. vlt. de formula honestæ vitæ* sic habet. *De nullo prorsus sinistrè loquaris, quantumcumque sit verum, vel honestum, nisi in confessione, & hoc, vbi alitèr non potes manifestare peccatum tuum.*

Nõ grauitèr lęderetur fama complicis.

Neque dicas contra primam rationem à nobis adductam pro probatione nostræ assertionis. Onus non manifestandi delictum occultum proximi esse de iure naturæ, onus verò integrandi confessionem esse solum de iure Diuino positiuo, quod cedit naturali; contra enim impugnaberis, quia in primis illa manifestatio in confessione, cum fiat sine intentione nocendi, non importat, nisi detractionem materialitèr, quæ in multorum sententia non est ab intrinseco mala, nec contra ius naturæ. Deinde dato etiam, quod secundum se esset de iure naturæ prohibita, mutatis tamen circunstantijs non intelligitur talitèr prohibita, sic homicidium est iure naturæ prohibitum, & tamen interueniente circunstantia propriæ defensionis, cessat esse tale, ex quo infero in casu nostro, quod, quamuis manifestatio alieni criminis sit iure naturæ vetita, interueniente tamen circunstantia salutis propriæ spiritualis acquirendæ, cesset esse vetita &c. potissimum cum directa intentione manifestans in confessione intendat proprium bonum, ad quod habet ius, quod deinde aliqualis iactura complicis sequatur, hoc indirectè sequitur; Qui autem vtitur iure suo, non peccat, nec facit alteri iniuriam.

Soluitur obiectũ contrarium.

8 Quandoque eximi potest ab onere manifestãdi complicem.

Hæc quæ diximus in hac nostra responsione procedunt per se, & regularitèr loquendo; contingere autem potest, quod quandoque eximatur ab onere explicandi illam circunstantiam, ex cuius notitia Confessarius veniret in cognitionem complicis; hoc eueniret in casu, quo rationabilitèr ex illa explicatione timeretur graue damnum, vel in vita, vel in fama ipsi pænitenti, vel complici, vel tertiæ personæ, non enim lex Diuina intelligitur obligare cum tanto detrimento *Bonacina de restit. in genere disp. 2. q. 4. punct. 4. num. 2. vers. hac doctrina.*

Sed, an in hac hypothesi possit absolutè reticere illud peccatum alijs expositis confessioni, an verò teneatur illud confiteri secundum substantiam reticita solummodo illa circunstantia, ex qua gigni possit notitia complicis, quamuis hæc constituat speciem diuersam. Videtur prima fronte, posse absolutè reticere illud peccatum non solum quoad circunstantiam, sed etiam quoad substantiam; cum etenim non possit, seu non teneatur explicare speciem, quæ est intrinseca actui, nec videtur teneri explicare ipsum actum. Nihilominus *Henriquez in summa Theolog. mor. lib. 5. c. 9. §. 6.* cui videtur adhærere *Reginaldus lib. 6. de Sacram. confes. n. 158.* sustinet confitendum esse genus peccati reticita illa circunstantia dicendo se fornicatum esse, & quidem meritò; quandoquidem, vt notat *Medina Cod. de confessione q. 10. in fin.* præceptum, quod in toto impleri non potest, seruari debet in eo, in quo potest, cum autem præceptum integræ confessionis seruari non possit quoad illam circunstantiam obstante periculo diffamationis, & grauis damni complicis, bene tamen quoad actum in genere, non est, cur non debeat seruari quoad ipsum actum exprimendo ipsum in genere fornicationis. Confirmatur, quia extante illo periculo grauis damni, quamuis excusetur ab onere manifestandi illam circunstantiam, non eximitur tamen ab onere manifestandi alia peccata, vt tradit *Bonacina loc. cit.*, & cum eo alij magis communitèr, ergo, quamuis excusatur ab onere exprimendi illam circunstantiam, non eximetur ab onere exprimendi illud peccatum in genere simplicis fornicationis. Consequentia probatur, quia denegari non potest, quin in illo peccato contineatur species fornicationis, vnde in illo peccato duplex quodammodo species distingui potest, altera contra virtutem castitatis, altera contra reuerentiam debitam consanguineis; sicuti igitur reticita illa circunstantia consanguinitatis tenetur alias peccatorum species manifestare, ita reticita eadem tenebitur speciem oppositam castitati exprimere; Nec obstat ratio in contrarium adducta; licet enim illi actui sit intrinsecè annexa illa circunstantia, quæ mutat speciem, denegari tamen non potest, quod quodamodò distinguantur illę species propter oppositionem, quam habent ad diuersas in specie virtutes, ergo vna reticita propter rationes supra adductas, tenebitur aliam, pro qua non militant illæ rationes, exprimere.

9 In hac hypothesi teneretur exprimere peccatũ reticita circunstantia.

10 Soluitur ratio contrariæ sententiæ.

Secundum dubium est; an quando peccans adhibuit mediatorem, vel mediatricem ad consequendum aliquem prauum finem, in quo peccauit, teneatur non solum in confessione exprimere prauum opus patratum, sed etiam mediationem adhibitam ad prauum illud opus consequendum. Hic aduertendum est, an mediator, seu mediatrix fuerit aliunde dispositus,

11 Quid sentiendum sit de peccante adhibẽte mediatorẽ.

situs, seu disposita ad opus illud promouendum, cuiusmodi sunt lenones assueti ad prauum hoc munus, & dispositi ad obsequendum vnicuique in hoc genere, an solummodo disponantur per opera, preces, & promissiones delinquentis.

12 Si mediator sit aliũde dispositus non tenetur peccans circunstantiã mediatoris exprimere.

Iuxta primum sensum probabilius arbitror, non teneri exprimere, nisi peccatum, quod patrauit in sua specie, non autem cooperationem mediatoris, seu mediatricis. Ratio est, quia, si quę esset malitia specie diuersa à simplici peccato, quod committitur, vel esset in ordine ad personam, cum qua peccatum illud committitur, vel in ordine ad ipsum mediatorem, vel mediatricem; sed in ordine ad neutram malitia illa contrahitur; non in ordine ad primam, cum qua peccatum commissum est, quia non magis læditur ex eo, quod moueatur ad illud peccatum operibus, & precibus mediatoris, seu mediatricis, ac ex eo, quod moueatur precibus, & suasionibus ipsius delinquentis; ex eo autem, quod peccet precibus, ac suasionibus delinquentis non inducit diuersam in specie malitiam à peccato, quod contrahit cum ipso delinquente, ergo &c. Non in ordine ad mediatorem, vel mediatricem, quia, ex quo iam sunt dispositi, & assueti illi muneri, non patiuntur scandalum, nec propriè possunt dici induci.

13 Secus, si mediator non esset dispositus.

Iuxta secundum sensum absolute sentio, teneri, nedum peccatum, quod commisit in sua specie explicare, sed etiam inductionem mediatoris. Ab hoc neminem arbitror dissentiri. Ratio ex eo deducitur, quod sic delinquens non solum peccat peccato opposito illi virtuti, contra quam delinquit, sed etiam contra charitatem, quam lædit per inductionem cooperantis, mediatoris, seu mediatricis, ergò tenetur vtramque speciem manifestare.

Tertium dubium, est, an, qui vtitur instrumento sibi vetito ad peccandum teneatur instrumentum illud in confessione manifestare, v.g. sub graui interdictum est Clericis, & Religiosis ludere chartis, & taxillis. Religiosus, seu Clericus illis vtendo alterum fraudauit in ludo. Oritur hic difficultas, an Religiosus teneatur in confessione non solum exprimere fraudem, sed etiam vsum alearum, & taxillorum sibi sub graui interdictum. Negat *Megala part. 1. lib. 5. c. 14. n. 18.* teneri vtrumque exprimere, sed sufficere, si dicat *Fraudaui proximum meum in quantitate notabili*. Nihilominus

14 Ludens instrumento sibi vetito, & fraudãs tenetur vtrũque exprimere.

Respondeo teneri, & fraudem commissam, & vsum ludi sub graui sibi interdictum in confessione exprimere. Ita DD. plurimi innominati apud *Dianam part. 1. tract. 7. resol. 21.* Ratio ex eo deducitur, quia Religiosus ille non solum peccauit contra iustitiam per illam fraudem, quam commisit in præiudicium alterius, sed etiã contra obedientiam transgrediendo præceptum obligans sub graui, ergo vtrumque vtpotè inducens diuersitatem specificam in confessione tenetur aperire. Adderem, & quidem, nec incongruè peccare etiam contra paupertatem, vtpotè vtens pecunia sibi concessa ad vsus licitos in alijs illicitis, ad quos voluntas Superioris non præsumitur concurrere.

15 Quid sẽtiendũ de vtente medio superstitioso in extractione nominũ *al lotto*.

Quartum dubium est, an, qui modo redolente superstitionem vtitur pro extractione nominum, quæ fit Genuæ, & Mediolani in ludo, qui vulgò dicitur *al lotto*, & victoriam reportat, dum illa nomina extrahuntur, quæ ipse elegit, peccet non solum contra Religionem per illam superstitionem, sed etiam contra iustitiam propter læsionem iniustam Gabellariorum, ita vt teneatur ad restitutionem lucri inde acquisiti.

16 Quænã dicãtur media superstitiosa.

Suppono, res, & modum, quas, seu quem adhibet non habere naturalem connexionem cum effectu, qui intenditur, vnde, si effectum sortiuntur, est ex aliqua occulta Dæmonis operatione, qui mouetur, si non ex expressa, ex tacita inuocatione alligata certis rebus, vel verbis ab eodem designatis; vnde *D. Thomas quodlib. 12. art. 13. in corp.* asserit, quod res, & verba in ordine ad huiusmodi effectus non habeant virtutem aliquam ex corpore cælesti, sed a spiritu immundo, qui immiscet se rebus, & verbis hominum, vt decipiat secundum D. Augustinum, vnde omnia sunt friuola, & superstitiosa, in quibus, & si non adsit aliqua expressa inuocatio Dæmonum, tamen est ibi quidam tacitus consensus. Quarè non videtur hæsitandum, quin ibi interueniat superstitio diuinatiua, quæ secundum *D. Thomam secunda secundæ q. 92. art. 2. in corpore*, opponitur cultui debito Deo, à quo debemus instrui. Quibus suppositis

17 Peccat, & contra Religionẽ, & cõtra iustitiã.

Respondeo primò, vtentem tali modo, & huiusmodi rebus, & verbis non habentibus naturalem aliquam connexionem, & influxum cum effectu intento peccare contra Religionem, & affectiuè etiam contra iustitiam, ac proinde teneri modum illum in confessione aperire. Ratio primæ partis est, quia sortilegium, prout est diuinatorium, quo scilicet quis adhibitis medijs, quæ alias ex se non sufficerent ad cognitionem illam comparandam, intendit cognoscere aliquod occultum, & futurum, est graue peccatum, vt expressè tradit *Pontius disp. 60. de Religione quæst. 6. concl. 3. num. 67.*, quod fieri nequit sine tacita pactione cum Dæmone, & est pars,

quædam magiæ. Hoc autem irreligiosum est, cum quodamodo Deo subtrahatur debitus cultus, & tribuatur rebus creatis, & Dæmoni, cum ab istis quæratur notitia, quæ à solo Deo quærenda est. Hæc omnia præstat, qui vtitur talibus rebus, & verbis ad finem, de quo loquimur, ergo &c.

18 Nõ seruaretur æqualitas.

Ratio secundæ partis est, quia in ludo, de quo loquimur, interuenit inter eos, qui talem ludum tenent, & alios concurrentes ad illum, quidam contractus innominatus fortunæ aleæ, in quo debet esse æquale periculum, & spes damni, & lucri iuxta naturam eiusdem contractus, sed adhibito illo modo, & rebus, quantum est ex affectu illum, seu illas adhibentis, non seruatur illa æqualitas, ergo peccatur contra naturam contractus, adeoque contra iustitiam. Minor probatur, quia adhibitis illis modo, & rebus, cum illis fidat, magis certus redditur de lucro, quam de damno, & hoc quantum est ex se; quod, si lucrum illud non obueniat, hoc est ex deceptione dæmonis, qui friuolis vtitur; cæterum, quantum est ex se, inæqualitatem illam intendit, & ideo dixi in responsione, non absolutè, sed *affectiuè*.

Confirmatur. Intendere acquisitionem rei modo indebito, & contra leges, ad quam ius habere non potest, nisi ex fortunæ alea reddendo quantum est ex se illam certam, cum ex natura contractus debeat esse incerta, est peccatum contra iustitiam, & læsiuum iuris alterius, a quo intendit acquirere, sed, qui vtitur in casu, de quo loquimur, huiusmodi modo, & rebus, intendit acquisitionem &c. ergo &c.

19 adhibitis illis medijs, si dignoscatur lucrum ex illis prouenisse, hoc est restituẽdum.

Respondeo secundò. Si quis adhibito illo modo, seu rebus non habentibus naturalem connexionem, nec influxum lucratus fuerit, & lucrum dignoscatur ex illis processisse, tenetur ad restitutionem. Ratio ex eo deducitur primò, quia illud lucrum acquisitum est medijs nedum illicitis, sed etiam aduersantibus naturæ contractus, & contra æqualitatem ad ipsum requisitam, ergo iustè non potest detineri, sed læso restituendum est. Secundò, quia, si quis in ludo longè excedens alterum in peritia aliquid acquirat ab imperito tenetur ad restitutionem lucri inde acquisiti, si imperitus maiorem, & excedentem alterius imperitiam ignorauit *Cardinalis de Lugo de iust. tom. 2. disp. 31. sect. 24. §. 4. nu. 44., Salas tract. de Ludo dub. 25. num. 2.* vbi plures pro hac opinione adducunt rationes, ergo, etiam si quis arte dæmonum instructus medijs illis superstitiosis a magistris illius ludi aliquid acquirat, tenebitur illud restituere. Hæc consequentia probatur, quia ideo ille excellens in peritia tenetur restituere, quia superioribus armis pugnat, nec æqualis est vtriusque conditio, sed etiam, quando quis arte Dæmonis munitus procedit in ludo cum inæqualibus, & superioribus armis, pugnat cum suo collusore, & non est æqualis vtriusque conditio, ergo &c.

20 Si lucrũ ex illis nõ prouenerit non est restituẽdum.

Dixi, *& lucrum dignoscatur ab illis processisse*, nam, si aliunde processerit, & de hoc certo moralitèr constet, quamuis grauitèr peccarit adhibendo illa media, non tenebitur ad restitutionem lucri acquisiti, quia alter collusor non fuit ex illis medijs læsus. Sed quomodo cognosci poterit, quod lucrum illud prouenerit, vel ex illis medijs, vel alio modo licito, quando illa fuerunt adhibita, tunc non potest aliquid certum statui. Nonnulli statuerunt, regularitèr præsumendum esse, non ex illis medijs prouenire, sed ex fortunæ alea adducta ratione, quod Dæmones nequeant futura prænoscere. Sed hoc non me mouet, quia ad hoc non est necessaria prænotio futurorum; cum Dæmones possint schedulas nominum, quæ medijs superstitiosis illis rebus suggesserunt, in manibus extractoris apponere. Alij dixerunt victoriam illam, seu illud lucrum non esse imputandum illis medijs; cum pluries experientia compertum sit, adhibitis illis omnino medijs illum effectum non euenisse; vnde inferunt, quod, si quandoque euenit, non ex illis medijs, sed aliunde euenisse. Sed ad hoc dici posset, quod, quando non euenerit, hoc fortè prouenerit, quia non omnia media fuerunt adhibita, vel ad modum, quo erant adhibenda; Dæmon etenim astutus hominum deceptor facilè allicit ad malum sub promissione, sed facilè etiam ex quocunque minimo defectu illos eludit.

21 Quid sẽtiendũ sit, si vnus vtendo illis medijs acquisierit, dum alij eisdẽ vtentes non acquisiuerunt.

Quid iam in particulari erit sentiendum, si quis adhibitis illis medijs lucrum aliquod egregium sortitus fuerit, dum alij plures adhibitis ijsdem medijs sortem lucri non acquisierunt; an tunc ille, qui sortem lucri obtinuit, tenebitur illud lucrum restituere. Cum causa illius acquisitionis sit ignota nil certum videtur posse statui. Crederem tamen, quod, quamuis grauitèr peccauerit, possit absolui ab onere restitutionis, cum artes Dæmonum, vt plurimum sint fallaces, & friuolæ, & aliorum experientia satis indicet illa media ad effectum non conferre.

§. V.

§. V.

De circunstantia finis importata per ly, *Cur.*

SUMMARIUM.

Finis duplex, alter intrinsecus, alter extrinsecus. 1.
Procedit titulus de fine extrinseco. 2.
Si tam medium, quam finis sint ex se mala, & opponantur diuersis virtutibus tunc vtrumque est exprimendum. 3.
Si opponantur eidem virtuti sufficit exprimere malitiam finis. 4.
Si finis sit malus, & medium indifferens sufficit exprimere malitiam finis. 5.
Quando medium, & finis sunt mala, & opposita diuersis virtutibus sententia asserens, non sufficere expressionem malitiæ medij, & finis, sed requiri etiam expressionem ordinis medij ad finem. 6.
Sufficit, si exprimatur malitia vtriusque. 7.
Quid de furante instrumenta in ordine ad furandas pecunias. 8.
Furtum instrumentorum cum fine furandi ab eodem pecunias pro eodem tempore est vnum dumtaxat peccatum. 9.
Furtum instrumentorum contra vnum cum fine furandi pecunias contra alterum est duplex peccatum. 10.
Sententia docens furtum instrumentorum ad finem furandi ab eodem pecunias pro diuerso tempore esse vnum solum peccatum. 11.
Sententia docens esse duplex peccatum. 12.
Conciliantur huiusmodi sententiæ. 13.
Quandonam intelligatur æquiualenter retractata prior intentio. 14.

1 Finis duplex alter intrinsecus, alter extrinsecus.

CVr significat finem, ad quem ordinatur operatio. Duplex est finis alter intrinsecus, & hic non distinguitur ab obiecto formali, quod attingitur per talem actionem; alter extrinsecus, & est id, cuius intuitu obiectum formale per ipsam actionem attingitur. Primus propriè non est circunstantia actus, sed potius ad entitatem actus tanquam constitutiuus ipsius pertinet. Secundus verò, cum sit actui extrinsecus, non egreditur rationem circunstantiæ. Nomine finis extrinseci,

2 Procedit titulus de fine extrinseco

prout habet rationem circunstantiæ, venit non solum intentio finis, propter quem operamur, sed etiam mediorum electio; vnde quandoque actus fit malus ratione finis, non medij, vt cum quis intendens sanitatem media ordinat ad ipsam consequendam, sed propter finem malum, nempe ob mæchandum; quandoque est malus ratione medij, non finis, vt cum quis furatur, vt eroget eleemosinam; sed hoc modo actus est potiùs malus ex obiecto, quam ex medio; quandoque est malus ratione vtriusque simul, eo quia tam finis, quam medium est malum. Si tam finis, quam medium sit ex se malum, & opponatur diuersis virtutibus, vt cum quis furatur, vt fornicetur, tunc vtrumque est in confessione exprimendum, eo quia medium opponitur iustitiæ, fornicatio castitati; si verò tam finis, quam medium sint malum, & eidem in specie virtuti opponantur, vt cùm quis vtitur tactibus impudicis, vt se excitet ad copulam, tunc vtrumque non est exprimendum, quia moraliter loquendo componunt, & integrant vnum dumtaxat actum; & sunt contra eandem virtutem; vnde nec multiplicantur peccata, nec in specie, nec in numero; si verò finis malus est, medium autem bonum, vel indifferens, vt cum quis curat sanitatem ad fornicandum, tunc sufficit exprimere malitiam finis; si verò medium sit malum, non verò finis, tunc nullo pacto finis est explicandus, vt cum quis omittit sacrum in die festo propter studium, eo quia studium non habet aliam malitiam ab omissione sacri. Circa hæc nonnullæ suboriuntur difficultates, quas depromo, & diluo.

3 Si tam mediũ, quã finis sũt mala, & opposita diuersis virtutibus vtrũque est exprimendũ.

4 Secus, si opponantur eidem virtuti.

5 Si finis sit malus, & mediũ bonum sola malitia finis est exprimenda.

Prima est, an, quando tam medium, quam finis est malus, & pertinent ad vitia in specie diuersa propter oppositionem ad diuersas virtutes, sit necessariò in confessione exprimendus ordo medij ad finem, quatenus pænitens teneatur dicere, *Furatus sum ad finem fornicandi*, an verò sufficiat exprimere sine tali ordine per modum duplicis peccati, vt si dicat *Fornicatus sum*, & postea dicat *furatus sum*. Plures apud *Dianam part. 1. tract. 7. resol. 23.* sustinent, talem ordinem medij praui ad finem prauum esse in confessione explicandum, nec sufficere distinctè peccatum medij, & peccatum finis explicare, & signanter *Ioannes della Crux in directi. conf. part. 2. tract. de Sacram. pænit. q. 5. dub. 6. concl. 1. Megala in primam partem lib. 5. c. 10. n. 2. Nugnus in addit. ad tertiam part. q. 9. art. 2. dub. 3.* propter eam rationem, quod medium semper participat de malitia finis, vnde non sufficit exprimere malitiam, quam habet medium in se ipso, sed illam etiam, quam sortitur à fine; quæ est in specie diuersa, sicque in medio est duplex malitia specie diuersa, quæ non exprimeretur, si manifestaretur solum furtum sine ordine ad fornicationem, siue efficaciter volitam, siue effectiuè positam.

6 Si vtrũque sit malum, & oppositum diuersis virtutibus sententia asserens nõ sufficere explicare vtrumque, sed requiri etiam, vt exponatur ordo medij ad finẽ.

Contrarium tamen sustinet *Diana part. 1. tract. 7. resol. 23.* asserens sufficere ex-

exprimere vtrumque peccatum seorsim sine tali ordine medij ad finem, vt, si primò pænitens dicat *Furatus sum*, & deinde subdat *Fornicatus sum, vel habui intentionem efficacem fornicandi*. Rationem ex eo deducit, quod quomodocunque sumantur furtum, & fornicatio siue simul, siue seorsim, non inuoluunt, nisi malitiam iniustitiæ, & luxuriæ; nec quid magis exprimit, qui dicit *Furatus sum ob fornicandum*, ac qui dicit: *Furatus sum, Fornicatus sum, vel habui intentionem fornicandi*, ergo sufficientèr satisfacit, vel exprimendo vtrumque simul cum illo, vel vtrumque seorsim sine illo. Quid iam concludendum?

7 Sufficit, si exprimatur malitia vtriusq;

Respondeo, probabilius esse posse vtrumque exprimi seorsim sine expressione ordinis medij ad finem. Ita præter præcitatum Dianam *Angelus verb. interrogatio §. 6.*, *Nauarrus in man. c. 6. num. 2.*, *Petrus Fay in addit. ad tertiam partem q. 9. art. 2. d. 11.* Rationes pro Diana adductæ hanc responsionem concludentèr euincunt; nec obstant obiecta ex aduersa parte, quandoquidem, licet medium sumat malitiam à fine, ad quem ordinatur, illa tamen malitia non est alia à malitia finis, dum ergo pænitens explicat malitiam finis explicat totum id, quod tenetur exprimere, nec aliquod magis exprimit exprimendo ordinem medij ad finem, ac exprimendo seorsim malitiam medij, ac malitiam finis, cum malitia, quæ est in medio, sit eadem, quæ est in fine; non enim est duplex malitia fornicationis, altera in medio, altera in fine, sed vna, & eadem extensa à fine ad medium; vnde etiam, quando confiteretur ille ordo, Confessarius non conciperet triplicem malitiam, vnam iniustitiæ ratione furti, alteram luxuriæ in medio, alteram luxuriæ in eodem fine, sed duplicem dumtaxat, alteram furti, alteram fornicationis.

8 Quid de furante instrumenta in ordine ad furādas pecunias.

Secunda difficultas est, an, qui furatur instrumenta ad finem cum ipsis furandi pecunias, vel quid aliud pretiosum, committat duo peccata necessario in confessione exprimenda. Pro solutione aduerte, an ab eodem furatus fuerit tam instrumenta, quam pecunias, & pro eodem tempore, an à diuersis, & pro diuerso tempore; ex hac etenim diuersa consideratione oriri possunt diuersæ rationes decidendi.

9 Sublatis ab eadē persona instrumentis ad finē pro eodem tēpore furandi pecunias nō cōmittitur duplex peccatum.

Respondeo primò, si ab eodem sublata fuerint instrumenta cum fine ab ipso pro eodem tempore furandi pecunias, vel quid aliquod pretiosum, vel fortè pro eodem tempore medijs illis instrumentis sublatæ fuerint pecuniæ, probabilius est, non intelligi contracta duo peccata, nec in specie, nec in numero, nec in hoc arbitror aliquem dissentiri. Quod non sint duo peccata in specie, facilè ex eo euincitur, quod tam sublatio instrumentorum, quam intentio furandi pecunias, vel fortè etiam actuale furtum pecuniarum opponuntur eidem in specie virtuti iustitiæ, nec rerum diuersitas inducit diuersitatem specificam moralem, cum sit materialis tantum, & in genere entis, non autem formalis, & in genere moris; Quod non sint duo peccata in numero distincta ex eo euincitur, quod vnum furtum est dispositio ad alterum ad quod ordinatur, cum quo coniungitur tanquam cum fine intentionis, & operis, nec ex interruptione sequitur multiplicatio, cum supponatur actio moralitèr continuata.

10 Furtum instrumentorum ab vno cū fine furādi, ab altero pecunias inuoluit duplex peccatū.

Respondeo, si à diuersis fuerint res illæ sublatæ, hoc est instrumenta ab vno, & pecuniæ ab altero, vel instrumenta ab vno sublata cum intentione furandi ab altero pecunias, tunc certo vtrumque furtum erit in confessione explicandum, cum constituat duo peccata in numero. Ratio ex eo deducitur, quod peccata furti vtpote contra iustitiam sunt in ordine ad alterum, hoc est cum læsione alterius, sed illa furta sunt cum læsione duorum, ergo, cum tota malitia iniustitiæ desumatur per ordinem ad alterum, si fuerint duo, ad quos refertur læsio, seu referuntur duæ læsiones, erit duplex malitia. Hæc à fortiori verificantur, si vtrumque furtum fuerit pro diuerso tempore, vel furtum instrumentorum factum fuerit cum intentione pro diuerso tempore furandi pecunias, quia tunc non solum sequitur multiplicatio malitiæ ratione diuersarum læsionum, sed etiam ratione discontinuationis vnius ab altero ratione diuersitatis temporis.

11 Sententia docēs furtum instrumētorū factum cū fine furādi ab eodem pecunias pro diuerso tempore non esse, nisi vnum peccatum.

Sed, quid erit dicendum, si furtum instrumentorum factum fuerit aduersus vnum cum fine ab eodem furandi pecunias pro diuerso tempore? Ex eo, quod finis intentus non intelligatur retractatus, videtur cōtinuari cum eodem medio, adeoque non cōstituere, nisi vnum peccatum tum in specie, tum in numero; atq; hæc videntur vim sumere ex *ijs*, quæ dicta sunt superius, dum de vnitate, & distinctione numerica peccatorum, quod scilicet peccata, quæ opere externo complentur, licet mente, & animo antea præmeditata non multiplicentur ex sola temporis dilatione, nisi actus, quo fuerunt præmeditata, fuerit per contrariam voluntatem, vel formalitèr, vel æquiualentèr reuocatus, & nouus positus. Cum igitur in præsenti hypothesi instrumenta fuerint sublata animo, & intentione furandi pecunias, & per consequens complendi furtum in opere externo, & ille animus per contrariam voluntatem

tatem

tatem non fuerit reuocatus, sequitur, quod plura non cōtrahantur peccata, sed vnum dumtaxat ratione continuationis eiusdem intentionis. Nihilominus alij probabilitèr sentiunt, quod duplex contrahatur peccatum propter diuersam iniuriam, quæ fit eidem Domino; nec obstat, quod vnum furtum subordinetur alteri, & quod vnum intelligatur cum altero continuatum ratione finis intenti, & non reuocati per contrariam voluntatem; Non obstat, inquiunt, non primum de subordinatione, quia, cum iniuria in vnoquoque compleatur in suo obiecto, illa subordinatio non tollit malitiam, quæ contrahitur in surreptione vnius; sic, si quis occideret Caium Socium indiuisum Francisci ex eo fine, vt possit occidere Franciscum, duplex certo in numero peccatum committeret, quamuis occisio Caij ordinaretur ad occisionem Francisci; nec valet dicere, quod in hoc casu inferatur iniuria duobus; in casu verò, de quo loquuntur isti DD., iniuria licet in diuersis rebus inferatur eidem; non, inquiunt, hoc valet dicere, quia supposito, quod subordinatio vnius ad alterum secundum se non tollat diuersitatem actuum, asserunt, quod non minus eadem diuersitas habeatur ex diuersitate personarum, contra quas fit iniuria, ac ex diuersitate obiectorum, per quæ eadem iniuria inuritur; Non secundum de continuatione medij cum fine ratione eiusdem intentionis perseuerantis, non retractatæ per contrariam voluntatem, quia respondent, hanc non sufficere ad tollendam diuersitatem numericam peccatorum, quæ consurgit ex diuersis læsionibus in se ipsis completis. Quod, si eisdem obijciatur, quod etiam intelligatur completa malitia in tactibus impudicis secundum se, quia tamen hi subordinantur ad copulam, & intenduntur in ordine ad eandem, ratione eiusdem subordinationis, & intentionis non compleant, nisi vnam malitiam in numero, ergo etiam &c. Statim respondent, quod, si huiusmodi tactus habeantur vno, & eodem contextu certè non constituant, nisi vnum peccatum in numero, quia sunt quodammodo actus incohati eiusdem copulæ, secus verò, si habeantur disiunctim ab eadem copula, & per aliquod considerabile tempus discontinuentur, quod idem seruata proportione dicunt de furto instrumentorum in ordine ad furtum pecuniarum.

12 Sententia docens esse duplex peccatū.

13 Conciliantur huiusmodi sententiæ.

Quid iam in hac controuersia concludendum? Sentio, vtramque opinionem esse probabilem, & posse sic conciliari, vt prima asserens esse vnum dumtaxat peccatum intelligenda sit, quando intentio ita perseuerat, vt nec formalitèr, nec æquiualentèr præsumatur reuocata; secunda verò, quando, etsi non formalitèr, saltem æquiualentèr intelligitur retractata. Prima pars innititur ijs rationibus, quibus antecedentèr probauimus peccata, quæ opere externo complentur, non multiplicari, quando animus, & intentio illa complendi non est retractata per contrariam voluntatem, & actiones, quæ intermediant, sunt in eodem ordine, & ordinantur ad illud opus externum complendum; nec obstat, quod actiones illæ intermediæ habeant in se malitiam, & in se ipsis compleantur; non obstat, inquam, quia etiam tactus impudici habent in se ipsis malitiam, & in se ipsis complentur, quia tamen ordinantur ad copulam, non nisi cum illa vnum peccatum constituunt. Secunda pars ex eo euincitur, quod retractata illa priori intentione renouantur actus, adeoque etiam multiplicantur peccata.

14 Quandonam intelligatur æquiualentèr retractata prior intētio.

Difficultas solummodo aliqua esse potest in explicando, quandonam æquiualentèr illa prior intentio intelligatur retractata? Ex aliquo solum temporis lapsu inter ablationem instrumentorum, & ablationem pecuniarum præcisè non intelligi priorem intentionem reuocatam, iam dictum est supra. Quamobrem dicerem, tunc intelligi æquiualentèr retractatam, quando cum diuturnitate temporis alia concurrunt adminicula, puta, quod illa instrumenta dimiserit, &, cum eisdem posset opportunè vti, vsus non fuerit, quod alias actiones ad finem aptas non intentarit, quod alijs distractus curis non amplius de furto pecuniarum cogitauerit, & similia.

§ VI.

De circunstantia modi importata per ly, *Quomodo*.

SVMMARIVM.

Modus, si variet speciem, est necessario in confessione explicandus. 1.

Seruato vase naturali, si maritus congrediatur cum vxore non seruato modo regularitèr non tenetur illum modum exprimere. 2.

Maritus incipiens copulam cum vxore sodomiticè, licet perficiat naturalitèr, tenetur modum, quo incæpit, exprimere. 3.

Concubitus cum bestia est eiusdem malitiæ siue fiat in vase naturali, siue in stercorario. 4.

Varij modi, quibus pollutio potest committi. 5.

Mo-

Modus, quo quis se ipsum polluit præcisè, non inducit diuersam malitiam. 6.
Nisi illa pollutio sit relata ad concubitum. 7.
Si pollutio facta sit cooperatione alterius est exprimenda circumstantia cooperationis. 8.
Non est tamen exprimenda circumstantia masculi, vel fœminæ cooperantium, si pollutio sistat in mera pollutione. 9.
Se polluens tactibus personæ professa tenetur illam circumstantiam exprimere. 10.
Diuersitas personarum quandoque variat speciem. 11.
Professus tenetur abstinere à quibuscumque actibus venereis. 12.
Si quis per vim fœminam virginem sodomiticè cognouerit tenetur circumstantiam vis illatæ explicare. 13.
Non tamen circumstantiam virginis, si illa fuerit consentiens. 14.
Nec in hoc consideratur iniuria parentum. 15.

MOdus, quo fuit commissum peccatum, est in confessione explicandus, si tamen importat peculiarem malitiam, & deformitatem ab illa, quam importat actus, si à tali modo præscinderet. Modus potest aliquando speciem variare, vt patet in rapina respectu simplicis furti, aliquando tantum augere malitiam intra eandem speciem, vt patet in eo, qui in actu fornicationis vtitur modis nimis, & inordinatè libidinosis. Modus peccandi primo modo sumptus est necessario in confessione explicandus, non sic modus secundo modo. Vt autem singillatim cognosci possit, quando variet speciem, & sit explicandus, & quando tantum adaugeat, & necessario non sit explicandus, deducendum est ex ijs, quæ diximus de diuersitate specifica peccatorum. Ad clarius tamen, & in particulari rem hanc dignoscendam per varios casus placet discurrere, ex quorum decisione alij similes possunt decidi.

1 Modus, si variet speciem est explicandus.

Primus casus est, an, si maritus seruato vase naturali variet modum concumbendi cum vxore, quatenus vxor sit succuba, & vir incubus, vel idem maritus præpostere accedat siue à latere, siue concumbat, vel stando, vel sedendo secluso periculo pollutionis extra vas, teneatur hunc modum in confessione exprimere. Hoc, quod quæritur de marito taliter concumbente cum vxore, quæritur etiam de Drudo fornicarie concumbente cum Amasia, vtrum scilicet teneatur non solum actum fornicationis in confessione exprimere, sed etiam modum, quo fornicatus est.

2 Maritus varians solummodo modum non tenetur illam exprimere.

Respondeo, nec maritum teneri illum modum exprimere, nec Drudum vltra fornicationem circunstantiam illam exponere. *D. Antoninus tertia part. tit. 1. c. 20. §. 3., Nauarrus in summa c. 16. n. 42., Sotus in 4. dist. 31. q. vnica art. 4. ad finem, Rebellus de oblig. iust. part. 2. lib. 3. punct. 19. n. 11., Auersa de matrim. q. 21. sect. 5., Sanchez de matrim. lib. 9. disp. 16. n. 3., Ioannes Angelus Bossius tract. de effect. matrim. c. 7. n. 168.*

Ratio ex eo deducitur, quia, nec maritus per illos modos peccat læthaliter, nec Drudus contrahit malitiam læthalem supra actum fornicationis, ergo neuter tenetur illos modos in confessione exprimere. Antecedens patet, quia illa variatio modi, & situs, qualitercunque accipiatur, iuxta modos expositos non est substantialis, nec quoad substantiam aduersatur fini generationis, ergo secundum se non inducit culpam læthalem. Antecedens patet, quia quicunque ex illis modis aptus est generationi, & licet sit tutior modus congrediendi naturalis ad effectum eiusdem generationis, non tenentur tamen coniuges sub onere læthalis adhibere modum tutiorem. Consequentia probatur, quia inter coniuges actus venerei non inducunt culpam læthalem, nisi quatenus, vel aduersantur fini generationis, vel quatenus fiunt cum periculo effusionis seminis extra vas fœmineum; &, licet inter alios à coniugibus huiusmodi actus venerei sint illiciti, & interdicti, ex quo tamen fiunt in ordine ad fornicationem, ad quam sunt dispositiones, constituunt vnicam malitiam cum eadem fornicatione. In hoc non amplius immoror, cum de eo fusè egerim *tom. 9. de effect. matrim. sub tit. Contractus XV. de matrimon. 7. prænot. 3. sect. 3. num. 2. per totum, vbi à contrarijs omnibus vindicaui.*

Ille modus non est substantialis.

Secundus casus est, an, si maritus coiturus cum propria vxore, vel Drudus cum Amasia ad magis se excitandos ad copulam ille coniugalem, iste fornicariam incipiant sodomiticè immittendo membrum in vas præposterum, & innaturale, & deinde complendo in vas naturale, teneantur exprimere vas sodomiticum inchoatum.

3 Maritus incipiens copulã sodomiticè, licet naturaliter perficiat, tenetur modum illum exprimere.

Respondeo, vtrique teneri exprimere. *Sanchez de matrim. lib. 9. disp. 17. n. 5., Ioannes Angelus Bossius tom. 3. var. mor. tit. 14. n. 69., & tract. de effect. matrim. c. 7. n. 174., Bonacina de matrim. q. 4. punct. 11. n. 12., Basilius Pontius lib. 10. c. 11. n. 5., Fagundez in Decal. lib. 6. c. 13. n. 18.*

Ratio ex eo deducitur, quod illa immissio membri virilis in vas præposterum fœminæ est secundum se actus sodomiticus inchoatus, maximè inordinatus contra naturam, & improportionatus generationi, ergo erit peccatum graue inter coniuges, & inter alios non coniuges peccatum distinctum à simplici fornicatione, ideoque

Modus ille est improportionatus fini generationis.

in confessione exprimendum. Confirmatur, quia nemine disceptante actus sodomiticus est peccatum specie distinctum à simplici pollutione, quantumuis vtrumque sit peccatum contra naturam, sed in alio non distinguitur actus sodomiticus ab eadem simplici pollutione, nisi in illa immissione, cum hæc sit solummodo emissio seminis extra vas, illa emissio eiusdem per immissionem membri in vas præposterum, ergo &c.

A natura est prohibitus.

Dices primò, illam immissionem membri non excedere limites puri tactus impudici, sicuti non excedit limites eiusdem immissio membri inter mamillas, inter crura, vel fortè etiam in os fæminæ; tactus autem impudici inter coniuges non sunt peccaminosi læthaliter, & inter alios non contrahunt diuersam noxam ab ea, quam habet actus vltimus nempè fornicationis. Sed contra; Ille modus per illam immissionem in vas præposterum adeo exosus est naturæ, vt merito in illa omnes cognoscant specialem deformitatem distinctam à specialibus tactibus impudicis, præcipuè cum isti saltem remotè possunt esse ordinati ad generationem, non sic illa immissio, cum potius a natura sit prohibita.

Dices secundò, sodomiticum actum non distingui à simplici pollutione per illam membri immissionem præcisè, sed per seminationem in vase præpostero, ideoque illa immissio non potest habere malitiam actus sodomitici. Sed contra, quamuis non habeat rationem completam actus sodomitici, habet tamen rationem eiusdem inchoatam, quæ propterea habet specialem quandam deformitatem specificatam à turpi illo modo, & naturæ exoso, quæ deformitas est reducibilis ad speciem sodomiæ, licet non ita propriè. Deindè præscindendo ab illa immissione membri quæcunque pollutio non haberet vim, & rationem actus sodomitici, ergo illa immissio est quodamodo specificatiuum eiusdem. Vide, quæ diximus *d. tom. 9. de effect. matrim. sub tit. Contractus XV. de matrim. 7. prænot. 3. sect. 3. n. 12.* vbi etiam definitur, an præficatio membri virilis circa vas præposterum vxoris sit, necne culpa læthalis.

Est actus sodomiticus inchoatus.

Tertius casus est, an concubitus cum bestia, in quo consistit crimen bestialitatis, sit eiusdem speciei, siue fiat in vase naturali eiusdem bestiæ, siue in vase stercorario.

Respondeo, illum concubitum cum bestia esse eiusdem speciei, quocunque modo fiat, siue in vase naturali, siue in stercorario. *Caietanus secunda secundæ q. 154. art. 11. dub. 3., Sairus lib. 8. clauis c. 5. n. 18., Azorius Instit. mor. part. 3. lib. 3. c. 22., Bonacina de matrim. q. 4. punct. 12. n. 4., Ioannes Angelus Bossius part. 3. de effect. matrim. tit. 11. §. 3. n. 72.* Ratio ea esse potest, quod quodcunque vas adhibeatur bestiæ in ordine ad congressum hominis cum illa, non est diuersitas, nisi materialis, & in ordine naturæ, non autem formalis, & in genere moris, adeoque semper præfert eandem deformitatem moralem consistentem in eo, quod homo in crimine luxuriæ vtatur re diuersæ speciei, à qua natura abhorret. Ex quibus inferas, nec etiam diuersificari huiusmodi peccatum, siue bestia, qua abutitur homo, fuerit masculus, siue fæmina; neutrum enim vas bestiæ est ordinatum à natura ad hominis generationem.

4 Concubitus cū bestia est eiusdem rationis siue fiat in vase naturali, siue in stercorario.

Quartus casus est, an in confessione sint explicandi modi, quibus pollutio commissa est. Pro cuius casus resolutione aduerte, pollutionem aliquando committi ab vna persona, siue fuerit masculus, siue fæmina se ipsam prouocante ad talem actum, aliquando à duobus siue masculis, siue fæminis, siue vno masculo, altero fæmina. Porro, quando committitur à duobus, seu ab vno cum auxilio alterius, vel pollutio sequitur attractatione manuum, vel tangendo partes corporis alterius, quæcunque illæ sint.

5 Varij modi, quibus pollutio potest cōmitti.

Respondeo primò, si pollutio commissa fuerit ab vno tantum se ipsum prouocante ad talem actum, quomodocunque se prouocauerit præcisa intentione relata ad concubitum cum alia persona, non est necesse in confessione explicare modum, quo commissa est *Caietanus secunda secundæ q. 154. art. 11. dub. 2., Reginaldus lib. 22. n. 48., Oviedus prima secundæ tract. 6. contract. 3. p. 3. n. 57., Ioannes Angelus Bossius part. 3. de effect. matrim. tit. 11. n. 59.* Ratio ex eo deducitur, quod quicunque modus adhibeatur in simplici pollutione ab eadem persona se ipsam prouocante non variat speciem eiusdem pollutionis, quantumuis ille modus esset excessiuè libidinosus, ergo ex necessitate non est in confessione exprimendus, siquidem ex præactis solum circunstantiæ mutantes speciem debent ex necessitate exprimi. Antecedens probatur, quia per quemcunque ex illis modis, qui per se solum ordinantur ad illam mollitiem non excitatur, nisi maior quædam libido ad maiorem voluptatem captandam ex illo actu; maior autem, & minor libido, quando non opponitur diuerso obiecto secundum diuersam in specie rationem formalem, non inducit diuersam in specie malitiam.

6 Quocūque modo, quo quis se ipsum polluit, non cōtrahitur diuersa speciei malitia.

7 Nisi sit relata ad concubitū.

Respondeo secundò, si pollutio commissa fuerit cooperatione alterius siue masculi, siue fæminæ necessario in confessio-

fessione est explicanda circumstantia cooperationis alterius *Reginaldus lib. 22. n. 48., & seqq., Ouiedus prima secundæ tract. 6. contron. 5. p. 3. n. 57., Diana part. 1. tract. 7. resol. 52., Ioannes Angelus Bossius part. 3. de effect. matrim. tit. 11. n. 59.* Ratio est, quia in ea hypothesi patiens pollutionem opera alterius non solum peccat in se ipso, sed etiam est causa peccati alterius cooperantis; quinimmo, si illum induxerit ad cooperandum, videtur contrahere diuersam in specie malitiam, eo quia illa inductio est contra charitatem, ergo tenetur illam circunstantiam cooperationis in confessione aperire; nam iuxta primum modum cooperationis simpliciter multiplicatur peccatum in numero; iuxta secundum modum inductionis multiplicatur in specie.

8 Si facta sit cooperatione alterius exprimenda est circunstantia cooperationis.

Respondeo tertiò. Si pollutio commissa fuerit cooperatione alterius, siue fuerit masculus, siue fœmina, si præscindas ab intentione cum illa committendi actum sodomiticum, vel fornicarium, non est necesse explicare in confessione, an cooperatio facta fuerit manibus cooperantis, vel tactu aliarum eiusdem partium pudendarum, vel supercumbendo super alio masculo, vel super alia fæmina, sed sufficit dicere *Pollutus sum tangendo alterum impudicè. Ioannes Angelus Bossius de effect. matrim. tit. 11. n. 59.*; qui testatur de magis communi, *Diana part. 1. tract. 7. resol. 52.* Ratio est, quia quicunque ex illis modis adhibeatur, licet inducat maiorem libidinem, & fæditatem in actu, nunquam tamen infert diuersitatem specificam; nunquam enim illa pollutio sic procurata egreditur limites, & speciem simplicis pollutionis, licet grauatæ ratione illius circunstantiæ; vbi autem non est diuersitas specifica in actu, sed tantum maior grauitas, non est necessitas specificationis in confessione; Nec in hoc consideranda est, an persona cooperans fuerit masculus, siue fæmina, quia illa qualitas in ordine ad peccatum merè materialitèr se habet, nec moralitèr diuersificat.

9 Non est tamen exprimenda circunstantia masculi, vel fœminæ, si sistat in mera pollutione.

Quintus casus est, an, si quis se polluat tangendo personam professam, vel in sacris constitutam, teneatur explicare in confessione hanc circunstantiam. *Hieronymus Llamas in summa part. 3. c. 8. §. 16. quem secutus est Ioannes Caramuel in comment. ad reg. Sancti Benedicti*, absolutè sustinet, sic se polluentem non teneri in confessione exprimere conditionem personæ professæ, vel in sacris constitutæ, cuius tactibus pollutus est, quinimmo, nec ipsam personam sacram, si ipsa polluta non est, teneri sui circunstantiam aperire. Rationem ex eo adducit, quia in hac hypothesi ipsa persona sacra violata non est, cum non violetur, nisi per propriam pollutionem. His tamen non obstantibus

10 Excipe, nisi illa persona cuius tactibus polluitur fuerit professa.

Respondeo; sic se polluentem tactibus personæ professæ, vel in sacris constitutæ teneri circunstantiam illius personæ in confessione explicare. *Diana d. part. 1. tract. 7. resol. 53.*, vbi dicit hoc verum esse, nullam tamen rationem adducit, *Trullench lib. 6. c. 1. dub. 8. §. 1. n. 2. in fin., Ioannes Angelus Bossius part. 3. de effect. matrim. tit. 11. n. 62.* Ratio ex eo deducitur, quod, sicuti formales concubitus specificantur à diuersitate personarum, cum quibus habentur, vt, si habeatur cum consanguinea, contrahat speciem incæstus, si cum coniugata speciem adulterij, si cum persona Deo sacra speciem sacrilegij, ita tactus venerei, & impudici speciem malitiæ trahunt ab eisdem personis diuersis, vt statuunt *Sanchez de matrimon. lib. 9. disp. 46. n. 18., Salas secunda secundæ tom. 13. tract. 12., Lessius de iust. lib. 4. c. 3. n. 52., Reginaldus lib. 22. n. 5. vers. tertia propositio, Bonacina de matrim. q. 4. punct. 9. n. 2. vers. dixi, & n. 3.*, ergo, si huiusmodi pollutio habita fuerit tactibus personæ sacræ, contrahit malitiam sacrilegij &c. Neque dicas, huiusmodi tactus venereos, & impudicos contrahere ad summum malitiam in eadem specie, in qua est actus consummatus cum illis personis, quando ordinantur ad ipsum actum consummatum, quia tunc trahunt in se malitiam finis, ad quem ordinantur, non autem quando non ordinantur ad illum, sed intenduntur propter se ipsos, & delectationem, quæ ex illis præcisè consequitur; contra enim impugnaberis, quia, vt benè notat *Ioannes Angelus Bossius de effect. matrim. part. 3. tit. 11. n. 62.* ex cum eo *Sanchez de matrim. lib. 9. disp. 46.*, quamuis huiusmodi tactus non ordinarentur ex intentione illis vtentis ad concubitum, adhuc tamen, cum ex natura sua, & intrinsecè sint præambula ad eundem, & secundum se dispositiones ad illum, illius malitiam, seu speciem malitiæ eiusdem contrahunt, potissimum cum natura consimilem delectationem eisdem indiderit, quam indidit ipsi actui perfecto.

11 Diuersitas personarũ quandoque variat speciem.

Vlterius responsio sic euincitur. Persona, quæ se Deo sacrauit, vel per solemne votum expressum castitatis in Professione Religiosa, vel per tacitum in susceptione sacrorum ordinum non solum in honorem Dei se abdicauit à quocunque actu perfecto luxuriæ, sed etiam à quibuscunque actibus venereis, & impudicis, & non solum in se ipsa, sed etiam in cooperatione cum alijs, ergo non solum per actum consummatum, sed etiam per huiusmodi actus impudicos, quos patitur, contrahet diuer-

12 Persona professa à se abdicauit quoscũque actus venereos.

diuersam in specie malitiam, ergo etiam alia persona, quæ ipsam tangendo se polluit diuersam malitiam contrahet, vtpotè lædens personam Deo dicatam in huiusmodi tactibus. Neque obstant ea, quæ pro aduersa parte afferebantur, quod scilicet persona Deo sacrà non violetur, nisi per propriam pollutionem; Non obstant, inquam, quia illa persona non est dicata solum Deo per abdicationem actuum perfectorum, & consummatorum, sed etiam quoad omnes actus venereos, vnde ius Dei per illos omnes violatur, & læditur, & per consequens contrahitur malitia specie diuersa vtique in confessione aperienda.

Sextus casus est, an, si quis actum sodomiticum perfectum habuerit cum fæmina virgine teneatur circunstantiam virginitatis fæminæ, cum qua concubuit; exprimere. Affirmant *Lessius de inst. lib. 4. c. 3. n. 90.*, *Sairus lib. 8. clauis c. 5. n. 20.*, *Chiapeuille de cas. reseru. part. 2. cas. 15. q. 1. vers. dubitatur hoc loco*, vel quia in illo concubitu sodomitico cognoscunt quandam speciem stupri, vel offensionem, vel injuriam aliquam parentum. In hoc distinguendum est, vel enim fæmina illa virgo passa est huiusmodi actum per vim, an verò consentiens.

13 Opprimens sodomiticè per vim fæminam virginem tenetur circunstantiam vis exprimere.

Respondeo. Si per vim passa est illum coitum, vtique ille, qui vim contulit, tenetur illam circunstantiam aperire, secus verò, si fæmina fuerit consentiens. Prima pars non videtur pati difficultatem, cum ille actus non solum sit contra castitatem, sed etiam contra iustitiam, ideoque induit duplicem in specie malitiam. Secunda pars est *Azorij part. 3. lib. 3. c. 20. q. 1.*, *Filliutij tom. 2. tract. 30. c. 8. n. 164.*, *Bonacinæ d. q. 4. punct. 11. n. 9.*, *Trullench in Decal. lib. 6. c. 1. dub. 8. §. 2. n. 3.* quæ sic

14 Non tamen circunstantiam virginis, si illa fuerit consentiens.

Probatur, quia malitia illa diuersa à malitia simplicis sodomiæ, non consurgit, nec ratione stupri, nec ratione iniuriæ illatæ parentibus fæminæ: Non ratione stupri, quia in illo actu non potest considerari defloratio virginis, cum eius integritas inuiolata permaneat, &, sicuti actus sodomiticus commissus cum masculo, quantumuis hic fuerit virgo, non habet aliam malitiam ab ea, quam importat actus sodomiticus, ita, nec commissus cum fæmina virgine, cum huiusmodi actus sit eiusdem speciei, siue cum vno, siue cum altero committatur, & in fæmina non importet fractionem claustri virginalis;

15 Nec in hoc consideratur iniuria parentũ.

Non ratione iniuriæ illatæ parentibus, quia (preter quam quod secundum aliquos etiam fornicatio commissa cum virgine consentiente non inducit malitiam diuersam, non attenta eorundem parentum iniuria, ideoque multo minus actus sodomiticus cum eadem, cum non importet illa incommoda, quæ importat fornicatio, quantum ad læsionem eorundem parentum) non ex quacunque parentum læsione oritur diuersa malitia, sed ex illa tantum, per quam virgo redditur minus habilis ad matrimonium; non redditur autem per actum sodomiticum minus habilis ad matrimonium, sicuti per actum fornicarium.

---

§. VII.

Explicatur circunstantia temporis importata per ly, *Quando*.

SVMMARIVM.

Circunstantia temporis tripliciter potest considerari, & quomodo. 1.

An peccata carnalia commissa die Iouis Sancti vel alio festo sint exprimenda cum tali circunstantia. 2.

Talis circunstantia non est ex necessitate exprimenda. 3.

Statuta Cartusiensium prohibentia celebrationem Missæ post pollutionem nocturnam inuoluntariam reputantur rigida. 4.

Opus seruile exercitum extra diem festum ante communionem non est peccaminosum. 5.

Accessus mariti ad vxorem menstruatam non est grauiter peccaminosus. 6.

1 Qualiter sumi possit hæc circunstantia.

Hæc circunstantia tripliciter potest sumi; primò, prout importat actionem continuatam per aliquod tempus; quæ actio, si sit peccaminosa, per illam sit temporis continuationem non variatur in specie, nec multiplicatur in numero, vt supra diximus; secundò, prout importat opus exercitum pro aliquo determinato tempore, pro quo nulla est prohibitio specialis talis operis, quamuis hoc sit in se speciali iure prohibitum, & sic etiam hæc circunstantia non mutat speciem, vt cum quis furatur, vel fornicatur in die festo; tertiò, prout importat aliquam temporis differentiam, pro quo opus speciali iure intelligitur prohibitum, & tunc est aperienda talis circunstantia, sic teneretur confiteri, qui sacrum celebraret post prandium. Circa hæc nonnullæ insurgunt dubitationes, quas celeri calamo expendo, & diluo.

Prima est, an qui peccatum carnale commisit in die Iouis Sancti, vel in die communionis teneatur exprimere circunstantiam Iouis Sancti, vel communionis.

V. D. Tho-

2 An peccata læthalia carnalia commissa in die festo sint exprimẽda cũ hac circunstantia.

D. Thomas in tertia parte, videtur asserere, etiam pollutionem inuoluntariam, seu nocturnam habitam nocte, vel manè precedenti communionem ipsam impedire, eo quia conturbet spiritus, commoueat humores, & fędet corpus, quæ videntur esse contra reuerentiam Sacramento debitam, ex quibus à fortiori videtur inferendum, impedire voluntariam pollutionem, vel copulam, adeoque, si communio sit ea die habenda, talem circunstantiam aperiendam esse in confessione.

3 Talis circunstantia non est ex necessitate exprimẽda.

Respondeo tamen, talem circunstantiam non esse ex necessitate, & ratione sui aperiendam, sed ad summum ex consilio, & ratione communionis secuturæ, vt per illum actum humilitatis, & erubescentiæ compensetur illa spirituum commotio, & tepor spiritus. Ratio est, quia, nec ratione sui, nec ratione alicuius præcepti, nec ratione Sacramenti Eucharistiæ intelligitur inducta aliqua distincta malitia intuitu illius diei, intuitu cuius oriatur obligatio illam circunstantiam manifestandi; non ratione sui, quia talis actus per illum diem non extrahitur à ratione propria, & specifica simplicis pollutionis, vel copulæ; Non ratione alicuius pręcepti, cum de hoc nullibi constet; non ratione Sacramenti Eucharistiæ, quia, si quid obstaret ratione, & intuitu eiusdem, maximè esset, illa commotio humorum, & tepor spiritus causata, seu causatus ab eadem pollutione, vel copula; hoc autem non videtur obstare; cum illa non sint peccaminosa læthalitèr, quinimmo effectus actus, qui non est peccaminosus, nam, si proueniant à copula coniugali, vel à pollutione nocturna, proueniunt à causa licita, vel saltem non peccaminosa; si verò proueniant à pollutione voluntaria, & copula fornicaria, quamuis causa, ex qua prouenit illa commotio humorum, & tepor spiritus, sit grauitèr peccaminosa, non tamen ipsa commotio, & tepor; vnde satis erit in confessione exprimere culpam actus. Deinde illa commotio, & tepor spiritus potest compensari per maiorem deuotionem, humilitatem etiam extra Sacramentum exercitam; vnde docent recentiores communitèr, quod, quamuis laudabilia sint *Cartusiensium statuta part. 1. c. 43.*, sint tamen nimis rigida, vbi noctè etiam citra omnem culpam pollutus prohibetur manè celebrare. Ex quibus inferre poteris, quid respondeas ad ea, quæ ex D. Thoma superius innuebantur; dic etenim, ea esse ex consilio, non ex præcepto, vel necessitate.

4 Statuta Cartusiẽsium in hoc nimis ardua.

Secunda est, an opus seruile exercitum ante sumptionem Eucharistiæ habendæ vel ex deuotione, vel ex voto, non in die festo, sit ex necessitate in confessione aperiendum, vt dignè possit sumi eadem Eucharistia?

5 Opus seruile extra diem festũ exercitũ ante communionem non est peccaminosum.

Respondeo negatiuè. Ratio est, quia nullibi reperitur vetitum opus seruile ante communionem præcisè, sed tantum ratione diei festi, ad quod solummodo, cum restringatur præceptum, non debemus vlterius illud extendere; laudabile tamen foret, & maximè commendabile ab huiusmodi operibus abstinere, vt posset communicaturus se pijs operibus, & animum virtutibus ad digniorem tanti Sacramenti sumptionem præparare.

Tertia est, an accessus mariti per coniugalem concubitum ad vxorem tempore menstrui sit peccatum necessario in confessione aperiendum.

6 Concubitus mariti cũ vxore menstruata non est grauitèr peccaminosus.

Respondeo negatiuè. In hoc conueniunt communitèr, dum dicunt talem accessum, quamuis præferat pro tali tempore quandam inhonestatem, & turpitudinem naturalem, non esse læthalem *Petrus Ledesma q. 64. art. 1. dub. 3.*, *Henriquez lib. 11. c. 15. n. 7.*, *Sanchez lib. 9. disp. 21. n. 5.* Hoc etiam nos latè firmauimus *tom. 9. de effect. matrim. sub tit. Contractus XV. de matrim. 7. prænot. 3. sect. 2. n. 27.*, vbi statuimus non esse noxam læthalem sic accedere, & à contrarijs omnibus vindicauimus. Quibus suppositis sic nostram firmamus responsionem. Peccata venialia non sunt ex necessitate confessioni subijcienda, cum non sint materia necessaria iuxta communem DD. sententiam, sed in illo congressu ad summum reperitur turpitudo, & inhonestas venialis; ergò illa non est ex necessitate in confessione aperienda.

ARTICULUS XVII.

An peccata contra naturam sint necessario distinctè in confessione aperienda?

SVMMARIVM.

Referuntur genera peccatorum, quæ dicuntur contra naturam. 1.
Opinio Caramuelis constituentis hæc omnia in eadem specie infima. 2.
Rationes eiusdem Caramuelis. 3.
Opinio, & rationes Filliucij. 4.
Mollities, sodomia, & bestialitas inter se differunt specie. 5.
Maior est deformitas in actu sodomitico, ac sit in adulterio, & incæstu, & maior in adulterio, & incæstu, ac sit in simplici pollutione. 6.
Mollities in ordine ad adulterium, & incæstum potest dupliciter considerari, & quomodo. 7.

Expli-

Explicatur ordo, quo natura media ordinauit ad finem, ex quo peccata luxuriæ diuersificantur. 8.
Huiusmodi peccata priuant bonis specie diuersis. 9.
Diuersitas specifica euincitur ex varijs execrationibus, & pænis contra huiusmodi peccata. 10.
Satisfit rationibus Caramuelis. 11.
Opinio eiusdem est error in Theologia. 12.
Ostenditur D. Thomam non suffragari eiusdem Caramuelis opinioni. 13.
Eluditur eius argumentum deductum à diuerso bonorum genere. 14.
Soluuntur rationes Filliutij. 15.

1 **Genera peccatorum contra naturam recensentur.**

TRia genera peccatorum contra naturam in materia luxuriæ communitèr cognoscunt DD., mollitiem scilicet, sodomiam, & bestialitatem, licet aliqui in sodomia duo genera subalterna distinguant, alterum, quo duo eiusdem sexus adinuicem commiscentur, masculus cum masculo, & fæmina cum fæmina, alterum, quo duo diuersi sexus congrediuntur, sed non in vase naturali. Alij aliud genus peccati contra naturam agnoscunt, quando scilicet, licet seruetur substantia in concubitu, non seruatur modus, vt, si auersè fiat, vel succumbente viro &c., sed, cum in hoc non reperiatur diuersitas substantialis, sed dumtaxat in modo, dicerem esse potius præter naturam, quam contra naturam. Retentis hic tribus peccatorum generibus primo recensitis inquirimus, an illa sint distinctè in confessione aperienda, adeout pænitens teneatur dicere *Pollutus sum*, si solummodo voluntariè se polluerit, vel *sodomiam commisi*, si cum alio eiusdem sexus concubuerit, vel *bestialitatem*, si cum bestia coierit; an verò sufficiat, si dicat. *Voluntariè pollutus sum*, quocunque ex illis generibus peccauerit.

2 **Quid senserit Caramuel circa hæc peccata.**

Caramuel comment. in reg. D. Benedicti n. 983., *& in Theol. mor. n.* 1607. absolutè asserit, hæc omnia peccata eiusdem esse speciei infimæ, & propterea non esse ex necessitate distinctè in confessione aperienda, sed sufficere, si dicatur *voluntariè pollutus sum*. Placet eius verba ad literam recensere, vt magis eius mens elucescat; dicit igitur. *Mollities, Sodomia, Bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ, adeoque nemo tenetur in confessione exponere, vtro ex his modis peccauerit; sed sufficiet dicere, procurauisse pollutionem. Est sententia expressa D. Thomæ; illam defendunt Auctores in meo comment. in regula D. Bened. citati; & tam clara videtur, vt contraria videatur error in Phylosophia. Ostenditur. Ideo furari argentum, & furari armenta non sunt peccata distincta specie, quia tametsi animales, & metalla specie, aut plusquam specie distinguantur, in his duobus furtis non dantur duæ malitiæ specie distinctæ, sed tota specifica illa distinctio se tenet ex parte materiæ. Non aliter in peccatis contranaturalibus Phylosophor.; ideo sunt mala, & interdicta, quia in abusu consistunt, & semen extra vas naturale deciditur; atque hoc eodem modo reperitur in mollitie, bestialitate, & sodomia, ergo sunt peccata eiusdem speciei; omnia enim sunt puræ pollutiones, quæ diuersimodè procurantur, nam, sicuti mollities manuum tactibus procurata non distinguitur specie à procurata tactu vestium, tametsi manus, & vestes specie distinguantur, sic nec procurata cuiuscunque corporis partis contactu cuiuscunque animalis, cuiuscunque materiæ; vniuersarum enim harum immunditiarum malitia in hoc solum formalitèr consistit, quod semen extra vas naturale effundatur.* Itá ille.

3 **Rationes eiusdē Caramuelis.**

4 **Opinio, & rationes Filliutij.**

Ante eundem Caramuellem hoc idem docuerunt *Filliutius tom.* 2. *tract.* 30. *c.* 8. *n.* 141., *Diana part.* 4. *tract.* 4. *de Sacram. resol.* 159., sed sub terminis præcisè probabilitatis, quinimmò *Diana loc. cit.* contrariam sententiam dicit probabiliorem. Rationes, quibus innititur Filliutius sunt huiusmodi: Prima, quia in tribus illis modis vna, & eadem videtur malitia exercendi actum venereum, ex quo non possit sequi generatio, & diuersitas modi est tantum accidentalis. Secunda, quia, si ex illa modi diuersitate argueretur diuersitas specifica peccatorum, plures aliæ species peccatorum in materia luxuriæ possent distingui, quas auctores non nouerunt, nec communitèr sunt receptæ; ita, si ex eo, quod non seruetur vas debitum constituitur species diuersa, cur non constituitur alia species ex eo, quod non in vase præpostero, sed inter crura, inter mamillas, inter toros bracchiorum, vel fortè etiam in ore sequatur pollutio? Si ex eo, quod non seruetur debitus sexus in actu sodomitico noua species inducitur, cur etiam non inducitur ex eo, quod quis abutatur persona indebiti sexus in pollutione cum tactibus impudicis? Tertiò, quia hæc videtur expressa mens *D. Thomæ secunda secundæ q.* 154. *art.* 11. qui ponit vitium contra naturam, tanquam determinatam speciem nullam faciens mentionem de diuersitate specifica. His tamen non obstantibus sit

5 **Mollities, sodomia, & bestialitas inter se differunt specie.**

Conclusio. Tria recensita peccata contra naturam mollitiei, sodomiæ, & bestialitatis specie inter se differunt, & ideò specificè sunt in confessione aperienda. *Caietanus secunda secundæ q.* 154. *art.* 11. *dub.* 1., *Valentia tom.* 3. *disp.* 9. *q.* 3. *punct.* 3. *vers. peccatum contra naturam*, *Azorius Instit. mor. part.* 3. *lib.* 3. *c.* 17. *q.* 1., *Lessius*

de iust. lib. 4. c. 3. dub. 13. n. 90., *Bonacina de matrim. q. 4. punct. 11. n. 1.*, *Ouiedus prima secundæ tract. 6. contr. 5. punct. 3. n. 54.*, *Sairus lib. 8. clauis c. 5. n. 5., 16., & seqq.*, *D. Antoninus part. 2. tit. 5. c. 4.*, *Lopez in instruct. part. 1. c. 7.*, *Siluester verb. Luxuria q. 1. vers. vitium verò contra naturam*, *Toletus lib. 5. c. 13. num. 1.*, *Villalobos part. 2. tract. 40. diffic. 15. num. 2.*, vbi testatur, ita omnes sentire.

6 Maior est deformitas in actu sodomitico, ac sit in adulterio, & incæstu.

Probatur primò; maior est diuersitas, & deformitas in actu sodomitico, ac sit in adulterio, & incæstu, respectu quorum non est maior deformitas in simplici mollitie, ergo, si actus sodomiticus differt specie ab adulterio, & incæstu, à fortiori differet specie à simplici mollitie. Antecedens probatur *ex D. Augustino de adulter. coniug.* relato *in c. adulterij 12. q. 7.*, *& lib. 1. contra Iouinianum* relato *in c. vsus naturalis ead. caus.*, *& quast.* Consequentia probatur, quia, si in deformitate morali magis differt ab adulterio, & incæstu, quorum maior est deformitas, ac sit in simplici pollutione, si ab illis differt specie, à fortiori debet ab ista differre eadem specie.

Dices, verum non esse, quod maior sit deformitas in adulterio, & incæstu, ac sit in simplici pollutione, quod euincitur ex *D. Thoma secunda secundæ q. 154. art. 11.*, vbi asserit omnia peccata contra naturam esse grauiora cæteris omnibus peccatis luxuriæ, quæ fiunt secundum naturam, hoc est fornicatione, adulterio, & incæstu &c. & inter cætera peccata contra naturam numeratur etiam mollities, ergo ex auctoritate D. Thomæ asserentis actum sodomiticum esse grauiorem adulterio, & incæstu non benè euincitur, quod ipse actus sit diuersus in specie à simplici mollitie, cum tam sodomia, quam pollutio excedant in grauitate morali ipsum adulterium, & incæstum. Sed contra; Ipsa mollities potest dupliciter comparari ad adulterium, & incæstum, vel quatenus hoc vtrumque continetur sub genere luxuriæ, & opponitur præcisè virtuti castitatis, vel quatenus refertur ad eadem absolutè considerata, secundum, quod præter malitiam luxuriæ important etiam aliam malitiam, vel oppositam iustitiæ, vel pietati, vel etiam Religioni; iuxta primum sensum vtique mollities continet maiorem grauitatem, ac contineat adulterium, & incæstus; non tamen iuxta secundum sensum, prout rectè notarunt *Lessius de iust. lib. 4. c. 3. dub. 13. n. 95.*, *Llamas part. 3. methodi c. 8. §. 20.*, *Abulensis in c. 5. Matthæi q. 214. vers. dicendum*. Quando igitur D. Thomas dicit sodomiam esse grauiorem malitia adulterij, & incæstus, comparat eandem sodomiam ad illa peccata secundum suas species considerata; secundum quas, si illa superat in deformitate specifica, debet etiam superare in eadem simplicem pollutionem, quæ comparata ad species adulterij minor est eisdem in grauitate.

7 Mollities in ordine ad adulterium, & incæstum potest dupliciter considerari, & quomodo.

Probatur secundò. Natura ordinauit omnem actum venereum ad finem generationis prolis; vnde quicunque actus est oppositus tali fini, est contra dispositionem, & ordinationem eiusdem naturæ, adeoque peccatum contra naturam: Rursus instituit ordinem, & media ordinauit ad talem finem, contra quæ qui delinquit, etiam peccat contra naturam; ordo autem, & media ordinatus, seu ordinata ab ipsa natura hic, seu hæc sunt; primò, vt sit coniunctio duorum; secundò, vt isti sint eiusdem naturæ, nam cæteroqui non sequi potest generatio; tertiò, vt in eadem natura sint sexus diuersi; quartò, vt sint organa congrua; defectu primi est contra naturam mollities, quæ in vno tantum consequitur vel ope sui ipsius, vel cooperatione alterius sine tamen coniunctione, seu commixtione; defectu secundi est contra naturam bestialitas, quæ est cum coniunctione alterius diuersæ speciei, & hæc etiam est peccatum contra naturam abhominabilius peccato mollitiei; defectu tertij consurgit sodomia, quæ committitur inter duos eiusdem sexus per coniunctionem scilicet masculi cum masculo, vel fæminæ cum fæmina, quæ etiam est contra naturam, cum repugnet fini eiusdem generationis; defectu tertij consurgit etiam sodomia, sed minus perfecta, & est congressus masculi cum fæmina, sed non seruato vase naturali, quæ etiam est contra naturam, cum sit opposita generationi. Quibus suppositis, quæ sunt extra controuersiam, sic argumentor ad rem nostram. Quicunque ex his defectibus est grauitèr peccaminosus in se ipso, & vnus diuersus moralitèr ab altero, nec vnus alteri subordinatus, ergo constituit peccata specie diuersa. Antecedens quoad primam partem patet, quia quilibet ex his defectibus est contra finem generationis intentum à natura; Quoad secundam, in qua maior, & tota est difficultas, sic euincitur primò, quia primus defectus consistit in negatione coniunctionis duorum in actu venereo; secundus est coniunctio quidem duorum in diuersa natura; tertius coniunctio quidem duorum in eadem specie, sed non in diuerso sexu; quartus, quidem in eadem natura, & diuerso sexu, sed in vase indebito; sed isti defectus adinuicem comparati non solum Physicè sunt diuersi, sed etiam moralitèr, ergo &c. Minor probatur, quia diuersitas moralis peccatorum

8 Explicatur ordo quo natura media ordinauit ad finem.

non

non solum desumitur per oppositionem ad diuersam in specie virtutem, sed etiã secundum diuersum modum, quo actus opponuntur eidem virtuti per dissonantiam ad rectam rationem, sed recitati defectus habent diuersum modum, & diuersam dissonantiam à recta ratione, & natura rationali; negatio etenim coniunctionis inter duos, & coniunctio duorum, sed in diuersa specie, & item coniunctio duorum in eadem specie, & non in debito, & diuerso sexu, in quibus negatione, & coniunctione consistit malitia moralis, sunt diuersa in specie, vt per se patet, ergo &c.

Secundò eadem minor probatur. Priuationes diuersorum in specie bonorum sunt peccata in specie diuersa, quamuis sint contra eandem in specie virtutem, sed recensiti defectus priuant naturam diuersis in specie bonis, ergo sunt peccata in specie diuersa. Maior probatur priuatio respectu vnius, & eiusdem quoad bona fortunæ, & priuatio quoad bona famæ, & honoris, & priuatio quoad bona corporis, quamuis opponantur eidem in specie virtuti iustitiæ sunt peccata specie diuersa, ergo &c. Minor etiam probatur, quia defectus, qui habetur in simplici mollitie priuat bono coniunctionis intẽta à natura inter duos ad finem generationis; sodomia priuat bono coniunctionis inter masculum, & fæminam, si sit inter duos eiusdem sexus, & per consequens proportionis inter duo media naturalia, si verò sit inter duos diuersi sexus priuat bono coniunctionis proximorũ principiorum eiusdem generationis; defectus verò inter duos diuersæ speciei, in quo consistit bestialitas priuat identitate specificæ personarum, quæ omnia bona adinuicem comparata sunt specie diuersa.

9 Huiusmodi peccata priuãt bonis specie diuersis.

Probatur tertiò, conclusio ex varijs execrationibus, & pænis, quibus notantur tum in Sacra Scriptura; tum in Sacris Canonibus, tum in iuribus siue Ecclesiasticis, siue ciuilibus sodomitę, & non molles, quæ certè indicant non meram grauitatem gradualem, sed diuersitatem specificam inter eosdem. De sodomitis legitur *Genes. 19. Delebimus locum istum, eo quia increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, vt perdamuę illos, igitur Dominus pluet super Sodomam, & Gommorham sulphur, & ignem, & subuertet Ciuitates has, & omnem circa regionem*. Rursus *Leuit. 20. Qui dormierit cum masculo coitu fæmineo, vterque operatus est nefas, morte morietur, sit sanguis eorum super eos*. Hæc, & similia, quæ dicuntur in sacris paginis de sodomitis, dicuntur etiam de bestialibus *Leuit. 20. Qui cum iumento, & pecore coierit morte morietur, pecus quoque occidite*, & ibid. *c. 20. Mulier, quæ succubuerit cuilibet iumento simul interficiatur cum eo, & sanguis eorum sit super eos;* Rursus ex iuribus ciuilibus aduersus Sodomitas statuta est pæna mortis *l. cum vir, C. ad leg. Iul. de adult. §. item lex Iulia instit. de publ. iud.*, & in iure Municip. Mediolani pæna ignis ex *Nou. Constit. in tit. de pænis, §. Sodomitæ:* In iure Ecclesiastico aduersus laicos committentes huiusmodi crimen statuta est pæna excommunicationis, aduersus Clericos sæculares depositio à clero, & detrusio in Monasterium ad agendam perpetuam pænitentiam *Hostiensis in summa tit. de excessib. Prælat. Abulensis in c. 5. Matthæi q. 117.* Iure verò nouissimo Pij V. in Clericos hoc crimine infectos per constit. incip. *Horrendum scelus sub dat. Romæ die 3. Septembris 1568.* inducta est priuati, cuiuscunque priuilegij clericalis cuiuscunque officij, & dignitatis, degradatio, & traditio bracchio sæculari, vt vltimo supplicio mulctentur. Recensitæ autem pænæ non intelliguntur appositæ contra molles. Quis autem non videt incongruas esse has execrationes, & pænas contra sodomitas, & bestiales, & non contra molles, si sodomia, bestialitas, & mollities solum gradualitèr differrent?

10 Execrationes, & pænæ variæ cõtra huiusmodi peccata.

Iam ad obiecta Caramuelis respondendum est. Ipse dicit hanc suam opinionem ita esse claram, vt nostra sit error in Phylosophia. Sed debuisset agnoscere suam potius esse errorem palpabilem in Theologia, cum communem habeat Theologorum consensum sibi aduersantem, tot scripturæ loca sibi refragantia, tot rationes aduersus se pugnantes. Prosequitur, & dicit hanc esse expressam mentem D. Thomæ. Sed textum expressum D. Thomæ hoc asserentis non allegat, sed aliquem dumtaxat extorquet in suum sensum. Fortè adducit textum *in prima secundæ q. 154. art. 11.*, vbi numerans sex peccata tanquam species diuersas in genere luxuriæ pro sexta assignat peccatum contra naturam, vnde asserit, quod, sicuti aliæ quinque species sunt specialissimæ, nec continent sub se alias species, ita peccatum contra naturam sit species specialissima, & infima, nec alias sub se contineat. Sed ex hoc nihil penitus euincit ad rem suam; nam, vt benè notant *Caietanus d. q. 154. art. 11., Toletus lib. 5. c. 13.* D. Thomas non loquitur de specie specialissima, sed de subalterna, & quod talis sit mens D. Thomæ, colligitur ex eo, quod idem *D. Thomas in titulo articuli 11.* numerans species luxuriæ non dicit vltimo loco peccatum contra naturam in singulari, sed vitia contra naturam in numero plurali, quod significat specificam diuersitatem inter eadem; non enim potest intelli-

11 Satisfit obiectis Caramuelis.

12 Opinio eiusdem est error in Theologia.

13 Ostẽditur D. Thomam nõ suffragari opinioni Caramuelis.

gi

gi præcisè de numerica, quandoquidem ad quid exponere in numero plurali vitia contra naturam, & non in eodem alias species luxuriæ? Certè sub vnaquaque specie plura continentur numero peccata quandoque grauiora, quandoque minus grauia. Deinde idem *D. Thomas art.* 11. singillatim enumerat eadem peccata contra naturam, quæ quatuor esse dicit. Ad quid singillatim, & nominatim ea referre, si sub eadem specie infima continerentur? Certè sunt plures gradus incæstus, & tamen, dum numerat species peccatorum, eos singillatim non enumerat. In auctoritate igitur D. Thomæ non benè fundat suam opinionem.

14 Eluditur eius argumentū deductū à furtis in diuerso bonorum genere.

Prosequitur argumentando à paritate furtorum in bonis fortunæ diuersis puta armentorum, & argenti, quæ furta non sunt diuersa in specie, cum differant solum materialitèr, & in genere entis, non autem formalitèr, & in genere moris. Sed hoc argumentum nihil penitus euincit, quia, vt ipse dicit, furta in bonis fortunæ diuersis solum differunt Physicè, & materialitèr, cum solum habeant oppositionem ad eandem rectam rationem; mollities autem, sodomia, & bestialitas, cum consistant vel in negatione coniunctionis duorum, vel in coniunctione inter duos diuersæ speciei, vel indebiti sexus, in qua negatione, & coniunctione consistit moralis malitia, & hæc sint in specie diuersa, sequitur, quod non solum in entitate physica differant, sed etiam in morali. Deinde assumpta paritate, qua vtitur Caramuel de furto, ex eadem sic ipsum impeto. Si furta sint contra bona diuersi ordinis, quamuis opponantur eidem speciei iustitiæ, constituunt peccata diuersa in specie, vt videre est in ablatione bonorum fortunæ, quæ constituit furtum, & in ablatione bonorum famæ, & honoris, quæ constituit detractionem, & in ablatione bonorum vitæ, quæ constituit homicidium, vel mutilationem, ergo, cum peccata contra naturam respiciant negationem coniunctionis duorum, & coniunctiones in ordine diuersas, erunt in specie diuersa.

Diuersitas pollutionis ope manuum, vel vestiū est merè materialis.

Tandem dicit, quod, sicuti mollities manuum tactibus procurata non distinguitur specie à procurata tactu vestium, tametsi manus, & vestes specie distinguantur, sic, nec procurata cuiuscunque corporis partis contactu &c. Sed hæc etiam paritas nil euincit, quia manus, & vestes in ordine ad negationem coniunctionis inter duos merè materialitèr se habent, & eadem negatio sequitur, siue proueniat ope manuum, seu vestium; res autem diuersimodè se habet in bestialitate, sodomia, & simplici pollutione, nam animalia diuersa, & sexus indebitus constituunt diuersam peccaminosam coniunctionem, vt per se patet.

15 Soluuntur rationes Filliutij.

Ad obiecta Filliutij ex dictis patet, quid sit respondendum; licet enim ex omnibus illis tribus modis impediatur effectus generationis, non tamen sequitur in illis omnibus vna, & eadem malitia in specie, quia illud impedimentum potest oriri ex diuerso modo agendi, in quo reperiatur diuersitas specifica moralis, vt in casu nostro propter rationes supra adductas. Ad id, quod primo loco subdit, dicendum est, quod ex diuersitate specifica peccatorum contra naturam non benè inferatur diuersitas specifica in actibus, qui sub singulis speciebus continentur, quia in illis non est, vel negatio coniunctionis inter duos diuersa, nec diuersa coniunctio. Sic in particulari ex eo, quod non seruetur debitum vas, constituitur quidem species diuersa peccati, non sequitur tamen, quod, si extra vas fiat pollutio, quamuis in alijs partibus corporis, sequatur diuersa species ab illa pollutionis, quia non fit commixtio, & solum est effusio seminis extra vas, quod non egreditur terminos pollutionis, licet hæc grauetur ratione illius modi accidentalis. Ad id, quod subditur ex D. Thoma patet, quid respondendum ex supradictis.

ARTICULUS XVIII.

An peccata omissionis, & commissionis specie differant, & singillatim sint in confessione exprimenda.

SUMMARIUM.

Omissio, & commissio debent esse circa eandem materiam. 1.
Sententia asserens, non posse esse peccatum omissionis sine vllo prorsus actu. 2.
Refertur contraria sententia. 3.
Præfertur prima sententia. 4.
Non potest esse voluntarietas sine motu voluntatis. 5.
Ostenditur in omnibus fere omissionibus hunc motum reperiri. 6.
Quomodo dicatur peccatum omissionis, si habet actum adiunctum. 7.
Actus, quandonam dicatur causa omissionis, & quando simpliciter comes. 8.
An omissio sit solum mala ratione sui, an verò etiam ratione actus, cui adiungitur. 9.
Si actus sit causa omissionis contrahit malitiam eiusdem omissionis. 10.
Si sit solum comes nullam malitiam contrahit, nisi ipsam habeat ex proprio obiecto. 11.

Quan-

Quandonam contrahatur peccatum omissionis. 12.
Sententia asserens tunc incipere, quando vrget præceptum operandi. 13.
Sententia docens tunc incipere, quando actus est causa omissionis. 14.
Sub distinctione componitur vtraque sententia, & quomodo. 15.
Omissio, & commissio circa eandem materiam non differunt specie morali. 16.
Impugnatio exemplorum D. Thomæ facta ab Azorio. 17.
Vindicatur D. Thomas à tali impugnatione. 18.
Azorius parum sibi constans ostenditur. 19.
Peccata non distinguuntur specie per ordinem ad diuersa præcepta. 20.
Soluuntur nonnulla obiecta adducta per Azorium. 21.

1 Omissio, & cómissio debét esse circa eandem materiá.

PRocedit titulus de omissione, & commissione circa candem materiam, circa quam versantur, nam, si versentur circa diuersam, certum videtur, quod specie differant ex diuersitate specifica eiusdem materiæ; Omissio regularitèr versatur circa materiam, quæ iure positiuo præcipitur; commissio verò circa materiam, quæ iure fieri prohibetur, adeoque circa præceptum negatiuum.

2 Sententia asserens non posse esse peccatum omissionis sine vllo prorsus actu.

Sed antequam ad decisionem quæstionis, quæ in titulo excitatur, deueniamus, placet discutere, an possit esse omissio, seu peccatum omissionis absque vllo prorsus actu? In hoc inuenio DD. acritèr inter se dimicantes. *D. Thomas prima secundæ qu. 71. art. 5., Alexander part. 2. qu. 113. memb. 10. ad secundum, D. Bonauentura in 2. dist. 35. ad dub. 1. circa textum, Gabriel in 2. distinct. 41. q. 1. art. 3. dub. 3., & alij plures* sentiunt non posse esse peccatum omissionis sine vllo prorsus actu. Ex aduerso sentiunt posse esse sine vllo prorsus actu *Riccardus in 2. dist. 35. q. 1. & quodlib. 1. q. 22., Durandus in 2. dist. 36. q. 2., Almainus tract. 3. mor. c. 25., Maior in 4. dist. 42. quæst. 1.*

3 Refertur contraria sentétia.

4 Pręfertur prima sétentia.

Mihi placet cum prima sententia asserere, peccatum omissionis non posse esse sine omni actu; prout sentiunt DD. præallegati pro prima sententia, & alij magis communitèr. Ratio est, quia non potest saluari ratio voluntarij sine aliquo motu voluntatis liberæ, siue formali, & expresso, siue virtuali, & implicito, ergo omissio non potest esse voluntaria, & peccaminosa, nisi voluntarietas fundetur in aliquo motu voluntatis. Antecedens probatur ex ipsa definitione voluntarij, qua dicitur esse id, cuius principium est in agente, cum notitia eius, quod geritur; si enim id, quod voluntarium est, supponit principium, vtique est aliquid à principio distinctum, quod non potest esse, nisi aliquis motus voluntatis siue explicitus, siue implicitus. Nomine actus, quem dicimus prærequiri ad omissionem voluntariam, intelligimus hic quodcunque potest lege, vel præcepto vetari, & prohiberi, aut imperari, aut præcipi.

5 Non potest esse voluntarietas sine motu voluntatis.

6 In omnibus ferè omissionibus hoc euincitur.

Hinc singillatim loquendo de omissionibus vel circa actiones exteriores, vel circa internas, in omnibus, prout sunt voluntariæ, erit adinuenire aliquem actum coniunctum; sic sistendo in exterioribus omissio auditionis sacri in die festo, non potest intelligi, nisi ex eo, quod sit alia actio exterior, qua impediatur eadem auditio; loquendo vero de omissionibus circa actus internos, vel isti sunt actus intellectus, vel voluntatis; si intellectus, nó potest esse eadē omissio, nisi intellectus in alia intellectione detineatur, si voluntatis; tunc videtur esse maior ratio dubitandi, nam, si quis pro tempore, quo lex præcipit, Deum amari, vel quid aliud, suspensam teneret voluntatem, certè peccatum contraheret, & hoc est potissimum argumentum sententiæ contrariæ; nihilominus, quia, vt supra innuimus, nomine actus intelligimus hic omne id, quod vetari lege, aut præcipi potest, & vtique vetari possit illa voluntatis suspensio pro tempore, quo vrget præceptum delectionis Dei, certè illa suspensio computatur pro actu, & ideo in responsione nostra diximus, nón posse esse omissionem voluntariam absque aliquo actu siue expresso, & formali, siue virtuali, & implicito.

7 Qua ratione dicatur peccatū omissionis, si habet actū adiunctū.

Neque obesse possunt ea, quæ circunferunt aduersarij, nempè, quod non posset dici peccatum omissionis, si haberet adiunctum actum aliquem positiuum; item, quod quis potest opus præceptum omittere, nihil aliud eo tempore operando, vt si quis pro tempore, quo deberet ex præcepto sacrum audire, in lecto decumberet, nec aliud ageret; Non, inquam, obesse possunt; non primum, quia dicitur peccatum omissionis, non quia non habeat actum, qui sit causa eiusdem, sed quia ob illum actum adiunctum omittimus id, quod facere tenemur; non secundum, quia, vt iam diximus, nomine actus intelligimus id, quod lege vetari, ac præcipi potest; prohiberi autem potest decubitus pro illo tempore, & præcipi non decubitus.

Duplex difficultas excitata.

Hic duplex oritur difficultas; Prima est, an ille actus, cui adiuncta est omissio, sit peccaminosus, adeout non solum ipsa omissio sit peccaminosa, sed etiam ipse actus annexus eidem. Secunda, ex suppositione, qua vtrumque non sit peccaminosum

sum peccato distincto, an peccatum committatur, seu contrahatur tunc, quando ponitur ille actus, an verò quando vrgente præcepto fit omissio.

8
Actus quando-nā dicatur causa, & quando solum comes omissionis.

In ordine ad primam considerandum est, an ille actus sit causa omissionis, an verò solummodo comes eiusdem. Tunc dicitur causa omissionis, quando ex illa verè impediente causatur omissio, talis est detentio in alijs negotijs, quando sacrum est audiendum; Tunc dicitur simpliciter comes amissionis, quando verè non causat illam, sed solum commitatur, vt cum quis in corde suo voluntate absoluta statuit non audire sacrum, & pro tempore, quo idem celebratur, ne otiosus maneat, vel studet, vel inuisit parentes, vel amicos; tunc etenim studium, & inuisio parentum est præcisè comes non auditionis sacri, non autem causa. Porro, vel actus, qui adiungitur omissioni, est bonus, vel malus, vel indifferens: *Durandus in 2. dist. 36. q. 2. n. 6.* asserit, quod, si ille actus, qui adiungitur omissioni, sit bonus secundum se, vel indifferens non induat aliquam malitiam, vnde videtur illam solum refundere in ipsam omissionem. *Marsilius in 2. q. 21. art. 2., Gabriel in 2. dist. 22. q. 2. art. 2., Riccardus in 4. dist. 9. art. 2. q. 3.*, & alij sentiunt, ipsum actum esse peccaminosum, vnde duplicem agnoscunt malitiam, alteram in ipso actu, alteram in omissione adimplementi præcepti. *D. Thomas de malo q. 2. art. 1. ad septimum*, asserit, illum actum esse malum, quia inficitur malitia omissionis, cuius est causa. Placet in hoc respondere, actum, qui est causa omissionis, esse malum malitia eiusdem omissionis, non malitia distincta ab eadem omissione; actum verò, qui non est causa, sed præcisè comes secundum se, non habere malitiam, nisi in se sit malus, nec eandem contrahere ab eadem omissione. Ratio primæ partis est; quia, sicuti media contrahunt malitiam à fine, quem causant; & non habent aliam malitiam ab eodem fine, nisi ex proprio obiecto illā habeant, ita ille actus, qui est causa omissionis, debet ab eadem malitiam contrahere, nec aliam habet, nisi illam eiusdem omissionis, nisi secundum se ex obiecto præferat prauitatem. Ratio secundæ partis est, quia ille actus concomitans, nec habet malitiam in se ipso, vt supponitur, nec illam emendicat ab ipsa omissione, quandoquidem in illam non influit, cum ad illam iam in voluntate causatam subsequatur.

9
Omissio, an solam sit mala secundū se, an verò etiam ratione actus adiuncti variæ sententiæ.

10
Si actus sit causa omissionis cōtrahit malitiā eiusdem.

11
Si sit solū comes nullam cōtrahit.

12
Quandonam contrahatur peccatū omissionis.

In ordine ad secundam *D. Thomas secunda secundæ q. 79. art. 3. ad tertium, & in 2. sent. dist. 22. q. 2. art. 1. ad quartum*, sentit, peccatum omissionis incipere, quando vrget tempus, & præceptum operandi, & rationem adducit, quia peccatum omissionis opponitur præceptis affirmatiuis, sicuti illud commissionis negatiuis; præcepta autem affirmatiua non obligant ad semper, sed ad tempus determinatum, & pro illo tempore peccatum omissionis incipit esse; hinc respondet illis, qui dicunt, peccatum omissionis incipere, quando omittens se applicat ad actum illicitum, & incompossibilem cum illo actu, ad quem tenetur; dicit enim, quod hoc non possit subsistere, nam, si quis v. g. de serò se inebriauerit, & non possit surgere ad matutinū, & postea matutino tempore per vim excitaretur, & iret ad suum onus adimplendum, non omitteret; ex quo infert, quod tunc solum peccatum incipiat, quando vrget præceptum adimplendi. Contrarium sustinent *Alexander part. 2. qu. 113. memb. 7., Riccardus in 4. dist. 9. art. 2. q. 3., Gabriel in 2. dist. 22. q. 2. art. 2. post tertiam concl.* sentientes tunc peccatum omissionis incipere, quando causa ponitur omissionis. Ego autem sic distinguendo procedo; vel omittens actum impeditiuum agreditur ea intentione, & fine, vt opus præceptum omittat, vel aggreditur præciso eo fine, & intentione, sed omissio ad illum subsequitur quodamodo ex necessitate. Si primo modo res sumatur, sentio iuxta secundam sententiam peccatum incipere tunc, quando ponitur causa. Si verò sumatur secundo modo, sentio iuxta primam sententiam, non incipere peccatum omissionis, nisi, quando vrget tempus, & præceptum operandi, & iuxta hanc distinctionem arbitror posse conciliari vtramque opinionem extremè oppositam. Ratio primæ partis est, quia illa intentio operis præcepti non adimplendi cum electione mediorum secundum se peccaminosa est malitia desumpta ex prauitate finis intenti, ergo, tunc secundum qualitatem malitiæ incipit peccatum, quando medium ponitur ordinatum ad omissionem operis, quinimmo, quando ponitur eadem intentio; Nec obstat id, quod ex Aduersantium mente sibi obijciebat *D. Thomas supra*, quod scilicet electo medio secundum se ordinato ad omissionem operis potest eadem omissio non sequi, vt patet exemplo eius, qui serò inebriatus est, vt aptus non videatur manè surgere ad matutinas laudes, qui tamen, si per violentiam excitatus, & surgat ad easdem continendas non afficitur malitia omissionis. Non obstat, inquam, quia ille licet non afficiatur malitia in effectu consummata, afficitur tamen malitia consummata in affectu. Ratio secundæ partis est, quia ille actus præcedens, nec in se peccaminosus est, nec ex affectu omit-

13
Sententia asserēs incipere, quando vrget prę ceptum operādi.

14
Sentētia docens tunc incipere, quando ponitur causa omissionis.

15
Sententia auctoris sub distinctione.

Rationes pro hac sententia.

omittentis est ordinatus ad omissionem, & quando etiam ille actus esset malus, quia tamen non est ordinatus ad aliud malum, non contraheret malitiam istius, nisi quando cum isto coniungeretur, ergo malitia illius omissionis non incipit, quando ponitur actus, sed tunc tantum, quando per omissionem est transgressio præcepti.

Iam redeo ad id, quod in titulo huius articuli propositum est, an scilicet peccatum omissionis, & commissionis circa idem obiectum specie morali differant. Ex eo, quod dixerimus, peccatum commissionis versari circa præceptum negatiuum; illud verò omissionis circa positiuum, videtur dicendum, huiusmodi peccata adinuicem comparata vtique specie differre, sicuti ipsa præcepta specie differunt, cum videantur quasi opposita; tum quia vnum, nempe illud commissionis consistit in actu, illud verò omissionis in negatione actus; actus autem, & negatio actus in specie differunt. Nihilominus

16 Non differũt specie morali.

Sentiendum est, non differre specie morali. *D. Thomas prima secunda q. 72. art. 6. in corp.* Ratio ex eo deducitur, quia difformitas specifica peccatorum non desumitur à diuersitate præceptorum, nec a diuersitate materiali actuum, sed ab oppositione ad diuersa obiecta, secundum diuersam habitudinem, & diuersam rationem formalem, & ad diuersam virtutem, diuersumque motiuum, sed peccatum omissionis, & commissionis tendit ad idem obiectum formale, & ad eandem virtutem, & procedit ex eodem motiuo, ergo &c.

Exempla à D. Thoma adducta.

Minor duplici exemplo probatur a *D. Thoma loc. cit.*; primò in auaro, qui peccat peccato commissionis, dum diuitias congregat modo iniusto, & indebito, & peccato omissionis, dum non dat ea, quæ dare debet; secundò in guloso, qui contrahit peccatum commissionis comedendo superflua, & peccatum omissionis non adimplendo ieiunia præscripta; in vtroque etenim casu vtrumque peccatum est contra idem obiectum formale, contra eandem virtutem, & ex eodem motiuo procedit.

17 Impugnatio exemplorum D. Thomæ.

Azorius Instit. mor. part. 1. lib. 4. c. 3. q. 1. impugnat duo exempla a D. Thoma adducta asserens, quod præceptum ieiunij quamuis secundum materialem significationem videatur in affirmatione consistere, secundum formalem tamen contineat negatiuum; cum idem sit dicere, ieiunare, ac non comedere; item præceptum restituendi alienum, quamuis voce videatur affirmatiuum, sit tamen in re negatiuum, vel saltem negationem contineat; idem enim est restituere, ac non detinere alienum; vnde in hoc secundo casu dicit, quod ille, qui non restituit, contrahat peccatum non omissionis, sed commissionis, cum versetur circa præceptum negatiuum; in primo verò casu dicit, quod ille qui comedit, cum violet præceptum, quod in affirmatione consistit, contrahat peccatum commissionis. Sed in toto hoc discursu Azorius sibi contradicit, & res potius confundit, quam excitet aliquam difficultatem contra doctrinam D. Thomæ. Ipse statuit, quod peccata omissionis fiant contra præcepta affirmatiua, illa verò commissionis contra præcepta negatiua; modo loquendo de præcepto ieiunij, dicit, quod quamuis voce videatur in affirmatione consistere, sensu tamen negationem contineat, nam ieiunium seruare nihil aliud est, quam non comedere, & postea subdit *In comedendo est violatio præcepti, quod in affirmatione consistit, quodque est peccatum commissionis*. Conferantur adinuicem hæc, quæ dicit Azorius, & videatur, si constans est in sua doctrina: Dicit primò, quod peccata omissionis fiant contra præcepta affirmatiua, illa verò commissionis contra negatiua; postea subdit, quod comedere sit violatio præcepti, quod in affirmatione consistit quodque est peccatum commissionis; si peccata commissionis sunt contra præcepta negatiua; quomodo modo dicit, quod comedere sit contra præceptum affirmatiuum, & sit commissionis? Si prius dixit præceptum ieiunij, quamuis voce sit affirmatiuum, sensu tamen sit negatiuum, cum sit idem seruare ieiunium, ac non comedere, quomodo nunc dicit, quod comestio sit contra præceptum, quod in affirmatione consistit?

18 Vindicatur D. Thomas à tali impugnatione.

19 Azorius parum sibi cõstans ostēditur.

Omissis igitur his Azorij inuolucris dico, exempla a D. Thoma adducta rectè procedere ad suam mentem firmandam, quod postea videtur etiam agnouisse & ipse Azorius, dum in fine illius primi quæsiti illa approbat. D. Thomas in illis duobus exemplis secundum illas qualitates, secundum quas illa refert, videtur agnoscere in vnoquoque eorum duo quodamodo præcepta; sic in peccato auari agnoscit præceptum negatiuum non congregandi diuitias modo iniusto, & via indebita; congregare etenim tali modo est actio positiua, ac proinde præceptum eidem oppositum non potest esse, nisi negatiuum, item præceptum positiuum reddendi, quod debet, & sic non reddere est quasi actio negatiua, & proinde præceptum eidem oppositum non potest esse, nisi affirmatiuum, quod idem dic de peccato gulosi, in quo etiam duo quodamodo præcepta distinguuntur, alterum negatiuum non co-

In exemplis D. Thomæ duo considerantur præcepta.

medendi superflua, alterum positiuum, seruandi leges ieiunij; comedere etenim superflua est quid positiuum, & proinde præceptum eidem oppositum non potest esse, nisi negatiuum, seruare leges ieiunij est non comedere, quæ est actio quodamodo negatiua, & proinde præceptum eidem aduersans non potest esse, nisi affirmatiuum. Rectè igitur procedit D. Thomas in allatis exemplis, in quibus cognoscit, & peccata omissionis, & commissionis, quæ, cum sint contra idem motiuum, obiectum, & virtutem non differunt specie morali.

Ad rationes, quæ pro contraria sententia afferebantur iam patet quid respondendum; peccata etenim non distinguuntur specie per ordinem ad diuersa præcepta, vt in præcedentibus probatum est, &, quamuis actus, & negatio actus videantur specie differre, ad summum differunt materialitèr, & in esse Physico, non formaliter, & in esse morali, vt benè considerauit *D. Thomas loc. cit.*, præcipuè, cum actus debitus, & non positus quoad malitiam perinde se habeat, ac si esset positus.

20 Peccata non distinguũtur specie per ordinem ad diuersa præcepta.

Minus officere possunt ea, quæ adducit *Azorius loc. cit.* de eo, qui omittit in die festo sacrum audire, & sacrum celebrat indigne, vel res sacras indigne tractat, & de eo, qui non subuenit extremè indigenti, & eum malè tractat, iugulat, & occidit; item de eo, qui benè merenti gratias non agit, & eidem nocumentum, vel in rebus, vel in fama, vel in vita infert; in quibus omnibus omissiones, & commissiones specie differunt, & tamen sunt circa eandem materiam, si debitè referantur. Minus, inquam, officere possunt, quia, licet huiusmodi omissiones, & commissiones videantur versari circa eandem materiam, & virtutem, referuntur tamen ad eandem secundum diuersam habitudinem, vel diuersam rationem formalem, vel fortè etiam opponuntur diuersæ in specie virtuti; sic in particulari quoad primum casum de non audiente sacrum, & indigne illud faciente, vel res sacras indigne tractante, dicendum est indignam tractationem sacri, vel rerum sacrarum diuerso modo, & sub diuerso motiuo obstare virtuti Religionis, ac obstet non auditio sacri, cuius rei signũ euidens est, quod in indigna illa tractatione contrahatur sacrilegium, non sic in non auditione sacri; vnde, cum per hanc non auditionem nulla inferatur iniuria rebus sacris, sicuti infertur per indignam tractationem, dici potest, quod per illam iniuriam inferatur solum virtuti obedientiæ, per istam virtuti Religionis; quoad secundum casum de non subueniente extremè indigenti, ac de ipsum mutilante, contumelijs afficiente, & occidente, dicendum est, non esse eandem materiam formalitèr sumptam, siquidem per non subuentionem læditur solum virtus misericordiæ; per mutilationem, occisionem &c. læditur virtus iustitiæ, quod idem dic ad tertium casum, in quo per negationem debitarum gratiarum læditur solum virtus gratitudinis, per positiuum verò nocumentum, vel in bonis fortunæ, vel in bonis famæ, & honoris, & in bonis vitæ læditur virtus iustitiæ, quæ omnia non lædunt nostram assertionem, quæ procedit solum de omissionibus, & commissionibus circa eandem materiam formalitèr sumptam, & contra eandem virtutem.

21 Soluuntur varia obiecta adducta per Azorium.

ARTICULUS XIX.

De causis excusantibus ab integritate confessionis.

SVMMARIVM.

Tria capita, ad quæ possunt reduci causæ excusantes. 1.
Excusantur rudes, & pueri, qui tempore commissi delicti ignorabant illud esse delictum clauibus subyciendum. 2.
Nec postea cognito delicto tenentur illud confessioni exponere. 3.
Excusantur, qui inculpabilitèr obliuiscuntur alicuius peccati. 4.
Remota obliuione non tenetur statim illud confiteri. 5.
Nec est necesse, quod tunc omnia peccata, quæ confessus est, repetat. 6.
Nec tenetur dicere, quod illud peccatum fuerit omissum. 7.
Quid sentiendum sit, si Sacerdos non expectata integra peccatorum confessione auditis solum aliquibus peccatis impendat absolutionem. 8.
Probabilius intelligitur pænitens validè absolutus. 9.
Nec tenetur peccata prius confessa repetere. 10.
Sacerdos, qui ex iusto motiuo absolutionem impendit ante complementum confessionis non grauitèr peccat. 11.
Secus, si id non præstet ex iusta causa. 12.
Sacerdos ob longitudinem confessionis potest dimittere pænitentem ad aliud tempus pro complemento confessionis. 13.
Ob hanc causam congruentius suspenderet absolutionem vsque ad complementum. 14.
Nisi necessitas aliud postularet. 15.
Excusatur ratione impotentiæ, quando incepta confessione amittit loquelam. 16.
Item, quando non potest confiteri, nisi publicè. 17.

In

In hoc casu extante mortis periculo potest reticere peccata redolentia infamiam. 18.
Alia non redolentia infamiam tenetur absolutè exponere. 19.
Excusatur item extraneus, qui ob idioma diuersum nequit intelligi, & si aliqua nutibus potest indicare, absoluendus est. 20.
Item, qui inflicto vulnere, & edito doloris signo loquelam amittit. 21.
Nec est necesse, quod illa signa ediderit coram Confessario, sed sufficit, quod fuerint edita coram alijs attestantibus. 22.
In hoc casu absolutio esset impendenda sub conditione. 23.
Vbi nullum datum fuerit signum pænitentiæ non est impendenda absolutio, nec sub conditione. 24.
Excusatur item, qui non habet copiam Confessarij, nec potest ipsum adire sine magno incommodo. 25.
Excusatur item, qui commisit graue delictum contra Confessarium, à quo timet graue damnum, si illi aperiat non extante alio Confessario. 26.
Excusatur item fœmina virgo nobilis, quæ fornicata est, si non habeat, nisi Confessarium consanguineum, vel nimis familiarem, à quibus timeat grauia damna. 27.
Secus, si habeat solum Parochum, à quo non potest timere, nisi ruborem. 28.
Excusantur item ab integritate, qui reperiuntur in periculo naufragij. 29.
Vrgente necessitate confessionis habens vnum dumtaxat peccatum læthale, à cuius manifestatione excusatur, cum venialibus, non tenetur venialia confiteri. 30.
Vrgente necessitate confessionis habens vnum tantum læthale, si simul habeat causam excusantem ab illius manifestatione, sententia docens teneri illud in genere exponere. 31.
Sententia Bonacinæ volentis exprimendum esse saltem sub specie subalterna. 32.
Approbatur sententia Bonacinæ. 33.

ONus integrandæ confessionis, sicuti, & eiusdem confessionis simplicitèr faciendæ, cum sit tantum de iure positiuo Diuino, non videtur obligare pro quocunque statu, & quocunque incommodo, & præiuditio interueniente, vnde hic inquirimus, an, & quandonam pænitens eximatur à tali onere, seu, quod idem est, quænam sint causæ eximentes à tali onere integrandæ confessionis.

1 Quęnã esse posint radices causarum excusantium.

Ad tria potissimum capita iuxta communem DD. sensum reduci posse videntur huiusmodi causæ excusantes ab integritate confessionis; primò ad ignorantiam, seu obliuionem; secundò ad impotentiam; tertiò ad detrimentum, seu graue præiudicium, quod oriri posset ex integra manifestatione peccatorum.

2 Quando excusatur rudes, & pueri.

Ratione primi capitis, nempè ignorantiæ excusatur primo persona rudis, vel puer, qui pro tempore commissi peccati ignorarunt illud esse peccatum ex necessitate confessioni subijciendum, & propterea illius confessionem omiserunt *Nauarrus in man. c.9. n.12., Henriquez lib.2. c.12.* Ratio est, quia pænitens tenetur solum ea peccata læthalia in confessione exprimere, quorum sibi conscius est; illius autem peccati sub formalitate peccati sibi conscius non est. Sed hic immediatè oritur difficultas, an, si postea cessante ignorantia, & respectiuè ætate percrebescente rudis, & puer nouerint illud esse peccatum ex genere suo læthale, teneantur habita illa notitia confessioni subijcere. Negatiuè respondendum existimo, quia tunc, quando commissum fuit respectu committentis non erat imputabile ad culpam, cum respectu eiusdem non esset voluntarium, vtpotè commissum sine præcedenti cognitione, nec transit de non esse peccatum ad esse peccatum per superuenientem cognitionem, quæ non habet influere in illam actionem iam transactam.

3 Cognito delicto non tenentur postea illud exponere.

4 Obliuio alicuius peccati excusat.

Excusatur secundò, qui in confessione inculpabilitèr oblitus est alicuius peccati læthalis; non enim ex illa omissione confessio redditur inualida; nam, quamuis non possit dici integra materialitèr, intelligitur tamen integra formalitèr *Coninchus disp. 7. dub.9. n. 70., Zerola in praxi de pænit. c. 13. q. 31. vers. dico secundo.* Sed, an hic remota obliuione, & cognito peccato teneatur statim habita cognitione illud clauibus subijcere, & an sufficiat, vt illud solum subijciat, an verò requiratur, vt subijciat omnia, quæ in præcedenti confessione subiecerat. Ad primum dico, non teneri statim illud subijcere, nisi tunc esset Eucharistiam sumpturus, vel tunc vrgeret aliquod præceptum confitendi, sed data opportunitate. Ratio ex eo desumitur, quia nullibi adest præceptum illud immediatè clauibus subijciendi, & licet *Concil. Trident. sess. 13. de Eucharistia c. 7.* respectu Sacerdotis, qui sibi conscius peccati læthalis vrgente necessitate celebrauit non præmissa confessione, statuat, vt quam primum confiteatur, hoc non extenditur ad Laicos, vt alibi fusè dictum est, qui ex obliuione aliquod peccatum læthale omiserunt in præcedenti confessione, cum illud sit singulare præceptum quoad Sacerdotes ratione status eorundem. Dixi, *nisi tunc esset sumpturus Eucharistiam*, quia tunc, si commode posset, deberet illius peccati omissi confessionem præmittere; Neque dicas, illud etiam peccatum, quantumuis oblitum intelligitur in

5 Remota obliuione nõ tenetur statim illud confiteri.

in præcedenti confessione remissum, cum vnum sine alio non remittatur, ergo nullo obstante obice etiam non præmissa illius peccati confessione poterit licitè Eucharistiam sumere; Contra enim impugnaberis, quia, licet illud peccatum intelligatur remissum, habet tamen annexum onus, vt clauibus subijciatur, vel quando confessio est habenda, vel communio sumenda, quod onus, si negligatur, peccatum transgressionis committitur, quod impedit dignam susceptionem eiusdem Eucharistiæ.

6 Nec est necesse, quod tūc repetat peccata antecedentèr confessa.

Ad secundum dico, sufficere, si illud peccatum omissum subijciat confessioni, nec esse necesse, vt omnia in præcedenti confessione expressa, iterum subijciat. *Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. §. 4. n. 3., & cum eo alij communitèr.* Ratio est, quia omnia præcedentia intelliguntur remissa, & sunt ritè confessa, vnde in ordine ad eadem habetur quidquid requiritur tum ex institutione Diuina, tum ex dispositione Ecclesiæ, & licet etiam intelligatur remissum illud, quod fuit oblitum, non intelligitur tamen ritè confessum; omnia enim peccata læthalia, quorum quisque sibi conscius est, tenetur expressè confiteri. Sed, an teneatur in subsequenti confessione exprimere, se illud ex obliuione omisisse in præcedenti confessione? Negatiuè sentiendum est, sed posse simplicitèr confiteri nulla facta mentione obliuionis. Ratio est, quia super illud peccatum nullum efformatum est iudicium a præcedenti Confessario, nec in ordine ad illud imposita pæna; nec obstat, quod iam intelligatur remissum, adeoque eius culpa amplius non vigeat; Non obstat, inquam, quia licet amplius non vigeat, viget tamen quoad onus confessionis, quod propterea exponendum est secundum qualitates, quibus fuit commissum.

7 Nec tenetur dicere, quod illud peccatū fuerit omissum.

Ad hoc caput etiam aliqui reducunt casum, quo quis sua peccata confiteretur, & Sacerdos non expectata integra confessione illi impenderet absolutionem. Pro hac sententia refert *Bonacina loc. cit. Nauarrum c. 9. n. 12., Henriquez lib. 2. c. 12., Coninchum disp. 7. dub. 9., & alios.* Sed in hoc ego plura consideranda existimo, tum in ordine ad pænitentem, tum in ordine ad Sacerdotem sic absoluentem; & quidem in ordine ad pænitentem, an validè intelligatur absolutus; secundò, an in confessione, qua exponet peccata, quæ non confessus est ob præproperam absolutionem, prout tenetur, teneatur solum illa, quæ non exposuit, exponere, an verò etiam illa, supra quæ cecidit illa præpropera absolutio; In ordine verò ad Sacerdotem, qui sic præproperè absoluit, considerandum erit, an, & quandonam hoc potuerit licitè præstare. Quoad primum in ordine ad pænitentem arbitror esse validè absolutum, & in hoc fortè consentiunt DD. a Bonacina allegati. Ratio ex eo deducitur, quia in hac hypothesi adest debitus dolor, materia sufficiens, & debita forma, ergo non est, cur non debeat esse validum Sacramentum; Neque officit, quod materia non sit integra, sed dimmidiata; Non officit, inquam, quia, quod sit dimmidiata non est ex causa pænitentis, qui paratus accessit ad omnia peccata tam in specie, quam in numero exponenda, nec fuit in eius potestate omnia exponere, vnde defectus integritatis reducitur ad impotentiam. Quoad secundum in ordine ad eundem pænitentem arbitror, non teneri, nisi ea peccata exponere, quæ omisit in prima confessione ob acceleratam absolutionem. Hæc responsio sequitur ex prima; si enim valida fuit prima cōfessio, & efficax absolutio, quamuis peccata fuerint dimmidiata, ergo peccata omnia fuerunt remissa, & cum illa fuerint ritè confessa, non est, cur debeant iterum confessioni subijci, ea proportionali ratione, qua diximus supra, dum de peccatis oblitis, quorum solummodo ex necessitate facienda est confessio, non aliorum, quæ antea ritè confessa fuerant.

8 Quid sentiendum sit quando Confessarius non auditis omnibus peccatis absoluit.

9 Pænitens intelligitur validè absolutus.

10 Nec tenetur peccata prius cōfessa repetere.

Quoad secundum in ordine ad Sacerdotem absoluentem ante perfectam confessionem peccatorum, considerandum est etiam, an hoc præstiterit ex aliquo iusto motiuo puta, quia timeret de aliqua pestifera infectione, qua pænitens erat infectus, vel quia timeret de superuenientia proprij inimici eum inquirentis ad necem, an verò hoc præstiterit sine iusta causa puta, quia tædio affectus ægrè ferret diuturniorem detentionem in audienda illa confessione. Hinc dico, quod, si ex iusto, & rationabili motiuo absolutionem impenderit non audita tota confessione non grauitèr peccauerit *Vasquez q. 91. art. 2. dub. 2. n. 2. ad fin., Coninchus disp. 7. dub. 9. num. 75.* apud *Bonacinam de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. n. 13.* Ratio est, quia, sicuti detrimentum aliquod graue imminens pænitenti ipsum excusat ab integritate confessionis, vt infra latè videbimus, ita excusat Confessarium impendentem absolutionem ab eadem integritate habenda. Si verò sine iusto, & rationabili motiuo absolutionem impenderit, sed ex proprio voluntatis arbitrio, sentio grauitèr peccasse, quia ex ipsa institutione Diuina confessio habenda est integrè, nisi legitima aliqua, & grauis causa excuset, & Confessarius ex proprio munere debet

11 Sacerdos præproperè absoluens ex graui, & iusta causa nō peccat.

12 Secus, si id non præstat ex iusta causa.

potius

potius per opportunas interrogationes eandem integritatem inquirere, quam sine causa impedire. Non negauerim tamen, quod, si confessio fuerit longæua, ita vt Confessarius non sine aliqua graui difficultate posset in illius auditione immorari, posset illam dimidiare, & dimittere pænitentem ad aliud tempus pro eadem confessione integranda. Sed, an in hac hypothesi habita prima confessione nondum perfecta teneatur suspendere absolutionem vsque ad complementum eiusdem altera vice ponendum, an verò possit tunc impendere imposito onere pænitenti redeundi pro complemento. Sentiendum est congruentius fore, si suspenderet absolutionem vsque ad complementum, si diutina mora non deberet intercedere inter confessionem incohatam, & confessionem perficiendam, nullumque adesset morale periculum alicuius damni spiritualis respectu ipsius pænitentis. Ratio ex eo desumitur, quod, quantum fieri potest, absolutio debet esse directa super omnia peccata, quorum sibi conscius est pænitens, dum eadem est impendenda, sed, si impenderetur habita dumtaxat dimidiata peccatorum confessione, absolutio non esset directa super omnia, nam directè tenderet solum super peccata confessa, non super alia confitenda, ad quæ ad summum indirectè tenderet, & ex alio capite eadem absolutione suspensa vsque ad integritatem confessionis, potest tunc, dum impenditur, esse directè super omnia, ergo congruentius debet suspendi, donec confessio integretur.

13 Ob longitudinē potest dimidiare.

14 Congruētius suspenderet absolutionem vsque ad complementum.

Dixi, *si diutina mora non deberet intercedere inter confessionem incohatam, & confessionem perficiendam, nullumque adesset periculum alicuius damni spiritualis*; nam, si hæc deberent intercedere, vel quia Sacerdos diu abesse deberet à loco, vel pænitens alijs curis esset detinendus, tunc dicerem, Confessarium debere non ægrè ferre, audire totam confessionem, & difficultates vincere, & deinde absolutionem impendere. Quod, si tales fuerint difficultates, & eas moralitèr superare non posse videatur, tunc potest absolutionem impendere, cum ratione impotentiæ moralis pænitens eximatur ab onere integritatis.

15 Nisi necessitas aliud postularet.

Ratione secundi capitis excusatur primò pænitens ab integritate confessionis, qui incæpta confessione suorum peccatorum loquelam amittit, ita vt non possit alia exprimere; tunc etenim potest, & debet eidem impendi absolutio, per quam directè remittuntur peccata confessa, & indirectè alia omissa ex impotentia ipsa manifestandi, nec in hoc aliquis est, qui ambigat.

16 Excusatur ratione loquelæ amissæ.

Secundò excusatur, qui non potest alitèr confiteri, nisi confiteatur publicè, vel per interpretem, vel per scripturam, vel aliquo alio modo, per quem subsit periculum infamiæ; non enim quis tenetur cum tanto discrimine peccata exponere.

Sed circa hanc causam oritur hic difficultas, an in articulo mortis, quando peccator dubitat de sua contritione, teneatur, si possit, ad confessionem illam publicam vel per interpretem, vel per scripturam. Quidam, inter quos *Fagundez præcept. 2. lib. 1. c. 6. n. 8., Henriquez lib. 4. c. 4. n. 4.* sustinent, pænitentem in dato casu posse tacere peccata maioris infamiæ, & alia non tantæ infamiæ exprimere, quinimmò *Coninchus disp. 5. dub. 10. n. 77. cum alijs*, docet, posse aliqua venialia in particulari solum exprimere, & generatim omnia mortalia. Alij, inter quos *Nauarrus in man. c. 21. n. 138., Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 11. punct. 1., Diana part. 3. tract. 4. resol. 128.* dicunt cessare in eo casu obligationem confessionis, quæ non obligat cum tanto detrimento.

17 Itē, quando nō potest habere confessionē, nisi publicam.

Ego autem existimo, quoad publicam non necessitari pænitentem ad confessionem, maximè eorum, quæ redolent infamiam, quia præceptum confessionis non obligat cum tanto detrimento propriæ famæ, quod idem existimo quoad confessionem per interpretem. Quoad confessionem verò per scripturam probabilius esse sentio, teneri confessionem per eandem habere, quia illud morale periculum infamię præcaueri potest perfringēdo chartam, postquam lecta fuerit à confessario, vel imponendo Confessario, vt statim ipsam vrat.

18 Et in hoc casu potest reticere peccata redolentia infamiā.

Sed, an in his casibus, in quibus dictum est excusari, possit absolutè omittere confessionem, an verò teneatur exprimere peccata non redolentia infamiam reticitis illis, quæ eandem redolent, &, an sufficiat in eo casu solum aliqua venialia in particulari exprimere, in generali solummodo dicendo læthalia. Sentiendum est teneri absolutè confiteri ea, quæ nec infamiam redolent, nec detrimentum aliquod afferre possunt. Ratio est, quia confessionis præceptum tunc absolutè vrget, nec aliud excusat ab ipsius adimplemento, nisi infamia, & detrimentum, quod ex illa consurgere potest, ergo, quamuis ratione illorum peccatorum, quæ inferre possunt illam infamiam, & nocumentum, cessat obligatio, non tamen cessare intelligenda est quoad ea, quæ eandem infamiam, & detrimentum ingerere non possunt; Neque arbitrandum est, præceptum confessionis esse indiuiduum, adeo vt, si adimpleri non possit in parte, possit etiam non adim-

19 Alia non redolētia infamiā tenetur exponere.

adimpleri in toto. Non, inquam, arbitrandum est, quia non est talitèr indiuiduum, vt supponitur, quin vrgeat obligatio pro parte, quando pro toto adimpleri non possit, vt videre est in pluribus, & primò in proximis naufragio, respectu quorum sufficit, si aliqua tantum peccata exponant *Siluester verb. Confessio 1. n. 23.*, *Angelus eod. verb. n. 28.*, *Suarez disp. 13. sect. 1.*, *Coninchus disp. 7. dub. 9. n. 74.*, *Vasquez q. 91. art. 2. dub. 2.*; secundò in infecto labe contagiosa, vt supra innuimus.

20
Item, qui ob idioma nequit intelligi.

Tertiò excusatur extraneus, qui nescit idioma loci, in quo reperitur, nec Confessarius adest, qui eum intelligat; hic etenim, si nutibus aliqua exprimere valeat, licet non omnia, absoluendus est *Ludouicus Lopez c. 27.*, *Emanuel Sà verb. absolutio n. 9.*, *Nauarrus cons. 10. de pœnit.*, *& remiss.*, *Henriquez c. 12. n. 3.*, *Reginaldus lib. 6. n. 155.* Idem sentiendum est de muto *Bonacina de pœnit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 4. n. 6.* Ratio est, quia impotentia loquendi excusat ab integritate materiali confessionis; Neque hic audiendus est *Medina lib. 2. c. 7. ad fin.* dicens tam extraneum nescientem idioma loci, quam mutum non esse absoluendos, nisi in articulo mortis; Non, inquam, audiendus est, quia ob defectum, in quo non sunt culpabiles, non sunt pro toto vitæ tempore priuandi beneficio absolutionis, & fructu Sacramenti, potissimum cum non sit obligatio integritatis confessionis materialis existente legitima causa excusante.

21
Item, qui ob vulnus inflictum amittit loquelã, si edat, vel ediderit signa pœnitentiæ.

Quartò excusatur ille, qui inflicto sibi vulnere, aut inopinato morbo correptus loquelam amittit; & superueniente Confessario non potest, nisi signa doloris edere, quæ, si edat, vtique absoluendus est *Vasquez q. 91. art. 2. dub. 2.*, *Valentia disp. 7. q. 12. punct. 1. vers. primus casus*, *Medina Cod. de confess. q. de peccatis oblitis*, *Bellarminus lib. 2. de pœnit. c. 7. ad fin.*, *Coninchus de pœnit. disp. 7. dub. 10. n. 97.*, *Nauarrus in man. c. 26. n. 27.* Ratio ex eo deducitur, quod, etsi non adsit materia remota expressa, adest tamen proxima saltem in genere indicatiua eiusdem remotæ, & vtique sensibilis per nutus, & signa expressa doloris; hæc autem sufficit, quando nequit simul haberi materia remota expressa, vt videre est in pluribus alijs, & præcipuè in eo, qui expresso aliquo peccato nequit alia exprimere; neque dicas, in hoc casu expressionis vnius vtique posse impendi absolutionem, quia est aliqua materia remota determinata, nempè illud peccatum expressum, supra quod cadit directè absolutio, & supra alia reticita solum indirectè; in casu autem, de quo hic loquimur, nulla est materia determinata, supra quam directè cadat absolutio, ideoque &c. Contra enim impugnaberis, quia ex dispositione iuris Diuini, vt asserit Concil. Trident. non vnum tantum, sed omnia peccata læthalia singillatim tam in specie, quam in numero sunt in confessione explicanda; sicuti igitur impotentia aliqua manifestandi siue in specie, siue in numero excusat ab illorum manifestatione, & potest quoad illa validè impendi absolutio, ita impotentia manifestandi omnia singillatim excusat ab illorum expressione, & nihilominus exhibitis signis doloris poterit absolutio impendi; nec obstat id, quod in instantia subdebatur, quod manifestato vno peccato absolutio cadat directè super illud, & super alia indirectè, quod verificari nequit, quando nullum peccatum determinatum est expressum; non obstat, inquam, quia ex institutione Diuina requiritur, quidem expressio vel omnium, vel aliquorum, iuxta quod potest fieri, & quantum fieri potest, sed quando hæc haberi non potest nec quoad omnia, nec quoad aliqua, tunc ex eadem institutione sufficit manifestatio implicita exhibita per signa doloris sensibilia; infinita etenim Dei bonitas, & clementia non præsumenda est pati velle, vt quis, dum facit, quod potest, destituatur illis auxilijs, quæ ipse instituit ad peccatorum veniam obtinendam; vnde in hac hypothesi potest dici, quod absolutio directè cadat super omnia peccata, quorum sibi conscius est ille, qui dat talia doloris signa.

22
Sufficit, quod illa signa fuerint edita coram alijs attestatibus.

Sed quid erit dicendum, si quis inopinato morbo, vel vulnere correptus aliquibus adstantibus signa dederit pænitentiæ petens confessionem nullo tunc extante Confessario, qui postea cum accesserit, infirmus sensibus destitutus nulla edat, vel edere possit signa sensibilia doloris, an tunc ex attestatione adstantium asserentium dedisse signa pænitentiæ, & petijsse confessionem, possit Confessarius illi impendere absolutionem. Affirmatiuè respondendum est, prout etiam sentiunt *Suarez disp. 23. sect. 1. n. 10., & seqq.*, *Bonacina de pœnit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 4. n. 8.* Ratio est, quia, cum dederit illa signa doloris, præsumitur in illo dolore perseuerare, qui dolor factus est sensibilis adstantibus, & per eosdem media attestatione eidem Confessario; non enim necesse est simplicitèr, vt dolor immediatè per ipsum pænitentem deferatur ad ipsum Confessarium, sicuti non requiritur, vt ipsa peccata immediatè per ipsum eidem Confessario exponantur, vt videre est in confessione facta per interpretem, ergo non est, cur non possit, seu debeat eidem impendi absolutio. Sed, an in hac hypo-

thesi

thesi absolutio impendi debeat sub conditione, si es capax, vel sit materia sufficiens, an verò possit absolutè impendi? *Suarez, & Bonacina loc. cit.* sentiunt impendendam esse solum sub conditione, & hoc ne irrogetur iniuria Sacramento, quando verè non esset capax, vel non esset materia sufficiens, quod ego etiam tutius arbitror, quamuis non damnarem confessarium, si in ea hypothesi absolutionem impenderet absolutè, quandoquidem videntur esse omnia requisita, dolor scilicet manifestatus adstantibus, & per eosdem Confessario, & sensibilitas inde resultans.

23 In hac hypothesi congruentius absoluendus esset sub conditione.

Quid verò dicendum sit, si nulla dederit signa doloris, & pænitentiæ, vel, si dederit, nullus fuerit, qui eadem possit edere Confessario, an tunc saltem sub conditione poterit absolui? Absolutè negandum est, cum deficiat materia sensibilis, sine qua non potest subsistere Sacramentum, nec posset cohonestari talis absolutio ex illa conditione apposita, quandoquidem tunc solum potest conditio apponi, quando versamur in aliquo dubio, an sit, vel non sit materia sufficiens, an sit, vel non sit capacitas in subiecto; in hoc autem casu non potest esse dubium de inualiditate absolutionis, cum certo constet, non adesse materiam sufficientem, cum desit sensibilitas, quę est pars essentialis eiusdem materiæ; nec potest dici, quod materia reddatur sensibilis per ipsam formam absolutionis, vt videtur innuere Sotus; non, inquam, potest hoc dici, quia requiritur non minus sensibilitas propria in materia, ac in forma, nec ipsa forma potest impendi, nisi sensibilitas appareat in materia.

24 Nullo edito signo doloris non est absoluendus.

Quintò excusatur, qui non habet copiam Confessarij, nec potest ipsum adire, nisi cum maxima difficultate, & incommodo; hac ratione excusatur fæmina nobilis, & pauper, quæ nequit confiteri, nisi suscepto longo itinere adeat Confessarium existentem in aliqua Ciuitate longè distante à loco, in quo ipsa degit.

25 Excusatur, qui nō habet copiam confessarij.

Ratione tertij capitis vtrum excusetur pænitens ab onere confitendi aliquod peccatum læthale, quando illud exprimere non potest, nisi manifestet complicem in delicto, dictum est supra *in hac eadem quæstione art. 16. §. 4. fere per totum*; quarè ibi dicta sunt recolenda.

Excusatur primò ex hoc capite, qui patrauit delictum aliquod graue aduersus Confessarium, vel eius parentes, cui, si confiteatur illud peccatum, timet sibi grauia incommoda, nec adest alius Confessarius, cum vrgeat necessitas confessionis habendæ; potest enim huiusmodi pænitens alijs peccatis confessis illud reticere.

26 Excusatur, qui commisit graue delictū contra Confessariū.

Excusatur secundò fæmina virgo nobilis, quæ peccatum fornicationis commisit, nec habeat Confessarium, cui confiteatur, nisi consanguineum, vel valdè familiarem, a quo possit timere damna, continuatum ruborem, & fortè etiam sollicitationem; hic etenim timor, cum sit rationabilis, iustam tribuit causam reticendi illud peccatum, si teneatur tunc confiteri, vel, quia vrget præceptum, vel, quia, si tunc omitteret confessionem, ingereret scandalum; atque in hoc ferè communitèr consentiunt, & signantèr *Coninchus disp. 7. dub. 9. n. 75., Henriquez lib. 5. c. 12. n. 6., Pitigianus 2. p. dist. 17. q. vnica art. 5. in explicatione particulæ, Quis, concl. 1., & art. 13. concl. 2.* An verò possit illud peccatum reticere, si solum habeat Parochum, cui ex consueto confitetur ob timorem præcisè amittendi apud eundem bonam famam, & æstimationem, quam apud ipsum habebat. Crederem, probabilius non posse, nisi iustè inde timeret aliud detrimentum esse adfuturum. Ratio ex eo desumitur, quod tota arduitas, quæ est in Sacramento confessionis, consistit in rubore, qui naturalitèr inest omnibus manifestandi alteri propria delicta occulta ob timorem amittendi bonam famam apud eum, cui manifestantur, quo non obstante Deus confessionem præcepit, ergo ob illum præcisè timorem non eximitur pænitens ab onere delictum illud manifestandi. Accedit primò, quod, si ex illa causa præcisè excusaretur a manifestatione illius delicti, frustra insudarent DD. in controuertendo, an posset illud reticeri, quando ex illius manifestatione resultaret notitia complicis apud Confessarium, si etenim ex propria infamia præcisè oriretur ius non manifestandi, non esset hæsitandum, quin consurgeret illud ius, quando ex manifestatione cum propria resultaret iactura alienæ famæ. Accedit secundò, quod, si quæ inde resultaret iactura famæ, compensaretur tot alijs bonis, quæ ex illa confessione consurgerent, potissimum tum illa iactura vix videatur considerabilis, cum sit apud virum prudentem, qualis supponitur Confessarius, cui sub grauibus pænis iniunctum est sigillum, quique ea notitia vti non potest.

27 Excusatur item fæmina virgo nobilis, si nō habeat, nisi Confessarium consanguineū, vel nimis familiarem.

28 Secus, si habeat solum Parochū ob solum ruborem penes illum.

Excusantur tertiò illi, qui reperiuntur in periculo naufragij, aut in incendio, à quo moralitèr nequeant egredi; isti etenim manifestato vno, vel altero peccato etiā si plures sint simul eadem forma concepta in plurali numero possūt absolui; itē illi, qui est in proximo mortis periculo, si rationabilitèr timeatur, quod confessionem non possit ad finem protrahere, potest vno, vel altero peccato audito absolui, qua posita absolutione poterit confessio con-

29 Excusantur itē ab integritate existentes in periculo naufragij.

continuari, vt, quantum fieri potest, sit integra.

Pro complemento eorum, quæ actitata sunt in hoc articulo, duo remanent explicanda. Primum est, an vrgente præcepto confessionis, vel aliqua necessitate ad euitandum scandalum, si tunc non habeatur confessio, oriturum, si quis solum habeat vnum peccatum læthale, ex cuius confessione sibi rationabilitèr timeat graue detrimentum, sed simul peccata venialia, teneatur reticito illo peccato læthali venialia confiteri ad implendum præceptum, vel vitandum scandalum. Secundum est, an, si vnam dumtaxat lęthale habeat, ex cuius manifestatione illud damnum perpeti timet, teneatur illud in genere exponere sub qualitate peccati lęthalis reticita specie, in qua est illud peccatum.

30 Qui habet vnũ solũ peccatum lęthale cũ venialibus, & excusatur à manifestatione læthalis non tenetur venialia cõfiteri.

Quoad primum absolutè sentio, non teneri in ea hypothesi peccata venialia confiteri *Suarez disp. 23. sect. 2. n. 6., Reginaldus lib. 6. n. 157., Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. §. 2. n. 16.* Ratio est, quia respectu venialium, nec consurgit obligatio illa confitendi ratione sui, nec ratione peccati læthalis simul cum illis existentis; non ratione sui, quia nullum est præceptum confitendi venialia; non ratione peccati læthalis prędexistentis, quia existentia peccatorum læthalium simul cum venialibus non obligat ad venialium confessionem, vt per se patet; quinimmò ex eo, quod in data hypothesi cessat obligatio confitendi illud læthale, non videtur inducere obligationem quoad venialia. Hæc, quæ diximus, procedunt, quantum est ex vi præcepti, quod non obligat etiam in hac hypothesi ad venialium confessionem. Sed quid erit dicendum in ordine ad sumptionem Eucharistiæ, siue hæc esset sumenda ex necessitate, siue ex libera electione, an tunc erit præmittenda confessio venialium? Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod Eucharistia, quantum fieri potest, sumenda est remoto quocunque obice ad fructum eiusdem per gratiam recipiendum, sed tunc per confessionem venialium remoueri potest obex resistens receptioni gratiæ, nempè illud peccatum læthale, a cuius confessione excusatur, ergo, tunc tenebitur venialium confessionem præmittere. Minor, in qua est tota difficultas, sic euincitur, quia, si peccata venialia confiterentur ritè, & cum debitis requisitis, certè remitterentur, ergo per gratiam remissiuam, quia peccata non remittuntur sine infusione eiusdem, gratia autem remissiua non compatitur in eodem subiecto simul cum peccato læthali, ergo indirectè trahit etiam secum illius

Rationes pro hoc asserto.

remissionem, ea proportionali ratione, qua dicebamus in præcedentibus de peccatis inculpabilitèr oblitis; neque arbitrandum est, in confessione venialium gratiam remissiuam illorum suspendi ratione lęthalis inexistentis; Non, inquam, arbitrandum, quia Sacramenta positis omnibus requisitis infallibilitèr suum effectum producunt tunc, quando ponuntur, &, cum supponatur dolor etiam de illo peccato, quinimmò principalitèr de illo, etiam remissio ad illud extenditur, quamuis non exprimatur, quia in illa hypothesi est ratio excusans ab expressione. Supposito, quod etiam venialia non remittantur, nisi per infusionem gratię remissiuę, arbitror, tutam esse opinionem asserentem ad sumptionem Eucharistiæ in data hypothesi prærequiri confessionem venialium propter allatum argumentum in ratione dubitandi.

31 Sententia asserẽs teneri peccatũ exponere in genere, si habet causã excusantẽ à manifestatione in specie.

Quoad secundum ratio dubitandi ex eo oritur, quod existente causa excusante à confessione alicuius peccati nõ cessat obligatio confessionis, nisi, quatenus postulat illa iusta causa, in reliquis vrget præceptum, seu necessitas eiusdem; sic tradunt *Coninchus disp. 3. dub. 9. n. 95., Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. n. 20.*, quod, si quis habeat iustam causam reticendi opus externum, non verò internum, teneatur internum manifestare in confessione, vt, si commisit furtum externum, quod, si manifestet, timeat graue damnum sibi inde secuturum, teneatur confiteri voluntatem, quam habuit furandi; sic alij statuunt, quod, si quis incæstum commiserit, & habeat iustam causam reticendi qualitatem incæstus, teneatur fateri fornicationem commissam, ergo, si quis habeat vnicum dumtaxat peccatum læthale, & simul iustam causam illius qualitatem specificam reticendi, tenebitur illud reticita illa qualitate in genere peccati læthalis exponere.

32 Sentẽtia Bonacinę volentis teneri exprimere saltem in genere proximo.

His tamen non obstantibus *Bonacina loc. cit. num. 15.*, qui pro se allegat *Suarez disp. 23. sect. 2. num. 6., Vasquez, & alios*, asserit præciso mortis articulo tale peccatum non posse in genere confiteri addita ratione, quia nullam potest excusationis causam afferre Confessario, cur ita in genere confiteatur peccatum; quod, si dicatur, quod, sicuti existente iusta causa potest reticeri qualitas specifica, & solum exprimi generica sub qualitate fornicationis, quando incæstus commissus est, & reticeri opus externum explicando internum, ita etiam eadem iusta causa existente posit reticeri qualitas specifica, & manifestari solum peccatum in genere sub qualitate læthalis; Respondere potest Bonacina,

nacina, quod in primo caſu manifeſtatur peccatum ſaltem ſub qualitate ſpeciei ſubalternæ, cui acquieſcere poteſt Confeſſarius, in caſu verò præſenti ſub nulla ſpecie ſiue infima, ſiue ſubalterna manifeſtatur peccatum, ſed ſolum in genere vniuerſaliſſimo, cui non poteſt Confeſſarius iuſtè acquieſcere. Sed non videtur hæc Bonacinæ reſponſio ſatisfacere; nam, ſi Confeſſarius pænitentem interroget, ſub qua ſpecie fornicationis contineatur illud peccatum, quod confitetur, non poteſt iuſtam excuſationis cauſam afferre, cur ita in genere confiteatur peccatum, & tamen ipſe aſſerit, quod exiſtente iuſta cauſa non teneatur illud in qualitate ſua ſpecifica confiteri, ergo etiam &c., cum etiam neceſſe videatur exprimere peccata in ſua ſpecie infima, & ita non ſufficit exprimere in ſpecie ſubalterna, quando ſunt in infima, ſicuti non ſufficit exprimere in genere; & ſicuti, vt fatetur *Bonacina loc. cit.* ſufficit, confiteri peccatum in genere, quando pænitens ſcit ſe mortaliter peccaſſe, non tamen recordatur, in qua ſpecie, ita ſufficere poſſe videtur illud confiteri in genere, quamuis peccator ſciat in qua ſpecie commiſerit, quando iuſtam cauſam habet reticendi ſpeciem, cum æquè deobliget iuſta cauſa ab expreſſione in ſpecie, ac obliuio. Quid iam in hac controuerſia concludendum?

33 Approbatur ſententia Bonacinæ.

Sentio cum eodem Bonacina non obſtantibus in contrarium adductis, quantum ad illam confeſſionem peccati ſub præciſa ratione peccati læthalis. Rationem ex eo deduco, quod ex inſtitutione Diuina, quantum fieri poteſt, peccata ſunt in confeſsione explicanda, & in ſpecie, & in numero, & quandò hoc fieri non poteſt propter iuſtam cauſam excuſantē, debet ſaltem fieri, vt magis confeſsio accedat illi ſpeciei, in qua commiſſum eſt peccatum, vt prudentius, & magis accommodatum efformetur iudicium de ſtatu pænitentis, nec ſufficit, ſi fiat in genere vniuerſaliſsimo, quia tunc non fieret accommodum iudicium de ſtatu eiuſdem; & in hoc rectè procedunt exempla de eo, qui commiſit incæſtum, & de eo, qui furatus eſt, cum ille, qui incæſtum commiſit proximius proferat peccatum ſub qualitate fornicationis, &, qui furatus eſt proximius ſub qualitate voluntatis efficacis furandi, quam vterque ſub qualitate peccati læthalis in genere.

ARTICULUS XX.

An, & quando confeſsio ſit iteranda.

SUMMARIUM.

Confeſſio eſt iteranda, quotieſcunque irrepſit ſubſtantialis error cognitus. 1.
Declaratio Alexandri VII. 2.
Defectus alij ex parte pænitentis, alij ex parte Confeſſarij. 3.
Eſt iteranda, ſi pænitens ſcienter acceſſerit ſine dolore. 4.
Item, ſi fuerit ſine integritate culpabili. 5.
Qui prætermiſit aliquod peccatum in confeſſione exiſtimans eſſe veniale, cum eſſet læthale, cognita poſtea qualitate læthali non tenetur totam confeſſionem iterare, ſed ſolum illud peccatum exponere. 6.
Quid ſentiendum de exponente peccata dubia ſub qualitate certi, & è contra. 7.
Conſideranda circa hanc quæſtionem. 8.
Dubius circa exiſtentiam peccatorum, ſi ea manifeſtauerit, vt certa, non tenetur iterare. 9.
Si expoſuit ſub qualitate dubij cognita certitudine non tenetur iterare totam confeſſionem, ſed ſolum peccatum illud exponere ſub qualitate certi. Ibid.
Si fuerit certus de exiſtentia peccati, illudque expoſuerit, vt dubium, tenetur totam confeſſionem repetere. 10.
Certus de dubietate peccati exponens illud, vt certum, non tenetur repetere. 11.
Innodatus excommunicatione quærens prius abſolutionem à peccatis, quam à cenſura, an teneatur confeſſionem repetere. 12.
Si ſcientèr prius quæſierit abſolutionem à peccatis, & poſtea relaxationem excommunicationis tenetur confeſſionem iterare. 13.
Si ignorantèr hoc fecerit, non tenetur iterare. 14.
Sic abſolutus à peccatis indigeret adhuc abſolutione à cenſura. 15.
Inanis gloria altera læthalis, altera venialis. 16.
Si ſit læthalis inualidat Sacramentum, quod eſt iterandum. 17.
Si venialis opinio Siluestri ſub diſtinctione. 18.
Probabilius non eſt iteranda. 19.
Culpa venialis non ponit obicem, nec tollit actus pænitentis ſubſtantiales. 20.
Poſita obliuione pænæ iniunctæ per Confeſſarium rationes ſuadentes confeſſionem eſſe iterandam. 21.
Probabilius non eſt iteranda. 22.
Soluuntur rationes pro contraria ſententia. 23.
Iteranda eſt confeſſio, ſi facta ſit ſcienter Con-

1 Est iterãda interueniente substãtiali errore cognito.

CONclusio vnica. Confessio est iteranda, quotiescunque in præcedenti substantialis error irrepsit, qui sit cognitus. In hanc arbitror DD. communite̍r conuenire.

2 Declaratio Alexandri VII.

Ratio per se est perspicua, quia existente defectu substantiali cognito confessio ipsa est inualida, ergo perinde est, ac si non sit posita, ac proinde est iteranda, quia præceptum de eadem habenda est de valida; vnde meritò Alexander VII. in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Inquisitionis habita fer. 5. die 24. Septembris 1665. damnauit propositionem illam, quæ est in ordine tertiadecima, qua dicebatur. *Qui facit confessionem voluntariè nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ*. Difficultas igitur solummodo versatur in decernendo, quandonam confessio præcedens intelligatur inualida ex defectu substantiali cognito, & quando non. Pro quo

3 Defectus alij ex parte pęnitentis, alij ex parte cõfessarij.

Aduerto, defectus considerari posse, vel ex parte pænitentis, vel ex parte ministri Sacramenti; ex parte pænitentis, quatenus deficiat, vel in intentione requisita, vel in sufficienti dolore, vel in integritate confessionis voluntariè, & sine causa, vel in adimplemento debitæ satisfactionis, vel ex malo fine, puta inanis gloriæ; ex parte ministri, vel quatenus careat debita iurisdictione, vel quatenus non habeat debitam attentionem, sed tempore confessionis dormiat, vel quatenus sit irretitus excommunicatione, vel quatenus non habeat requisitã intentionem absoluendi, vel deficiat in forma substantiali absolutionis. De his omnibus erit hic sermo habendus.

Vt certa ab incertis secernamus, certum est primò, ex parte pænitentis interuenire defectum substantialem, si scienter accesserit sine dolore, & proposito de cætero non peccandi, quia deficit in parte essentiali Sacramenti, & propterea confessio est inualida, ideoque iteranda. Dixi, *si scienter*, nam, si accesserit bona fide existimans dolorem illum esse sufficientem, cum tamen re vera non sit sufficiens, quamuis secundum se illa confessio sit inualida, non tamen ex necessitate est iteranda, quia, cum ille defectus non sit cognitus, non tribuit fundamentum suspicandi de inualiditate; cæteroqui omnes ferè confessiones essent iterandæ, cum nullus habita etiam confessione scire possit, an amore, vel odio dignus sit, vt ait Apostolus, an sufficientem, an insufficientem habuerit dolorem, & ab hoc neminem arbitror dissentiri.

4 Si fit sine dolore scienter.

Certum est secundò, interuenire defectum substantialem, si culpabilite̍r defecerit ab integritate confessionis, omittendo, vel species cognitas, vel numerum peccatorum, in quo casu non solum esset clauibus subijciendum peccatum voluntariè, & sine iusta causa omissum, sed omnia etiam peccata in præcedenti confessione mutila exposita, & ratio est, quia in illa confessione non solum resultat inualiditas, sed etiam contrahitur noua culpa sacrilegij. Dixi, *culpabilite̍r*, nam, si aliquod peccatum fuerit omissum, vel ex obliuione, vel ex iusta causa excusante, tunc præcedens confessio non est iteranda, quia fuit valida, sed tantum in alia confessione peccatum omissum exponendum; Neque in hoc arbitror posse difficultatem versari.

5 Item, si fuerit sine integritate culpabili.

Incerti iuris est ex parte pęnitentis, an, qui prętermisit aliquod peccatum lęthale in confessione existimans esse veniale, quamuis in commissione illius ob ignorantiam vincibilem non excusetur à lęthali, teneatur confessionem pręcedentem iterare, an verò sufficiat, cum fuerit cognitum, vt lęthale, illud sub sua formalitate exponere. Ratio incertitudinis videtur ex eo desumi, quod, sicuti ignorantia illa vincibilis non excusat à commissione lęthalis, ita, nec videtur excusare à lęthali in omissione confessionis. Nihilominus probabilius est, non teneri totam confessionem pręcedentem iterare, sed sufficere, si habita notitia de qualitate lęthalis illud sub tali qualitate in altera confessione exponat. *Nauarrus in man. c. 12. n. 1., Siluester verb. confessio 1. q. 3., Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 3. num. 6.* Ratio ex eo desumitur, quia, quamuis peccans cum illa ignorantia vincibili non excu-

6 Quid sẽtiendum de eo, qui peccatum læthale prætermisit existimans esse veniale.

excusetur à culpa, cum illa tamen compati potest ignorantia inculpabilis grauitatis peccati, nam, quamuis peccauerit in non superando illam ignorantiam, postquam tamen illa superata non est, potest bona fide credere, seu ignorare in non superatione illius ignorantię consistere culpam grauem, & de facto hoc supponitur, dum dicitur *existimans esse veniale*, nam, si supponeret, esse lęthale, in hoc non esset controuersia.

7 Quid sciendum de exponente peccata dubia sub qualitate certi, & è contra.

Item incerti iuris est, an teneatur iterare confessionem, qui in pręcedenti dubia pro certis confessus est, & è contra certa pro dubijs. Ratio dubitandi ex eo desumitur, quod, vt supra diximus, Concil. Trident. definit solum peccata, quoad numerum, species, & circunstantias mutantes speciem esse in confessione aperienda; peccatum autem dubium, & certum, siue sub vna, siue sub alia qualitate exprimatur, nec diuersificat numerum, nec speciem, nec circunstantias mutantes speciem, ergo, siue fuerit sub vna, siue sub altera qualitate expressum, nō reddet irritā confessionem, ideoque hæc non erit iteranda. Ex alio capite videtur in tali confessione peccati dubij sub qualitate certi, vel certi sub qualitate dubij interuenire error circa substantiam materiæ, cum aliud sit peccatum dubium, aliud certum, & diuersum substantialitèr iudicium de peccato dubio ab illo, quod est de peccato certo. Quid ergo concludendum? Considerandum est primò, an quando confessus est peccata dubia sub qualitate certi, vel è contra, fuerit certus, vel de dubietate, & certitudine delicti, vel fuerit dubius. Secundò, an peccata dubia vera exposuerit sub qualitate certi, an verò determinatè peccata certa sub qualitate dubij. Hinc dico primò, quod, si fuerit dubius in prima confessione de certitudine, vel dubietate illorum peccatorum, illaque exposuerit sub qualitate dubij cognita postea certitudine illorum non teneatur præcedentem confessionem repetere, sed solum illa peccata, quæ exposuit, vt dubia, exponere in alia confessione, vt certa iuxta ea, quæ diximus *supra q. 2. art. 1. assert. 4. per tot.*, & ratio est manifesta, quia in prima confessione nullus intercessit quoad conscientiam pænitentis error in substantia, cum manifestauerit peccata, prout tunc existebant in eius conscientia.

8 Consideráda circa hanc quæstionem.

9 Qui peccata dubia exponit, vt certa non tenetur illa exponere.

Dico secundò, si fuerit dubius circa existentiam peccatorum, & illa manifestauerit, vt certa ad maiorem suæ conscientiæ tranquilitatem, probabilius non teneatur præcedentem confessionem repetere. Ratio est, quia illa manifestatio sub qualitate certi, non videtur grauitèr peccaminosa, cum facta fuerit bona fide, & sub honesto fine certioris exonerationis propriæ conscientiæ, quæ certè non sunt imputanda ad culpam bona fide operantis, ergo non est, cur reddatur illa confesio inualida, & propterea sit ex necessitate iteranda, potissimum cum malitia peccati dubij contineatur sub illa peccati certi.

10 Certus de peccato exponens illud vt dubium tenetur totā confessionem repetere.

Dico tertiò. Si fuerit certus de certitudine peccati, illudque exposuerit sub qualitate dubij probabilius est, quod illa confessio fuerit inualida, ac proinde sit iteranda, & in hoc videtur consentire *Bonacina de Sacram. pænit. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 3. n. 7. in resp. ad obiectionem secundam.* Ratio ex eo deducitur, quod iudicium de peccato dubio est substantialitèr diuersum à iudicio de peccato certo in eadem materia; nec obstant ea, quæ ex Concil. Trident. pro contraria sententia afferebantur, quod scilicet peccatum dubium, & certum non differant, nec in specie, nec in numero, ideoque non sint ex necessitate sub propria qualitate exponenda, cum solus numerus, & species, & circunstantiæ mutantes speciem sint ex necessitate exponenda; Non obstant, inquam, quia Concilium Tridentinum nomine numeri non intelligit solum quantitatem discretam in abstracto, sed existentiam actuum elicitorum secundum numerum, quo verè existunt, vnde, si pænitens confiteatur peccatum, seu peccata, vt dubia, non confitetur eadem, seu idem, vt existentia, seu vt existens, sed sub indifferentia, & modo, quo non possit Confessarius cognoscere extitisse, sed solum, quod potuerint existere, vel non existere, & sic non exponit peccata, vt existentia, cum tamen fuerint existentia, & ipse cognouerit esse talia, vnde voluntariè, & culpabilitèr defecit ab integritate quoad numerum peccatorum secundum eorum existentiam.

11 Certus de dubietate peccati, & exponens, vt certum non tenetur iterare.

Dico quartò, si fuerit certus de dubietate peccatorum, & nihilominus ea exposuerit, vt certa, probabilius arbitror non teneri confessionem habitam iterare, nisi fortè ex prauo aliquo fine, & læthalitèr peccaminoso hoc præstiterit. Rationem ex eo deduco, quia ex vno capite malitia, quæ considerari potest in peccato dubio continetur in peccato certo; ex alio capite illa expresio sub ratione certitudinis potest esse volita ad finem honestum, & aprehensum, vt magis proficuum ipsi pænitenti ad sedandam anxietatem conscientiæ, ne scilicet torqueatur continua sinderesi de non recta confessione sub illa expressione dubia, & si quæ malitia potest considerari in illa expresione sub qualitate certi, cum peccatum sit dubium, est solum noxia ipsi pęnitenti, quatenus quid magis

magis æstimationis amittit pænes Confessarium, cuius æstimationis præiuditio potest cedere, cum compensetur per maius bonum, quod inde emanat ex tranquilitate propriæ conscientiæ.

12 An excõmunicatus teneatur prius absolutionem à censura inquirere.

Item incerti iuris est, an teneatur confessionem iterare, qui, cum esset innodatus censura excommunicationis, prius quæsiuit absolutionem à peccatis, quam relaxationem à censura. Ratio dubitandi est, quia excommunicatus priuatur susceptione Sacramentorum, vnde, si Sacramentum susceperit ante ablationem censuræ intelligitur inualidè suscepisse, ac proinde teneri iterum peccata sic commissa, vtpotè non remissa subijcere Sacramento. *Bonacina de Sacramento pænit. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 3. n. 5.*, qui etiam pro se allegat *Valentiam tom. 4. q. 11. punct. 3. col. 2.* procedit sub distinctione; asserit enim, quod, si voluntariè sciens non posse peccata remitti, nisi ablata excommunicatione, prius curauerit absolutionem a peccatis, quam relaxationem ab excommunicatione, teneatur confessionem iterare, cum in hoc grauitèr peccauerit, & illa confessio fuerit inualida; si verò bona fide prius curauerit absolutionem à peccatis, quam à censura, quatenus ignorauerit absolutionem à censura præmittendam esse, non teneatur confessionem iterare, & rationem ex eo deducit, quia excommunicatus non est incapax Sacramentorum, quamuis prohibeatur illa recipere.

13 Si sciẽter hoc fecerit tenetur cõfessionem repetere.

Quoad primam partem eidem Bonacinæ adhærendum existimo, nec arbitror in hoc posse esse dissidium, cum excommunicatus scientèr nequeat licitè Sacramenta suscipere, nisi prius fuerit sublata excommunicatio, quæ est impeditiua susceptionis Sacramentorum, & suscipere Sacramenta scientèr eadem non sublata est nouum peccatum læthale ob transgressionem præcepti Ecclesiastici in re graui. Quoad secundam partem difficultas videtur in eo versari, quod, cum excommunicatus bona fide, vt supponitur, accedat ad Sacramentum ignorans prærequiri absolutionem ab excommunicatione, non contrahit nouum peccatum, sicuti contrahit, si accedat scientèr, & mala fide; ex alia parte existente excommunicatione, quantumuis ignoretur, an hæc impediat susceptionem Sacramentorum, sicuti impeditur pænitens ab illorum susceptione, ita impeditur à consecutione effectus illorum; non etenim impedimentum consurgit ex scientia, sed ex natura eiusdem excommunicationis, quæ, quantum est ex se, impedit susceptionem, immò secundum aliquorum sententiã reddit subiectum incapax illius susceptionis, quousque perseuerat in eodem subiecto. Nihilominus etiam quoad secundam partem non recedendum arbitror ab opinione Bonacinæ, quam etiam sustinent *Vgolinus tab. 2. c. 7. §. 2.*, *Henriquez lib. 13. c. 12. n. 2.*, *Suarez de censur. disp. 12. sect. 3. n. 9.*, *Sairus lib. 2. c. 2. num. 5.*, *Valentia tom. 4. disp. 7. q. 11. punct. 3. circa princip.*, *Alterius lib. 1. disp. 6. c. 5. col. 5., & 6.*, *Reginaldus lib. 6. n. 172.*

14 Si ignorantèr, & bona fide hoc fecerit non tenetur iterare.

Pro probatione suppono primò, quod sic ignorans recipiens Sacramentum pænitentiæ nullam nouam culpam contrahat, cum bona fide recipiat, nec cum praua, sed cum recta intentione consequendi Sacramentum, & fructum eiusdem existimans nihil obesse. Secundò excommunicationem præcedentem, nec pugnare cum substantia, nec cum effectu Sacramenti, vt ex multis textibus iuris Canonici perspicuè euincitur primò ex *c. Apostolicæ de Cler. excom. minist.*, vbi dicitur Sacerdotem excommunicatum celebrantem Diuina, nec peccare, nec contrahere irregularitatem, si fuerit ignorãs ignorantia probabili; secundò ex *c. 1 de eo, qui furt. ord. suscep.*, vbi excõmunicatus, qui ordinem suscepit, dicitur verè suscepisse Sacramentum. Quibus suppositis sic arguo. In excommunicato suscipiente bona fide Sacramentum pænitentiæ ante relaxationem excommunicationis, nil substantiale deest, quo minus valeat ipsum Sacramentum validè, & cum effectu suscipere; supponitur enim, quod debitum dolorem, aptum propositum habeat, & integram confessionem cum debita intentione, nec in eadem confessione aliquem ponat obicem ad gratiam, cum bona fide accedat, & quod Confessarius habens potestatem cum iurisdictione eidem impendat beneficium absolutionis, ergo non est, cur non debeat, & substantiam, & effectum Sacramenti suscipere;

Rationes pro hoc asserto.

Neque dicas, adesse incapacitatem subiecti, ratione excommunicationis, tam ad recipiendum Sacramentum, quam ad eius effectum; contra enim impugnaberis, quia ex præactis tam *in d. c. Apostolicæ de Cler. excommun. minist.* cum ex *c. 1. de eo, qui furt. ord. susc.* clarè euincitur, quod substantia Sacramenti non pugnat cum excommunicatione, quinimmò, nec eius effectus, cum gratia non pugnet cum eadem excommunicatione; si etenim excommunicatus eliceret actum contritionis perfectum consequeretur gratiam, & tamen adhuc perseueraret excommunicatio; vnde, cum in hypothesi, de qua loquimur, omnia præstet requisita ad suscipiendum Sacramentum, nec per nouum peccatum ponat obicem ad gratiam, non est, cur non debeat dici, & Sacramentum suscipere, & eius effectum.

Ad-

Aduerte hic tamen, quod excommunicatus, qui bona fide absolutus est à peccatis, non relaxata prius excommunicatione, adhuc irretitus maneat tali censura, donec ab eadem soluatur *Caietanus in summa verb. absolutionis impedimenta, Reginaldus lib. 6. de Sacram. confess. nu. 172. vers. sexta propositio est*, vnde non poterit ante absolutionem ab eadem se immiscere Diuinis ex *c. à nobis 2. de sent. excomm.*, & si se immisceret, nouam culpam læthalem contraheret, vtpotè transgrediens præceptum Ecclesiæ in re graui.

15 Sic absolutus à peccatis indigeret absolutione ab excómunicatione.

Item incerti iuris est, an teneatur confessionem iterare, qui eandem habuit ex motiuo inanis gloriæ. Pro quo aduerte, finem inanis gloriæ, vel posse esse læthalem, vel venialem solummodo; si læthalis, certum est, quod irritet ipsum Sacramentum, & propterea confessio erit iteranda, eo quia ponit obicem gratiæ remissiuæ peccatorum, & Sacramentum remanet non solum informe, sed etiam inualidum; vt supra probatum est; Si venialis; Adhuc *Siluester verb. confessio 1. q. 7.* distinguit; vel etenim est finis principalis, qui ita mouet ad opus, vt sine illo opus non fieret, atque hic à Theologis dicitur finis motiuus, vel est finis minus principalis, qui non mouet, vt opus simplicitèr fiat, sed, vt fiat citius, celerius, & intensius; atque hic dicitur etiam finis impulsiuus; Si sit finis principalis, docet ipse Siluester irritare confessionem, quæ propterea erit iteranda. Ratio ipsius est, quia in hoc Sacramento venia peccatorum non solum debet esse quomodocunque finis pænitentis, sed debet esse finis principalis, adeoque, si hic statuatur in inani gloria, est contra intentum eiusdem Sacramenti, ipsumque inualidat; Si sit minus principalis; sustinet esse validam confessionem, eo quia ex vno capite saluatur finis principalis, qui est venia peccatorum, & ex alio capite peccatum veniale non inducit obicem gratiæ. Sed quidquid asserat Siluester.

16 Inanis gloria duplex.

17 Si sit læthalis irritet Sacramentum.

18 Si sit venialis opinio Siluestri sub distinctione.

Sentiendum est, confessionem habitam ob finem venialem inanis gloriæ, siue ille fuerit principalis, siue minus principalis non esse inualidam, nec ex necessitate iterandam *Vasquez part. 3. q. 92. art. 3. dub. 2., Ioannes Medina 9. de confessione sine pænitentia cordis*. Probatur, quia cum illo fine inanis gloriæ saluari possunt omnia, quæ essentialitèr concurrunt, & requiruntur ad valorem Sacramenti pænitentiæ, ergo ille finis non irritat Sacramentum. Antecedens probatur, quia supponitur sufficiens dolor, conueniens integritas, & alia omnia, & ex alio capite culpa venialis, nec ponit obicem gratiæ, nec delet alios actus pænitentis, ergo &c. Neque dicas deficere debitam intentionem pænitentis, cum hæc non ordinetur ad veniam consequendam, sed tantum ad captandam inanem gloriam; Contra enim est, quia, quamuis intentio remissionis peccatorum non sit principalis, supponitur tamen inuolui in animo pænitentis, dum confitetur, eo quia, quamuis non moueretur ad confessionem habendam, nisi esset illud motiuum inanis gloriæ, dum tamen mouetur, intelligitur saltem implicitè velle id, quod consequitur ad eandem confessionem, nempè effectum gratiæ remissiuæ.

19 Non est iteranda.

20 Culpa venialis non ponit obicem.

Item incerti iuris est, an pænitens peracta integra confessione, & recepta Sacerdotis absolutione, si obliuiscatur satisfactionis iniunctæ, teneatur eandem confessionem iterare. Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod satisfactio ex vna parte debet esse Sacramentalis, & virtute clauium, ex alia debet esse congrua, & proportionata peccatis; ex eo autem, quod debeat esse Sacramentalis, & virtute clauium, non potest eligi supplementum oblitæ ab ipso pænitente; ex eo verò, quod debeat esse congrua, & proportionata peccatis, debet esse cum cognitione causæ, & efformari prudens iudicium inter peccata, pro quibus fuerat imposita pænitentia oblita, & pænam pro illis statuendam, ergo pro implemento talis satisfactionis debitæ erit iteranda eorundem peccatorum confessio, vt illud, quod imponitur, sit Sacramentale, & proportionatum peccatis.

21 Rationes suadentes confessionem esse iterandã ob obliuionem pænitentiæ.

Nihilominus ex hoc capite sentiendum est, confessionem non esse ex necessitate iterandam. *Nauarrus in man. c. 9. n. 17., Sotus in 4. dist. 20. q. 2. art. 2. ad tertium. Fernandez part. 3. c. 7. §. 6. n. 14., Diana part. 4. tract. 4. resol. 241.* Ratio est, quia iteratio in hoc casu neque necessaria est ad remissionem culpæ, neque ad remissionem pænæ, siue æternæ, siue temporaneæ, neque ad implementum præcepti impositi a Confessario; Non ad remissionem culpæ, quia hæc iam supponitur extincta per præcedentem confessionem, quæ non inualidatur per obliuionem pænitentiæ iniunctæ; Non ad remissionem culpæ æternæ, quia hæc semper tollitur simul cum culpa; non temporaneæ, eo quia potest aliundè compensari æstimando moralitèr ad quantum poterat, & potuerit iniuncta ascendere; Non tandem ad adimplementum præcepti impositi à Confessario in præcedenti confessione, quia illud præceptum non fuit de iteratione confessionis, sed de adimplenda pæna imposita, quod, cum sit impossibile propter obliuionem, non tenetur ad illam, sed ad summum ad aliquod æquiualens.

22 Probabilius non est iteranda.

Neque

Neque obstant ea, quæ in ratione dubitandi dicebantur, quandoquidem dato, quod satisfactio sit virtute clauium, & Sacramentalis, non est tamen de substantia Sacramenti, ita vt, si omittatur, ipsum inualidetur, vnde potest per aliud suppleri ipso in suo esse valido subsistente; verum tamen est, quod maioris efficacitatis erit satisfactio imposita a Confessario, vtpotè virtute clauium, quam sit electa ab ipso pænitente; non tamen ex hoc sequitur, quod, si in casu obliuionis alia æquiualens eligatur, & exequatur à pænitente reddatur inualida prior confessio.

23 Soluuntur rationes pro contraria sententia.

Ex parte Confessarij absoluentis certum est, primò confessionem iterandam esse, si ille careat iurisdictione, & constet de tali carentia, quia sine iurisdictione non potest sententia absolutionis validè pronuntiari. Dixi, *si constet de tali carentia*, nam, si re vera non habeat, communi tamen errore, & titulo colorato censeatur habere, intelligitur valida confessio supplente Ecclesia defectum iurisdictionis arg. textus in *l. Barbarius, ff. de offic. prat.*, & in iurisdictionalibus error communis facit ius per textum *in l. 2. C. de testam.*, & *l. 2. in fine, ff. de offic. præsid.*

24 Iteranda est confessio, si facta sit scientèr Confessario carente iurisdictione.

Certum est secundò, inualidam esse confessionem, & vtique iterandam, si constet certo Confessarium non habuisse debitam intentionem absoluendi, quin potius intentionem non absoluendi, quia deficeret essentiale requisitum ad valorem Sacramenti, & licet supra dixerimus intentionem ministri non ingredi intrinsecè constitutionem Sacramenti, ita tamen requiritur ex parte ministri, vt sine illa Sacramentum validum fieri non possit.

25 Item, si constet Confessariũ non habuisse intentionem absoluendi.

Certum est tertiò eandem iterandam esse, si Confessarius substantialitèr defecerit in forma, vel eam in substantia mutando, vel omittendo verbum aliquod substantiale, prout latè videbimus, dum de forma huius Sacramenti.

26 Vel contigerit defectus substantialis in forma.

Incerti verò iuris est, an sit iteranda confessio, quando facta est Sacerdoti excommunicato. Pro resolutione plura hic veniunt notanda; primò, an Sacerdos sit excommunicatus non toleratus, & vitandus, an verò toleratus, & non vitandus. Rursus, an communi errore, & titulo colorato in loco, in quo facta est illa confessio, haberetur pro legitimo Confessario, an verò non haberetur pro tali. Rursus, an, quamuis in tali loco communitèr haberetur pro Confessario legitimo, ipse tamen pænitens priuata scientia sciret certo ob excommunicationem non habere iurisdictionem necessariam ad absoluendum. Quibus suppositis

Dico primò. Si fuerit excommunicatus vitandus, confessionem apud ipsum factam ex genere suo esse inualidam; si verò fuerit toleratus, confessionem quidem apud ipsum factam esse validam, sed grauitèr peccare Sacerdotem absoluentem. Prima pars est communis apud omnes. Secunda pars est *Nauarri c. 27. num. 21.*, *Auilæ secunda part. disp. 6. c. 6. dub. 3.*, *Henriquez lib. 13. c. 8.*, *Vgolini tab. 1. c. 3. in init.*, *Coninchi disp. 14. dub. 10. num. 89.*, *Reginaldi lib. 32. num. 29.* Prima pars ex eo euincitur, quia eo ipso, quo Ecclesia ipsum non tolerat, priuat quacunque iurisdictione propria ipsi competente per textum *in c. ad probandum de re iudic. c. 1. de supplen. defect. Prælat. in 6.*, & *c. final. de Cler. excomm. minist.* Secunda pars è contrario sensu ex eo deducitur, quod Ecclesia sic excommunicatum toleret in suo officio, nec prohibet fideles cum eo communicare etiam in sacris, ergo fideles communicantes cum ipso in Sacramento pænitentiæ absolutionem ab eodem recipientes validè recipere censendi sunt. Quod deinde grauitèr peccet Sacerdos excommunicatus, quantumuis toleratus exercendo actum iurisdictionis in absoluendo, constat ex eo, quod Concil. Constantiense nullo modo fauet excommunicatis etiam non vitandis, sed solummodò fidelibus cum ipsis communicantibus, vt notat *Bonacina de excommun. disp. 2. q. 2. punct. 5. num. 3. in fin.*

27 Si Cõfessarius sit excõmunicatus vitandus confessio nõ tenet.

28 Si nõ vitãdus tenet confessio.

Dico secundò. Si confessio fuerit habita in loco, in quo Sacerdos ignoratur esse excommunicatus, & communi errore, & titulo colorato habetur pro idoneo, valida intelligitur confessio apud ipsum facta, & propterea non est iteranda *Vgolinus tab. 1. c. 13. §. 10. num. 12.*, *Suarez de cens. disp. 11. sect. 2. num. 14.*, *Coninchus disp. 14. dub. 10. num. 88.*, *Alterius lib. 1. disp. 8. sub fin.* Ratio deducitur ex ijs, quæ supra dicebamus *ex l. Barbarius, ff. de offic. Prat.*, quandoquidem error communis facit ius.

29 Si ignoretur cõmunitèr excõmunicatio tenet cõfessio.

Dico tertiò. Si in loco, in quo quis fatetur peccata confessario excommunicato vitando, in quo ignoratur eius excommunicatio, & communi errore habetur pro idoneo, ipse tamen confitens certo norit priuata scientia ipsum esse excommunicatum vitandum, non intelligitur valida confessio apud ipsum facta, sed est iteranda. In hanc consentire videntur *Ioannes Angelus Bossius de tripl. Iubilæi priuil. sect. 3. cas. 2. §. 4. num. 152.*, *Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 22. n. 47.* Ratio ex eo deducitur, quod pænitens cum tali scientia priuata ponit obicem ratione materiæ eidem confessioni, quandoquidem cooperatur peccato Confessarij in audienda illius confessione; scit enim ipsum non posse exercere

30 Si pænitens nouerit Cõfessarium esse vitãdum licet alij communitèr ignorent nõ tenet confessio.

cere actum iurisdictionis propriæ, & in exercitio illius grauitèr peccare; Neque obesse potest, si dicatur, quod illa scientia priuata perseuerante errore communi non possit obesse iuri, quod consurgit ex errore communi fundatum in eo, quod iura ob bonum publicum supplent defectum iurisdictionis in ipso excommunicato. Non, inquam, obesse potest, quia nos non dicimus, quod illa confessio reddatur inualida ob defectum iurisdictionis in Confessario, sed ob defectum materiæ ob obicem positum ab ipso pænitente ob illam cooperationem ad peccatum Confessarij.

31 Extante ratione probabili de iurisdictione Confessarij quid agendū.

Incerti item iuris est, an extante controuersia super iurisdictione Confessarij vtraque parte probabili, si pænitens confiteatur eidem Confessario adhęrens parti affirmanti eiusdem iurisdictionem, intelligatur valida ipsius confessio, & propterea non iteranda. *Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 3. prop. 2. num. 11.* existimat validam esse, & non iterandam talem confessionem eo ductus fundamento, quod, sicuti Ecclesia supplet defectum iurisdictionis in Confessario, quando adest error communis, & titulus coloratus, ita etiam suppleat talem defectum, quando adest sententia pro vtraque parte probabilis de eius iurisdictione. Sed modo ex alio capite desumenda est resolutio huius controuersiæ stante declaratione Innocentij XI. semper gloriosæ recordationis, qua sub die 2. Martij 1679. damnauit propositionem illam, quæ est sub numero prima. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore.* Quamobrem videndum erit in contingentia casus, an rationes pro sententia affirmatiua, an verò pro negatiua sint tutiores, & tutioti parti adhærendum; crederem tamen, non damnandum esse inualiditatis pænitentem, si bona fide huiusmodi Confessarium idoneum reputasset.

32 Quid sētiendum sit de cōfessione facta Cōfessario indocto, & minus idoneo.

Incerti item iuris est, an, si pænitens confessus sit Confessario indocto, & minus idoneo nescienti distinguere inter peccata venialia, & læthalia, & hanc confessionem habuerit bona fide, & postea cognouerit inidoneitatem, & imperitiam teneatur confessionem apud ipsum præhabitam iterare. Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod ad valorem Sacramenti requiritur, vt efformetur prudens iudicium de statu pænitentis, & proportionata pæna imponatur delictis; quomodo autem potest esse efformatum prudens iudicium, & imposita congrua pæna, si delicta non fuerunt cognita in sua specie, & secundum suas qualitates? Accedit, quod, si Confessarius non attenderit ad confessionem pænitentis, sed pro eo tempore dormierit, vel animum ad alia diuerterit, confessio non intelligitur valida, *Siluester verb. confessio n. 6.*, *Angelus eod. verb. n. 22.*, *Reginaldus lib. 6. de Sacram. confessione n. 146.*, *Nauarrus c. 9. n. 11.*, *Franciscus à Victoria de Sacram. n. 169.*, ergo etiam inualida erit confessio facta Sacerdoti indocto, non idoneo, qui nescit inter venialia, & læthalia distinguere. Consequentia probatur, quia ideo in primo casu inualida intelligitur confessio, quia, cum fieri debeat per modum iudicij emendatiui, non potest esse tale iudicium sine causæ cognitione, hoc est peccatorum secundum suas species, & circunstantias mutantes speciem, & numerum, quod iudicium nequit esse, quando Confessarius non attendit, sed hoc etiā iudicium efformari nequit per Confessarium, qui nequit discernere inter peccata læthalia, & venialia, ergo &c. Atque huic opinioni adhærere videtur *Vasquez q. 93. art. 3. dubio 2.*, & alij plures apud *Suarez tertia part. tom. 4. disp. 26. sect. 6.*

33 Refertur opinio Bonacinæ, & aliorum.

Nihilominus *Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 3. n. 14. in respons. ad quæsitum*, *Zerola in praxi c. 21. quæst. 3. vers. dico secundo*, & alij apud *Sanchez in summa lib. 1. c. 10. n. 69.* sustinent, si pænitens accesserit bona fide, & Confessarius facultatem habuerit absoluendi, validam esse confessionem, & licet postea pænitens cognouerit inidoneitatem, & ignorantiam Confessarij, non teneri illam iterare. Rationem fundant in eo, quod iam obtinuerit absolutionem ab habente facultatem illam impendendi, & ipse integram suorum peccatorum confessionem habuerit cum debito dolore, cæterisque requisitis, vt supponitur. In confirmationem huius opinionis hic repeti possunt ea, quæ dicta sunt in superioribus, quod scilicet, si Confessarius non expectata integra pænitentis Confessione ipsum absoluerit, intelligatur valida confessio, & tamen Confessarius in ea hypothesi non potuit integrum efformare iudicium de statu pænitentis, ergo &c. Quid iam in hac controuersia concludendum?

34 Si pænitens certo nouit Confessariū non nouisse species peccatorum, tenetur repetere.

Cum distinctione respondendum existimo, vel certo norit pænitens in præhabita confessione Confessarium non percepisse peccata confessa secundum suas species, & qualitates necessarias, vel solum dubitat ex notitia postea habita ignorantiæ, & inidoneitatis eiusdem; Si certo norit, sentio, teneri confessionem præhabitam iterare, & in his terminis arbitror procedere *Vasquez loc. cit.* Ratio est, quia pænitens tenetur peccata subijcere, non quomodocunque, sed ita vt percipiantur, & cognoscantur à Confessario, vt de illis

valeat

valeat prudens iudicium efformare, quod, si nouerit non ita esse exposita, debet iterum exponere; Nec obstant ea, quæ ex Bonacina, & alijs dicebantur, obtinuisse scilicet absolutionem Sacramentalem ab habente legitimam facultatem absoluendi, & integra sua peccata secundum species, & numerum exposuisse; Non obstant, inquam, quia, etiam, qui confessus est apud Confessarium, qui tempore confessionis dormiuit, vel mentem ad alia diuertit, obtinuit absolutionem ab habente facultatem absoluendi, & integra sua peccata confessus est, & tamen cognita non attentione Confessarij tenetur confessionem repetere. Non sufficit igitur peccata quomodocunque integrè confiteri, sed debet ita integrè confiteri, vt à Iudice, idest Confessario percipiantur, cum hoc Sacramentum exerceatur per modum iudicij emendatiui.

35 Quid sentiendum, si certo non nouit, sed dubitat.

Si verò certo non norit Confessarium non percipisse eius peccata secundum suas species, & qualitates necessarias, sed solum dubitat ex notitia habita ignorantiæ eiusdem, tunc considerandum est, an illud dubium sit suspensiuum, an verò merè opinatiuum; si suspensiuum arbitror, confessionem esse iterandam, sicuti peccata dubia ex superius dictis sunt clauibus exponenda, quia in dubijs circa ea, quæ animæ salutem concernunt, tutior pars est eligenda; si merè opinatiuum, tunc adhuc videndum est, an rationes, quæ militant pro cognitione peccatorum habita a Confessario præponderent negationi eiusdem cognitionis, vt si peccata, quæ confessus est, ita sint nota secundum suas species, vt facilè innotescant etiam hominibus leuis literaturæ, & tunc his rationibus innixus poterit tuta conscientia omittere iterationem confessionis illorum; an verò præponderent rationes pro negatione cognitionis, & tunc probabilius tenebitur eandem confessionem iterare ad magis propriæ saluti consulendum.

Ad illud, quod dicitur de Confessario, qui non expectata integra confessione præproperè impendit absolutionem, dico non facere ad rem præsentem, quia pænitens fecit, quod potuit, vt tunc integraret Confessionem, quod, si fuerit impeditus, tribuitur impotentiæ, non eius culpæ, tenebitur tamen postea peccata non confessa clauibus subijcere.

QVÆSTIO V.

De Satisfactione, quæ est tertia pars materiæ proximæ.

CVm *Concilium Tridentinum sess. 14. can. 4.* expresse asserat. *Si quis negauerit ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pænitente, quasi materiam Sacramenti pænitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres pænitentiæ partes dicuntur, anathema sit*, non relinquit locum dubitandi, quin satisfactio sit pars eiusdem Sacramenti pænitentiæ, cuius propterea naturam, qualitates, & effectus in præsenti inuestigabimus, ne quid desit, quod ad plenam partium eiusdem cognitionem pertinere possunt.

ARTICVLVS I.

Quid propriè sit satisfactio, & quomodo sit pars Sacramenti pænitentiæ.

SVMMARIVM.

Quot modis sumi possit satisfactio. 1.
Definitio satisfactionis, prout ad præsens institutum pertinet. 2.
Est actus virtutis. 3.
Quænam veniant nomine pœnæ. 4.
Debent esse pro peccatis. 5.
Et à Confessario imposita. 6.
Satisfactio imposita à Confessario, & acceptata à pænitente ante absolutionem habet rationem partis in ordine ad remissionem culpæ, prout verò adimpletur à pænitente rationem partis in ordine ad remissionem pœnæ. 7.
Dispositio Concilij Tridentini. 8.
Satisfactio in executione ordinatur ad remissionem pœnæ. 9.

1 Quot modis sumi possit satisfactio.

SAtisfactio multipliciter potest sumi; primò pro compensatione, quam peccator debet Deo propter iniuriam eidem illatam, quam de condigno nequit præstare, vt suppono ex quæstionibus de Deo Incarnato, hæcque fuit eidem delata per Incarnationem, merita, & Passionem Christi Domini; de hac non est sermo in præsenti; non enim hæc est pars Sacra-

Sacramentalis confessionis, cum non sit actus pænitentis, sed Christi Mediatoris. Secundò pro voluntaria susceptione alicuius pænæ pro iniuria illata Deo etiam independenter ab actuali confessione, qua ratione non est Sacramentalis satisfactio, sed actus pænitentiæ, pro vt virtus est. Tertiò pro compensatione pænæ temporalis debitæ ob iniuriam Deo illatam consistente in operibus à Confessario taxatis virtute clauium, vt colligitur ex *Concil. Trident. sess.* 14. *c.* 4. De hac potissimum est sermo in præsenti quæstione, cuius quidditatem per definitionem inquirimus; & modum, quo constituitur pars Sacramenti.

2 Definitio satisfactionis.

Conclusio I. Satisfactio, prout ad præsens institutum attinet, est voluntaria passio pænæ pro peccato ad placandum Deum à Confessario impositæ pænitenti propositum habenti Deum ipsum non offendendi de cætero. *Reginaldus lib.* 7. *de Sacrament. satisfact. c.* 1. *n.* 1., *Nauarrus ad c. satisfactio de pænit. dist.* 3. *n.* 2.

Probatur simul, & explicatur. Dicitur, *voluntaria*, quæ particula duo iudicat; primum, quod satisfactio debeat esse actus virtutis, cum, vt asserit *D. Thomas in supplem. ad tertiam partem q.* 12. *art.* 1. nullus actus operari possit deletionem peccati, nisi sit actus virtutis, cum vitium non deleatur, nisi per virtutem oppositam; virtus autem esse non potest, nisi sit voluntaria, sicuti non potest esse vitium oppositum, nisi sit voluntarium; Secundum, quod licet satisfactio sit imposita per actum iudicialem à Confessario debet esse, vt consequatur effectum, voluntariè acceptata, cum agatur non de iudicio coacto, sed voluntario, se liberè disponente pænitente, & ad confessionem, & ad satisfactionem adimplendam. Dicitur, *passio pænæ*, cuius nomine veniunt quæcunque opera pænalia, siue exercenda in corpore per macerationes, flagella, ieiunia, & similia, siue in bonis fortunæ per pias eleemosinas, vel effundendas in pauperes, vel in alias pias causas, vel in subiectione animæ per actus humilitatis, depressionis sui ipsius &c. siuè in speciali cultu erga Deum, vel Sanctos, vel per singulares preces, vel per auditionem sacrorum, vel per assistentiam Diuinis Officijs, vel similia. Dixi, *pro peccato*, cum etenim specialitèr satisfactio ordinetur ad remissionem pænæ, non videtur esse posse, nisi pro peccato, cum pæna nequeat esse, nisi pro culpa; hinc à ratione satisfactionis excluduntur alia pia opera, quæ, vel ordinantur ad beneficia impetranda à Deo, vel ad ipsum glorificandum &c. Dixi, *ad placandum Deum*, quæ verba precipuè intelligenda sunt in ordine ad remissionem pænæ, cum in ordine ad remittendam culpam ordinatæ sint contritio, & confessio Sacramentalis. Dicitur, *à Confessario impositæ*, vt distinguatur satisfactio Sacramentalis à non Sacramentali, scilicet ab ea, quam quisque ex propria voluntate suscipit ad placandum Deum, quæ non est virtute clauium, quam quisque nequit in se ipsum exercere, sed debet fieri, & imponi ab eo, qui habet legitimam auctoritatem exercendi easdem claues. Dicitur, *Pænitenti*, quia, sicuti in ipsum exercetur iudicium, ita in ipsum sententia debet ferri, eidemque congrua pæna imponi. Dicitur, *tandem propositum habenti Deum ipsum non offendendi de cætero*, quia, sicuti sine tali proposito non subsistit Sacramentum, ita, nec Sacramentalis satisfactio. Deinde, vt asserit *Concil. Trident. sess.* 14. *c.* 8. satisfactio non est tantum ad præteritorum peccatorum vindictam, sed etiam ad nouæ vitæ custodiam.

3 Est actus virtutis.

4 Quænam veniant nomine pænæ.

5 Debent esse pro peccatis.

6 Et à Cõfessario impositę.

Quoad secundam tituli partem difficultas consistit in eo, an satisfactio habeat rationem partis Sacramentalis, quando imponitur à Confessario, & acceptatur à pænitente ante absolutionem, an verò, quando post absolutionem adimpletur à pænitente.

7 Quomodo habeat rationem partis in ordine ad remissionem culpæ, & pænæ.

Conclusio II. Satisfactio, prout imponitur à Confessario, & acceptatur à Pænitente ante absolutionem, habet rationem partis in ordine ad remissionem culpæ, & ad causandum ex opere operato augmentum gratiæ; prout verò adimpletur à pænitente habet rationem partis in ordine ad remissionem pænæ. Ita quoad primam partem *Caietanus in tertia part. q.* 90. *art.* 2., *Sotus in* 4. *dist.* 17. *q.* 1. *art.* 2., *Suarez disp.* 38. *sect.* 2. Quoad secundam conueniunt communitèr.

8 Dispositio Concilij Trident.

Ratio primæ partis ex eo desumitur, quod ex *Concil. Trident. sess.* 14. *c.* 3. dicitur, quod *sint quasi materia huius Sacramenti ipsius pænitentis actus, nempè contritio, confessio, & satisfactio, qui, quatenus in pænitente ad integritatem Sacramenti ad plenam, & perfectam remissionem peccatorum ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pænitentiæ partes dicuntur*; ex quibus verbis duo infero. Primum, quod, si satisfactio præcesserit, quatenus ante absolutionem fuerit à Confessario imposita, & à pænitente acceptata, vtique vtpotè coniuncta cum contritione, & confessione simul cum ipsis causet gratiam, & remissionem peccatorum, cum dicatur pars materiæ. Secundum, quod, cum dicatur eadem satisfactio conferre ad remissionem peccatorum, vtique conferat etiam ad gratiam producendam, cum non possit

esse remissio peccatorum sine gratiæ infusione; vnde merito *D. Thomas in 4. dist. 16. q. 1. art. 1. quæst. 2. ad tertium*, dicit. *Ex proposito satisfaciendi gratia confertur, quamnis satisfactio actualis gratiam præsuponat.*

9 Satisfactio in executione est in ordine ad pœnas.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod nemine desceptante satisfactio Sacramentalis in executione ordinata est ad remissionem pænæ; cum etenim per contritionem, & confessionem Sacramentalem simul cum absolutione fiat remissio culpæ, remanet & pæna pro culpa debita compensanda, quæ compensatio certè fit per satisfactionem à pænitente præstitam, & quidem congruus rerum ordo hoc exigit; nam, sicuti per peccatum homo à Deo auertitur, & conuertitur per delectabilia ad creaturam, ita per contritionem, & confessionem conuertatur ad Deum, & per satisfactionem scilicet per pænalia à Confessario imposita auertatur ab amore creaturæ.

ARTICVLVS II.

Quomodo Satisfactio sit pars Sacramenti pænitentiæ.

SVMMARIVM.

Satisfactio consideratur, vel vt acceptata ante absolutionem, vel vt executa post ipsam. 1.
Non est pars essentialis, sed integralis. 2.
Colligitur ex Concilio Trident. 3.
Prout adimpletur à pænitente non confert ad effectum primarium. 4.
Non est etiam pars essentialis prout acceptatur ante absolutionem. 5.
Euincitur, quod sit pars integralis. 6.

1 Distinctio satistactionis, vt acceptatæ, & vt executæ.

Retenta distinctione mox posita satisfactionis impositæ a Confessario, vt acceptatæ a pænitente ante absolutionem, & eiusdem, vt adimpletæ post absolutionem ab eodem pænitente, difficultas modo insurgit, an comparatiuè ad vtramque sit pars essentialis eiusdem, an verò dumtaxat integralis, & quidem potissimum oritur dubium de eadem imposita, & acceptata ante absolutionem, quæ, vt diximus, habet gratiam Sacramentalem producere, & remissionem peccatorum, quod proprium videtur partis essentialis. Nihilominus

2 Non est pars essentialis.

Sentiendum est, esse quidem partē Sacramenti pænitentiæ, non tamen essentialem, sed integralem, etiam prout imponitur à Confessario, & acceptatur a pænitente ante absolutionem. In hanc arbitror communiter DD. consentire.

Quod sit pars facilè euincitur ex eodem *Concil. Tridentino d. sess. 14. c. 3.* vbi expressè inter partes huius Sacramenti enumeratur satisfactio, & *ead. sess. c. 8.* Ibi *Quoad satisfactionem, quæ ex omnibus pænitentiæ partibus quemadmodum à Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita &c.* Deinde, sicuti in ministro duæ sunt partes altera soluendi, altera ligandi, ita in pænitente duæ sunt, & esse debent partes, altera, quæ correspondeat solutioni, quæ est contritio, & confessio, altera, quæ correspondeat ligamini, atq; hæc est satisfactio; potestas etenim ligandi in Confessario est in ordine ad pænas.

3 Definitio Concil. Trident.

4 Prout adimpletur à pænitente non confert ad effectum primarium.

Quod non sit pars essentialis, si loquamur de satisfactione, prout adimpletur à pænitente, ex eo euincitur, quod sub tali consideratione non ordinatur ad effectum primarium eiusdem Sacramenti, nempè ad remissionem peccatorum quoad culpam, & ad acquisitionem gratiæ iustificantis, sed ad effectum secundarium, nempè ad remissionem pænæ, ergo non est pars essentialis, cum hæc ordinetur ad effectum primarium. Confirmatur, quia, si esset pars essentialis, pænitens non reciperet gratiam recepta absolutione post peractam confessionem, donec satisfactionem impleret, & sic effectus primarius Sacramenti suspensus remaneret, quod non est dicendum; Si verò loquamur de satisfactione, vt imposita à Confessario, & acceptata à pænitente ante absolutionem, etiam hæc nequit esse pars essentialis, quia hoc pacto, qui reciperet absolutionem in articulo mortis post edita signa sensibilia doloris, non reciperet gratiam remissiuam peccatorum deficiente parte essentiali, cum supponatur incapax acceptationis eiusdem satisfactionis, & adimplementi eiusdem. Item, si Confessarius ex obliuione omitteret satisfactionem præcipere per congruas pænitentias, destitueretur pænitens effectu gratiæ, & fructu Sacramenti, quod falsum infra demonstrabitur.

5 Non est pars essentialis, etiam vt acceptatur ante absolutionem.

Neque dicas ex superius dictis, satisfactio imposita à Confessario, & acceptata à pænitente confert ex opere operato ad remissionem culpæ, & ad collationem gratiæ remissiuæ, quod est proprium partis essentialis, ergo computanda erit inter partes essentiales; Contra enim impugnaberis, quia potest compati, quando coniungitur cum partibus essentialibus, simul cum illis conferat ad effectum primarium ex opere operato, & tamen non sit pars essentialis, cuius veritatis signum est, quod per se sumpta non est apta causare illum effectum, prout tamen coniungitur cum illis partibus essentialibus, potest cum illis

cau-

causare, ea proportionali ratione, qua votum confessionis secundum se non est aptum causare effectum eiusdem, prout tamen concurrit simul cum contritione illum causat.

Quod tandem sit pars integralis, ex eo euincitur, quia ex vna parte per satisfactionem Sacramentalem pænitens satisfacit virtute clauium, & ex opere operato, ergo, quia pertinet ad rationem Sacramenti, ex alia parte, cum non pertineat ad essentiam, vt mox probatum est, sequitur, quod debeat pertinere ad integritatem eiusdem, ea proportionali ratione, qua dicebamus in quæstionibus de Sacrificio Missæ, vbi eius essentiam in sola consecratione constituimus, & solum consumptionem pertinere ad eius complementum, & integritatem.

6 Quomodo sit pars integralis.

ARTICVLVS III.

An satisfactio possit imponi post latam absolutionem a peccatis, &, an tunc effectum operaretur ex opere operato.

SVMMARIVM.

Rationes suadentes non posse imponi post absolutionem. 1.
Potest imponi immediatè post eandem. 2.
Non est pars essentialis. 3.
Obiecta contra nostrum assertum. 4.
Pars materialis integrans præcisè potest subsequi formam. 5.
Liberaret adhuc à reatu pænæ. 6.
Et produceret proportionatum effectum ex opere operato. 7.
Intelligitur moralis continuatio. 8.

Videtur asserendum, satisfactionem, vt Sacramentalem post latam absolutionem non posse a Confessario iniungi, siquidem perfecto iam Sacramento illa pænitentia, quæ ab eodem iniungeretur, non esset virtute clauium, cum in ordine ad illam confessionem iam functus fuerit munere suo, & sicuti, si alius Confessarius non audita talis pænitentis confessione imponeret pænitentiam, hæc non esset Sacramentalis, quia non esset imposita in exercitio clauium, ita, si idem Confessarius post latam absolutionem satisfactionem iniungeret, hæc non posset esse Sacramentalis, cum non esset in exercitio clauium, cum hoc esset iam perfectum in absolutione iam posita; atque propter hanc rationem arbitror *Nugnum in addit. q.* 18. *art.* 4. *diffic.* 2. docuisse Confessarium peccare imponendo satisfactionem post absolutionem.

1 Rationes suadentes nó posse imponi post absolutionem.

Accedit, quod Iudex lata sententia absolutoria Rei non potest se ingerere iniungendo pænas, quas in ipsa sententia non apposuit, vt sunt vulgata iura, ergo etiam Confessarius, qui fungitur munere Iudicis, post sententiam absolutoriam non poterit pænas iniungere saltem, quatenus dici possint Sacramentales, & virtute clauium; vnde etiam videtur dicendum, quod eadem sic imposita non sortiretur effectum ex opere operato, sed dumtaxat ex opere operantis, sicuti eandem ex opere operato non sortiuntur alia opera elicita ex electione operantis, non virtute Sacramenti. Nihilominus

Dico primò, posse iniungi à Confessario etiam lata sententia absolutoria, nec propterea desinere esse Sacramentalem. *Nauarrus c.*26. *num.* 10., *Beia tertia part. cas.* 3. *in princip.*, *Filliutius tract.* 8. *c.* 2. *n.* 38., *Molfesius tract.* 7. *c.* 25. *n.* 58., & alij apud *Bonacinam de Sacram. pænit. disp.* 5. *q.* 3. *punct.* 2. *num.* 21. Ratio ex eo deducitur, quod supra probatum est, nempè satisfactionem non esse partem essentialem, sed dumtaxat integralem; pars autem integralis non est necesse, quod præcedat formam, vt videre etiam est in Physicis, puta in homine iam formato, cui post formam accedunt partes integrantes, dentes, statura, & similia, quæ partes integrantes eadem forma secundum plures DD. informantur, licet subsequentèr adijciantur; vnde etiam *D. Thomas* loquens de pænitentia, vt Sacramento *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 3. *ad tertium*, dicit, quod *contritio, quæ est prima pænitentiæ pars, efficaciam alijs partibus tribuat, & ideo eodem modo iudicatur de tota pænitentia, sicut de contritione.*

2 Potest imponi post ipsam.

3 Non est pars essentialis.

Ex his respondere possumus ad nonnulla argumenta, quæ circunferri possunt aduersus nostrum assertum; primò, quod partes materiales, cuiusmodi est satisfactio, debeant ex genere suo præcedere formam, adeoque non possit post formam habitam supponi, & substerni. Secundò, quod, vt pars materialis Sacramenti, quantumuis solum integralis, deberet gratiam producere; prout subsequitur tamen ad absolutionem iam habitam nequeat gratiam producere, cum ipsam supponat productam per confessionem contritione formatam, & per absolutionem. Tertiò id, quod in principio dicebatur, quod scilicet illa satisfactio iniuncta à Confessario post latam absolutionem non possit esse virtute clauium.

4 Obiecta contra assertum.

Respondere, inquam, possumus ad primum; partes materiales essentiales debere formam præcedere, cum eidem debeant substerni, non sic partes materiales inte-

grantes, cum hæ possint subsequi, ab eaque moralitèr informari, vt patet etiam in exemplo allato de partibus integralibus corporis humani. Ad secundum dico primò, quod licet satisfactio gratiam ex opere operato non produceret, non deficeret tamen à ratione partis integrantis, cum sufficiat, vt notat *D. Thomas in 4. dist. 16. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad tertium*, vt dici possit talis, quod liberet à reatu peccati, seu pænæ pro peccato debitæ virtute Sacramenti, per quam liberationem videtur pænitens consequi perfectum effectum gratiæ totalitèr abolentis peccatum etiam quoad pænam. Secundò, quod, etiam si impositio pænitentiæ subsequatur absolutionem, & supponat gratiam iam productam, non desinat tamen producere complementum, & consummationem eiusdem gratiæ, quinimmò *D. Thomas tertia part. q. 90. art. 1.* videtur concedere satisfactioni aliquod augmentum gratiæ, dum asserit. *Dicendum, quod satisfactio confert gratiam, prout est in executione, sicut etiam baptismus in adultis, vt supra dictum est*, vbi nota, quod D. Thomas non loquitur de satisfactione secundum propositum præcedens, & in intentione, sed de eadem in executione. Ad tertium patebit, quid respondendum ex mox dicendis.

5 Pars materialis, integrãs potest subsequi.

6 Liberaret à reatu pænæ.

Dico secundò. Quantumuis esset imposita satisfactio post latam absolutionẽ, effectum tamen eidem proportionatum produceret ex opere operato. Probatur, quia, si esset ritè imposita ante absolutionem nemine disceptãte effectum produceret ex opere operato, ergo, etiam quantumuis esset imposita post absolutionem immediate ab eodem Confessario, debet eundem effectum ex opere operato conferre. Consequentia probatur, tum quia potestas Sacerdotalis non restringitur ad absolutionem, sed ad complementum Sacramenti extenditur, & donec hoc perfectum sit semper viget ad perfectionem etiam integralem; tum quia licet requiratur ex genere suo ordo prioris, & posterioris inter confessionem, & absolutionem, non requiritur tamen ex genere suo inter satisfactionem, & eandem absolutionem, nam ad iudicium prærequiritur cognitio causæ, ad quod tamen non prærequiritur satisfactio. Dixi, *immediatè ab eodem Confessario*, quia tunc intelligitur moralis continuatio cum eadem confessione, quod etiam videtur considerasse *Bonacina de pænit. Sacramento disp. 5. q. 3. punct. 2. num. 21., & eadem disp. 5. quæst. 5. sect. 3. punct. 2. num. 19.*, dum primo loco dixit, *modo impositio pænitentiæ moralitèr coniungatur cum absolutione*, & secundo loco, *quæ incontinenti fiunt inesse videntur*.

7 Produceret suum effectum ex opere operato.

8 Intelligitur moralis continuatio.

Sed, an possit iniungi pænitentia, vel ab eodem Confessario post lapsum longi temporis extra nouam confessionem, vel ab alio Confessario, infra examinabitur.

ARTICVLVS IV.

An Confessarius teneatur pænitentiam pænitenti iniungere, &, an pænitens teneatur illam acceptare.

SVMMARIVM.

Regularitèr tenetur Confessarius pænitentiam imponere pænitenti. 1.
Sententia asserens teneri indefinitè sub lethali. 2.
Sententia docens teneri ob lethalia sub lethali, & ob venialia sub veniali. 3.
Præfertur prima sententia. 4.
Sacramentum sine illius impositione esset mutilum. 5.
Excusatur tamen primo, quando pænitens esset in articulo mortis constitutus, datisque signis pænitentiæ destitueretur sensibus. 6.
Non tamen, si pænitens posset breuem adimplere puta inuocando nomen Iesu. 7.
Non tamen excusaretur, quantumuis pænitens exhiberet intensos actus doloris. 8.
Regularitèr Confessarius tenetur pænitentiam imponere iuxta grauitatem peccatorum. 9.
Quandoque ex causa potest minui, & quando. 10.
Pænitens tenetur congruam pænitentiam à Confessario impositam adimplere. 11.
Arguitur ex potestate ligandi collata Confessoribus à Christo Domino. 12.
Et ex modo, quo fit hoc Sacramentum per modum iudicij. 13.
Pænitentia est retractiua à peccatis. 14.
Potest pænitens submissè rogare Confessarium de dimminutione pænæ, seu mutatione. 15.
Debet pænitentia iniungi congrua, non superexcedens. 16.
Maximè adimplenda est pænitentia, quando fuit acceptata. 17.
Nec potest eximi sub prætextu satisfaciendi in Purgatorio. 18.
Nec potest supplere per susceptionem plenariæ indulgentiæ. 19.
Etiam si sit imposita pæna in satisfactionem solum pro pænis temporalibus. 20.
Si Confessarius tempus determinauerit ad soluendum opus iniunctum tenetur pænitens intra illud adimplere, & si non adimpleat, tenetur adhuc adimplere. 21.
Etiam si sint præfixi dies ad honorem Dei. 22.

Non

Non præscripto certo tempore tenetur non diu differre. 23.

CONclusio I. Confessarius regularitèr loquendo tenetur satisfactionem, seu pænitentiam imponere pænitenti. In hoc communitèr consentiunt DD. *Suarez disp. 38. sect. 3., Nugnus in addit. ad tertiam part. q. 13. art. 2. difficult. 3. vers. ex dictis sequitur, Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 14. punct. 4., Coninchus de pænit. q. 10. dub. 8. num. 62., Comitolus respons. mor. lib. 1. q. 35. num. 2., & alij plures apud Bonacinam de pænit. Sacram. disp. 5. quæst. 5. sect. 3. punct. 2. num. 1.*

1 Tenetur pænitentiam imponere.

Probatur primò ex *Concil. Trident. sess. 14. c. 8.* vbi habet. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pænitentium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere*, vbi nota illam particulam, *Debent*, quæ non importat arbitrium, sed necessitatem inducit. Sed, an talis sit necessitas, vt si omittatur, inducat in Confessario culpam lęthalem, quando non est ratio legitimè excusans ab illius impositione. *Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 2. num. 1.* citato *Suarez disp. 38. sect. 3., & alijs*, sine vlla distinctione absolutè asserit, Sacerdotem nullam imponentem pænitenti satisfactionem peccare læthalitèr, eo quia delinquit in proprio officio in re graui reddens Sacramentum mutilum. Alij distinguunt per ordinem ad culpas à pænitente in confessione expositas; asserunt enim, quod, si peccata fuerint læthalia, teneatur Confessarius sub læthali satisfactionem imponere, si verò fuerint solum venialia, vel læthalia iam ritè antea confessa non teneatur sub læthali, sed solum sub veniali eam iniungere; sic sentire videtur *Madernus tract. 4. de virtute, & Sacrament. pænit. q. 5. de satisfact. art. 2. num. 9.* vbi probans, quod pænitens non teneatur sub læthali adimplere pænitentiam impositam pro venialibus, hoc deducit ex eo, quod Confessarius pro venialibus non teneatur sub læthali pænitentiam imponere. Mihi placet asserere, teneri simplicitèr sub læthali pænitentiam iniungere. Ratio ex eo deducitur, quia Confessarius tenetur ex vi proprij muneris curare, ne Sacramentum pænitentiæ mutilum remaneat; nec eum releuat à grauitate, quod materia, ob quam satisfactio iniungenda est, sit leuis, quia in hac hypothesi grauitas delicti non desumitur à materia, sed ab iniuria, & læsione, quæ fit Sacramento, quæ vtique inuritur, siue materia sit grauis, siue leuis, cum semper Sacramentum sit mutilum ex ipsius Confessarij culpa. Hinc

2 Sententia asserens indefinitè teneri sub læthali imponere.

3 Sententia distinguēs exponitur.

4 Præfertur prima sententia.

Probatur secundò eadem conclusio. Ad munus Confessarij pertinet curare, vt non solum, quantum est ex se, Sacramentum sit validum, sed etiam, vt non sit mutilum, & imperfectum; sine satisfactione autem esset mutilum, cum deficeret in parte integrali, qualis ex supra probatis est satisfactio. Confirmatur, quia Confessarius constitutus est Iudex non solum ad soluendum, sed etiam ad ligandum, & non ad arbitrium, sed secundum leges veri iudicij, ad verum autem iudicium pertinet, vt reo cognito, vt tali congruæ pænæ imponantur, ergo congruas pænas tenetur iniungere.

5 Sacramētum esset mutilū.

Dixi, *regularitèr loquendo*; nam dantur aliqui casus, in quibus excusatur, vel dubium est, an excusetur ab impositione pænæ, de quibus disserunt *Nauarrus c. 26. n. 31., & seqq., Caietanus verbo satisfactio, Henriquez lib. 5. c. 10. n. 6., Suarez disp. 38. sect. 3., Reginaldus lib. 7. n. 11.* Per singulos a DD. assignatos iam discurramus. Primus est, quando pænitens est constitutus in mortis periculo, vt, cum dederit signa pænitentiæ, nihil amplius percipere valeat, in quo nulla videtur esse posse difficultas, cum absolutio sit pro tali statu necessaria, nec suspendenda ratione satisfactionis, cum hæc non sit de essentia absolutionis. Difficultas solummodo aliqua videtur esse, quando est sui compos, licet proximus morti, & videtur posse aliquam breuem adimplere, vel recitando Orationem Dominicam, vel Salutationem Angelicam, vel saltem proferendo Venerandum nomen *Iesu, & Virginis Deiparæ*, an tunc teneatur illam pænitentiam imponere; in quo casu sentiendum est, teneri non solum ob adimplendum proprium munus, sed etiam ad consulendum pænitenti, qui ex implemento talis leuis pænæ, acquireret magnum exonus pænarum cæteroqui in Purgatorio luendarum.

6 Excusatur quādo datis signis pænitentiæ destitueretur sensibus.

7 Non tamen, si posset breuem adimplere.

Secundus est, quando pænitens cum tanto cordis dolore cognito à Confessario accedit ad Sacramentum pænitentiæ, vt ratione intensionis eiusdem doloris rationabilitèr censeatur eidem, nedum culpa, sed etiam pæna temporalis remitti; Sed in hoc non libentèr acquiescerem, tum quia non potest facilè dignosci, an illa doloris intensio fuerit sufficiens ad totam pænam remittendam, tum quia satisfactio requiritur ad integralitèr complendum Sacramentum. Verum est tamen, quod in hac hypothesi posset Confessarius minuere etiam notabilitèr de pæna cæteroqui irroganda, eo quia per impositionem minoris satisfactionis compleret Sacramentum, nec est necesse, quod satisfactio imposita sit adæquata, & corres-

8 Intensior actus pænitentis de dolore non eximit Cōfessarium ab onere imponēdi pænitentiam.

pon-

pondeat toti pænæ debitæ, & ex alia parte, ficuti poteſt ſupplere parti pænæ per alia opera ſatisfactoria independentèr à pæna impoſita ab eodem Confeſſario, ità etiam poteſt ſupplere per illam doloris intenſionem.

9 Regulariter tenetur pœnas imponere iuxta grauitatem peccatorum.

Hic oritur difficultas, an Confeſſarius teneatur ſatisfactionem imponere iuxta grauitatem peccatorum, & qualitatem pænitentis. Reſpondendum eſt, teneri regularitèr imponere iuxta grauitatem, & leuitatem delictorum, & qualitatem pænitentis. In hoc arbitror cõmunitèr DD. conuenire, & expreſsè colligitur ex *Concil. Trident. ſeſs.* 14. *c.* 8. Ibi- *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pænitentium facultate ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere, ne, ſi forte peccatis conniueant, & indulgentius cum pænitentibus agant, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*; & congrua quidem ratione hæc decernuntur, quandoquidem iudicium, vt ſit rectum, debet eſſe cum cauſæ cognitione, & pæna debet culpæ correſpondere; Dixi, *regularitèr*; nam quandoque ratione alicuius adiacentis poteſt pæna minui, puta ratione intenſioris doloris, ratione fragilitatis, & conditionis pænitentis, aliarumque circunſtantiarum, ad quod reſpexit *Concil. Trident. loc. cit.*, dum dixit *Quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit*, quæ verba referuntur ad regulatum arbitrium Confeſſarij.

10 Quandoque poteſt minui.

11 Tenetur pænitens pænitentiam à Confeſſario impoſitam adimplere.

Concluſio II. Pænitens tenetur congruam à Confeſſario ſatisfactionem impoſitam adimplere. In hanc conſentiunt *Valentia tom.* 4. *diſp.* 7. *q.* 14. *punct.* 4., *Vaſquez q.* 94. *art.* 2. *dub.* 1. *n.* 5., *Suarez tom.* 4. *diſp.* 38. *ſect.* 7. *num.* 2., *Coninchus diſp.* 10. *dub.* 9., *Lugus diſp.* 25. *ſect.* 5., *Arriaga diſp.* 48. *ſect.* 1., quorum aliqui aſſerunt, contrariam opinionem eſſe improbabilem, alij temerariam &c. Eſt tamen aliqualitèr contra *Scotum in* 4. *diſt.* 15. *q.* 1. *§. de ſecundo principali, & ibi Gabriel diſt.* 18. *q.* 1. *art.* 3. *dub.* 1., & alios aſſerentes, non teneri pænitentem acceptare pænitentiam, ſed eſſe abſoluendum, ſi exhibeat ſigna doloris, & propoſitum de cætero non peccandi; ſi tamen acceptauerit, teneri illam exequi. Eſt itèm contra *Caietanum tom.* 1. *opuſc. tract.* 6. *q.* 1. *ad* 22. volentem, pænitentem nec teneri acceptare pænitentiam, nec eam acceptatam exequi. Item contra *Abbatem in c. ſignificauit de pænit. n.* 2., *Reginaldum tom.* 1. *tract.* 7. *c.* 2. *n.* 15., *Homoborum in exam. part.* 1. *tract.* 5. *c.* 15. *q.* 2., & alios volentes, non teneri acceptare pænitentiam grauem congruam reputatam à Cõfeſſario, teneri tamen acceptare aliquam leuem.

12 Arguitur ex poteſtate data Confeſſoribus ligandi.

Probatur primò. Adeſt in Sacerdotibus legitimè approbatis, ex inſtitutione Chriſti Domini poteſtas imponendi congruas, & ſalutares pænitentias pænitentibus, qui ipſis ſe ſubijciunt in Sacramentali confeſſione iuxta illud *Quæcunque ligaueritis ſuper terram &c.* quæ verba communitèr intelligunt SS. PP. in ordine ad congruas pænitentias, ergo, & in pænitentibus ipſis adeſt obligatio eaſdem pænas acceptandi, & acceptatas adimplendi; fruſtranea etenim eſſet poteſtas talitèr ligandi, ſi pænitentes per recuſationem poſſent ſe eximere à tali vinculo eiſdem impoſito à Confeſſario.

13 Et ex modo, quo fit hoc Sacramentum per modum iudicij.

Probatur ſecundò, quia Sacramentum pænitentiæ exercetur per modum iudicij emendatiui, vt definiuit Concilium Tridentinum; iudicium autem fit per ſubiectionem Rei ſententiæ Iudicis, qui iuxta qualitatem delicti eidem Reo pænam imponit, ipſumque ex auctoritate ſibi competente compellit eandem adimplere; Neque dicas, hoc iudicium non eſſe compulſiuum, nec tali Confeſſario competere priuatiuè quoad alios; vnde, ſicuti pænitens liber eſt ad ſubijciendum eidem propria peccata, ita liber eſt, poſtquam ſubiecit, ad exigendam ab eodem ſententiã abſolutoriam, vel non exigendam, & ſicuti poteſt nolle ab eodem abſolui, ità poteſt nolle ab eodem impoſitam pęnam acceptare; contra enim impugnaberis, quia concluſio noſtra procedit ſolummodo ex ſuppoſitione, quod iudicium eſſet complendum per eundem Confeſſarium per abſolutionem, vnde, ſi pænitens nollet acceptare congruam ſatisfactionem, poteſt iuſtè Confeſſarius eidem denegare beneficium abſolutionis; monet tamen hic Nauarrus peccare pænitentem recuſando cõgruam pænitentiam, cum rationi aduerſetur relinquere Sacramentum incohatum, & mutilum, & fugere iuſtum iudicium Sacerdotis, cui pænitens ſe ſubdidit.

Dices, in hoc iudicio pænitentiali non currere paritatem cum iudicio fori externi, cum Iudex fori externi poſſit compellere Reum etiam reluctantem ad meritam pænam, quia hoc forum reſpicit publicam vtilitatem, non ſic Iudex fori interni, & pænitentialis, quia hoc forum reſpicit ſolum priuatam pænitentis vtilitatem, cui idem pænitens poteſt cedere. Sed contra admiſſo etiam illo diſcrimine non ſequitur id, quod ex eodem infertur, quod ſcilicet poſſit pęnitens cedere propriæ vtilitati, & non acceptare ſatisfactionem iniunctam, quia ſine rationabili cauſa non poteſt relinquere Sacramentum incohatum, nec fuge-

fugere iustum iudicium Confessarij, cui se subiecit, potissimum, cum relinquat per talem recusationem vehementem occasionem suspicandi de negatione efficacis propositi de cętero non peccandi, quod magis locum habet, quando pęnę impositę sunt salutares, & retractiuę a peccatis, ad quod respexit *Concil. Trident. sess.* 14. c. 8. dum dixit. *Procul dubio enim magnoperè à peccato reuocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pænæ, cautioresque, ac vigilantiores in futurum pænitentes efficiunt &c.* Deinde, si possunt proprię priuatę vtilitati cedere, hoc ad summum possunt prętare cedendo etiam beneficio absolutionis, quod, si huic nolint cedere, possunt iustè reijci.

14 Pænitentia est retractiua à peccatis.

Non negauerim tamen, posse pænitentem submissè adductis rationabilibus causis rogare Confessarium pro mitigatione pænarum impositarum, seu earundem mutatione, quibus annuere debet Confessarius, si rationabiles sunt causæ diminuendi, vel mutandi, quod innuisse videtur *Concil. Trident. loc. cit.* dum dixit, huiusmodi pænas iniungendas esse secundum pęnitentium facultatem, quod etiam videntur considerasse *Nauarrus c. 26. n. 20., Henriquez lib. 5. c. 10. n. 5., Reginaldus lib. 7. n. 37.*, nam in hac hypothesi Sacramentum esset integralitèr perfectum, & Confessarius stantibus allegatis rationibus se pænitenti accommodare potest.

15 Potest rogare de diminutione seu mutatione.

Dixi, *congruam satisfactionem*; nam, si esset excedens, & nimis grauis, posset pænitens ipsam recusare, & sine culpa etiam leui ab eodem non expectata absolutione ad alium Confessarium prouocare. Ratio ex eo deducitur, quod, cum Confessarius non solum attenta grauitate delicti, sed etiam qualitate pænitentis debeat pænitentiam imponere, non debet quoad eandem excedere; vnde, si pænitens, vel ex imbecillitate naturæ, vel virtutis sentiat se nimis grauatum, poterit ab illa recedere, & ab eodem Confessario ad alium appellare. Adde, quod Confessarius ignoscens fragilitati pænitentis debet se eidem accommodare pænam illam mitigando, nam ex vna parte Sacramentum non remaneret mutilum, & ex alia parte non est necesse, quod tota pęna debita ex delictis ex vi Sacramenti dematur, si agatur de temporali, nam æterna simul cum culpa remittitur.

16 Debet pænitentia esse congrua, non nimis excedens.

Ex dictis sequitur à fortiori, teneri pænitentem adimplere satisfactionem sibi impositam, quando eandem acceptauit. In hoc consentiunt *Scotus in 4. dist. 15. q. 1. §. de secundo principali, Gabriel item in 4. dist. 18. q. 1. art. 3. dub. 1.* Ratio non solum ex ijs deducitur, quæ dicta sunt in probatione assertionis, sed etiam ex eo, quod, cum acceptauerit, assumpsit in se obligationem, quam non adimplendo grauitèr peccaret.

17 A fortiori adimplenda est, quando fuit acceptata.

Neque hic audiendi sunt *Caietanus tom. 2. opusc. de satisfact. pænit. q. 1., Siluester verb. Confessio 1. q. 25., Medina C. de confess. q. 41., Nauarrus c. consideraret, §. cautus dist. 5. de pænit., & in man. c. 26. num. 20.* asserentes neminem teneri in hac vita pro peccatis suis quoad pænas temporales satisfacere, sed satisfactionem posse transferre soluendam in Purgatorio. Non, inquam, audiendi sunt, quia licet onus satisfactionis referatur ad demendas pænas temporales ob peccata, prouenit tamen in hac hypothesi ex ipso Sacramento, cuius est pars, quod nequit sine culpa mutilum relinquere, quando non est legitima causa excusans; vnde ea, quæ dicuntur per aduersarios ad summum verum habere possunt quoad alia opera satisfactoria, quæ non proueniunt ex Sacramento, sed libera sunt.

18 Nec potest eximi sub pretextu satisfaciendi in Purgatorio.

Hinc etiam deduci potest primò, non posse pænitentem omissa satisfactione sibi à Confessario imposita ex propria libertate eandem supplere per susceptionem plenariæ indulgentiæ, nec per alia opera satisfactoria per se ipsum electa, nam licet per eandem indulgentiam, & per alia opera satisfactoria posset consequi remissionem pænarum temporalium, non propterea compleret Sacramentum, ideoque in hoc deficeret, ratione cuius defectus fortè non consequeretur indulgentiam; & in hoc consentire videntur *Nauarrus de Indulg. not. 31. n. 20., Reginaldus lib. 7. n. 125., Viualdus in candel. tit. 9. n. 37., Valentia tom. 4. disp. 7. q. 20. punct. 3. vers. sunt autem.*

19 Nec potest supplere per susceptionem plenariæ Indulgētiæ.

Secundò, non solum non satisfacere pænitentem Sacramento, quando omittit pænitentiam sibi iniunctam à Confessario, quando hæc data est in medicinam, remedium, & præseruationem à peccatis, sed etiam, quando data est præcisè in satisfactionem pro pænis temporalibus debitis ex delictis præteritis, quinimmò, nec potest vtrasque complere per susceptionem indulgentiarum, nec per alia opera satisfactoria spontè exercita proptèr eandem rationem, quia scilicet per illas non compleretur Sacramentum; vnde meritò *Henriquez* pluribus citatis in margine *in summa lib. 5. c. 22. §. 6. lit. B.* asserit, quod consecuta indulgentia etiam plenaria Iubilæi non debeat pænitens se reputare liberum à pænitentiæ iniunctæ præcepto, quod non alia ratione arbitror asserere, nisi, quia Sacramentum remaneret in hac parte mutilum.

20 Etiam si sit solum imposita pro pęnis temporalibus.

Ex

Ex suppositione iam, quod teneatur pænitens adimplere pænitentiam sibi à Confessario impositam, oritur hic difficultas, pro quonam tempore teneatur adimplere. Considerandum hic est, an Confessarius tempus præscripserit pro adimplemento, an verò non præscripserit. Rursus, an illud tempus pro adimplemento præscripserit ad sollicitandam satisfactionem, an verò opus iniunctum alligauerit ad determinatum diem, seu horam. Quibus suppositis

21 Tenetur intra tẽpus præfixum adimplere.

Dico primò, si tempus determinarit ad sollicitandum opus iniunctum, tenetur pænitens pro illo tempore opus adimplere, & si illud non adimpleat, tenetur adhuc eo elapso adimplere. Consentiunt *Bonacina de Sacram. pænit. disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 4. n. 5., Reginaldus lib. 7. n. 79., Nauarrus c. 12. n. 54., & alij magis communitèr*. Ratio ex eo deducitur, quod pęnitens non solum tenetur pænitentiam à Confessario impositam adimplere quoad substantiam, sed etiam quoad modum, & tempus ab ipso præscriptum, vnde non adimplendo etiam quoad tempus præscriptum potissimum, si diu differat, peccat contra obligationem iustè eidem impositam. Quod deindè teneatur adhuc elapso illo tempore adimplere, ex eo euincitur, quod tempus in hac hypothesi non est præscriptum ad finiendam obligationem, sed tantum ad sollicitandam eiusdem executionem, & talis supponitur fuisse mens Confessarij, qui in illa temporis præfinitione non pręsumitur voluisse demere obligationem, si intra illam opus iniunctum non fuerit adimpletum, sed solummodo accelerare.

22 Allegato tempore ad certos dies in honorem Dei, si nõ adimplet pro illis diebus, tenetur alijs adimplere.

Dico secundò, si opus iniunctum fuerit per Confessarium alligatum ad determinatos dies, vt si ieiunium fuerit præscriptum in peruigilijs Deiparæ Virginis, aut ieiunium per aliquot hebdomadas in diebus determinatè Veneris in honorem Passionis Christi Domini, & non fuerit pro illis diebus adimpletum, adhuc probabilius non cessat obligatio, sed erit alijs diebus adimplenda. Est contra *Nauarrum in man. c. 12. num. 54., Bonacinam de Sacram. pænit. disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 4. n. 5., Reginaldum lib. 7. n. 79., & alios*. Ratio est, quia præcipua, & primaria intentio finis Sacramenti, & Confessarij est satisfactio pro peccatis in ordine ad pænas impositas, & cultus erga Deiparam, & Passionem Christi Domini non nisi finis secundarius, ergo, quantumuis saluari nequeat finis secundarius, si tamen saluari possit finis primarius, hic erit adimplendus, ac proindè erit adimplendum ieiunium, quantumuis non fuerit adimpletum pro diebus determinatis, cum ieiunium ipsum secundum se sit finis primarius, & dies determinata non nisi secundarius; non enim ex defectu finis secundarij demitur onus finis primarij; Neque dicas, ex eo, quod opus illud fuerit præscriptum determinatè efficiendum pro illis diebus, videatur onus illorum dierum, vt videre est in ieiunijs Ecclesiasticis addictis certis diebus, quæ, si omittantur pro illis, non obligant pro alijs diebus; Contra enim impugnaberis, quia ieiunia ex præcepto Ecclesiastico pręscripta pro certis diebus habent pro fine primario cultum illorum dierum, & dispositionem ad dignius celebranda subsequentia festa, & carnis macerationem, non nisi pro fine secundario, quod, secus se habet in dispositione, de qua loquimur.

23 Nõ præscripto tẽpore tenetur nõ diù differre.

Dico tertiò, si Confessarius non præscripserit determinatum tempus ad adimplendam satisfactionem iniunctam, & pænitens diù distulerit adimplementum eiusdem grauitèr peccat. Dixi, *diù*, nam, si modicum distulerit, non est damnandus grauis culpæ, cum non præsumatur mens Confessarij pro dilatione modici temporis velle damnare de graui. Quanta autem debeat esse huiusmodi dilatio ad inducendam culpam grauem, remittendum est arbitrio prudentis viri, qui pensatis omnibus circunstantijs diudicet. In hoc consentiunt *Reginaldus lib. 7. n. 79. vers. addit tertio, Suarez disp. 20. sect. 7. n. 8., Coninchus disp. 10. dub. 9. num. 81., Sairus de Sacram. pænit. c. 36. n. 8., Molfesius tract. 7. c. 25. n. 66.* Ratio est, quia in tali diutina dilatione læditur rationabilis mens imponentis huiusmodi satisfactionem, & quodamodo fit iniuria Sacramento, quod pro tanto tempore sine iusta causa mutilum relinquitur; Neque dicas, quod, cum nullum præceptum obliget ad eandem satisfactionem pro aliquo determinato tempore, liberum sit pęnitenti pro quocunque tempore adimplere, vt videre etiam est in pręcepto contritionis, & confessionis, quod, cum non obliget statim post commissum peccatum, etiam si diù eius adimplementum differatur, non inducit nouam noxam; Contra enim impugnaberis, quia satisfactio Sacramentalis requiritur ad complementum Sacramenti, quod secundum se, & secundum mentem Confessarij non exigit diutinam dilationem, ne partes nimium disiungantur, & ne Sacramentum diù remaneat destitutum etiam suo partiali effectu.

AR-

ARTICVLVS V.

An omissio voluntaria satisfactionis semper inducat culpam læthalem.

SVMMARIVM.

Pænitentia grauis pro grauibus delictis imposita est sub graui adimplenda remissiuè. 1.
Sententia docens leuem pro grauibus inductam non obligare sub graui. 2.
Obligat sub graui. 3.
Lædit Sacramentum ipsum mutilum reddendo. 4.
Exemplis euincitur. 5.
Magis vrget onus non mutilandi Sacramentum, quam præceptum seruandi ieiunium in sumptione Eucharistiæ. 6.
Soluitur instantia Maderni contra hanc paritatem. 7.
Obligatio sumenda est à grauitate materiæ, supra quam cadit. 8.
Omissio partis leuis pænitentiæ grauis non est grauitèr peccaminosa. 9.
Soluitur instantia opposita deducta ex præmissis. 10.
Sententia docens, pænitentiam leuem pro leuibus non obligare sub graui. 11.
Probabile est, quod obliget sub graui. 12.
Soluuntur rationes oppositæ sententiæ. 13.
Argumentum deductum à paritate voti de re leui. 14.
An teneatur pænitens grauem pænitentiam pro leuibus culpis acceptare, & adimplere. 15.
Vtique tenetur. 16.

1 Grauis pro graui est sub graui adimplenda.

DIctum est in præcedenti articulo, Confessarium teneri sub graui etiam pro leuibus peccatis aliquam satisfactionem pænitenti imponere. Nunc controuertitur, an etiam pænitens teneatur sub graui in quocunque casu eandem satisfactionem adimplere; & quidem, si fuerit grauis, & pro grauibus delictis, non videtur hæsitandum, quod teneatur sub graui adimplere, & de hoc satis est dictum supra. Controuersia igitur solum ad hæc reducitur; primò, an, si pro peccato graui imposita sit leuis pænitentia, teneatur eam sub graui pænitens adimplere; secundò, an etiam tali ratione teneatur, si leuis pro leuibus delictis, vel etiam grauibus, sed ritè iam confessis fuerit imposita; tertiò quid, si grauis pro leuibus, vel grauibus iam ritè confessis fuerit iniuncta.

In ordine ad primum nonnulli metientes omissionem relatiuè ad pænam, quæ leuis supponitur, non in ordine ad culpam, quæ grauis, & læthalis est, dixerunt omittentem leuem pænam iniunctam pro peccato graui, etiam alias ritè non confesso non peccare grauitèr, quia deficit in materia leui; atque sic signantèr sentit *Bonacina de Sacrament. pænit. disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 4. n. 4.* qui etiam citatis alijs pluribus progrediens asserit, omittentem partem leuem grauis pænitentiæ non peccare grauitèr excusante leuitate materiæ. His tamen non obstantibus sit

2 Sentētia asserens leuē pro graui nō esse sub graui adimplendā.

Conclusio I. Omittens sine causa pænitentiam leuem iniunctam à Confessario pro culpa, seu culpis grauibus non eximitur à culpa graui *Sancius in select. disp. 13. n. 14.*, & in hoc videtur etiam consentire *Madernus tract. 4. de pænitentia q. 5. art. 2.*

3 Obligat sub graui.

Probatur, quia, si quæ ratio sic omittentem eximeret à culpa graui, illa potissimam esset, quod præceptum de re leui non obligat sub graui, qua ratione mouetur *Suarez tom. 4. disp. 38. sect. 7. num. 5.*, sed hæc ratio nihil euincit, quandoquidem non est præceptum dependens præcisè ex voluntate Confessarij præcipientis, sed ex institutione Christi Domini, qui quamuis reliquerit arbitrio regulato Confessarij determinationem satisfactionis, eandem tamen voluit quoad substantiam ad integrandum Sacramentum, sine qua mutilum remaneret; quamuis igitur præceptum de re leui secundum se non obliget sub graui, prout tamen coniungitur cum læsione Sacramenti, si non adimpleatur, non stat sine graui peccato, potissimum, si onus impositum sit ex graui causa, quod multis exemplis euincitur, & primò in materia simoniæ, in qua, si in pretio leuissimo lædatur res spiritualis, & reuerentia eidem debita, lædens non eximitur à graui culpa, non nisi, quia lædit rem spiritualem, quod etiam euenit in casu nostro, in quo læditur ipsum Sacramentum, ipsum quodamodo mutilando; Neque dicas, in simonia etiam per leue, & modicum pretium grauitèr delinqui, quia in ipsa vilipenditur res spiritualis eam comparando ad rem temporalem, in quibus nulla est proportio, immò quo tenuius est pretium, videtur eidem rei spirituali irrogari maior iniuria comparando ipsam ad rem leuissimi valoris; Contra enim impugnaberis, quia etiam in nostra hypothesi vilipenditur in effectu ipsum Sacramentum, dum non attenta potestate clauium nulla legitima causa excusante omittitur eius integritas in parte non qualicunque, sed in ea, in qua elucet, & potestas Sacerdotalis, & vis satisfactionis debitæ pro graui culpa. Secundò, quia videtur grauius, quando materia est necessaria, relinquere ex propriæ voluntatis arbitrio

4 Lędit Sacramentum ipsū quodamodo mutilando.

5 Exemplis euincitur.

Sacramentum mutilum, ac imperfectum, quam non adimplere præceptum Ecclesiasticum non pertinens, nec ad substantiam, nec ad integritatem Sacramenti, sed ad meram dispositionem ad illud suscipiendum; sed transgredi præceptum pertinens ad solam dispositionem, etiam in re leui est peccatum graue, vt videre est in eo, qui fracto ieiunio in modico potu, vel cibo sumeret Eucharistiam, ergo à fortiori esset graue peccatum, si omitteretur ex propriæ voluntatis arbitrio integritas Sacramenti imposita ex causa necessaria, & graui, quantumuis illa integritas consisteret in satisfactione leui.

6 Magis vrget onus non mutilandi Sacramentum, quã præceptum Ecclesiæ.

Neque dicas cum *Maderno loc. cit. n.* 12. non currere paritatem in trasgrediente præceptum Ecclesiasticum de seruando ieiunio naturali in susceptione Eucharistiæ, ac de non complente Sacramentum pænitentiæ per non adimplementum satisfactionis etiam in re leui, siquidem illud præceptum graue in se est, & consistit in indiuisibili, cuiusmodi non est præceptum de adimplenda satisfactione, quod pati potest maius, & minus, & ex eo quod in re leui sit impositum à Confessario, non videtur impositum sub graui; Contra enim impugnaberis, quia etiam præceptum adimplendi satisfactionem, quando imposita est pro materia graui, & necessaria est secundum se graue, vt fatetur idem *Madernus loc. cit. n. 9. in resp. ad quæsitum*, vbi etiam statuit, quod etiam sit grauis obligatio pænitentis eam adimplendi, dum sic arguit. Obligatio adimplendi pænitentiam iniunctam correspondet obligationi Confessarij illam imponendi, sed obligatio Confessarij est grauis, quando cadit supra materiam grauem, & necessariam, ergo, & obligatio pænitentis adimplendi erit grauis, quando est imposita ex materia graui, & sic ex grauitate præcepti non colligitur aliqua diuersitas inter vtrumque casum, cum in vtroque ex mente eiusdem Maderni præceptum sit graue; neque item colligitur aliqua diuersitas ex eo, quod præceptum ieiunij sit indiuisibile, seu consistat in indiuisibili, quandoquidem constito, quod præceptum adimplendi satisfactionem ex materia graui obliget sub graui, in quacunque quantitate erit imposita, erit sub graui adimplenda; vnde inter vtrumque casum erit solummodo discrimen in hoc, quod præceptum ieiunij, obligat ad omnimodam abstinentiam à cibo, & potu, adeout per quamcuuque etiam minimam sumptionem violetur; præceptum verò satisfactionis obliget, siue in maiori, siue in minori quantitate pænitentia fuerit à Confessario imposita, cum patiatur magis, & minus.

7 Soluitur instantia Maderni contra hanc paritatem.

Probatur secundò ex *Arriaga disp. 48. sect.* 1. Nemo tenetur neque sub veniali confiteri peccata venialia, neque læthalia iam ritè confessa, & tamen, si quis ea confiteatur, tenetur satisfactionem sibi impositam saltem sub veniali adimplere, ergo, si confiteatur læthalia anteà non confessa, tenebitur sub læthali pænitentiam ob ipsa impositam adimplere. Consequentia probatur, quia talis debet esse obligatio, qualis est materia, supra quam cadit, sed materia, supra quam cadit, est grauis, quando fuerunt confessa læthalia ritè antea non confessa, ergo &c.

8 Obligatio talis est qualis materia supra quam cadit.

Hic oritur difficultas, an, si à Confessario fuerat imposita ob peccata grauia antea non confessa satisfactio grauis, vel fortè ex causa etiam leuis, & pęnitens culpabilitèr omittat leuem partem ipsius, contrahat grauem culpam: Doctores sustinentes omittentem pęnitentiam leuem etiam impositam ex graui culpa, non teneri sub graui illam adimplere, à fortiori sustinebunt, non grauitèr peccare, si ex satisfactione, vel graui, vel leui leuem aliquam partem omittat. Iuxta sententiam autem, quam nos sustinemus, difficultas videtur magis vrgere; si etenim pęnitens tenetur sub graui adimplere pęnitentiam leuem, videtur etiam ex eodem motiuo teneri partem leuem pęnitentię grauis, vel etiam leuis, persoluere. Nihilominus sentiendum arbitror, quod, si omittatur pars leuis pęnitentię grauis impositę à Confessario, vel leuissima pars pęnitentię leuis non contrahatur culpa grauis. Ratio est, quia, in hoc præcepto adimplendæ satisfactionis habet etiam locum paruitas materiæ, quæ, sicuti in alijs excusat a grauitate culpæ, ita non est, cur non excuset in hoc; Neque obstare potest, si dicatur, quod hac ratione excusaretur etiam à graui culpa, si omitteret totam satisfactionem, si hæc esset leuis; Non, inquam, obstare potest, quia quoad totalem satisfactionem militat alia ratio nempè integritatis Sacramenti, quæ non potest esse sine aliqua satisfactione, licet possit esse cum minori; nec in hoc arbitrandum est, mentem esse Confessarij obligandi sub graui ex quacunque omissione leuis partis pænitentiæ iniunctæ, sicuti debet esse mens obligandi pro grauibus culpis ad aliquam satisfactionem, & sicuti ipse, licet possit, vel magnam, vel modicam pænam imponere, tenetur tamen sub graui aliquam imponere, ita licet intelligatur velle, vt tenetur, satisfactionem aliquam sic exigente conditione Sacramenti, non intelligitur tamen velle sub graui, vt quælibet pars eiusdem iniunctæ etiam minima adim-

9 Si omittatur pars leuis pænitentiæ grauis non cõtrahitur grauis culpa.

10 Soluitur instantia opposita.

adimpleatur, quia ex vna parte satisfit præcepto, ex alia saluatur conditio paruitatis materiæ.

In ordine ad secundum dubium in principio articuli propositum nonnulli docent, pænitentiam leuem impositam pro leuibus peccatis, vel etiam grauibus iam antea ritè confessis non obligare sub læthali ad ipsius adimplementum *Sotus in 4. dist. 20. q. 2. art. 2., & ibi Paludanus q. 1., Laiman lib. 5. tract. 6. c. 15. n. 7., Suarez disp. 38. sect. 7. n. 5., Auersa q. 13. sect. 6.* Ratio ipsorum est, quia nec causa, nec materia grauis est, siquidem causa sunt peccata leuia, & materia pæna leuis, ergo pænitens non obligatur sub graui ad ipsius implementum; Nec obstare posse videtur, quod Sacramentum remaneret incompletum; nam, licet non sit necessarium peccata venialia, & etiam læthalia antea ritè confessa subijcere confessioni, ex quo tamen voluntariè subijciuntur, ità debent subijci, vt Sacramentum perficiatur, ea proportionali ratione, qua peccata venialia non sunt ex necessitate subijcienda, ex quo tamen liberè subijciuntur, debent subijci cum debito dolore, ne reddatur Sacramentum inualidum; Non, inquam, obstare posse videtur, quandoquidem auctores huius opinionis asserunt, quod, quando causa est leuis, & etiam leuis materia pænitentiæ impositæ non sit grauis irreuerentia Sacramenti, quod ipsum sit imperfectum in parte integrali, sed ad summum leuis comparando obligationem tam ad causam, quam ad materiam. Deinde subdunt, quod, vt materia leuis inducat grauem obligationem, debeat cadere supra materiam necessariam confessionis, non supra liberam. Nihilominus sit

11 Sentētia docens pænitentiam leuē impositā pro leuibus non obligare sub graui.

Conclusio II. Non improbanda est sententia asserens pænitentiam leuem impositam pro leuibus peccatis sub graui adimplendam esse. *Ioannes Sancius in select. disp. 15. num. 14* licet ab alijs communitèr impugnetur.

12 Probabile est, quod obliget sub graui.

Probatur primò, ratione adducta in instantia contra oppositam opinionem, quia scilicet, licet non sit necesse exponere venialia, & item mortalia iam antea ritè confessa clauibus, ex quo tamen liberè exponuntur, seruanda sunt ea, quæ sunt, vel de substantia, vel de integritate Sacramenti, ne reddatur inualidum, vel mutilum, cęteroqui irreuerentia contra idem Sacramentum haberetur, ergo, si culposè omitteretur pęnitentia pro ipsis imposita, grauis incurreretur noxa, si non ratione materię, quę leuis supponitur, ratione Sacramenti, quod mutilum redderetur; Neque obstant ea, quę in responsione ad instantiam adducebantur; Non primum, quod scilicet, licet Sacramentum imperfectum remaneat, quia tamen remanet solum tale in parte integrali, non inducat in omissione grauem noxam, quandoquidem ex genere suo mutilare Sacramentum in totum in ea parte, quę sola pertinet ad integritatem semper est graue; ad legitimam quippè confessionem ex parte pænitentis tria requiruntur ex communi DD. consensu, & ex ipsa institutione, contritio scilicet, confessio, & satisfactio; prima duo pertinent ad substantiam, tertium ad integritatem; & hæc integritas iniuncta est in quacunque Sacramentali confessione, siue sit quoad necessaria, siue quoad libera, &, si sit quoad necessaria, adimplenda est ex necessitate absoluta, si quoad libera ex necessitate suppositionis, & quotiescunque hæc ex culpa omittitur, vtpotè mutilans Sacramentum, non potest esse sine graui culpa; & sicuti, quamuis liberum sit confiteri venialia, si tamen confiteantur, debent cum debito dolore confiteri sic exigente natura Sacramenti, qui dolor, si omittatur, inducit grauem culpam, eo quia inualidat ipsum Sacramentum, ita quamuis sit liberum eadem confiteri, si tamen confiteantur, sic exigente institutione eiusdem est adimplenda satisfactio, & si non adimpleatur, grauis etiam culpa, quamuis minor ea, quæ contrahitur ob deficientiam doloris incurritur, eo quia reddit ipsum Sacramentum mutilum, & imperfectum; & hinc respondetur ad secundum, quod subdebatur, quod scilicet materia leuis non inducat grauem obligationem, nisi quando cadit supra materiam necessariam, hoc est supra peccata læthalia antea ritè non confessa; respondetur, inquam, quod, licet peccata venialia non sint materia necessaria secundum se, sint tamen quoad satisfactionis debitum necessaria ex suppositione habitæ eorundem Sacramentalis confessionis.

13 Soluuntur rationes oppositæ sententiæ.

Probatur secundò, si quis voueret opus leue, vt satisfaceret pro venialibus, vtique teneretur sub graui tale opus adimplere, ergo, etiam si Confessarius imponat pænam leuem pro venialibus, tenebitur pænitens sub graui ipsam adimplere. Consequentia probatur, quia non minus videtur habere vim obligandi præceptum Confessarij, quando est in adimplementum Sacramenti, ac votum elicitum ex libertate pænitentis in ordine ad satisfaciendum leuibus culpis; Nec obstare potest id, quod asserit *Madernus tract. 4. de virt., & Sacram. pænit. q. 5. de satisfact. art. 2. num. 11.* assignans disparitatem inter votum, & præceptum Confessarij,

14 Argumentum deductum à paritate voti de re leui.

dum dicit, quod ex voto possit quis se voluntariè obligare etiam sine vlla relatione ad peccata; Confessarius autem non potest, nisi ex relatione ad peccata; Non, inquam, obstare potest; primò, quia supponimus elicuisse votum pro satisfaciendo peccatis venialibus. Secundò, quia ex eo, quod Confessarius habeat in imponenda pænitentia relationē ad peccata, videtur magis obligare per ordinem ad effectum Sacramenti.

15 An teneatur pęnitens grauem pænitentiam pro leuibus adimplere.

In ordine ad tertium dubium in principio propositum, non videtur in hoc posse habere locum controuersia, quandoquidem, cum iuxta dispositionem *Concilij Tridentini sess.* 14. *c.* 8. Confessarius debeat pænitentiam imponere iuxta qualitatem delictorum, & iuxta conditionem personæ, non videtur posse pænam grauem imponere pro delictis leuibus; Nihilominus, quia, vt benè notat *Henriquez in sua summa lib.* 5. *c.* 20. §. 1., & cum eo *Reginaldus lib.* 7. *num.* 77., *& alij*, quandoque expedit ad euitanda maiora mala etiam pro leuibus graues pænas imponere, vtique in hac hypothesi controuersia potest locum habere, pro qua sit.

16 Vtique tenetur adimplere.

Conclusio III. Tenetur pænitens grauem pænitentiam pro leuibus culpis impositam sub graui adimplere. Consentiunt in hoc *Nugnus in addit. ad tertiam partem q.* 13. *art.* 2. *diffic.* 2. *concl.* 4., *Coninchus disp.* 10. *dub.* 9., *Lugus disp.* 35. *sect.* 5., *Arriaga disp.* 48. *sect.* 1. *num.* 3.

Non diù immorandum in probatione huius conclusionis, cum clarè deducatur ex præhabitis; si etenim tenetur sub graui adimplere pænas leues pro leuibus, à fortiori tenebitur sub graui adimplere graues, potissimum cum leuitas materiæ in hac hypothesi non possit militare, & suffragari.

ARTICVLVS VI.

Qualia opera iniungi possint, & debeant pro peccatis.

SVMMARIVM.

Quantitas pænarum taxanda est per regulatum arbitrium Confessoris. 1.
Antiqui canones pænitentiales non sunt amplius in vsu. 2.
Opera iniungenda debent esse moralitèr bona, & pænalia. 3.
Sententia asserens, quod, si pænitentia adimpleatur ex fine venialitèr malo, non sit satisfactoria. 4.
Sententia asserens esse satisfactoriam, quantumuis fiat ex fine mortalitèr malo. 5.
Sententia Auctoris asserentis factam ex fine solum venialitèr malo esse sufficientem. 6.
Secus, si sit ex fine lathalitèr malo. 7.
Argumentum deductum à susceptione baptismi nil euincit. 8.
Quomodo actus internæ charitatis, & orationes possit dici opera pænalia. 9.
Opera iniungenda possunt ad tria capita reduci, & qualia. 10.
Opera, quæ reducuntur ad primum caput. 11.
Quomodo præcipi possint actus merè interni. 12.
Opera reducibilia ad secundum caput. 13.
Reducibilia ad tertium caput. 14.

1 Quantitas pęnarum taxanda est per Confessarium regulatē.

NOn loquimur hic de quantitate pænarum iniungendarum in confessione Sacramentali, quandoquidem ex superius dictis hanc determinare ex *Concil. Trident. d. sess.* 14. *c.* 8. remittitur arbitrio regulato Confessarij habito respectų ad grauitatem delictorum, & ad qualitatem personarum; sed de qualitate earundem, quæ, quamuis eidem arbitraria videatur, debet tamen esse regulata tam in ordine ad statum pænitentis, tam in ordine ad qualitatem peccatorum, tam in ordine ad finem, ad quem est imponenda.

2 Antiqui canones non amplius vigent.

Stante hoc Confessarij arbitrio non est, cur immoremur in rememoratione sacrorum antiquorum canonum pænitentialium, quibus diuersæ, atquè graues pænæ iniungebantur in ordine ad diuersa delicta, tam contra præcepta Decalogi, quam contrà peccata capitalią, quos latè refert *Reginaldus lib.* 7. *c.* 5. *sect.* 3. *tit. pertinentes ad præcepta Decalogi num.* 54., *& seqq.* cum amplius non sint in vsu. Quamobrem solum insistemus in inuestigandis qualitatibus pænarum, seu satisfactionum, quæ debent, & possunt iniungi. Communitèr tradunt DD. huiusmodi pænas debere esse opera bona pænalia. *Valentia tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 14. *punct.* 3. *vers. tertio sequitur, D. Thomas in addit. ad tertiam part. q.* 15. *art.* 3., *Pitigianus secunda part. dist.* 15. *q.* 1. *art.* 3. *concl.* 1., *Pesantius in addit. ad tertiam part. q.* 18. *disp.* 6. Ratio est, quia huiusmodi pænæ sunt imponendæ in vindictam præteritorum criminum, & custodiam futurorum; non sunt autem huiusmodi, nisi sit opera moralitèr bona, quæ opponuntur malis culpæ, & pænalia, quæ cedunt in vindictam. Dixi, *moralitèr bona*, quia, si essent mala, potius prouocarent ad nouam pænam, quam antiquam extinguerent.

3 Opera iniungēda debēt esse moralitèr bona, & pænalia.

Sed hic oritur difficultas, an, si fuerit per Confessarium iniunctum opus moralitèr bonum, sed ex peruersitate pænitentis ei in executione adijciatur aliqua malitia, puta, si adimpleatur ob inanem gloriam captandam, satisfiat præcepto satisfactionis, quod idem intellige, si fiat

ex

4 Sententia asserens, quod, si pœnitentia adimpleatur ex fine venialitèr malo non sit satisfactoria.

ex alio fine mortalitèr peccaminoso. *Arriaga disp.47. sect. 3. num.* 15., qui etiam pro se allegat *Tannerum* sentit, etiam si opus iniunctum adimpleatur ob finem, seu cum malitia solum venialitèr mala, non satisfieri præcepto. E contra *Vasquez disp.94. art.12. dub.5., Lugus disp. 25. sect.3.* sentiunt etiam, si adimpleatur ex fine mortalitèr peccaminoso, satisfieri præcepto.

5 Contraria sententia exponitur.

Ego autem existimo, quod, si exerceatur ob finem solum venialitèr malum, satisfiat, secus, si ob finem læthalitèr peccaminosum. Consentiunt *Suarez disp. 38. sect.8., Auersa quæst. 13. sect.6., Madernus tract. 4. de virt., & Sacram. pænit. q. 5. de satisfact. art. 2. num. 13. in resp.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod in præcedentibus dicebamus, nempè etiam confessionem, quæ est pars essentialis Sacramenti, factam ob finem venialitèr solum malum validam esse, & consequi suum effectum, & per consequens factam vrgente præcepto esse satisfactoriam eiusdem, ergo etiam satisfactio, quæ est pars tantum integralis, erit satisfactoria, quantumuis fiat ob finem solum venialitèr malum; Neque dicas, ob illum finem venialitèr malum pænitens meretur nouam pænam, ergo per opus cum illo exercitum non meretur extinctionem primæ pænæ debitæ ex culpis confessis; quod enim est inductiuum nouæ pænæ, non videtur destructiuum antiquæ, & sic non videtur satisfieri præcepto, quod ordinatur ad remissionem eiusdem pænæ; Contra enim impugnaberis, quia nulla est repugnantia, quin per aliquam actionem secundum diuersum respectum, & habitudinem quis mereatur aliquam pænam, & simul extinctionem pænæ præcedentis, sicut non est repugnantia, quod quis in confessione facta ob leuem inanem gloriam, sed cum omnibus alijs requisitis acquirat remissionem culparum præcedentium, & simul contrahat aliquam leuem culpam; non etenim pugnat noua leuis culpa cum remissione præcedentium, sicuti, nec noua pæna cum extinctione antiquæ.

6 Facta ex fine venialitèr malo est satisfactoria.

7 Secus, si fit ex fine læthalitèr malo.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod actio mortalitèr peccaminosa non potest esse satisfactoria, & meritoria remissionis pænarum, quod etiam à pari euincitur in similibus; sic, si quis faciat confessionem mortalitèr peccaminosam, & per consequens nullam non satisfacit præcepto annuæ confessionis, vt declarauit Alexander VII. fel. record. in damnatione quartæ decimæ propositionis sub die 24. Septembris 1665., sic, si quis in Paschate sacrilegè sumat Eucharistiam non satisfacit præcepto Paschalis communionis, vt declarauit Innocentius XI. semper gloriosæ memoriæ in damnatione quinquagesimæ quintæ propositionis sub die 2. Martij 1679. ergo etiam &c.

8 Argumentum deductum à susceptione baptismatis nō euincit.

Quod, si dicatur, quod, si quis suscipiat baptismum ob finem etiam læthalitèr malum, & ob eundem audiat sacrum in die festo satisfaciat præcepto suscipiendi baptismum, & audiendi sacrum, ergo, etiam si satisfactionem à Confessario impositam adimpleat ob finem mortalitèr malum, satisfaciet præcepto eiusdem satisfactionis; statim erit impugnatio, quia in suscipiente baptismum concurrentibus alijs requisitis, nempè debita materia, & forma cum intentione tam conferentis, quam suscipientis, quamuis suscipiatur ex fine læthalitèr malo, fit valida susceptio, quia nihil est, quod repugnet effectui principali eiusdem baptismi, nempè caractheri, cum quo non repugnat peccatum; repugnat autem actum esse satisfactorium, & mortalitèr peccaminosum. Ad id, quod subditur de auditione sacri cum fine, seu ad finem læthalitèr peccaminosum, dico, non esse ità certum, vt supponitur, quod per illam satisfiat præcepto, sicuti non satisfit præcepto annuæ confessionis, & Paschalis communionis per confessionem peccaminosam, nec per communionem sacrilegam. Deinde, quando etiam admitteretur, per illum auditionem satisfieri præcepto, non propterea sequeretur, quod per satisfactionem mortalitèr malam satisfieret præcepto eiusdem satisfactionis, quia, vt notat *Madernus d. tract. 4. de virt., & Sacram. pænit. q. 5. art. 2. num.* 17. ex definitione Conciliorum satisfactio debet esse opus bonum, nam opus malum est essentialitèr incapax satisfactionis, quod expresse non habetur de præcepto auditionis sacri in die festo.

9 Quomodo actus internæ charitatis, & orationis pōssint diù opera pœnalia.

Dixi, *pænalia*, cum, vt superius dicebamus, sint in vindictam præteritorum, & coercitionem futurorum; sed hic oritur difficultas, quomodo hæc compati possint cum praxi, quæ communitèr seruatur, secundum quam in satisfactionem præcipiuntur orationes ad Deum, & quandoque actus internæ charitatis, quæ, seu qui non videntur inter pænalia computari; Sed dicendum est, hæc quamuis minus laboriosa, esse tamen quoquo modo pænalia, quatenus, cum natura humana post lapsum Adami amissa originali iustitia sit ad inferiora, & terrena inclinata, laborem quodamodo patitur, dum trahitur ad superiora, & cælestia, prout considerat *Laiman lib. 5. tract. 4. c. 15. de Sacram. pænit. num. 9.* Deinde, vt notat *Bonacina de Sacr. pænit. disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 2. n.* 10. huiusmodi opera fiunt cum aliqua corporis

ris defatigatione propter attentionem, secundum quam rationem possunt dici pœnalia.

Huiusmodi opera, quæ iniungi possunt in satisfactionem, reduci possunt ad tria capita, nempè ad eleuationem mentis in Deum, ad corporis macerationem, ad opera misericordiæ in proximum, quæ colliguntur, tum ex *Trident. sess. 14. can. 13.* vbi habet satisfactionem præstari posse, & debere ieiunijs, & hoc spectat ad carnis macerationem, orationibus, & hoc pertinet ad eleuationem mentis in Deum, & eleemosinis, & hoc ad misericordiam erga proximum; tum ex *D. Thoma in addit. ad tertiam partem q. 15. art. 1., & 3.* vbi considerat, quod omne peccatum, vel in Deum committatur, vel contra se ipsum, vel contra proximum; & sic, prout est contra Deum, compensatur quoquo modo per eleuationem mentis in ipsum, prout est contra se ipsum, satisfit per carnis macerationem, prout est contra proximum, per eleemosinarum largitionem.

10 Tria capita operũ iniungendorũ.

Ad primum caput eleuationis mentis in Deum reducitur actus internæ charitatis, detestatio peccatorum propter Deum, gratiarum actio, & cultus aliquis, siue circa ipsum Deum, siue circa Sanctos eius. Sed difficultas aliqua hic oritur, quomodo aliqui ex his actibus possint præcipi, cum non sint sensibiles, puta actus internæ charitatis, detestatio peccatorum &c. Ad hoc respondent *Suarez disp. 38. sect. 6., Filliutius tract. 8. c. 1. q. 7. n. 45., Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 2. num. 10.* huiusmodi actus reddi sensibiles per accidens, quatenus exterius imponuntur, & acceptantur. Deinde, sicuti virtute Sacramenti præcipiuntur actus interni peccaminosi, vt manifestentur in Sacramentali confessione, ità possunt præcipi, vt in satisfactionem peccatorum actus interni eliciantur.

11 Opera, quæ reducuntur ad primũ caput.

12 Quomodo præcipi possint actus merè interni.

Ad secundum caput macerationis corporis reducuntur ieiunia, flagella, verbera, peregrinationes, genuflessiones, dimissiones, & alia, quibus corpus affligitur.

13 Opera spectantia ad secundum caput.

Ad tertium caput reducuntur eleemosinæ, stipendia missarum eroganda, visitationes hospitalium, infirmorum seruitutes, aliaque omnia ministeria, quæ in proximi vtilitatem, siue corporalem, siue spiritualem cedunt.

14 Opera tertij capitis.

ARTICVLVS VII.

An in satisfactionem peccatorum possint iniungi opera ex alio titulo debita.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ. 1.
Articuli circa eandem discutiendi. 2.
Non interueniente legitima causa non congruè Confessarius imponit opus aliundè præceptum. 3.
Pænitentia debet esse in vindictam præteritorum, & custodiam futurorum. 4.
Sententia docens hoc onus in Confessario obligare sub graui. 5.
Sententia docens non obligare sub graui. 6.
Præfertur prima sententia. 7.
Interueniente iusta causa potest opera præcepta imponere. 8.
Explicatur in particulari, quæ sit iusta causa. 9.
Consulendum est fragilitati pænitentis. 10.
Soluuntur opposita. 11.
Si Confessarius imperet auditionem trium Missarum in die festo pænitens tres audiens satisfacit, & præcepto Ecclesiæ, & oneri imposito à Confessario. 12.
Soluitur instantia opposita. 13.
Si Confessarius imponat ieiunium non præscripto die non potest pænitens illud adimplere in die ieiunij præscripti ab Ecclesia. 14.
Soluuntur obiecta contrariæ sententiæ. 15.
Si Confessarius imperauerit auditionem vnius sacri per mensem pænitens diebus festis intra illum mensem audiens vnum dumtaxat sacrum satisfacit. 16.

Tenetur quis ex præcepto Ecclesiastico ieiunia certis temporibus ab Ecclesia seruare, sacrum diebus festis audire, vel ex voto peregrinari, vel ab aliquo opere desistere, & his similia, Confessarius audita eiusdem confessione iniungit in satisfactionem peccatorum aliqua ex his operibus aliundè præceptis; controuertitur modo, an iustè potuerit huiusmodi opera imperare, &, an pænitens eadem adimplendo satisfaciat simul præcepto Ecclesiæ, seu voto, & oneri satisfactionis per Confessarium impositæ.

1 Series quæstionis.

Hæc controuersia secundum multiplicem sensum potest examinari; primò, quatenus nulla legitima causa interueniente determinatè imponat onus adimplendi opera pro certis determinatis temporibus, pro quibus etiam vrget præceptum Ecclesiæ, præscripta, vt, si imperet auditionem sacri pro diebus festis, vel ieiunium

2 Articuli circa eandem examinandi.

nium pro diebus ab Ecclesia præscriptis. Secundò, quatenus attenta conditione, seu consuetudine pænitentis non obseruantis huiusmodi præcepta nouerit Confessarius eadem adhuc non impleturum, nisi obseruantiam præcipiat in satisfactionem peccatorum, vel non obseruaturum alia opera supererogationis, si eadem præciperet. Tertiò, quatenus simul imperet opera pręcepta, & non pręcepta, vt, si in aliquo die festo imperet auditionem duarum, vel trium Missarum, in quo casu examinandum erit, an in illis duobus, vel tribus Missis intelligatur illa contenta, quæ est sub præcepto, vel exclusa, quando non constat de mente Confessarij; Quartò, an, si præscribat ieiunium non determinando diem possit pænitens illud seruare in die, in quo etiam ieiunium est præscriptum ab Ecclesia, & sic satisfacere per vnicum ieiunium vtrique oneri; Quinto, an, si imperet auditionem vnius sacri singulis diebus per mensem integrum, eidem satisfaciat, etiam si pro diebus festis audiat vnum dumtaxat sacrum aliundè debitum ex præcepto.

3 Non cōgruè imponit onus debitum.

Conclusio I. Nulla interueniente legitima causa non congruit, vt Confessarius præcipiat onus aliundè præceptum. In hoc consentiunt *Nauarrus in c. 1. princip. n. 40., & seqq. dub. 6. de pænit., Laiman lib. 5. tract. 4. c. 15. n. 10.*, nec in his terminis alios arbitror dissentiri.

4 Pænitentia debet esse in vindictā, & custodiam.

Ratio ex eo deducitur, quod satisfactio ex *Concil. Trident. sess. 14. c. 8.* imponitur in vindictam præteritorum, & custodiam futurorum, vt ex onere illius pænitens resipiscat, & retrahatur à malo, & hoc ex vi eiusdem satisfactionis; sed per impositionem operis aliundè præcepti, ex vi satisfactionis non magis retraheretur à malo, ac retraheretur simplicitèr ex executione præcepti, ergo non congruit &c.

5 Sentētia docens teneri Confessarium imponere onus non debitum.

Sed, an hoc onus Confessarij non imponendi opus aliundè præscriptum sit onus tantum congruentię nullam saltem grauem inducens noxam, si non obseruetur, an verò necessitatis inducens grauem culpam. *Nugnus in addit. ad tertiam partem q. 15. art. 2. diffic. 2.*, & alij plures apud *Vasquez q. 94. art. 1. dub. 6.* sentiunt esse onus necessitatis, adeout Confessarius lęthalitèr peccet, si pro peccatis maximè lęthalibus imponat opus aliundè pręceptum, quos non alia ratione moueri arbitror, nisi, quia illa impositio esset contra finem eiusdem satisfactionis. Alij magis communitèr, inter quos *Suarez disp. 38. sect. 6., Vasquez q. 94. art. 1. dub. 6., Beia tertia part. casu 7., Coninchus disp. 10. de pænit. dub. 8. num. 67., & seqq., Reginaldus lib. 7. n. 28., Sanchez in summa lib. 1. c. 14. num. 5.* non agnoscunt onus, nisi ad summum congruentię, qui mouentur ex eo, quod ex vna parte huiusmodi opera sunt moralitèr bona, & pænalia; ex altera arbitraria sunt Confessario onera imponenda in satisfactionem, & licet huiusmodi onera sint aliundè debita, prout tamen imponuntur à Confessario ex nouo titulo obligant. Nos non declinantes à prima sententia, probabilius sentimus, nulla penitus existente causa excusante grauitèr peccare Confessarium, si opera aliundè debita imponat in satisfactionem peccatorum maximè læthalium; & ad hoc asserendum potissimum mouemur ex dispositione *Concil. Trident. sessione 14. de pænit. c. 8.* asserentis. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit pro qualitate crimmum, & pænitentium facultate salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere, ne, si fortè peccatis conniueant, & indulgentius cum pænitentibus agant leuissima quadam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Hæc certè grauis comminatio participationis in alienis criminibus non potest esse, nisi ex graui crimine. Adde ex eod. Tridentino loco citato, quod huiusmodi satisfactiones imponendę sunt ad coercendum iure quodam speciali ratione afflictionis a malis futuris, & ad vindictam pręteritorum; iniungere verò onera iam aliundè debita non est ex speciali iure Sacramentalis confessionis retrahere, cum non sentiat pęnalitatem diuersam ab ea, quam ex alio titulo sentire tenetur. Adde vlterius, quod Confessarius tenetur sub graui pęnitentiam imponere pęnitenti, & vtique secundum grauitatem delictorum; imponere autem onus iam aliundè præceptum, ac debitum, non est imponere aliquam pænam, quia non est grauare pænitentem supra id, quod iam debet; Neque obstat, quod ratione satisfactionis impositæ à Confessario illud grauamen obliget ex alio, & nouo titulo; Non obstat, inquam, quia ille nouus titulus non potest esse retractiuus à malo, cum non imponat, nec inferat maius grauamen.

6 Sentētia docens hoc esse onus tantum cōgruentię.

7 Pręfertur prima sentētia.

8 Interueniente iusta causa potest opera præcepta imponere.

Conclusio II. Interueniente iusta causa, puta, si Confessarius ex notitia habita in Confessione nouerit pænitentem non seruaturum huiusmodi præcepta, nisi in satisfactionem iniungantur, vel non adimpleturum onera supererogationis, si eadem iniungat, potest congruè eadem opera aliundè debita iniungere. In hoc expressè consentit *Layman lib. 5. tract. 4. c. 15. de Sacram. pænit.* vbi asserit DD. notare ob pænitentis fragilitatem consultius fore opus alioqui præceptum eidem imperare; & hoc exemplificat iuxta casum in conclu-

clusione nostra expositum.

Probatur primò, quia Confessarius in hac hypothesi imponit in satisfactionem onus, quod licet aliundè sit debitum ratione præcepti, est tamen in executione cum grauamine retractiuo à malo, siquidem illud non exequeretur, nisi esset nouo titulo impositum à Confessario, qui propterea per illam impositionem inducit pænitentem ad seruandum præceptum, & ad sentiendum simul grauamen, quod cęteroqui non subiret, ergo congruè potest in hac hypothesi opus iam præceptum pænitenti imperare.

9 Explicatur in casu particulari, quæ sit iusta causa.

Probatur secundò, debet Confessarius, quantum potest consulere fragilitati, & imbeccilitati pænitentis etiam leuem pęnitentiam iniungendo pro grauibus delictis, quando nouerit grauem non esse adimpleturum; quod colligitur ex *d. Concil. Trident. sess.* 14. *c.* 8. *de pænit.* in illis verbis. *Et pænitentium facultate*, quod etiam optimè considerarunt *Henriquez lib.* 5. *summæ c.* 20. §. 5. *lit. Q. Reginaldus lib.* 7. *num.* 37. vbi habent, quod, si pænitens ipse dixerit, se pęnitentiam mediocrem, quam iudicio Confessarij meretur, facere non posse, sed velle tantum facere paruam, debet hic illi morem gerere, ergo pręuidendo alia onera pęnitentem non subiturum, nec etiam adimpleturum opus aliundè præceptum, poterit in satisfactionem obseruantiam eiusdem pręcepti imperare.

10 Consulẽdum est imbeccilitati pænitentis.

Neque obstant ea, quę in prçcedenti conclusione dicta sunt de conniuentia peccatis, de participatione in eisdem, de non remotione à malis futuris, & de negatione vindictę quoad prçterita, si opera aliundè prçcepta iniungerentur; Non obstant, inquam, quia stante difficultate, & morali certitudine non obseruantię prçceptorum compellendo quodamodo ad eorundẽ obseruantiam non conniuet Confessarius peccatis pęnitentis nec in eisdem participat, sed potius ab eisdem remouet, dum prçcipit onus, quod licet aliundè debitum, aggrauat tamen in executione.

11 Soluuntur opposita.

Conclusio III. Si Confessarius in satisfactionem imperet pęnitenti, vt in die festo duas, vel tres Missas audiat nulla alia facta expressione, probabilius est, quod in illis duabus, vel tribus Missis ab eodem Confessario imperatis comprehendatur illa, quę est ex prçcepto Ecclesię, & sic pęnitens duas, vel tres respectiuè audiendo satisfaciat vtriq; oneri, & prçcepti Ecclesiastici, & pęnitentię ab eodem Confessario iniunctę. *Sanchez in summa lib.* 1. *c.* 14. *num.* 5., *Conincbus disp.* 10. *de pænit. dub.* 8. *num.* 69., *Bonacina de pænit. Sacram. disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 3. *punct.* 2. *num.* 12. *vers. ex quo fit.*

12 Si Confessarius imperet auditionẽ trium Missarũ in die festo pęnitens tres audiens satisfacit.

Ratio ex eo deducitur, quod ex quo Confessarius nulla facta expressione dixerit, vt in die festo pęnitens duas Missas audiat, videtur hic adamussim adimpleuisse prçceptum, si duas audierit, nec alia prçsumitur fuisse mens Confessarij, nam, si voluisset duas, vel tres Missas vltra prçscriptam ab Ecclesia, expressisset. Quod, si dixeris, quod quando aliud non est expressum, non prçsumatur Confessarius iniungere opus aliud prçceptum, vt videbimus etiam infrà, ergo prçscribendo duas, vel tres Missas intelligitur prçscribere vltra Missam ab Ecclesia prçceptam; statim impugnaberis, quia, licet assumptum nudè consideratum verum habeat, fallit tamen, quando ex verisimilibus rationibus contraria prçsumptio habetur, vt in casu prçsenti, in quo iuxta modum, quo imponitur pęnitentia, arguitur mens Confessarij ad duas, vel tres Missas comprehensa ea, quę cadit sub prçcepto, restricta; si enim voluisset eam excludere, exclusisset; vnde arbitrandum est in hoc casu, quod Confessarius vnam dumtaxat auditionem sacri in satisfactionem imposuerit; & non voluerit per auditionem istius eximere ab onere prçcepti Ecclesiastici aliam audiendi.

13 Soluitur instantia opposita.

Conclusio IV. Si Confessarius in satisfactionem peccatorum prçscripserit pęnitenti vnum ieiunium non determinando diem, non potest iuste pęnitens illud seruare in die, pro qua ieiunium est ab Ecclesia prçceptum *Nauarrus c.* 1. *de pænit. dist.* 6. *n.* 44., *Azorius prima part. lib.* 11. *c.* 14. *q.* 1. *ad fin.*, *Victoria de satisfact. n.* 205., *Henriquez lib.* 5. *c.* 16. *num.* 5., *Reginaldus lib.* 7. *num.* 30.

14 Ieiunium imperatũ à Confessario non potest impleri pro die, quo ieiunium est ab Ecclesia imperatum.

Ratio est, quia ex prçdictis iuxta dispositionem *Concil. Trid. sess.* 14. *c.* 8. *de pænit.* Confessarius debet iniungere pęnitenti satisfactionem habito respectu ad grauitatem delictorum, & facultatem pęnitentis; nec ab hac dissentiri arbitrandum est eundem Confessarium; talis autem non est satisfactio de ieiunio iniuncta dilata ad diem, pro qua ex præcepto Ecclesię est ieiunium debitum, siquidem ieiunium pro illa die seruatum non magis remouet à malo, ac si non esset iniunctum in satisfactionem in Sacramentali confessione, nec potest esse in vindictam peccati prçteriti, nam etiam seruandum esset, si illa non iniungeretur.

Neque dicas iuxta superius dicta, si Confessarius iniungeret pęnitenti absque vlla exceptione in determinata die festi auditionem duarum, vel trium Missarum per auditionem vnius ex prçcepto, vel alterius, si duę fuerint per Confessarium prçsumptę, vel duarum, si tres fuerint ab eodem

eodem imperatę omnibus satisfaceret non obstante, quod vna esset ex præcepto, ergo etiam per obseruantiam ieiunij pręscriptam à Confessario pro die, qua illud seruandum est ex pręcepto, vtrique oneri satisfaciet pęnitens; Contra enim impugnaberis, quia in primo casu non pręsumitur, quod Confessarius iniungat in satisfactionem Missam, quę audienda est ex pręcepto, sed aliam duntaxat, si duas pręscripserit, vel duas, si tres imperarit; quod, si dixerit duas, vel tres, hoc fuit ad indicandum numerum audiendarum pro illa die, non quatenus omnes sint sub onere satisfactionis ab ipso impositę, sed quatenus illę omnes sint audiendę, licet vna ex pręcepto, alię in satisfactionem peccatorum. Dici etiam potest, quod in ea hypothesi Confessarius licet imposuerit duas, vel tres Missas in satisfactionem peccatorum nulla facta exceptione quoad debitam ex pręcepto, intelligatur tamen, non debitas ex pręcepto imperare simplicitèr, debitam verò ex eodem solum ad melius bonum pænitentis, quatenus vbi etiam fit virtute clauium, fit magis meritoria, ea proportionali ratione, qua plerique Confessarij certam statuunt satisfactionem pęnitentibus subdentes, quod etiã titulo satisfactionis applicent bona, quę agunt.

15 Soluuntur obiecta contrarię sententię.

Conclusio V. Si Confessarius imperarit in satisfactionem peccatorum pęnitenti auditionem vnius sacri singulis diebus per mensem, probabilius intelligitur satisfacere pęnitens tali oneri, etiam si pro diebus festis intra eundem mensem occurrentibus vnum tantum sacrum audiat. *Bonacina de Sacram. pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 2. n. 12. vers. ex quo fit.*

16 Si Confessarius imperet pænitenti, vt per mensem vnum sacrum singulis diebus audiat, etiã vnum tãtum in die festo audiens satisfacit.

Ratio ex eo deducitur, quod per hoc adimplet adamussim præceptum Confessarij, cuius voluntas non extenditur vltra vnam Missam singulis diebus, cum nulla fiat exceptio, &, sicuti iuxta pręcedentèr dicta, si Confessarius imperarit auditionem duorum sacrorum pro aliquibus diebus festis, pęnitens satisfacit oneri imposito duas audiendo non obstante, quod vna sit ex pręcepto, ità, si imperauerit auditionem vnius Missę singulis diebus per mensem, audiendo in die festo vnam tantum intelligitur oneri Confessarij satisfecisse non obstante, quod sit pręceptum Ecclesię audiendi sacrum in die festo.

ARTICVLVS VIII.

An possit iniungi satisfactio in communi, sub disiuncto, & sub conditione.

SVMMARIVM.

Sensus tituli secundum omnes partes exponitur. 1.
Congruentius foret, si Confessarius imponeret aliqua opera in particulari, & alia in communi. 2.
Tres gradus bonorum, quibus possumus satisfacere. 3.
Si imponeret opera in communi, impune, & validè imponeret. 4.
Præcipiendo opera in communi saltem implicitè obligat ad aliquod opus bonum in particulari, saltem indeterminatè. 5.
Illa opera, quæ exercerentur, essent virtute clauium, & quomodo. 6.
Illa satisfactio esset limitata, & quomodo. 7.
Potest iniungere pænitentiam sub disiuncto, & quomodo. 8.
Euincitur ex expressa mente D. Thomæ. 9.
Potest item iniungere pænitentias sub conditione, & quomodo. 10.
Non tamen pure conditionalem. 11.

Tria, vt videtis, continet titulus. Primum, an Confessarius nullo pręscripto opere in particulari possit imponere opera in genere, vt, si dicat: *Quidquid boni feceris, vel mali patientèr sustinueris, applica in satisfactionem peccatorum tuorum.* Secundum, an idem possit imponere pęnitenti duplicem satisfactionem, vnam dumtaxat tamen adimplendam arbitrio pęnitentis eiusdem, vt, si dicat: *In satisfactionem peccatorum tuorum tantum eleemosinæ impendes in pauperes, vel ter recitabis coronam Deiparæ Virginis.* Tertium, an Confessarius possit imponere satisfactionem determinatam pro certo tempore adimplendam ea adiecta conditione, vt, si pęnitens pro eo tempore non adimpleat, teneatur duplo maiorem pęnitentiam peragere.

1 Exponitur in vniuersũ titulus.

Conclusio I. Magis rationi consonum esset, vt Confessarius prius imponeret in satisfactionem aliquod opus in particulari, & deinde adderet in communi opera bona, quę pęnitens eliciet, & mala, quę patientèr sustinebit; si tamen solum opera in communi imponeret, impunè, & validè imponeret. Ità quoad primam partem *Nauarrus ad c. 1. de pœnit. dist. 6. n. 39.*, *Reginaldus lib. 7. de Sacram. satisf. num. 27.* Quoad secundam *idem Nauarrus in man. c. 26. n. 24.*, *Beia tertia part. cas. 7.*, *Henriquez lib. 10. c. 29. n. 5.*, *Reginaldus loc. mox cit.*,

2 Congruẽtius debet Confessarius aliqua in particulari imponere, & alia in cõmuni.

cit., *Suarez disp.* 38. *sect.* 6. *n.* 6., *Bonacina de pænit. Sacram. disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 3. *punct.* 2. *num.* 13.

Ratio primę partis est, quia maximè congruit, vt pro peccatis certis, & determinatis, congrua, & determinata imponatur satisfactio, vt pęna correspondeat culpę, cum etiam *Concil. Trident. d. sess.* 14. *c.* 8. disponat, quod pęnitentia debeat esse iuxta qualitatem delictorum. Confirmatur, quia ex genere suo magis prosunt pęnę, quę speciatim, & purè iniunguntur, quam quæ generatim, & sub conditione, siquidem, quo quis magis obligatur ad aliquid faciendum, eo illud, ad quod obligatur, cæteris paribus est melius, & Deo gratius, vt factum ex voto, quam factum omnino liberè, sed quando quis virtute clauium obligatur ad aliquod opus in particulari, magis obligatur, quam obligetur ad alia, ad quæ non obligatur, nisi ipsa fecerit, & sub conditione, si fecerit, ergo &c. Vnde *Nauarrus ad d. c.* 1. *de pænit. dist.* 6. *n.* 39. tres assignat gradus bonorum operum, quibus satisfacimus. Primus est eorum, quæ speciatim, & purè imponuntur à Confessario; huncque asserit esse magis satisfactorium. Secundus eorum, quæ sub conditione nobis imponuntur, si eadem fecerimus, & hunc asserit minus satisfactorium. Tertius eorum, quæ pęnitens ex se ipso, & propria voluntate efficit; atque hunc asserit minus cæteris satisfactorium; Ex quibus idem *Nauarrus loc. cit.* maximè laudat morem illorum Confessariorum, qui in remissionem peccatorum aliquam certam pænitentiam iniungunt, imponunt etiam bona, quæ de cætero pęnitens elicuerit, & mala, quæ patientèr sustinuerit.

3 Tres gradus bonorum, quibus possumus satisfacere.

Ratio secundæ partis est, quia illa opera, quæ in communi imperantur, & deinde successiuè adimplentur in particulari sunt opera moraliter bona, & secundum se pænalia, nec supponuntur saltem omnia alio titulo debita, seu præcepta, ergo non est, cur non possint validè, & cum effectu imponi in satisfactionem.

4 Si imponeret opera in cōmuni, validè imponeret.

Dices primò, præceptum Confessarij de satisfactione obligat ad implementum, sed quando Confessarius imponit satisfactionem in communi sub his terminis. *Quidquid boni egeris, & mali patientèr sustinueris applica in satisfactionem*, non obligat simplicitèr ad aliquid operandum, & patientèr malum sustinendum, sed solum sub conditione, si egerit, vel passus fuerit, ergo non potest illam satisfactionem in genere imponere. Sed contra primò, quia eo ipso, quo Confessarius præcipit, vt quidquid boni egerit, & mali patientèr pęnitens sustinuerit, applicet in remissionem peccatorum, implicitè obligat saltem indeterminatè ad aliquod bonum præstandum, & sustinendum patientèr aliquid mali. Secundò, quia in ordine ad bonum peragendum vix percipi potest, quod fidelis diù permanere possit sine aliquo bono opere; & in ordine ad malum patientèr sustinendum stante rerum vicissitudine, continuo fluxu huius mundi, naturæ imbecillitate, & similibus nullus pęnitus immunis est ab aduersitatibus, quas propterea debet patientèr sustinere ratione satisfactionis sibi impositæ.

5 Pręcipiēdo opera in cōmuni saltem implicitè obligat ad aliquod opus bonum.

Dices secundò, satisfactio debet esse determinata à Confessario, vt dicatur esse virtute clauium, non eligibilis à pænitente, apud quem vis clauium non residet; in hypothesi autem, de qua loquimur, opera bona eligerentur ab ipso pænitente, cum non potius ad hæc, quam ad illa obligetur à Confessario imponente tantum opera in communi. Sed contra; illa satisfactio hoc modo in communi imposita, licet non obliget ad aliquod opus præstandum in particulari, obligat tamen virtute clauium, vtpotè imposita à Confessario, vt vbicunque aliquod bonum in particulari eliciatur, nullo pænitentis expectato arbitrio cedat in remissionem peccatorum quoad pænas temporales, quod satis est, vt dicatur imposita à Confessario, vnde, vt benè notat *Nauarrus d. c.* 1. *de pænit. dist.* 6. *n.* 36. illa satisfactio est conditionalis, nam relatiuum adiectum tempori futuro denotat conditionem, & propterea, si quæ pænitens ex charitate faciat opera bona, aut toleret patientèr mala, eo ipso sine vllo pænitentis ministerio hæc applicantur satisfactioni ex vi clauium, & impositionis Confessarij.

6 Illa opera, quæ exercerētur, essent virtute clauium.

Dices tertiò, hæc satisfactio sic in communi imposita esset nimis illimitata, siquidem omnia opera bona, quæ pænitens toto vitæ suæ decursu exerceret, & mala, quæ patientèr sustineret, cederent in satisfactionem limitatorum criminum, quæ tunc pænitens subijceret clauibus, quod non videtur dicendum. Sed contra, quia, vt notat *Suarez tom.* 4. *disp.* 38. *sect.* 6. *n.* 6. illa satisfactio sic imposita restringitur ad satisfactionem pro peccatis, quæ tunc exposita sunt clauibus, de quibus solis fit iudicium per Confessarium; vnde, postquam talia peccata fuerint quoad pænam omnino remissa, cessat talis effectus Sacramentalis satisfactionis.

7 Illa satisfactio esset limitata.

Conclusio II. Potest licitè, & validè Confessarius iniungere pænitenti satisfactionem sub disiunctò. In hoc ferè communitèr consentiunt. *D. Thomas* apud *Suarez disp.* 38. *sect.* 3., *Henriquez lib.* 2. *c.* 21. *n.* 5., *Reginaldus lib.* 7. *num.* 40., *Bonacina de* Sa-

8 Potest iniungere pænitentiam sub disiūctò.

Sacram. pænit. disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 2. num. 7.

Ratio ex eo deducitur, quod Confessarijs non est restricta potestas ad imponendam potius vnam, quam alteram satisfactionem, sed solum ad eam iniungendam iuxta grauitatem delictorum, & iuxta facultatem personarum, ergo retenta eadem grauitate delicti, & personæ pænitentis facultate poterit, vel vnam, vel alteram congruam imponere, ergo decreta, vel vna, vel altera poterit, alteram illarum relinquere arbitrio pænitentis, nec tunc poterit dici, quod non sit imposita à Confessario, sed electa à pænitente; non, inquam, hoc poterit dici, quia, ex quo Confessarius vnam, vel alteram decreuit, vtramque intelligitur statuisse.

[9 Expressa mens D. Thomæ.] Confirmatur ex *D. Thoma quodl. 3. art. 28. in corpore, & in 4. sentent. dist. 20. q. 2. art. 2. ad tertium*, vbi sic arguit. Sacerdos potest pænitenti iniungere satisfactionem, vel ex proprio arbitrio, vel etiam ex consilio alieno, ergo, sicuti potest iniungere ex consilio alieno, ità & ex arbitrio ipsius pænitentis, sicuti, si dicat, *facias hoc, si potes, & si non potes, facias hoc*. Hæc sunt verba ipsius D. Thomæ, quibus quid clarius ad rem nostram?

[10 Potest iniungere sub cõditione, & quomodo.] Conclusio III. Potest Cõfessarius iniungere pænitenti in satisfactionem peccatorum opera pænalia sub conditione, si opus absolutè præceptum non adimpleat, vt, si dicat *Facias hoc, quod, si non feceris, duplicabis satisfactionem in eodem genere*. Iuxtà sensum, quo concipitur conclusio, nullum habere arbitror oppugnatorem.

Ratio est, quia in hac hypothesi Sacerdos simplicitèr imponit determinatam satisfactionem, & aliam solum sub conditione, si primam statuto tempore non adimpleuerit, in quo nullam video repugnantiam; illa etenim conditionalis satisfactio, licet quoad executionem referatur ad tempus non impletæ primæ satisfactionis absolutæ, intelligitur tamen ex tunc imposita à Confessario, ac proinde virtute clauium, & sicuti, si pænitens ex obliuione non adimpleuerit iniunctam pænitentiam, potest idem Confessarius memor status pænitentis aliam iniungere, cur non poterit etiam tunc, quando audit confessionem, imponere aliam satisfactionem, si primam non adimpleuerit?

Maior difficultas est, an Confessarius nulla imposita absoluta satisfactione possit solummodo conditionalem imponere, si aliquid non egerit. Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod posset contingere, quod confessio remaneret sine aliqua satisfactione, cum posset non adimpleri conditio, quo in casu eximeretur pænitens ab onere illam adimplendi. Ex alio capite, cum in præcedentibus dictum fuerit, posse Confessarium imponere satisfactionem in cõmuni, hoc est *quidquid boni feceris, & mali patientèr sustinueris, applica in satisfactionem peccatorum*, etiam in hoc casu posset contingere, quod nulla poneretur satisfactio, cum pænitens posset nullum opus bonum exercere, & nihil mali sustinere. [11 Non tamen purè conditionalē.] In hoc arbitror, non posse Confessarium licitè solam conditionalem imponere, non solum proptèr rationem adductam in ratione dubitandi, sed etiam, quia illa satisfactio conditionalis cederet potius in pænam conditionis non adimpletæ, non autem confessionis peccatorum præhabitæ. Neque obstant, quæ ex aduerso afferebantur, tum quia, vt supra innuebam, Confessarius præcipiens opera in communi saltem implicitè obligat ad aliquod opus; tum quia vix percipi potest, quod pænitens fidelis aliquid boni non sit operaturus.

ARTICVLVS IX.

Quænam onera in particulari in ordine ad particularia delicta congruè sint imponenda.

SVMMARIVM.

Pœnæ debent esse congruæ delictis. 1.
Infligendæ, vt medicinæ. 2.
Quænam pænæ contra peccata superbiæ infligendæ. 3.
Quænam contra auaritiam. 4.
Quænam contra luxuriam. 5.
Quænam contra iram. 6.
Quænam contra gulam. 7.
Quænam contra inuidiam. 8.
Quænam contra accidiam. 9.

[1 Pænæ debent conformari delictis.] QVamuis arbitrarium videatur Confessario pænitentibus tantas, ac tales satisfactiones iniungere, arbitrium tamen debet esse regulatum, &, quantum fieri potest, conforme delictis asserente *Concil. Trident. d. sess.* 14. *c.* 8., quod debeat esse iuxta qualitatem delictorum, quod non solum intelligendum est de quantitate satisfactionis, sed etiam de qualitate.

Hinc, vt accomodam Confessarijs regulam statuamus, omissis ijs, quæ ex antiquis canonibus pænitentialibus præscripta erant contra delinquentes aduersus præcepta Decalogi, & Sacramenta, quæ distinctè refert *Reginaldus lib. 7. post num. 54.* cum amplius secundum rigorem, quo concipiuntur, non sint in vsu teste *D. Thoma in 4. dist. 18. q. 1. art. 3. quæstiunc. 4. in corpore, & dist. 20. q. 1. art. 2. ad primum*, placet modo

2 Infligendę, vt medicinæ.

modo afferere huiusmodi pænas contra transgressores præceptorum Decalogi, & delinquentes in Sacramenta moderandas esse secundum arbitrium Sacerdotis Diuino instinctu regulatum; nam, vt rectè notat *D. Thomas loc. cit.* pænæ satisfactoriæ infligendæ sunt, vt medicinæ, & sicut medicinæ in arte determinatæ, non omnibus competunt, sed variandæ sunt secundum arbitrium Medici non propriam voluntatem sequentis, sed medicinę scientiam, ita pænæ satisfactoriæ in canone determinatæ non competunt omnibus, sed variandæ sunt secundum arbitrium Sacerdotis Diuino instinctu regulatum. Ità fermè ad verbum D. Thomas loc. cit.

Omissis igitur ijs, placet specialitèr per peccata capitalia, quæ sunt noxiæ radices, ex quibus cætera pullulant, percurrere, & remedia congrua, & apta, quibus eisdem mederi possimus, assignare, qua in re sequemur ductum *Gasparis Loarte in instruct. confess. lib. secundo cap. 21., & seqq.*, vbi præclaras regulas ad singulas species huiusmodi peccatorum capitalium accomodat, præscribit cautelas, & remedia assignat, & proportionatas pænas congerit.

3 Quænam pænæ cōtra peccata superbiæ imponēdæ.

Incipiendo igitur à primo capitali, quod est superbia, radix omnium malorum, hæc curanda est contrario humilitatis remedio, nam, sicuti, vt ait *D. Gregorius hom. 32. in Euangelia*, arte medicinæ calida frigidis, & frigida calidis curantur, ità Christus Dominus Medicus animarum nostrarum contraria opposuit medicamenta peccatis, vt elatis præciperet humilitatem. Igitur congruè Confessarius iuxtà artem spiritualis medicinæ aget, si postquam deformitatem huius criminis repugnantis legi Christi, qui se ipsum exinaniuit, & humiliauit vsque ad mortem crucis, ostenderit, imponat pænas humilitatem redolentes, vt humi se prosternere, comitèr cum humilibus, & vilibus personis conuersari, vilia ministeria obire, humilibus indumentis se tegere, quandoque etiam inferioribus locum cedere. In hoc tamen cautè se gerere debet Confessarius in ordine ad diuersas personarum conditiones, sed vniuscuiusque, qualitatem metiendo humilitatis quidem penas iniungere, sed vniuscuiusque statui accomodas, nedum mederi curat plagæ, eam deteriorem constituat.

4 Quænam contra auaritiā.

Auaritia, quæ est secundum peccatum capitale, curanda est operibus liberalitatis. Hoc crimen non solum afficit diuites, qui opes suas immoderatè amant, & retinent, sed etiam pauperes, qui nimia cupiditate, inordinatoque modo ijsdem inhiant acquirendis. Monendi sunt pœnitentes de grauitate huius criminis, de damnis, quæ inferunt, de impedimentis, quæ opponunt æternæ saluti; postea coercendi pænis eleemosinarum erogandarum, vel in pauperes, vel in vtilitatem Ecclesiarum, & locorum piorum, & si quid iniquè, & contra iustitiam acquisierint, obligandi sunt ad restitutionem. Si verò fuerint auari, sed pauperes inhiantes inordinatè, & modo indebito ad diuitias acquirendas, imponi poterit, vt considerent Christum nudum in cruce confixum, vt actus eliciant conformitatis ad Diuinum beneplacitum, vt considerent diuitias huius sæculi transitorias esse &c.

5 Quænam contra luxuriam.

Luxuria, cui, quanto natura procliuior est post lapsum primi parentis, tanto salubrioribus medicinis est occurrendum, est tertium ex capitalibus peccatum. Hoc præ cæteris Infernum replet habitatoribus, vtpotè quod à spirituali statu dimouet, obtenebrat intellectum, & voluntatem deprauat, & trahit ad baratrum nequitiæ. Coercendi sunt pænitentes ab hoc vitio meditatione præsentię Dei, & SS. Angelorum Custodum, exhibita deformitate, quam animæ, & corpori ingerit; vlterius sunt pænæ imponendæ, quæ carnem originem potissimam huius criminis macerent, cuiusmodi sunt ieiunia, corporis maceratio per flagella, & cilicia, abstinentia à superfluis in cibo, & potu, vitatio suspectarum conuersationum, fuga ab otio, peregrinationes, visitationes Sacrorum Templorum cum aliqua corporis defatigatione, & similia. Cautè tamen procedet Confessarius in ordine ad has pænas iniungendas attenta cuiuscunque conditione, nam certè diuersæ ex his pænis diuersis sunt imponendæ.

6 Quænam contra iram.

Ira, quæ mansuetudini aduersatur, corripienda est per actus patientiæ, & mansuetudinis. Huius teste *D. Thoma secunda secundæ q. 158. art. 7. in corpore*, sex sunt filiæ. Rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, & blasphæmia. Congruum contra hanc remedium assignatur *ab eod. D. Thoma lect. 1. c. 3. ad Titum*, recognitio fragilitatis propriæ; cum etenim homo natus sit ad labores, nutritus miserijs, subiectus crebris vicissitudinibus, & dum quotidiè viuit, quotidiè moritur, cogitans qualis sit, & qualis erit, deprimet sensum, iram extinguet. Pænæ ad remouendos iracundos à tali labe erunt orationes pro ijs, quos offenderunt, eisdem beneficia impartiantur, humiliationes sui ipsius, abstinentia potissimum à vino, qui calorem excitat ad iracundiam, & his similia.

7 Quænam contra gulam.

Gula, quæ prout peccaminosa est, secundum *D. Thomam secunda secundæ q. 1. art. 1.*

art. 1. ad secundum, non consistit in substantia cibi, sed in concupiscentia non regulata ratione, quatenus ob eandem concupiscentiam cibi delectabilis quis scientèr excedit mensuram in edendo. Connumeratur hæc inter peccata capitalia, non quia ex genere suo sit peccatum læthale, vt tradit *D. Thomas secunda secundæ q. 154. art. 2. ad sextum, & Siluester verb. Gula q. 1.*, sed, quia ex ipsa tanquam ex capite pullulant plura alia vitia; in pluribus tamen casibus, quos enumerat *Ghetius in thesauro animæ verb. Gula n. 5. in explicatione litteræ*, contrahitur culpa læthalis. Medendum est huic vitio ieiunijs, abstinentia à cibis voluptuosis, commixtionibus in cibis rerum, quæ amaritudinem redoleant, & similibus.

8 Quænam contra inuidiā.

Inuidia, quæ ex genere suo secundum *D. Thomam secunda secundæ q. 36. art. 3. in corpore; & q. 10. de malo art. 2. in corpore*, est peccatum læthale, punienda, & comprimenda est actibus amoris, & beneuolentiæ erga personam, quæ est obiectum, seu terminus inuidiæ, & obsequijs, quibus eius dignitatem veneretur, submissionibus, quibus eius præstantia recognoscatur, & meritum ad bona, proptèr quæ aduersus ipsum inuidiam concepit.

9 Quænam contra accidiā.

Accidia, quæ ex *D. Thoma prima part. q. 63. art. 2. ad secundum, & secunda secundæ q. 54. art. 2. ad primum, & in 2. sent. distinct. 42. q. 2. art. 3. in corpore*, est quædam tristitia, qua homo redditur tardus ad spirituales actus proptèr corporalem laborem, computatur etiam inter capitalia delicta, cuius filias sex ex D. Gregorio enumerat idem *D. Thomas secunda secundæ q. 35. art. 4. ad secundum*, nempè malitiam, rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torporem, & euagationem mentis. Est ex genere suo peccatum læthale. Corripiendum est hoc vitium, & primò vigilijs, & ieiunijs, cum etenim somnus, & immoderati cibi præbeant fomitem huic vitio, per contrarios actus est compescendum; secundò crebris orationibus, per quas spiritus excitatur; Tertiò meditatione incertitudinis vitæ, quæ data est ad rectè agendum, vt pænitens vigilet, ne inopinato fato corripiatur.

Hæc leuitèr attigisse sufficiat, quæ, quamuis valdè conferant ad finem, quo satisfactiones pænitentibus iniunguntur, non tamen ità necessariæ sunt, vt Confessarius ità coarctetur ad illas iniungendas, vt nequeat variare, & alias imponere.

ARTICVLVS X.

An opus à Confessario iniunctum in satisfactionem exercitum sine intentione satisfaciendi verè sit satisfactorium.

SVMMARIVM.

Adimplens opus iniunctum nil cogitans de satisfactione illam tamen non excludens satisfacit. 1.
Sufficit habitualis intentio. 2.
Ad satisfaciendum alijs præceptis sufficit habitualis. 3.
Adimplens cum intentione positiua non satisfaciendi non satisfacit. 4.
Non stat satisfactio cum intentione positiua non satisfaciendi. 5.
Non sufficit intentio imponentis talem pænam. 6.
Argumentum deductum à satisfactione adimpleta cum fine læthalitèr malo nihil euincit. 7.
Pænitentia adimpleta cum expressa intentione non satisfaciendi; an sit repetenda. 8.
Sententia Suarez sub distinctione. 9.
Reijcitur eadem distinctio. 10.
Probabilius est repetenda. 11.

Titulus secundū duplicem sensum potest examinari; primò, quatenus pænitens adimplet opus à Confessario præceptum nihil cogitans de satisfactione, non tamen excludens intentionem satisfaciendi; Secundò, quatenus adimplet illud opus cum positiua, & expressa intentione non satisfaciendi.

1 Non requiritur positiua intentio satisfaciendi.

Conclusio I. Adimplens opus iniunctum nihil cogitans pro tunc de satisfactione, non tamen excludens intentionem satisfaciendi verè satisfacit. *Sanchez lib. 1. in Decal. c. 13. n. 17., Lugus disp. 25. sect. 3. num. 34., Arriaga disp. 47. sect. 3. num. 35., Madernus tract. 4. de virt., & Sacram. pænit. q. 5. art. 1. num. 20.*

2 Sufficit habitualis.

Ratio ex eo deducitur primò, quod eo ipso, quo pænitens acceptauit satisfactionem sibi à Confessario iniunctam, nec talem acceptationem positiuè retractauit, intelligitur in eadem saltem habitualitèr perseuerare; ad satisfaciendum autem sufficit habitualis intentio, ergo non est, cur non debeat dici satisfacere. Quod autem sufficiat habitualis intentio ex eo euincitur, quod hæc etiam nemine discrepante sufficiat ad validè, & licitè recipienda Sacramenta; nec obstare potest, si dicatur in receptione Sacramentorum recipientem merè passiuè se habere; satisfacientem

tem verò pro peccatis, actiuè; ad agendum autem non sufficit intentio merè habitualis, licèt sufficiat ad patiendum; Non, inquam, obstare potest, quia licèt satisfactio consistat in actione, effectus tamen consistit in passione, & sicuti in susceptione Sacramentorum pleraque fiunt, quia tamen effectus passiuè recipitur, sufficit intentio habitualis, ita sufficit eadem intentio habitualis ad recipiendum effectum satisfactionis, quamuis ipsa satisfactio in actione consistat.

3 Ad satisfaciendũ alijs præceptis sufficit habitualis.

Ratio secundò deducitur ex eo, quod ad satisfaciendum alijs præceptis non requiritur, nisi ad summum intentio habitualis, vt videre est in auditione sacri in die festo, prout videtur colligi ex *D. Thoma secunda secundæ q. 104. art. 3. ad secundum, Henriquez l. 25. n. 6., Siluestro verb. Hora n. 14, Filliutio tract. 5. c. 7. q. 7.* vbi dicunt ad satisfaciendum oneri auditionis sacri in die festo, non requiri intentionem eidem satisfaciendi, ergo, neque ad satisfaciendum oneri pœnitentiæ a Confessario iniunctæ requiritur alia intentio ab habituali.

4 Adimplẽs cum intentione positiua non satisfaciendi non satisfacit.

Conclusio II. Pænitens adimplendo onus sibi à Confessario iniunctum non satisfacit, si positiuè, & expressè excludat intentionem satisfaciendi. *Azorius prima part. lib. 7. c. 2. q. 6., Suarez tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ disp. 88. sect. 3., Fagundez lib. 2. de primo præcepto Ecclesiæ c. 7. num. 27., Mendus in sua statera benig. opin. discept. 10. ad Sacram. pænit. q. 4. num. 89,* qui, quamuis asserat contrariam sententiam non esse improbabilem, dicit tamen hanc esse probabiliorem, tutiorem, & consulendam.

5 Non stat satisfactio cum voluntate expressa nõ satisfaciẽdi.

Probatur, satisfactio actualis operis à Confessario præcepti est formalis actus obedientiæ virtute clauium, sed opus exercitum cum expressa illa intentione non satisfaciendi præcepto, non potest esse formalis actus obedientiæ, ergo, cum expressa illa intentione non potest esse vera, & realis satisfactio. Minor probatur, quia expressa intentio non satisfaciendi est intentio non obediendi præcepto per illum actum; implicat autem, quod sit formalis obedientia sine voluntate obediendi, quinimmò cum expressa voluntate non obediendi.

Dices primò, Confessarium non præcipere intentionem, sed opus, ergo per solam operis executionem satisfacit ipsius præcepto, quamuis non interueniat intentio satisfaciendi, quinimmò eius opposita. Sed contra; quia Confessarius præcipit opus, prout est formale obiectum obedientiæ clauium, ad cuius rationem requiritur saltem habitualis intentio satisfaciendi, seu negatio expresæ voluntatis non satisfaciendi, & sic, dum Confessarius præcipit opus, præcipit etiam indirectè intentionem saltem habitualem obediendi, seu negationem voluntatis non obediendi, sine qua non esset actus obedientiæ; vnde ille, qui adimpleret tale opus cum expressa intentione non satisfaciendi, seu non obediendi, exerceret illud opus, non vt præceptum, & virtute clauium; sed ex propria voluntate; sub qua ratione non est satisfactio Sacramentalis.

6 Nõ sufficit intentio imponentis talem pœnam.

Dices secundò, opus pro satisfactione impositum non induit rationem Sacramentalis satisfactionis, nec remittit pænam temporalem ex opere operato per intentionem operantis, sed per voluntatem Sacerdotis præcipientis, ergo, dummodo fiat tale opus, satisfactio adimpletur, cum perseueret intentio præcipientis. Sed contrà, quia, cum satisfactio, vt Sacramentalis sit actus formalis obedientiæ clauium, licet imperatiuè sit à Sacerdote præcipiente, executiuè tamen est à pænitente exequente, non quomodocunque, sed, vt opus præceptum virtute clauium; vnde obedientia formalitèr sumpta duo dicit essentialitèr, voluntatem scilicet præcipientis, & subiectionem obtemperantis voluntariè, prout ab illa dependentem; non est autem dependens voluntariè, quotiescunque est cum expressa intentione non obtemperandi.

7 Argumẽtum à satisfactione adimpleta cũ fine grauitèr malo nil euincit.

Dices tertiò, ex sententia grauium DD. sufficientèr adimpleatur satisfactio Sacramentalis, etiam si opus præceptum fiat per actum lethalitèr prauum, ergo, etiam sufficientèr adimplebitur, si fiat cum expressa intentione non satisfaciendi. Sed contra; falsum in primis est assumptum per ea, quę in pręcedentibus tradidimus *sub hac eadem quæstione art. 6. vers. ego autem*. Dato deinde, sed non concesso assumpto, non rectè ab illo deducitur consequentia, nam stante adhuc illo prauo fine subsistit actus obedientię formalitèr, cum fiat ex motiuo saltem implicito pręcepti a Confessario impositi, quamuis illi adnectatur malitia praui finis, quę tamen non extrahit actum à formali ratione obedientię; stante autem expressa intentione non satisfaciendi formalis ratio obedientię non subsistit.

8 An pęna adimpleta cũ animo non satisfaciendi sit repetenda.

Dices quartò, ex hac nostra sententia sequi, quod semel adimpleta pęnitentia imposita à Confessario cum expressa illa intentione non satisfaciendi ipsius pręcepto, teneretur adhuc pęnitens ad integritatem confessionis iterum adimplere, quod non videtur dicendum. Sed contra; ad hanc instantiam *Suarez tom. 3. in tertiam partem disp. 88. sect. 3.* respondet cum distin-

ſtinctione, vel enim pęnitens poſita illa intentione illam retractat tempore opportuno, quod aliqui remittunt iudicio prudentis, & cordati viri, vel tempore opportuno non retractat; ſi primum; aſſerit ſatisfactionem non eſſe ex neceſſitate repetendam, eo quia per illam voluntatem, ſeu intentionem contrariam quoad moralem, & humanum modum externum non extrahitur actus à ratione ſatisfactionis, ſed ſolum tollitur formalis ratio obedientię, quę ponitur per actum ſubſequentem, quo retractatur prior voluntas; Si ſecundum, aſſerit quidem repetendam, eo quia deficiat ratio obedientię ratione illius intentionis contrarię, nec ponitur per ſubſequentem actum retractantem, eo quia propter diſcontinuationem temporis non poteſt cum illo actu operis adimpleti coniungi.

9 Sententia Suarez ſub diſtinctione.

Sed facilè non poſſum acquieſcere in hoc Suarez, eo quia non apparet, quomodo actus pręteritus, qui eſt elicitus ſine formali ratione obedientiæ, poſſit fieri actus obedientiæ per ſubſequentem intentionem, cum actus præteritus totum ſuum effectum ſortiatur ex vi intentionis, qua executioni mandatur. Quod, ſi dicat Suarez, ſatisfactionem adimpletam exiſtente obice ſortiri ſuum effectum per ea, quę infrà etiam nos trademus, per actum ſubſequentem, quo remouetur obex, adeoque poſſe etiam ſatisfactionem adimpletam cum expreſſa illa intentione non ſatisfaciendi ſuum ſortiri effectum per intentionem ſubſequentem, per quam retractatur illa prior intentio; ſtatim impugnabitur, nam diſpar omnino eſt ratio, eo quia ſatisfactio poſita exiſtente obice adhuc eſt Sacramentalis virtute clauium, & ex opere operato cauſans, quę propterea poteſt remanere quoad effectum ſuſpenſa, & operari poſt in virtute Chriſti, quæ ſemper remanet, vnde actus, per quem remouetur obex, non eſt propriè operatiuus talis effectus, ſed tantum conditio remouens prohibens; ſatisfactio autem poſita cum illa intentione expreſſa non ſatisfaciendi non eſt Sacramentalis, nec virtute clauium, nec ex opere operato agit, vnde non eſt, cur per ſubſequentem intentionem poſſit reduci ad effectum producendum, quem in ſe non continet.

10 Reijcitur eadē diſtinctio.

Quamobrem ad inſtantiam dico, probabilius pænitentem, qui opus iniunctum adimpleuit cum expreſſa, & poſitiua intentione non ſatisfaciendi, teneri opus illud repetere, cum opus iam exercitum nullius roboris ſit, & talitèr, ac, ſi non eſſet poſitum in ordine ad Sacramentalem effectum producendum.

11 Probabilius eſt repetenda.

ARTICVLVS XI.

An ſatisfactio adimpleta per pænitentem in peccato mortali proſit, & quomodo pænitenti.

SVMMARIVM.

SVb hoc titulo plura venient examinanda obſeruatione digna. Primum erit, an opus in ſatisfactionem iniunctum exercitum in ſtatu talis peccati læthalis verè ſit ſatisfactorium, & intelligatur pęnitens oneri ſibi impoſito ſatisfeciſſe. Secundum, an ſatisfactio pro illo ſtatu poſita inducat aliquam culpam, & quamnam. Tertium, an tunc, quando eſt poſita, immediatè ſortiatur ſuum effectum, ad quem eſt ordinata. Quartum, an ſaltem producat ſuum effectum, quando remouetur obex, & quomodo. Singula expendamus.

1 Rationes dubitandi circa hunc titulum.

In ordine ad primum videtur aliquid negotij faceſſere id, quod in pręcedentibus dicebamus, ſatisfactionem ſcilicet exercitam per actum, qui ratione finis eſt lęthalitèr peccaminoſus, non eſſe ſubſiſtentem, nec validam, ex quo congruentèr videtur inferri, nec eſſe ſubſiſtentem, nec validam, quando exercita eſt in peccato lęthali, cum ratio peccati in vtroque caſu videatur obeſſe effectui principali eiuſdem ſatisfactionis. Nihilominus ſentiendum eſt, pęnitentem per ſatisfactionem à Confeſſario impoſitam exercitam in peccato lęthali ſatisfacere pręcepto eiuſdem Confeſſarij, nec teneri ipſam iterum adimplere, cum conſtitutus fuerit in ſtatu gratię *Alenſis in 4. q. 84. memb. 1., Nauarrus in c. 1. princip. n. 45. diſt. 6. de pænit., & in man. c. 3. n. 7., Suarez diſp. 38. ſect. 8., Henriquez lib. 5.*

2 Pęnitentia exercita in peccato læthali ſatisfacit.

lib.5. c.20.n.6., *Coninchus disp.* 10. *dub.* 11., *Laiman lib.* 5. *tract.* 4. *c.* 25. *n.* 15. Ratio ex eo deducitur, quod pænitens facit, quod sibi per præceptum impositum est, nec peccatum præexistens, licet pro tunc demat efficaciam in ordine ad effectum consequendum, inualidat ipsam satisfactionem, eo modo, quo in cæteris omnibus præceptis iuris positiui peccatum ipsum non tollit, quod, si opera præcepta adimpleantur, illis satisfiat, sic qui in die festo audit sacrum existens in peccato, vel ieiunat in die ad ieiunium destinato, verè satisfacit vtrique præcepto, quamuis tunc fortè effectum gratiæ non consequatur; Nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur; quandoquidem aliud est adimplere opus per actum in se ipso læthalitèr peccaminosum, aliud illud exercere, dum exercens est in peccato læthali; primum dicit, quod satisfactio fieret per actum mortalitèr peccaminosum, quod esse non potest, quia ille actus potius nouam pænam mereretur, quam remissionem antiquæ; secundum dicit solum, quod subiectum sit infectum labe læthali, cæterum opus satisfactionis est secundum se moralitèr bonum, & pænale, & in tantum tunc non consequitur effectum, in quantum est obex, non in quantum in se non sit satisfactorium.

3 Non valet argumentum à satisfactione exercita per actũ læthalitèr peccaminosum.

In ordine ad secundum, difficultas videtur in eo consistere, quod recipere, & efficere Sacramenta in peccato læthali est ex genere suo læthale, quia sancta non sanctè, sed indignè tractantur; cum autem satisfactio Sacramentalis ex superius dictis, & ex *Concil. Trident. sess.* 14. *c.* 3. sit pars Sacramenti pænitentiæ, regenda est ad normam Sacramenti, & propterea, si fiat in statu peccati læthalis, noxam infert, propter quam rationem *Suarez disp.* 38. *sect.* 8. *n.* 7., *Laiman lib.* 5. *tract.* 4. *c.* 25. *n.* 15. *vers. ex quo sequitur*, sentiunt esse irreuerentiam, si quis pænitentiam impleat in statu peccati læthalis addentes rationem, quia Sacramenti alteram partem indignè suscipit, & ponit obicem ad consequendum effectum. Sed in hoc mitius ego procederem considerata conditione satisfactionis, in qua duas quodamodo qualitates agnosco, alteram in suscepto onere eiusdem, alteram in executione, seu adimplemento. Prima videtur pertinere ad integritatem magis præcipuè, secunda ad integritatem minus præcipuè, & quasi secundariò; & licet vtraque dicatur pars integralis Sacramenti, quia tamen iam Sacramentum in sua substantia intelligitur consummatum per confessionem Sacramentalem, & per impositionem, & acceptationem satisfactionis accedente Sacerdotali absolutione, ideo quantumuis postea eadem satisfactio adimpleatur in peccato mortali, non videtur irrogari irreuerentia Sacramento, cum amplius non existat.

4 Exercita in læthali secundũ aliquos inducit grauem noxam.

5 Probabilius non inducit.

In ordine ad tertium *Vasquez quæst.* 94. *art.* 2. *n.* 11., *& seqq.* asserit, Sacramentalem satisfactionem exercitam ab existente in læthali non differre productionem sui effectus, nempè remissionis pænæ temporalis, quousque obex peccati læthalis remoueatur, sed immediatè ipsum producere post implementum satisfactionis à Confessario impositæ, cuius ratio ea est, quia læthale est quidem obex ad remissionem culpæ, non autem ad remissionem pænæ temporalis. Sed absolutè sentiendum est, non sortiri suum effectum perseuerante obice peccati læthalis. *Alensis in* 4. *q.* 84. *memb.* 1., *Henriquez lib.* 5. *c.* 20. *n.* 7., & alij citati in resolutione primi dubij. Ratio ex eo deducitur, quod effectus primarius satisfactionis Sacramentalis est remissio pænæ temporalis per ea, quæ sparsim supra diximus, sed existens in peccato læthali pro eo tempore, quo in eodem existit, non potest mereri talem remissionem; qui enim dignus est pænæ æternæ, in eo statu, quo illa dignus est, non est dignus, vt obtineat remissionem temporalis, ergo &c. Neque obstant ea, quæ ex Vasquez afferebantur, quandoquidem, licet peccatum læthale sit directè obex ad remissionem culpæ, est tamen indirectè saltem obex ad remissionem pænæ temporalis, cum pro eo statu, quo quis meretur æternam, non sit dignus temporali remissione, & sicuti ratione inimicitiæ, quam habet cum Deo, a quo est auersus ratione peccati, meretur amissionem cuiuscunque boni temporalis, ità non videtur pro eo statu posse mereri remissionem pænæ temporalis, quæ est aliquod bonum temporale.

6 Sentẽtia docens immediatè producere suum effectum.

7 Non producit, nisi remoto obice.

In ordine ad quartum *Paludanus in* 4. *dist.* 19. *q.* 1. *art.* 3., & cum eo *Siluester verb. satisfactio q.* 7. docet implementum pænę à Confessario iniunctę operari suum effectum aduueniente charitate, seu remoto obice, quando eadem pęna adimpleta in peccato relinquit aliquid, quod remaneat adueniente eadem charitate, vt euenit in ieiunio, & macerationibus, quę relinquunt corporis debilitatem, non sic, quando pęna iniuncta nullum opus relinquit, vt euenit in orationibus, nonnullisque alijs pijs operibus. Nihilominus absolutè sentiendum est, adueniente charitate, seu remoto obice in quocunque genere sit, producere suum effectum remissionis pęnæ. *Suarez disp.* 38. *sect.* 8. *n.* 5., *Zerola c.* 25. *q.* 18., *Reginaldus lib.* 7. *n.* 9., *&* 10., *&* 84., *Rodri-*

8 Sentẽtia Paludani sub distinctione.

9 Remoto obice absolutè producit suum effectum.

driquez in summa c. 56. n. 10., Henriquez q. 20. n. 7., Bonacina de Sacram. pænit. disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 4. n. 17., & alij magis communitèr contra *Sotum in 4. dist. 19. q. 1. art. 5., Valentiam tom. 4. disp. 7. q. 14. punct. 3. vers. mihi tamen*. Ratio est, quia satisfactio iniuncta à Confessario virtute clauium, vt definitur à *Concil. Trid. sess. 14. c. 3.* est pars Sacramenti pænitentiæ, & confert ad perfectam peccatorum remissionem in ordine ad pęnam temporalem pro eisdem debitam, sed Sacramenta, quę suum producunt effectum ex opere operato, si illud non obtinent extante obice, postea obtinent eodem obice remoto per ea, quę docuimus in quæstionibus de Sacram. in genere, ergo hoc idem dicendum est de Sacramentali satisfactione, quæ, vt pars Sacramenti operatur virtute clauium. Confirmatur, quia, vt pars Sacramenti debet aliquid operari ex opere operato, nō operatur autem gratiam remissiuam culpę, ergo ex opere operato debet operari remissionem pænæ; quod autem operatur ex opere operato, si non obtinet effectum existente culpa læthali, obtinet eadem remota.

Rationes pro asserto.

10 Soluitur instantia opposita.

Neque dicas ex superius dictis, si pænitens adimpleat opus in satisfactionem iniunctum existens in peccato læthali non committit nouam culpam, non obstante, quod adimpletio eiusdem satisfactionis sit pars integralis Sacramenti, ergo, etiam si pænitens adimpleat opus iniunctum existens in læthali non consequetur effectum remissionis pænæ remoto eodem læthali; quandoquidem ea, quæ causant suos effectus ex opere operato, habent quodamodo rationem, & vim Sacramenti; conficere verò, & recipere Sacramenta in peccato lęthali, est læthale; si ergo adimplens pænitentiam in peccato læthali non committit peccatum læthale, neque videtur facere contra reuerentiam Sacramenti, ideoque ipsam satisfactionem non causare effectum ex opere operato; Contra enim impugnaberis, quia aliud est, quod satisfactio causet effectum ex opere operato virtute clauium, tanquam pars integralis Sacramenti, aliud, quod sit talis naturæ, vt executio eiusdem facta in peccato læthali vtpotè facta contra partem integralem Sacramenti inducat culpam læthalem; pars etenim integralis operatur secundum virtutem, quam habet à Sacramento, non tamen habet omnes prærogatiuas, & qualitates Sacramenti, adeo vt talis reuerentia ipsi debeatur, ac Sacramento secundum substantiam perfecto, potissimum cum non sit in ordine ad gratiam acquirendam, sed solum ad remissionem pænæ temporalis, & in executione sit separata à Sacramenti substantia. Deinde Sacramentum pænitentiæ non requirit sanctitatem in suscipiente. *Reginaldus lib. 7. num. 10.*

11 Eluditur distinctio Paludani.

Nec attendenda est limitatio, quam ponunt *Paludanus, & Siluester*; quando scilicet ex opere adimpleto remanet aliquis effectus, etiam adueniente charitate, secus quando nullus remanet effectus; Non, inquam, attendenda est, quia satisfactio non operatur virtute illius effectus, sed in virtute Christi Domini, quæ semper perseuerat, nec dependet ab illo effectu, siue igitur ille effectus permaneat, siue non permaneat, satisfactio semper suum effectum sortietur, quia permanet virtus Christi, per quam operatur. Deinde, si quis adimpleta pænitentia diù perseueraret in peccato, non obtineret effectum remissionis pænæ, eo quia ille effectus desineret, & sic postea adueniente charitate non operaretur.

ARTICVLVS XII.

An pænitentia adimpleta ante absolutionem immediatè consequatur remissionem pænæ temporalis.

SVMMARIVM.

Ex causa potest Confessarius compellere pænitentem ad satisfactionem ante absolutionem. 1.

Non consequeretur tamen effectum ante eandem absolutionem. 2.

Vim accipit ab eadem absolutione. 3.

Non remittitur pæna integra manente culpa. 4.

1 Potest compelli ad satisfactionē ante absolutionem.

QVamuis *Suarez disp. 38. sect. 7. n. 7., Reginaldus lib. 7. num. 83., Filliutius tract. 8. c. 2. q. 9. num. 56., Bonacina de pænit. Sacrament. disp. 5. quæst. 5. sect. 3. punct. 2. num. 20.* statuant per se loquendo non posse Confessarium compellere pænitentem ad adimplendam satisfactionem, quando iniuncta est in vindictam criminum, asserunt tamen posse compellere, quando adest iusta causa suspicandi, quod non sit illam obtenta absolutione adimpleturus, vt quando constat crebrò alias pænitentias non impleuisse, & item, quando satisfactionem iniungit, vt medicinalem. Supposito iam, quod ex prædictis causis obligauerit ad iniunctam satisfactionem adimplendam ante absolutionem, & pænitens verè ante illam adimpleuerit, consurgit modo ratio dubitandi, an immediatè ipsa satisfactio sic adimpleta obtineat remissionem pænæ temporalis, an verò so-

solummodo post obtentam absolutionem.

2 Non cõsequeretur tamẽ effectum ante absolutionem.

Sentiendum est, non consequi talem effectum, nisi post obtentam absolutionem *Suarez d. disp. 38. sect. 2. num. 5., Bonacina loc. cit. num. 21.* Rationes plures huius asserti deduco. Prima est, quia satisfactio Sacramentalis totam vim accipit à virtute Sacramenti, sed Sacramentum non est ante absolutionem Sacerdotalem, ergo ante illam satisfactio non habet vim producendi suum effectum ex opere operato. Quod, si hinc inferas, ergo, tunc quando adimpleta est ante absolutionem non potest esse satisfactio, vt Sacramentalis, cum tunc non habeat vim à Sacramento nondum perfecto per absolutionẽ Sacramentalem, quæ tanquam forma habet Sacramentum vltimo constituere, & perficere, ergo ex opere operato non habebit causare remissionem pænæ temporalis; contra enim impugnaberis, quia, cum talis satisfactio imposita sit virtute clauium, & in ordine ad absolutionem obtinendam, & mediet inter confessionem, & absolutionem, quæ sunt partes essentiales eiusdem Sacramenti, complementum in esse Sacramentali accipit ab absolutione subsequente. Cæterum, si vim aliquam haberet hęc consecutio, dici etiam posset, quod ipsa confessio non haberet vim Sacramentalis confessionis, cum Sacramentum non perficiatur, nisi in ipsa absolutiome. Hinc fit

3 Vim accipit ab eadem absolutione.

Secunda ratio; atritio, & confessio Sacramentalis, quæ sunt partes essentiales huius Sacramenti, non producunt suum effectum gratiæ remissiuæ peccatorum ante Sacerdotalem absolutionem, ergo, nec satisfactio, quæ est solummodo pars integralis consequetur suum effectum remissionis pænæ temporalis ante eandem absolutionem; si enim, quod principale est, non obtinet suum effectum, multo minus obtinere valet id, quod est minus principale, cum vtrumque dependeat ab eadem absolutione tanquam ab vltimo constitutiuo.

4 Remanẽte culpa non remittitur pæna.

Tertia est, quia non remittitur pæna integra remanente culpa, cum hæc sit radix, & fundamentum illius, & permanente inimicitia cum Deo ratione culpæ adhuc inexistentis, non potest considerari effectus aliquis amicitiæ in remissione pænæ temporalis, sed ante absolutionem Sacramentalem adhuc remanet culpa, reatus pænæ eternæ, & inimicitia cum Deo, ergo non potest intelligi remissio pænæ temporalis, ergo tunc tantum intelligetur facta talis remissio, quando erit posita absolutio.

ARTICVLVS XIII.

An pænitens possit sua priuata auctoritate commutare pænitentiam sibi à Confessario iniunctam in æquale, vel melius.

SVMMARIVM.

Non potest pænitens ex se pænitentiam à Confessario iniunctam commutare in æquale, vel melius. 1.

Non esset Sacramentalis, & virtute clauium. 2.

Non valet in hoc regula subrogatorum. 3.

Nec currit paritas de pænitentia lata sub disiunctio. 4.

Sententia asserens, nec satisfacere, etiam si postea illa pænitentia commutata approbaretur à Confessario. 5.

Si adhuc moralitèr perseueraret primum iudicium, probabilitèr satisfaceret. 6.

Pro quonam tempore intelligatur idem indicium moralitèr perseuerare. 7.

Non potest quis propria auctoritate præcepta Ecclesiæ in æquale, vel melius commutare. 8.

Non currit paritas de commutatione voti. 9.

Longè maioris efficaciæ est imposita à Confessario, quam assumpta liberè à pænitente. 10.

1 Non potest commutare in æquale, vel melius.

Conclusio. Non potest pænitens pænitentiam sibi à Confessario iniunctam propria auctoritate in æquale, vel melius commutare *Reginaldus lib. 7. n. 85., Coninchus disp. 10. de pænit. dub. 12., Molfesius tract. 7. c. 25. n. 61., Henriquez c. 20. num. 5.*

2 Sic mutata non esset Sacramentalis.

Ratio prima est, quia ex sæpius repetitis satisfactio est pars integralis Sacramenti, & effectum remissionis temporalis pænæ producit virtute clauium ex opere operato, sed, vt sit talis debet esse iniuncta à Sacerdote, vt ministro Christo Domini habente vim clauium in eodem Sacramento, ergo non potest esse spontaneè electa ab ipso pænitente, cum ipse non habeat vim clauium, nec possit esse Iudex in causa propria.

3 Non valet in hoc regula subrogatorum.

Dices primò, non eligi simplicitèr talem satisfactionem à pænitente ex suo arbitrio, sed cohærentèr ad illam impositam à Confessario, cum ab illa accipiat mensuram, & subrogetur loco ipsius; subrogatum autem videtur induere conditiones eius, cui subrogatur, nec in hoc præsumitur discors voluntas eiusdem Confessarij, qui considerata æqualitate, vel etiam maioritate consentiret, si de illa commutatione interrogaretur. Sed contrà,

trà, quià ex eo, quod commutetur in æqualem, non tollitur, quin illa, in quam fit commutatio, non sit diuersa ab imposita, & verè electa ab ipso pænitente, per quem ex propria voluntate fuit commutata; nec suffragari potest ratio subrogationis, quandoquidem in subrogato non adsunt illæ qualitates, quæ insunt ei, cui subrogatur, nam in hoc est qualitas Sacramentalis satisfactionis virtute clauium, non sic in illo, cum pænitens ipse, cui non inest potestas clauium, non possit in opere à se electo transfundere illam qualitatem esse Sacramentalis.

4 Nec curri paritas de pœnitentia sub disiuncto.

Dices secundò, si Confessarius imponeret pænitenti satisfactionem sub disiuncto, seu alternatiuam, scilicet vnam, vel alteram, vnam pænitens ex illis eligendo, quam maluerit, & adimplendo verè satisfaceret, ergo per electionem factam à pænitente non extrahitur satisfactio à ratione veræ satisfactionis, ergo, etiam si loco impositæ a Confessario æqualem, vel maiorem eligat, eamque adimpleat, intelligitur verè satisfecisse. Sed contra; admisso antecedente cum prima consequentia, neganda est secunda. Ratio diuersitatis in eo consistit, quod in illa alternatiua impositione, quæcunque ex illis eligatur, intelligitur imposita à Confessario, & electa non accipit rationem Sacramentalis satisfactionis ab electione pænitentis, sed ab impositione Confessarij habentis potestatem clauium; in commutatione autem facta per pænitentem propria auctoritate satisfactio commutata non potest accipere rationem Sacramentalis, cum non sit imposita à Confessario, sed simplicitèr electa independentèr ab illo per pænitentem, qui non habet vsum clauium.

Sed quid erit dicendum, si pænitens acceptata satisfactione sibi in Sacramentali confessione imposita per Confessarium illam commutaret in æqualem, vel maiorem, & approbationem illius commutationis reciperet ab eodem Confessario, an tunc per illam satisfactionem æqualem, vel maiorem verè satisfaceret? Videtur dicendum etiam in hac hypothesi non satisfacere, quia Confessarius extra Confessionem nullam omnino habet iurisdictionem in pænitentem, ac si non esset Confessarius, quia clauium potestas exercetur solum in actu Sacramentalis Confessionis, vnde pæna sic commutata non esset Sacramentalis satisfactio, sicuti non esset talis, si commutaretur per ipsum pænitentem. Nihilominus non improbabilem arbitror opinionem *Soti in 4. dist. 20. q. 2. art. 3. sub finem*, quem videntur sequi *Vuialdus in priori part. candelabri aurei c. de satisfactione n. 30.*, *Reginaldus lib. 7. de Sacramentali satisfact. n. 87.* asserentis, quod si pænitens recurrerit ad eundem Confessarium intra tempus, quo idem iudicium intelligitur adhuc moralitèr perseuerare, possit hic approbare illam commutationem, vel fortè etiam mitigare priorem satisfactionem, secus, si recurrerit elapso tēpore, quo non censetur durare moralitèr idem iudicium, in quo casu non posset ipse Confessarius, qui priorem satisfactionem imposuit, nisi id, quod posset alius Confessarius, qui illam non imposuit, præstare, de quo infra latius agemus. Quale autem, & quantum debeat esse illud tempus, in quo intelligi possit prius iudicium moralitèr perseuerare, idem *Sotus loc. cit.* sic definit. *Si quis hodie, vel heri quempiam absoluit, isque recurrit præsens cras, vel postridie, quando adhuc in memoria sunt peccata, videtur idem iudicium durare*. Mitius tamen *Vuiualdus loc. cit.* referendo alios DD. videtur ad plures dies extendere decernendos iudicio prudentis viri.

5 Nec accedente approbatione Confessarij secundum aliquos satisfacere.

6 Perseuerante moralitèr eodē iudicio satisfaceret.

7 Pro quonam tēpore intelligatur idem iudicium perseuerare.

Secunda ratio conclusionis est, quia non potest quis priuata auctoritate præcepta ab Ecclesia imposita propria auctoritate mutare in æquale, vel fortè etiam in melius, ergo multo minus satisfactionem sibi à Confessario impositam poterit in æquale, vel melius mutare. Antecedens probatur, quia ieiunium pro certa die ab Ecclesia præscriptum non potest sine peccato omittere, etiam si loco ieiunij aliquid æquale, vel fortè melius adimpleat; item non potest pro sacro, quod tenetur audire in die festo, aliud impunè adimplere. Consequentia tenet in fortioribus terminis, quia satisfactio à Confessario imposita non solum habet vim præcepti, sed etiam partis integralis Sacramenti.

8 Non potest ex se commutare præcepta Ecclesiæ.

Dices; potest quis votum elicitum propria auctoritate in æquale, vel melius commutare *Henriquez c. 20. n. 5.*, *& alij* plures, quos congerit *Bonacina de voto*, ergo etiam pænitens præceptum satisfactionis sibi impositæ à Confessario poterit propria auctoritate in æquale, vel melius commutare. Sed contra; assumptum non ita certum est, quin contrarium a pluribus magni nominis DD. statuatur. Sed eodem pro nunc admisso neganda est consecutio, quæ ab eodem deducitur. Ratio diuersitatis est, quam assignat *Henriquez in prima part. Theol. mor. lib. 5. c. 20. §. 5.*, quia scilicet homo per suam tantum voluntatem adstrictus est voto; ad pænitentiam verò adstringitur per sententiam Confessarij tanquam Superioris sui.

9 Non cuerit paritas de cōmutatione voti.

Tertia ratio est, quia longè perfectioris efficaciæ est ad effectum remissionis tēporalis pęnę obtinendū satisfactio imposita à Confessario, quam sit satisfactio propria

 sponte

ſponte aſſumpta, tum quia illa eſt Sacramentalis, Sacramentique virtute meritum Chriſti applicat ſic ſatisfacienti, quod non euenit in iſta; tum quia, vt ſuperius inſinuatum eſt, opera etiam pænalia ſponte elicita in actuali peccato læthali, nec ſunt ſatisfactoria, quando eliciuntur, nec quando de nouo aduenit charitas; pænitentia autem à Confeſſario iniuncta, licet in peccato adimpleta non ſit ſatisfactoria pro ſtatu, quo peccator in eodem perſeuerat, eſt tamen ſatisfactoria pro tempore, quo redit ad gratiam, ergo non poteſt pro ſuo arbitrio pænitens pænitentiam à Confeſſario impoſitam commutare in æquale, vel melius, cum hoc non eſſet pars Sacramenti, ſed deterioris conditionis in ordine ad effectum conſequendum.

10 Efficacior eſt iniuncta à Cõfeſſario, quã electa à penitente.

Dices, Dato, quod longè maioris ſit efficaciæ ſatisfactio impoſita à Confeſſario, ac ſit illa, quæ ſpontè eligitur à pænitente, cum hoc cedat in maiorem vtilitatem eiuſdem pænitentis, poteſt illi cedere; per hoc tamen non tollitur, quin verè ſatisfaciat. Sed contra, quia ſatisfactio Sacramentalis, vt ſit valida, debet eſſe ad normam impoſitionis, &, ſi non ſit talis, perinde eſt, ac ſi eſſet merum opus pænale exercitum independentèr à Sacramento, per quod non ſatisfit oneri ſibi à Confeſſario impoſito, vnde & Sacramentum remaneret mutilum, & præceptum non eſſet adimpletum.

ARTICVLVS XIV.

An pænitentia ab vno Confeſſario impoſita poſſit per alium, vel per ipſum commutari.

SVMMARIVM.

1 Rationes dubitandi.

HÆc ratio dubitandi poteſt multiplicitèr contingere, vel facta comparatione ad alium Confeſſarium, apud quem repetatur eadem confeſſio, vel apud ipſum inaudita priori confeſſione, intuitu cuius fuit talis pæna impoſita. Rurſus, vel Confeſſarius, à quo intenditur commutatio, eſt ſuperior reſpectiuè ad illum, à quo primò fuit impoſita pænitentia, vel æqualis, vel inferior. Tandem, vel peccata illa, intuitu quorum iniuncta fuit ſatisfactio, erant reſeruata ei, à quo primo impoſita fuit, vel non. In ordine ad hæc omnia præſens titulus erit diſcutiendus.

2 Poteſt vnus Cõfeſſarius cõmutare pænã ab altero impoſitã, ſi cõfeſſio apud ipsũ repetatur.

Concluſio I. Poteſt quilibet Confeſſarius approbatus pænam ab altero impoſitam commutare, ſi apud ipſum repetatur confeſſio, ſecus, ſi non repetatur *Suarez de pænit. diſp. 38. sect. 10., Nauarrus c. 26. n. 22., Reginaldus lib. 7. num. 88., & alij magis communitèr* contra *Sotum in 4. diſt. 20. q. 2. art. 3., Victoriam in ſumma num. 323., Nugnum in addit. ad tertiam part. q. 13. art. 1. dub. 4.*

Probatur quoad primam partem. Poteſt Confeſſarius, ſi pænitens pro ſuo arbitrio velit iterum ſubijcere ſua peccata, quæ in præcedenti confeſſione confeſſus eſt, exercere iuriſdictionem in peccata iam ſemel ritè confeſſa, ergo etiam poterit in ordine ad eadem peccata ex libera pænitentis ſubiectione ſuppoſita ſibi iuriſdictionem exercere quoad ea, quæ comitantur eandem confeſſionẽ, nempè quoad ſatisfactionem impoſitam; Neque dicas, poſſe quidem iuriſdictionem exercere quoad ſatisfactionem, nouam imponendo, non antiquam commutando; contrà enim eſt, quia, ex quo pænitens liberè ſe ſubijcit alteri Confeſſario, poteſt ſe à prioris ſententia ſubtrahere; cum etenim huic liberè ſe ſubiecerit, poteſt etiam ab eiuſdem iudicio reſilire. Quod ſi vrgeas, ex duplici capite non poſſe reſilire; primò, quia iam conſenſit in prioris Confeſsarij iudicium iam perfectum, & per acceptationem pænæ, & per abſolutionem Sacramentalem; ſecundò, quia redderet primum Sacramentum mutilum, hoc eſt ſine debita ſatisfactione, cum pænitentia per ſecundum Confeſſarium impoſita ſolum integraret ſecundum Sacramentum; Statim impugnaberis; neutrum enim ex his capitibus obeſt; non primum, quia hic non agitur de iudicio contentioſo, & coarctatiuo, ſed de voluntario, emendatiuo, & inducto in fauorẽ Rei, ſeu pænitentis, qui propterea, ſicuti omnino liberè ſe ſubiecit primo iudicio, ita poteſt liberè ei non ſtare, ſed alteri iudicio ſe ſubijcere; licet igitur in iudicio contentioſo, & in foro iudiciali externo, poſtquam ſententia tran-

3 Rationes contrariæ ſoluuntur.

transiuit in rem iudicatam, Reus non possit amplius ab ea recedere; potest tamen in iudicio voluntario, & inducto in fauorem pænitentis iste post acceptatam satisfactionem recedere, & alieno iudicio se subijcere, quia liber est, & libertatem, quam prius habebat, non amisit. Non secundum, quia Confessarius in illa commutatione potest habere respectum, & ad priorem pænitentiam, & etiam ad illam pro secundo Sacramento, maximè cum sit in ordine ad eadem numero peccata. Deinde potest partem pænitentiæ commutatæ iniungere in satisfactionem pro primo Sacramento; & partem pro secundo.

Vrgebis, par in parem ex vulgatis iuribus non potest exercere imperium, sed, si secundus Confessarius posset pænitentiam à primo impositam commutare, exerceret imperium in parem, cum non sit superior primo, ergo &c. Sed contrà; nam secundus Confessarius non exerceret imperium in primum, sed dumtaxat in pænitentem; non enim hoc præstaret ex iurisdictione, seu potestate, quam habet in alium, sed ex subiectione libera pænitentis, qui, sicuti liberè se subiecit primo Confessario, cum posset alteri, cuicunque voluisset, se subijcere, ita potest liberè ab illius sententia recedere, & se subijcere alieno iudicio.

4 Par in parē non exerceret imperiū.

Probatur iam quoad secundam partem ex dictis in præcedentibus, quia scilicet Confessarius extra Confessionem non potest exercere potestatem clauium, quod non solum verificatur in ordine ad alium Confessarium, quando eidem in Sacramentali confessione non subijciuntur peccata, sed etiam in ordine ad eundem, quando iudicium iam efformatum supra delicta pænitentis moralitèr adhuc non perseueraret.

5 Non repetita Confessione non potest commutare.

Monerem tamen quoad primam partem conclusionis Confessarium secundum, non ita facilè in commutationem prioris pænitentiæ impositam à primo debere deuenire, immo non nisi iusta, & grauissima causa, non quidem ex defectu potestatis, sed ex eo fine, ne habenas laxet pænitentibus relabendi ob facilitatem relaxationis pænarum, seu commutatione, maximè cum per hoc ostendant animum non perfectè contritum, & dispositum.

6 Non congruit etiā repetita confessione commutare.

Conclusio II. Etiam si pænitentia fuerit imposita à Confessario superiore in ordine ad peccata, quæ non sunt eidem superiori reseruata, potest ab inferiori, apud quem repetita est confessio, commutari. *Suarez tom. 4. disp. 38. sect. 10. n. 4., Reginaldus lib. 7. n. 89., Nauarrus c. 26. n. 22.*, & alij magis communitèr, quidquid ex aduerso dixerit *Nugnus in addit. ad tertiam part. q. 13. art. 2. §. dubitatur etiam.*

7 Etiam si prima pœna esset imposita à Superiore non tamen in ordine ad reseruata.

Probatur, quia ex superius dictis vnus Confessarius potest audita confessione commutare ex iusta causa pænitentiam ab altero æquali impositam, ergo etiam poterit commutare impositam a Superiore, quando non est in ordine ad peccata ipsi Superiori reseruata. Consequentia probatur, quia vnusquisque Confessarius legitimè approbatus in ordine ad non reseruata æqualem habet iurisdictionem, & si quæ maior est auctoritas in Superiore, vel est in ordine ad reseruandum, vel ad auferendam pænitentiam per Indulgentias, non in ordine ad absoluendum, respectu cuius maior dignitas, & superioritas omnino per accidens est, cæteroqui, si conferret ad maiorem vtilitatem Sacramenti, vel perfectionem, vnusquisque, vt magis sibi consuleret, curaret, vt propria peccata apud eosdem Superiores exponeret, quod nemo præstat.

8 Superioritas in hoc nihil confert.

Conclusio III. Si pænitentia fuerit imposita a Superiore in ordine ad peccata reseruata, probabilius est, quod Confessarius inferior audita iterum eadem confessione non possit eandem commutare. *Nauarrus c. 26. n. 22. in fine, Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 14. punct. 4. ad fin., Coninchus disp. 10. de satisfactione dub. 12. num. 100., Suarez disp. 38. sect. 10. num. 14., Siluester verb. Confessio 1. q. 27., Rosella eod. verb. Confessio 2. num. 2., Reginaldus lib. 7. n. 91., Nugnus de part. pænit. q. 13. art. 2. §. dubitatur etiam, Henriquez lib. 5. c. 22. num. 5.*, & alij magis communitèr contra *Bonacinam de Sacram. pænit. disp. 5. q. 5. sect. 3. punct. 3. num. 6. vers. ego vero*, & alios ab eodem allegatos.

9 Iniunctā à Superiore pro reseruatis nō potest mutare.

Ratio ex eo deducitur, quod iudicium Confessarij commutantis debet cadere super peccata exposita Superiori secundum illas qualitates, quas habent in se ipsis talitèr, ac si non fuerint exposita antea ipsi Superiori, cæteroqui secunda confessio non esset integra, sed quando peccata reseruata nunquam fuerunt exposita Superiori ad eundem recurrendum est pro absolutione ab eisdem, ergo etiam ad eundem recurrendum est pro satisfactione imponenda, vel commutanda, potissimum cum inter cæteras rationes reseruationis hæc numeretur, vt per grauiores pænas arceantur homines à delictis illis perpatrandis.

Rationes pro assertio.

Dices, per confessionem antecedentem factam Superiori, intelligitur sublata reseruatio, ablata autem reseruatione, peccatum, quod erat reseruatum, à quocunque simplici Confessario potest absolui, & sub illius iudicium cadere, ergo etiam ab eodem poterit illius pæna commutari, sicuti

Soluuntur instãtiæ oppositæ.

ficuti poteſt commutari aliorum non reſeruatorum. Conſequentia probatur, quia reſeruatio non facit ſententiam irreuocabilem quoad ſatisfactionem, ſed tantum facit, quod peccatum, ſupra quod cadit, non poſſit ab alio abſolui, niſi a reſeruante, vel cui commiſerit reſeruans abſolutionem, ergo ſemel ablata ab eo reſeruatione per abſolutionem poterit quicunque circa illud iuriſdictionem exercere, ac, ſi non eſſet reſeruatum. Sed contrà, quia reſeruatio non eſt ſublata quomodocunque, ſed media illa pęnitentia à Superiore iniuncta, quæ ſupponitur lata etiam in ordine ad ipſam reſeruationem, quam ſicuti non poteſt tollere Confeſſarius inferior, ita nequit tollere pænitentiam in ordine ad ipſam iniunctam; nam, vt benè notat *Madernus tract. 4. de virt., & Sacram. pænit. q. 5. de ſatisfactione art. 3. n. 11.*, ſicuti illa peccata pro prima confeſſione ſunt reſeruata, ita etiam pænitentia pro ipſis in eadem impoſita intelligitur reſeruata.

Dices iterum; ſi Pontifex votum Sedi Apoſtolicæ reſeruatum commutarit in aliud non reſeruatum, poteſt Epiſcopus in hoc ſecundo voto non reſeruato diſpenſare *Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 40. dub. 13. de voto, Suarez de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 10. n. 15., Sanchez in ſumma lib. 4. c. 40. n. 46.*, ergo, etiam ſi ſuperior abſtulerit reſeruationem iniuncta certa pænitentia, poterit inferior illam pænitentiam commutare. Sed contra, quidquid ſit de antecedente, neganda eſt conſequentia. Ratio negationis eſt, quia Pontifex commutando votum non ſolum abſtulit reſeruationem, ſed etiam materiam, circa quam erat illud votum; Superior autem abſoluens à peccatis reſeruatis impoſita pro illis certa pænitentia, licet auferat reſeruationem, non tollit tamen materiam, propter quam illam pænam impoſuit, & pro illa materia, quæ erat affecta reſeruatione, eandem iniunxit, vnde illa pæna, cum iniungatur propter materiam reſeruatam, & pro ſatisfactione eiuſdem, erit cum ſuis qualitatibus afficientibus eandem materiam conſideranda à Confeſſario inferiori, qui, ſicuti non poteſt abſoluere a peccato, vt reſeruato, ità non poteſt pænam auferre irrogatam pro illo, vt reſeruato.

Soluitur alia inſtantia.

ARTICVLVS XV.

An pænitens ſatisfactionem ſibi per Confeſſarium impoſitam poſſit per alium adimplere.

SVMMARIVM.

Non poteſt per ſe pænitens pænitentium per alium adimplere. 1.
Euincitur ex Concil. Trident. 2.
Poteſt quis pro altero mereri ex opere operantis, non Sacramentalitèr ſatisfacere. 3.
Quomodo ſatisfaciat exercendo opus per alium à Confeſſario commendatum. 4.

Concluſio. Non poteſt ex ſe pænitens ſatisfactionem ſibi iniunctam à Confeſſario per alium adimplere. *Caietanus verb. ſatisfactio num. 2., Vaſquez in tertia part. q. 94. art. 2. dub. 1. num. 11., Reginaldus lib. 7. num. 81., Mendus in ſtater. opin. benig. diſſert. 10. ad Sacram. pænit. quæſt. 4. nu. 103., Bonacina de pænit. Sacram. diſp. 5. q. 5. ſect. 3. punct. 4. num. 11.*

1 Non poteſt per alium adimplere.

Probatur primò ex Concil. Flor., & Trid., quæ pro materia Sacramenti Pænitentiæ aſſignant tres actus pænitentis, Contritionem ſcilicet, Confeſſionem, & Satisfactionem, ſed, ſi ſatisfactio poſſet per alium adimpleri, & per alium de facto adimpleretur, non eſſet actus pænitentis, ergo, nec materia Sacramenti Pænitentiæ.

2 Euincitur ex Concil. Trident.

Probatur ſecundò, quia ex eodem Trid. ſatisfactio non ſolum eſt ad præteritorum vindictam, ſed etiam ad cuſtodiam, & coercitionem quoad futura, ſed, ſi ſatisfactio per alium adimpleretur, non eſſet nec ad vindictam, nec ad cuſtodiam, ergo &c. Minor quoad primam partem probatur, quia iudiciaria poteſtas, & vindicatiua iuſtitia exerceri non poteſt, niſi in delinquentem, nec congruum, & conſentaneum rationi eſt, quod alter propter alterius delictum pæna afficiatur, etiam ſi ſpontè tali pænæ pro delinquente ſe ſupponat, ergo &c. Quoad ſecundam partem ſic euincitur, quia per pænam ab alio exercitam delinquens non coercetur, nec per medicinam ab alio ſumptam quis ſanatur, nec per vnius ieiunium, ſeu flagella, alterius corpus maceratur, ergo &c.

Dices primò, poteſt vnus pro altero etiã in ſpiritualibus ſatisfacere, quod expreſse quoad ſatisfactionem inſinuat *D. Thomas in 4. diſt. 20. art. 2. quæſtiunc. 3. in corpore, & tertia part. q. 48. art. 2. ad primum*, dum dicit pænam ſatisfactoriam eſſe ad duo, ſcilicet ad ſolutionem debiti, & ad medicinam pro peccato vitando, ſubdens, quod prout

prout eſt medicina, non poſſit per alium adimpleri, poſſit tamen, prout eſt ſolutio debiti. Idem euincitur ex articulo ſimboli Apoſtolici, in quo profitemur Sanctorum Communionem, quæ in alio congruentius non poteſt conſiſtere, niſi in eo, quod inuicem communicamus, alter alterius onera portando, inuicem nobis merendo, & ſatisfaciendo, ergo vnus poterit alterius ſatisfactionem Sacramentalem adimplere. Sed contrà; ea omnia, quæ dicuntur in inſtantia, euincunt, quod quis alteri mereri, & ſatisfacere poſſit extra Sacramentum ex opere operantis, non ratione Sacramenti virtute clauium, & ex opere operato; ſatisfactio namque Sacramentalis vtpotè pars Sacramenti cauſat remiſſionem pœnæ temporalis ex opere operato, & virtute clauium, quæ proinde per alium non poteſt adimpleri, niſi per ipſum pænitentem, in ordine ad quem ipſum Sacramentum conſumatur.

3 Poteſt quis pro altero mereri, non Sacramentalitèr ſatisfacere.

Dices ſecundò. Si à Confeſſario iniungatur pænitenti opus alteri commendandum, ſeu cum electione, vt alteri commendetur, tunc propriè pænitens ſatisfacit, quamuis opus per alium adimpleatur. Item, ſi pænitens ſit legitimè impeditus, vel moralitèr impotens poteſt alteri imponere, vt pro ſe ſoluat, ſeu ſatisfaciat, quæ certè ſatisfactio ſubſiſteret, & tamen non eſſet actus pęnitentis, ergo &c. Sed contrà; Fateor in primo caſu ſatisfacere, ſed non ratione operis, quod per alium adimpletur, ſed ratione illius actus, quo ex commiſſione Confeſſarij commendat alteri, vt opus illud exequatur, hic etenim perſonalis eſt, & virtute clauium ex opere operato, quod eſt id, quod aſſerit *Bonacina de pænit. Sacram. diſp. 5. q. 5. ſect. 3. punct. 4. n. 14. in reſponſ. ad quæſitum*, dum dicit, ſatisfactionem, ſeu opus de conſenſu Confeſſarij factum ſufficere ad ſatisfaciendum præcepto Confeſſarij, non autem prodeſſe ad ſatisfaciendum ex opere operato pro pænitente, cui ſolum prodeſt actus, quo pænitens curat ab altero præſtari opus præſcriptum à Confeſſario, cum hic ſit actus eiuſdem, & pars Sacramenti, quod etiam firmant *Henriquez lib. 5. c. 20. n. 7.*, *Vuinaldus in candelabro aureo de ſatisfact. n. 13.*, *Suarez diſp. 38. ſect. 9. n. 4.*; In ſecundo caſu, in quo ſupponitur pænitens legitimè impeditus, vel moralitèr impotens, aſſero, non teneri per alium adimplere, ſed excuſari ratione impotentiæ, vnde, ſi alter ſoluit, ſatisfacit quidem quodamodo ex opere operantis, & per modum meriti, non ex opere operato, & in vim Sacramentalis ſatisfactionis, cum non operetur virtute clauium.

4 Quomodo ſatisfaciat exercendo opus per aliũ à Confeſſario commendatum.

QVÆSTIO VI.

De Forma Sacramenti Pænitentiæ.

HActenus examinauimus partes ſubſtantiales, quæ requiruntur ad hoc Sacramentum conſtituendum ex parte Pænitentis; nunc examen aſſumimus alterius partis, quæ ſe tenet ex parte Sacerdotis, quæ eſt forma, & vltimum completiuum eiuſdem. Plura ſub hoc titulo comprehendentur. Primò, an ſit poteſtas in Eccleſia abſoluendi à peccatis. Secundò, an Confeſſarius verè abſoluat à culpis, an ſolum declaret pænitentem eſſe à Deo abſolutum. Tertiò, quænam ſit forma abſolutionis eſſentialis, & quænam ordinatè adhibenda. Quartò; an abſoluta forma eſſentiali immediatè producatur effectus eiuſdem, an verò non niſi abſoluta forma ordinaria. Quintò, an talis forma modo deprecatiuo, an verò indicatiuo proferri debeat. Sextò, an formæ abſolutoriæ apponi poſſint conditiones, & quænam, & alia plura ex his emergentia.

ARTICVLVS I.

An in Eccleſia ſit poteſtas abſoluendi à peccatis.

SVMMARIVM.

Referuntur errores hæreticorum. 1.
Error Lutheri referentis iuſtificationem non in abſolutionem Miniſtri, ſed in ſolam fidem pænitentis. 2.
Item æquè prodeſſe abſolutionem collatam à fœmina, ac à Papa. 3.
Eluduntur fundamenta Lutheri. 4.
Conuincitur definitionibus Conciliorum. 5.
Item ex inſtitutione Chriſti Domini. 6.
Item ex traditionibus. 7.
Sectatores Lutheri quinam fuerint. 8.

NVnc nobis colluctatio eſt contra hæreticos, qui proprijs, eiſque nefandis obuoluti flagitijs negabant Sacramento Pænitentiæ virtutem, & neceſſitatem, vel, vt poſſent ſine aliquo verecundiæ freno, quæ in confeſſione ſolet adeſſe, in vlteriora crimina ſe immergere, vel nolentes

1 Errores hæreticorum in genere.

tes cognoscere subsidia, quibus possent à proprijs noxis resurgere, in eisdem perseuerarent, & in detestabiliora irruerent, sub ea excusatione, quod media, quibus resurgerent, non haberent.

2 Error Lutheri referentis solum iustificationem in fidem pœnitentis.

Signantèr Lutherus docuit, absolutionem non ideo in pænitente consequi suum effectum, quia fiat à Ministro Sacramenti, sed, quia credatur à pænitente, qui propterea tradidit, pænitentem sola fide absolui à peccatis, credens enim se esse absolutum, absolutus est, licet ei desit contritio, & Sacerdos non serio, sed ioco absoluat. Vlterius congruentèr ad hunc errorem non cognoscens efficaciam in forma absolutionis asserere ausus est, eandem absolutionem siue impendatur à Papa, siue à Sacerdote, siue à puero, siue à muliere æqualis esse virtutis.

3 Item asserentis absolutioně æquè posse impědi à fęmina, ac à Sacerdote.

Aduersus hos errores nunc certandum est, & veritas catholica ab Hæreticorum versutijs propugnanda. Pro quo aduerte, ex verbis Lutheri duo colligi; primum solam fidem iustificare; secundum, credentem se esse absolutum, verè esse absolutum, etiam si ioco absoluatur, & illi desit contritio. Vtrumque falsitatis conuincitur; Primum ex eo, quod licet pluribus in locis sacrarum paginarum dicatur fides iustificare, ex communi tamen SS. PP. consensu intelligitur tantum de fide formata, quod colligitur ex *D. Paulo prima ad Corint.* 13. Ibi- *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Deinde eadem falsitas cuincitur ex illo Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quibus positis sic arguo. Vel Christus Dominus per hæc verba aliquam Apostolis, & eius Successoribus contulit auctoritatem, vel nullam; si nullam; iam Christus Dominus constitueretur mendax, & infidelis, quod est horrendum dictu; si aliquam contulit, ergo, prout verba sonant, aliam non contulit præter illam absoluendi à peccatis. Secundum etiam falsitatis euincitur ex eo, quod habet *Apostolus prima ad Corint.* 4. Ibi- *Sed neque me ipsum iudico. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum; qui autem indicat me, Dominus est.*

4 Eludũtur fundamenta Lutheri.

5 Conuincitur definitionibus Conciliorum.

Vtrumque etiam euincitur ex pluribus Conciliorum definitionibus *Constantiensis sess.* 15., in qua damnatur octauus, & nonus error, in quibus necessitas confessionis negatur, & asseritur, nullum posse esse fundamentum, vt Sacerdotes peccatorum confessiones excipiant. *Florent. sess. vlt. in Decreto Eugenij*, vbi asseritur, effectum absolutionis esse peccatorum remissionem, quam potestatem, inquit, esse in ministro. *Trident. sess.* 14. *c.* 1., & 6. *can.* 3. 9. 10., & 11. vbi in hoc damnatur Lutherus, & alij, qui ipsum secuti sunt.

Ex his etiam falsitatis euincitur id, quod subdit idem Lutherus, puerum scilicet, ac mulierem æquè, ac Papam posse absoluere, quandoquidem Christus Dominus verba, quibus hanc potestatem contulit, non direxit ad quoscunque, sed ad Apostolos dumtaxat, & eorum Successores, nec tunc aderat aliqua fæmina. Adde, quod traditiones, & Ecclesiæ vniuersalis definitiones, etiam si scriptura clara nequeant probari, sunt tamen tantæ auctoritatis, quanta est sacra pagina; scriptum est enim *Act.* 15. *Perambulabat Paulus Syriam, & Siliciam confirmans Ecclesias præcipiens custodire præcepta Sanctorum, & Paulus secunda ad Thessalon.* 2. ait. *Itaque Fratres custodite traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolas nostras*, & Ecclesia vniuersalis in *Concil. Trid. sess.* 6. *can.* 1. asserit, quod, qui traditiones contempserit tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia conseruatas, anathema sit. Quis autem ambigat potestatem clauium per traditiones continua successione firmatas in solis Sacerdotibus residere priuatiuè ad quoscunque alios?

6 Item ex institutione Christi Domini.

7 Item ex traditionibus.

Firma igitur remanet veritas catholica, quod in Ecclesia adsit potestas clauium in ordine ad absoluendum à peccatis, non ad quoscunque fideles dilatata, sed restricta dumtaxat ad Sacerdotes successores Apostolorum; vnde non est, cur latret Lutherus, eiusque sectatores, qui addentes impietatem impietati restauratores fuerunt Lutheranæ peruersitatis; Hi sunt. Ioannes Occolampadius, Martinus Zuinglius, Ioannes Brentius, Philippus Melancthon, Andræas Corolostadius, Ioannes Caluinus, Andræas Osiander, Martinus Burzerus, Ioannes Vulfangus, Balthassar Hiebmaier; contrà quos egregie scripsit Ioannes Roffensis in libro edito contrà Lutheri articulos.

8 Sectatores Lutheri quinam fuerint.

ARTICVLVS II.

An Confessarius verè absoluat, an solum declaret, pænitentem esse absolutum.

SVMMARIVM.

Fundamenta asserentium Sacerdotem per formam non absoluere, sed tantum declarare pænitentem à Deo absolutum. 1.
Refertur dictum D. Gregorij. 2.
Sacerdos legitimè approbatus, verè absoluit. 3.

Verbo

Verba id efficiunt, quod ſignificant. 4.
Euincitur ex verbis Chriſti Domini. 5.
Poteſtas clauium refertur potiſsimum ad remiſsionem peccatorum. 6.
Non ſemper cum Sacramento concurrit contritio. 7.
Explicatur dictum D. Gregorii. 8.
Sententia Sacerdotis præcedit ſententiam Cæli. 9.

1 Fundamenta dicentiũ declarare ſolum eſſe à Deo abſolutũ.

NOn defuerunt aliqui, qui ſibi ſuaſerunt, Sacerdotibus non fuiſſe collatam poteſtatem, vt à culpa, & à labe peccati poſſent abſoluere, ſed dumtaxat indicarent ſua abſolutione reos coram ſe confeſſos iam à Deo eſſe abſolutos, vnde aſſerunt, abſoluere à peccatis eſſe opus ſolius Dei. Mouentur potiſſimum auctoritate D. Gregorij homil. 26. in Euangelia ſuper illa verba: *Lazare veni foras*, vbi ait. *Ex qua conſideratione intuendum eſt, quod illos nos debemus per paſtoralem auctoritatem ſoluere, quos auctorem noſtrum cognonimus per ſuſcitantem gratiam viuificare, quæ nimirum viuificatio ante operationem rectitudinis in ipſa iam cognoſcitur confeſſione peccati.* Sed his non obſtantibus ſit

2 Refertur dictum D. Gregorij,

3 Sacerdos legitimus verè abſoluit.

Concluſio. Sacerdotes legitimè approbati verè abſoluunt pænitentes à peccatis, ſi fuerint ritè diſpoſiti, non præcisè indicant, eos eſſe abſolutos. In hanc propendent omnes ferè Catholici DD.

4 Verba id efficiunt, quod ſignificãt.

Probatur primò. In formis Sacramentalibus verba id verè efficiunt, quod ſignificant; ſed verba abſolutionis Sacerdotalis verè ſignificant abſolutionem in perſona propria Sacerdotis, non meram declarationem abſolutionis iam poſitæ, ergo verè efficiunt eandem abſolutionem. Minor euincitur ex tenore verborum, quæ profert audita confeſſione ipſe Sacerdos; dicit enim *Ego te abſoluo à peccatis tuis*; abſoluere etenim non eſt præcisè declarare, vt per ſe patet.

5 Euincitur ex verbis Chriſti Domini.

Probatur ſecundò. Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus data eſt poteſtas clauium ſuper peccata, iuxta illud *Tibi dabo claues Regni Cælorum; quodcunq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum, & in Cælis &c.* ſed claues dantur ad ligandum, & ſoluendum, ad claudendum, & aperiendum, non ad oſtendendum clauſum, vel apertum, ergo Sacerdotes verè abſoluunt, non tantum oſtendunt pænitentes eſſe à Deo abſolutos.

Dices; Sacerdotes habere poteſtatem clauium, quatenus pænitentiam pænitentibus imponunt virtute clauium, & ità eos iuſta pæna ligant, & de ea ex miſericordia aliquid relaxant, non quatenus remittant culpam. Sed contrà, quia pænitentia iniuncta eſt dumtaxat in ordine ad pænam, & quidem temporalem; effectus autem Sacramenti eſt remiſſio peccatorum quoad culpam, & reconciliatio cum Deo, quod præſtat abſolutio Sacerdotis, vt habetur in *Concil. Florent. ſeſs. vlt. in Decreto Eugenij*, & in *Concil. Trident. ſeſs. 14. c. 3.* vbi habetur. *Sanè verò res, & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo*, vbi ſubdit, formam eiuſdem Sacramenti, in qua præcipuè eſt vis eiuſdem, in illis verbis eſſe diſpoſitam *Ego te abſoluo*; reconciliatio autem cum Deo habetur per remiſſionem culpæ, non per meram remiſſionem pænæ temporalis.

6 Poteſtas clauium refertur potiſſimũ ad remiſſionem peccatorum.

7 Nõ ſemper ad Sacramẽtum concurrit cõtritio.

Dices iterum, culpam deleri in hoc Sacramento virtute contritionis, quę in eodem neceſſario requiritur, & ſic remiſſio culpæ non eſt ex vi clauium, ſed eiuſdem contritionis; ex quibus ſequitur, quod virtute earundem clauium ſit ſolummodo remiſſio pænæ temporalis, quæ habetur per ſatisfactionem. Sed contra, quia ſemper per hoc Sacramentum validum confertur gratia remiſſiua peccatorum, & tamen ſemper non concurrit contritio, ſed quandoque, & vt plurimum, attritio, quę cum Sacramento ſufficiens eſt ad delendam culpam, quæ ſufficiens non eſt per ſe ſolam. Deinde Concilia loquuntur de remiſſione, & reconciliatione, quam dicunt eſſe effectum Sacramenti pænitentiæ, non ſolius contritionis.

8 Explicatur dictũ D. Gregorij.

Ad rationem contrariæ ſententiæ, quæ affertur ex D. Gregorio, dicẽdum eſt, hunc Sanctum Doctorem voluiſſe ſolum peccatorem primo per gratiam excitantem ſuſcitari à monumento ſuæ obſtinationis, & incipere viuere, antequam effectum abſolutionis conſequatur, non quia viuat vita gratiæ habitualis, & ſanctificantis, quæ eſt effectus eiuſdem Sacramenti, ſed quia incipiat gratiæ excitantis auxilio, quam Deus ſolus operatur ſine Sacramento, & etiam ſine ipſo peccatore iuxta illud Apoſtoli *Non currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, aliquos motus exercere viuentis per actus doloris, quos deinde ſubijciens confeſſioni conſequitur vitam perfectam per gratiam habitualem remiſſiuam. In hanc explicationem propendet *D. Auguſtinus in Pſal. 101. concione ſecunda, & de verbis Domini ſerm. 8.* dum ait. *Ipſum Lazarum attende; cum vinculis prodit; iam viuebat confitendo, ſed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Eccleſia, cum dictum eſt. Quæ ſolueritis, ſoluta erunt, niſi, quod ait Dominus continuo ad diſcipulos: Soluite illum, & ſinite abire.*

Hic pro vberiori confirmatione noſtræ concluſionis addendum iudico, quod docent multi ex SS. PP. ſcilicet in abſoluendo

sententiam Sacerdotis præcedere sententiam Cæli. Sic *D. Ciprianus lib.* 1. *Epist. Epist.*2. ait. *Ipse legem dedit, vt ligata in terris, etiam in Cælo ligata essent; solui autem possint illic, quæ hic prius in Ecclesia soluerentur*. Sic *D. Bernardus serm. primo in festo Apostolorum Petri, & Pauli* asserit. *Qui claues regni iam singulariter accepit, vt præcedat sententia Petri sententiam Cæli*, quę asserunt non pauci ex alijs Sanctis Patribus, vt videre est apud *Vasquez quæst.* 84. *art.* 3. *dub.* 1. *num.* 8. Hę auctoritates ità intelligendę sunt, vt eodem instanti, quo per absolutionem peccata remittuntur à Sacerdote absoluente, intelligantur simul remitti à Deo, non enim possunt remanere suspensa. Dicitur autem sententia Cęli sequi illam Sacerdotis, quia ratum habetur in Cęlo, quod factum est per Sacerdotem hic in terris.

9 **Sententia Sacerdotis pręcedit illā Cæli.**

ARTICVLVS III.

Quęnam sit forma absolutionis.

SVMMARIVM.

IVxta consuetum morem, quo impenditur absolutio Sacramentalis pręmittuntur preces, *Misereatur tui &c. Indulgentiam &c. Dominus noster &c.* absolutio a censuris. Deinde subditur: *Ego absoluo te à peccatis tuis*, facta inuocatione Sanctissimæ Trinitatis. Deinde concluditur per illa verba: *Passio Domini nostri &c.* Preces illæ, quæ præmittuntur, & subsequuntur, non esse de substantia huius Sacramenti est in confesso apud omnes, sed solummodo, vt asserit *Concil. Trident. sess.* 14 *c.* 3. adiunguntur laudabiliter ad ornatum &c.; vnde, si quis affluente copia fidelium illas omitteret, nec venialiter peccaret, quinimmò etiam non confluente populo, nisi omitteret ex contemptu.

1 **Quæ seruantur ex cōsuetudine in absoluēdo.**

Difficultas igitur reducitur solum in inuestigando, quænam verba sint essentialia ad effectum remissionis peccatorum, sine quibus non constitueretur validum Sacramentum, & quænam necessaria, vt, quamuis sine illis Sacramentum subsisteret, inducerent in absoluentem noxam, si omitterentur. *Durandus in* 4. *dist.* 22. *q.* 2., *& ibi Ioannes de Neapoli dist.* 16. *q.* 5., *Maior dist.* 14. *q.* 2. sustinent, omnia hæc verba, *Absoluo te à peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, esse essentialia. *Paludanus in* 4. *dist.* 22. *q.* 3., *& alij* asserunt esse essentialia illa verba, *Absoluo te à peccatis tuis*. Alij, inter quos *Sotus in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art. primo*, §. *postremum tamen dubium* totam essentiam absolutionis constituunt in ly, *Absoluo*, quod probabile etiam censuit *Arriaga disp.* 49. *sect.* 4. *n.* 23. Alij tandem magis communitèr essentialia existimant illa duo verba, *Absoluo te*, atq; in hanc opinionem transeunt *D. Thomas tertia part. q.* 84. *art.* 3. *in corpore*, *Suarez disp.* 19. *sect.* 1., *Gonetus disp.* 12. *art.* 1., *Lugus disp.* 13. *sect.* 1., *Coninchus disp.* 4. *dub.* 3., *Amicus disp.* 11. *sect.* 1.

2 **Variæ sētētiæ circa essentialia formæ.**

Fateor, me alias sensisse, formam essentialem huius Sacramenti consistere in illo precìso verbo, *Absoluo*, supposita pręsentia pænitęntis, qui peccata sua exposuit, nam licet illud verbum *Absoluo*, nudè sumptum indifferens sit ad absoluendum hunc, vel illū, determinatur tamen ad absolutionem huius potius, quam alterius per præsentiam, & confessionem istius, non alterius, & sicuti per eandem præsentiam limitatur ly *Absoluo te*, ad hæc potius peccata confessa, quam ad alia non confessa, ità non est, cur per eandem non debeat limitari ad hanç potius personam præsentem, quam ad aliam. Sed modo attenta declaratione Innocentij XI. gloriosæ record. qua sub die 2. Martij 1679. damnauit propositionem, quæ est prima in numero, qua dicebatur, *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiori, nisi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni inferendi*, placet ab eadem recedere. Quare sit

3 **Signātèr confutatur opinio statuentium formam in ly, absoluo.**

Conclusio. Forma absolutionis essentialitèr consistit in illis verbis *Absoluo te*. In hoc consentiunt omnes pro vltima sententia allegati. Intellige procedere speculatiuè, nam in praxi addendum est ly, *à peccatis tuis*.

4 **Consistit in ly, absoluo te.**

Probatur. Illa verba tantum secundum se intelliguntur essentialia, quæ apta sunt secundum se ad significandum effectum primarium, ad quem referuntur; sed illa duo, *Absoluo te*, sunt secundum se apta

ad

ad significandam remissionem peccatorum, quæ est effectus primarius Sacramenti Pænitentiæ, ergo illa dumtaxat sunt essentialia.

Dices primò, etiam in Sacramento baptismatis sufficientèr significatur effectus primarius eiusdem Sacramenti per ly, *Ego te baptizo*, & tamen ex communi consensu non subsistit Sacramentum, nisi addatur inuocatio expressa Sanctissimæ Trinitatis per illa verba, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ergo, quantumuis effectus primarius Sacramenti pænitentiæ exprimatur per ly, *Absoluo te*, erit tamen ad valorem eiusdem etiam necessaria inuocatio Sanctissimæ Trinitatis. Sed contra; concesso antecedente neganda est consequentia. Ratio negationis est primo, quia assumptum nostræ probationis, quod scilicet illa verba sint tantum essentialia, quæ apta sunt significare effectum primarium Sacramenti, tunc tantum habent locum, quando aliud in institutione Sacramenti non est à Christo Domino præscriptum; quando verò ex institutione constat alia esse præscripta, tunc illa etiam habenda sunt pro forma, vt euenit in forma Sacramēti baptismatis, in qua Christus Dominus præcepit inuocationem expressam Sanctissimæ Trinitatis, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, quod congruè quidem inductum est specialitèr in hoc Sacramento, quod, cum sit fundamentum cæterorum, & principium nostræ fidei, debet per ipsum imprimi caracther, & signum expressiuum principalis mysterij eiusdem fidei, nempè Sanctissimæ Trinitatis. Hoc autem non euenit in alijs Sacramentis, quæ iam in baptismate supponunt impressum hoc indelebile signum, vnde in illis nec ex vi significationis, nec ex Christi institutione est necessaria inuocatio expressa Sanctissimæ Trinitatis.

5 Non currit paritas de baptismo

Vrgebis; in institutione Sacramenti Pænitentiæ facta est expressa mentio peccatorum, Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, ergo, si quia in Sacramenti Baptismatis institutione dictum fuit, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, inuocatio Sanctissimæ Trinitatis dicitur essentialis, ità, quia in institutione Sacramenti Pænitentiæ dictum fuit, *Quorum remiseritis peccata*, expressio eorundem peccatorum erit essentialis, & sic, vt forma sit valida, addenda erunt illa verba *à peccatis tuis*. Sed contra; necesse fuit, vt Christus Dominus in institutione Sacramenti Pænitentiæ mentionem faceret de peccatis; cum etenim tunc conferret potestatem Apostolis, debuit indicare, ad quæ extenderetur illa potestas collata, quę aliud non sunt, quam peccata; ex quo non sequitur, voluisse in absolutione expressionem illorum, quando iam sunt præsentia Sacerdoti per confessionem pænitentis præsentis, cum absolutio non possit cadere, nisi supra illa.

6 Soluitur instantia deducta ex sacris paginis.

Dices secundò. *Concil. Trident. sess.* 14. c. 3. definiens formam huius Sacramenti dicit consistere in illis verbis *Ego absoluo te*, addita particula *&c.*, quæ ex genere suo indicat quid aliud ab enuntiato in illis verbis *Ego absoluo te*, ergo vltra ista erunt necessaria saltem illa *à peccatis tuis*, & fortè etiam inuocatio Sanctissimæ Trinitatis. Sed contra Concilium Tridentinum per illa prima verba *Ego te absoluo*, indicauit formam essentialem; per ly *vero &c.* ea, quæ de more adduntur ad clariorem expressionem, non quia pertineant ad essentiam; non enim ibi Concilium voluit apponere solum definitionem quoad essentialia, sed etiam ea, quæ sunt in vsu, & communi praxi. Cæterum, si voluisset pręcisè essentialia apponere, non posuisset particulam *Ego*, quæ nemine reluctante necessaria non est, cum contineatur in verbo, *Absoluo*, concepto in persona prima.

7 Concil. Trident. non ponit illam particulā *à peccatis tuis*.

Probatur secundò, præcipuè quoad particulam, *Te*, quod scilicet spectet ad essentiam absolutionis. Actio absolutoria, vt sit valida, debet cadere supra subiectum determinatum, illudque exprimere, sed per ly, *Absoluo*, omissa particula *Te*, non exprimitur determinatum subiectum, supra quod cadit, ergo &c. Minor probatur, quia ly *Absoluo*, nudè sumptum indifferens est, vt cadat, vel supra hoc, vel supra illud subiectum, cum nullum determinatè exprimat.

8 Verbum *absoluo* secundū se nō determinat subiectū.

Dices, quod, quamuis hoc verbum nudè sumptum non sit determinatum ad aliquod subiectum, nec aptum ad illud significandum, prout tamen coniungitur cum præsentia pænitentis, qui actualitèr sua peccata subiecit, determinatur ad illum significandum, & sufficientèr illum importet, quantum ad effectum recipiendæ absolutionis. Sed contrà, quia, cum hoc Sacramentum constituatur per formale iudicium inter Confessarium, & pęnitentem, non sufficit implicita connotatio eiusdem pęnitentis, sed debet formalitèr importari in ipsa forma absolutionis, cum hęc debeat expressè in ipso firmari, tanquam in subiecto; nec pręsentia pęnitentis ità determinat ly, *Absoluo*, vt non possit ad aliud subiectum referri, vel remanere in vago.

9 Nō sufficit implicita connotatio.

ARTICVLVS IV.

An per Confessarium prolatis illis verbis *Absoluo te*, immediatè producatur effectus Sacramenti, an verò solum post prolatam totam formam ordinariam.

SVMMARIVM.

Exponitur sensus tituli. 1.
Sententia asserens non produci effectum, nisi posita integra forma consueta. 2.
Sententia referens ad intentionem Ministri. 3.
Perficitur Sacramentum, & producitur effectus, quando posita est vltima sillaba formæ essentialis. 4.
Positis omnibus requisitis non potest non sequi effectus. 5.
Intentio Ministri potest multipliciter concipi. 6.
Si non excludatur intentio conficiendi Sacramentum, per sola verba essentialia ijs positis Sacramentum perficitur, & confertur effectus. 7.
Quid sentiendum sit, quando intentio Ministri est restricta ad formam consuetam, & non alitèr. 8.

1 *Sensus tituli exponitur.* IVxta consuetum morem Ecclesię absolutio solet impendi per illa verba, *Ego te absoluo à peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; quoad essentiam tamen iuxta superius probata consistit in illis duobus verbis, *Absoluo te*. Modò iam quęritur, an effectus Sacramenti producatur in prolatione vltimę fillabę illorum duorum verborum, an verò dumtaxat in prolatione vltimę sillabę formę consuetę.

2 *Sententia asserēs non produci, nisi posita tota forma consueta.* *Vasquez de pænit. q. 84. art. 3. dub. 4. Henriquez lib. 4. c. 11. num. 3. Molfesius tract. 7. c. 5. num. 26.* existimant non produci effectum Sacramenti, nisi prolatis omnibus verbis formę consuetę, nempè *Ego te absoluo à peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Alij procedunt sub distinctione referentes resolutionem ad intentionem Sacerdotis proferentis; vel etenim intendit per sola verba, *Absoluo te*, absoluere, & tunc asserunt ijsdem prolatis intelligi perfectum Sacramentum, & pęnitentem absolutum, vel

3 *Sententia referens ad intentionem Ministri.* solum intendit perficere prolatis omnibus verbis, quę sunt de stilo ordinario, & tunc asserunt, nonnisi in prolatione vltimę fillabę formę ordinarię perfici Sacramentum. His tamen non obstantibus

Sentiendum est, tunc simplicitèr perfici Sacramentum, & produci effectum eiusdem, quando profertur vltima sillaba horum duorum verborum *Absoluo te*, nec suspendi vsque ad prolationem vltimę sillabæ formæ, quæ ex consueto seruatur.

4 *Tūc producitur effectus, quando profertur vltima sillaba formæ essentialis.* Consentire videtur in hoc *Bonacina de Sacram. pænit. disp. 5. q. 14. punct. 1. num. 3.* Ratio ex eo deducitur, quia positis causis essentialibus constitutiuis Sacramenti non est, cur non debeat immediatè resultare Sacramentum, & produci eius effectus, sed posita Sacramentali confessione cum alijs requisitis ex parte pænitentis, & verbis illis *Absoluo te*, ex parte Confessarij, intelliguntur posita omnia essentialia constitutiua Sacramenti, ergo non est, cur non debeat esse Sacramentum, & poni eius effectus.

5 *Positis omnibus requisitis non potest non sequi effectus.* Dices, hæc ad summum subsistere, quando Confessarius intendit per illa verba præcisè absoluere, secus quando intendit solum perficere positis omnibus verbis consuetæ formæ, quia tunc intentio refertur solum ad tempus vltimæ sillabæ consuetæ formæ. Sed contra, quia positis omnibus essentialitèr requisitis non est in potestate Confessarij suspendere effectum Sacramenti. Quod, si instes, deficere intentionem Ministri, cum hæc sit relata solummodò ad vltimam sillabam consuetæ formæ; statim impugnaberis, quia

6 *Intentio Ministri potest multiplicitèr cōcipi.* intentio Sacerdotis potest multiplicitèr concipi; primò, quatenus sit ad constituendum Sacramentum nil aliud decernendo; secundò, quatenus sit quidem ad constituendum Sacramentum relatè ad tempus vltimæ sillabæ, sed ex errore, quod tunc tantum perficiatur essentialitèr idem Sacramentum; tertiò, quatenus sit relatè ad illud tempus vltimæ sillabæ eiusdem consuetæ formę restrictè, nec alitèr, nec alio modo, adeo vt absolutè Confessarius non intendat absoluere, nisi cum fuerit prolata eadem vltima sillaba; si primo modo concipiatur, absolutè perficitur Sacramentum, & ponitur eius effectus, quando terminatur vltima sillaba illorum verborum, *Absoluo te*, quia tunc est debita, & sufficiens intentio conficiendi Sacramentum non limitata aliqua conditione, sed præcisè relata ad rationes Sacramenti constitutiuas; si secundò modo, cum non

7 *Non exclusa intentione per sola verba essentialia conficiēdi Sacramentum, hoc illis positis perficitur.* excludatur intentio conficiendi Sacramentum, sed ex errore referatur ad vltimum instans prolationis formæ consuetæ, non est, cur non perficiatur, quando sunt posita essentialia; & per consequens illa verba *Absoluo te*; ille etenim error non excludit intentionem perficiendi, quando sunt omnia requisita ad perficiendum; non enim dicit Confessarius, non intendo te absoluere, nisi quando erit terminata vltima sillaba consuetæ formæ; si tertio

modo

modo concipiatur, erit omnino irregularis talis intentio, & se haberet per modum cõditionis de futuro, vt scilicet valeat, si ponatur consueta forma vsque ad vltimam sillabam, non valeat, si illa non ponatur; an verò talis intentio cum ea conditione inualidet Sacramentum, an verò solummodo suspendat effectum eiusdem vsque ad eandem vltimam sillabam consuetæ formæ? Videtur ex vna parte inualidare Sacramentũ, quia, quando est forma essentialis consistens in illis verbis *Absoluo te*, ex defectu intentionis absoluentis, quinimmò cum voluntate contraria non ponitur effectus, quando verò est vltima sillaba formæ consuetæ, ad quam refertur voluntas absoluentis, verba essentialia absolutionis non existunt; Ex altera parte propter moralem continuationem verborum essentialium cum vltima sillaba formæ consuetæ videntur sortiri effectum, quia tunc extant omnia requisita; quod non improbabile existimo. Prædicta omnia posui maioris doctrinæ gratia. Cæterum præsumendum est, quod intentio Ministri se accomodet iuxta institutionem Christi Domini, quæ est, vt positis essentialibus constituatur immediatè Sacramentum.

8 Quid sentiendum sit, quando intentio positiua est relata solũmodo ad formam consuetã.

ARTICVLVS V.

An verba absolutionis semper verum contineant.

SVMMARIVM.

Tres potissimum casus, circa quos versari potest titulus. 1.
In illis omnibus verificatur forma absolutionis. 2.
Verificatur primo in casu, quo quis accederet ad confessionem verè, & propriè contritus, & quomodo. 3.
Secundò, quando subijceret peccata ante legitimè confessa. 4.
Quomodo verificetur, quando pænitens accedit cum obice. 5.

NOn est dubitandum, quin ex parte potestatis, quam habet Sacerdos supposita Sacramentali, & legitima confessione, verificentur, quamuis enim Deus sit Auctor principalis, qui principalitèr remittit & pænam, & culpam, non est tamen denegandum, quod Sacerdos absoluens, tanquam Minister potestate sibi à Christo Domino collata etiam peccata remittat; non enim, vt suprà dicebamus, solum indicat pænitentem esse à Deo absolutum, sed re vera absoluit.

In tribus igitur potissimum casibus potest dubitari de verificatione verborum absolutionis; primò, quando pænitens accedit ad Sacramentum verè, & perfectè contritus. Secundò, quando confitetur solummodo peccata iam antea legitimè confessa, & per præcedentes confessiones validas remissa. Tertiò, quando absoluit existente obice, seu indispositione positiua pænitentis; nõ enim videntur verũ habere verba absolutionis cum in illis non sequatur effectus absolutionis, nempè remissio peccatorum, cum in primis duobus independentèr ab illa absolutione peccata intelligantur remissa, & in tertio re vera non remittantur. Nihilominus

1 In quibus casibus versetur dubitatio.

Sentiendum est, etiam in illis tribus casibus verificari verba absolutionis *Laiman de Sacram. pænit. lib. 5. tract. 6. c. 3. num.* 8. *vers. ex quo manifestum fit, Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 4. punct. 1. num. 9. per tot.* Verificantur in primo, & secundo ex multis capitibus; primò, quia sensus illorum verborum est. Quantum est ex virtute clauium, & ex vi Sacramenti impendo tibi beneficium absolutionis, & re vera tunc confertur gratia, quæ est ex genere suo remissiua peccatorum; quod, si deinde ea non remittat, quia præsupponuntur remissa per præcedentem confessionem, vel contritionem, hoc non est defectu clauium, sed ratione subiecti iam absoluti; cæterum hic recipit effectum Sacramenti, qui est gratia. Secundò, quia, quamuis eadem verba principalitèr referantur ad remissionem culpæ, referuntur tamen etiam licet minus principalitèr ad remissionem pænæ temporalis, quæ regularitèr tota non remittitur per præcedentem confessionem, nec per contritionem, vnde licet illa verba non verificarentur quoad principalem effectum, verificantur tamen in ordine ad minus principalem. Tertiò, quia, cum materia remota exponatur clauibus cum noua materia proxima, nempè nouo dolore exponitur causa sufficiens ad impetrandum effectum secundum se resolutiuum peccatorum, si non esset remissa, vel ad magis firmandam remissionem per ablationem reliquiarum eorundem ex præcedentibus peccatis contractarum, quæ sunt prauæ inclinationes &c.

2 In illis omnibus verificatur forma.

3 Primò, quando quis accederet ad hoc Sacramentum verè contritus.

4 Secundò, quando subijceret peccata ante legitimè confessa.

Verificantur etiam in tertio casu, quia, licet verba non verificentur quoad effectum, verificantur tamen, quantum est ex parte absoluentis, & quando obex non est positiuus in sententia illorum, qui asserunt posse esse Sacramentum validum, sed informe, verificatur etiam quoad effectum, quem, quamuis tunc non producat, producit tamen remoto obice. Si tamen placeret asserere, quando adest obex positiuus, non

5 Quid sentiendum sit, quando pænitens accessit cum obice.

nō verificari, eo quia nō sequatur effectus, dicere etiam poteris Sacramentum esse inualidum, nec hoc esse imputabile Confessario, qui non est conscius illius obicis, nec per hoc ex parte eiusdem irrogatur aliqua irreuerentia Sacramento, sed tantum ex parte pænitentis, qui propterea contrahit labem sacrilegij.

ARTICVLVS VI.

An illa verba, *Absoluo te*, apta sint etiam ad soluendum à censuris, si pænitens sit eisdem irretitus.

SVMMARIVM.

Sensus difficultatis exponitur. 1.
Qualis in hoc possit esse intentio Ministri. 2.
Absolutio à peccatis coniuncta cum intentione absoluendi à censuris apta est ad soluendum ab vtrisque. 3.
Sacerdos non excludens intentionem absoluendi à censuris per illa verba Absoluo te à peccatis tuis, *probabilitèr absoluit etiam à censuris.* 4.
Prius natura intelligitur absolui à censuris. 5.
Quamuis remissio culpæ sit effectus primarius Sacramenti, potest tamen præcedere remissio censuræ. 6.
Confessarius intendens per formam absolutionis solum absoluere à peccatis, non à censuris, nec à peccatis, nec à censuris absoluit. 7.
Excommunicatus est incapax participationis passiuæ Sacramentorum. 8.
An in hoc casu remoto obice excommunicationis in alia confessione consequatur effectum prioris Sacramenti. 9.
Sententia Vasquez asserentis non consequi hunc effectum. 10.
Sententia non improbabilis Suarez affirmantis consequi. 11.
Sacerdos positiuè intendens non absoluere ab excommunicatione grauitèr peccaret. 12.

1 Sensus quæstionis exponitur.

SVppono, quod Sacerdos in ferenda absolutione non aduertat prius absoluere ab excommunicatione pænitentem, qua irretitur, sed præcisè dicat, *Absoluo te à peccatis tuis*, qua in suppositione inquiro, an per illa præcisa verba pænitens intelligatur solutus, tùm à censura, qua innodatur, tùm à peccatis, quibus afficitur. Pro solutione

2 Qualis in hoc possit esse intentio Ministri.

Aduerte, an Sacerdos prius intenderit, tum à censura, tum à peccatis absoluere, sed ex obliuione omiserit consuetam formam absolutionis à censuris, sicut solet præmitti, an verò nihil, nec prius, nec in ipso actu absolutionis cogitarit de absoluendo à censuris, an verò præcisè intenderit absoluere à peccatis, & non à censuris.

3 Absolutio à peccatis cum intentione absoluendi à censuris prodest.

Aduerte item, quod, quamuis secundum ritum absolutio à censuris distinguatur ab absolutione à peccatis, ipsa tamen absolutio à peccatis, si coniungatur cum intentione absoluendi etiam à censuris, apta sit ad soluendum ab vtroque vinculo, prout rectè notant *Nauarrus de pænit. dist. 6. c. 1.*, *Henriquez lib. 4. c. 11. num. 3.*, *Sotus in 4. dist. 14. q. 1. art. 3.*, *Bonacina de pænit. Sacrament. disp. 5. q. 4. punct. 1. num. 10.*; nec est aliqua repugnantia, quod eadem absolutio sit Sacramentalis, prout refertur ad peccata, & non sit Sacramentalis, prout refertur ad censuras, &, licet sit eadem, intelligitur prius natura auferre censuram, quam peccata, cum prius natura subiectum debeat esse dispositum, & capax, quam recipiat formam; sicuti non est repugnantia, quod eadem oratio referatur ad diuersos fines, & diuersas significationes iuxta textum *in l. 1. ff. de offic. Præt.* His positis sit

4 Absoluēs à peccatis non excludens intentionem absoluendi à censuris absoluit ab vtrisque.

Assertio I. Si Sacerdos habita prius intentione absoluendi ab vtroque vinculo, ex obliuione omiserit per consuetam formam absoluere à censura, & solum protulerit illa verba, *Absoluo te à peccatis tuis*, vel fortè etiam nec ante, nec in ipso actu absolutionis cogitarit de absolutione à censuris, probabilius est, quod per illa verba soluerit pænitentem ab vtroque vinculo.

Ratio ex eò deducitur, quia ex vna parte absolutionis forma, quantum est ex se, potest valere ad delendam tam censuram, quam peccata vt suprà notauimus, si talis fuerit intentio absoluentis; ex alia parte, quando aliud in contrarium non statuitur, præsumendum est, quod absoluens intenderit, quantum est de se, per illam absolutionem iustificare pænitentem, quantum potest, ergo generalitèr intendit facere id omne, quod requiritur ex se ad talem iustificationem, sed ad illam iustificationem necesse est, deleri censuram, ergo generalitèr intendit illam auferre *Moscotus* apud *Dianam part. 5. tract. 9. resol. 15.*

5 Prius natura intelligitur absolui à censuris.

Dices; Irretitus excommunicatione non est capax receptionis Sacramentorum, adeo vt, si iste scientèr, antequam absoluatur ab excommunicatione, recipiat aliquod Sacramentum, non solum non recipiat gratiam, sed contrahat sacrilegium, & in particulari de Sacramento confessionis illud inualidè recipiat *Vasquez de excommunic. dub. 4. num. 9.* Sed contrà. Fateor excommunicatum perseuerante excommunicatione esse impeditum à receptione Sacramentorum, quia inter effectus eiusdem

dem excommunicationis numeratur priuatio Sacramentorum, sed in hac hypothesi non reciperetur Sacramentum perseuerante excommunicatione, cum prius natura per eandem absolutionem à peccatis non intelligatur subiectum à censura absolutum.

Vrgebis, imperceptibile videtur, quod forma Sacramentalis per se ordinata ad remissionem peccatorum extendatur etiã ad remissionem censurarum, &, quando etiam ad hoc deseruiret, non prius remitteret prioritate naturæ censuras; quam peccata, quandoquidem effectus primarius eiusdem est remittere culpas, & remittere censuras solum secundarius; effectus autem secundarius ex genere suo subsequitur primarium, non illum præcedit. Sed contrà, quia absolutio ab excommunicatione non est alligata certæ formæ, sed sufficit quodcunque verbum aptum ad illam significandam cum intentione, siue explicita, siue implicita absoluentis, nec est aliqua repugnantia, vt suprà innuebamus, quod aliqua oratio referatur ad duos fines, seu duas significationes; verbum autem *Absoluo te*, æquè potest significare, & absolutionem à vinculo peccatorum, & à vinculo censuræ. Ad illud, quod subditur, dico, quod, quamuis effectus primarius Sacramenti pęnitentię sit remittere peccata, & per consequens etiam Sacramentalis absolutionis, non propterea sequitur, quod absolutio à censuris sit effectus, qui consequatur ad remissionem peccatorum; aliud enim est dicere, quod sit finis primarius, aliud dicere, quod primo ponatur, vt videre etiam est in rebus Physicis, in quibus finis naturæ, seu agentis est ponere formam substantialem in subiecto, & tamen non prius ponitur, ac remoueantur obices, & congruæ inducantur dispositiones ad illam. Cum igitur prærequiratur ad effectum formæ Sacramentalis remotio censuræ, tanquam obicis ad eundem effectum primarium, præsumendum est, quod Confessarius intendens iustificationem pænitentis, in quantum potest, intendat saltem implicitè prius remotionem eiusdem.

6 Effectus secundarius potest præcedere primarium.

Assertio II. Si Confessarius per illam formam absolutionis Sacramentalis intenderit præcisè absoluere à peccatis, & nullo modo à censuris, nec à censura, nec à peccatis pænitens remaneret absolutus; grauitèr tamen delinqueret Confessarius excludendo intentionem absoluendi à censuris.

7 Intendẽs non absoluere à censuris, necà peccatis absoluit.

Ratio primæ partis est, quia innodatus censura excommunicationis incapax est participationis passiuę Sacramentorum, sed quando Confessarius impendit formam absolutionis à peccatis, excludendo intentionẽ absoluendi à censuris, pęnitens adhuc remanet innodatus censura, cum hęc non dematur nec per expressam, nec per implicitam absolutionem, ergo non participat de Sacramento, & per consequens non assequitur eius effectum.

8 Excõmunicatus nõ est capax Sacramentorum.

Hic oritur difficultas, an, quamuis pęnitens tunc non consequatur effectum absolutionis, nec quoad peccata, nec quoad censuram, cum censura non auferatur, consequatur tamen effectum eiusdem absolutionis, quando in alia confessione, in qua à censuris absoluitur, remouetur obex. Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod cum pęnitens intelligatur, quantum est ex se, perfectè dispositus ad recipiendum effectum vtriusque absolutionis, scilicet à peccatis, & à censura, omniaque pręstet, quę ad ipsum spectant, & Sacerdos impendat absolutionem à peccatis cum recta intentione ab illis absoluendi, videtur validum constitui Sacramentum, quamuis informe propter pręexistentem excommunicationem; vnde non videtur, cur remoto obice illud Sacramentum non debeat sortiri suum effectum; & quamuis alibi dixerimus, non dari Sacramentum pęnitentię validum, & informe, in hoc tamen speciali casu videtur dari posse; nam ea, quę alibi diximus, procedunt ex eo, quod ex parte pęnitentis supponebatur, non esse materiam sufficientem, nempè dolorem, qui est pars essentialis huius Sacramenti; hic autem ex parte pęnitentis supponuntur esse omnia requisita, & solum deficere intentionem Cõfessarij quoad censuras, esse tamen quoad absolutionem a peccatis.

9 An in casu, quo defectu intẽtionis Ministri absoluẽdi à censuris non absoluitur cõsequatur pęnitens effectum remoto obice in alio Sacramẽto.

Vasquez de excommunicatione dub. 4. n. 9. dicit absolutè, non esse validum Sacramentum, eo quia pęnitens vtpotè extra iurisdictionem Sacerdotis perseuerante excommunicatione est incapax; ex quo iuxta eiusdem mentem sequitur, quod sublato postea obice per absolutionem à censura non consequatur effectus prioris Sacramenti vtpotè inualidi, nam, quod in origine inualidum est, non potest tractu temporis conualescere.

10 Sentẽtia Vasquez asserentis non consequi hũc effectum.

Suarez verò *disp. 10. sect. 7. n. 9.* sentit, validum esse Sacramentum, eo quia excommunicatio pęnitentis non suspendit iurisdictionem Sacerdotis; cum igitur Sacerdos supponatur habere intentionem absoluendi à peccatis, nec eius iurisdictio sit suspensa, & ex alio capite pęnitens sit rectè dispositus, non est, cur non debeat esse validum Sacramentum, quamuis tunc non consequatur effectum propter obicem excommunicationis non sublatę. Hinc tradit *Diana part. 5. tract. 9. resol. 53., & 82.* quod, si pęnitens scientèr subiiceret excom-

11 Sentẽtia contraria non est improbabilis.

communicationem, & peteret absolutionem peccatorum, absolutio esset nulla, non ratione excommunicationis, sed ratione peccati in ipsa confessione commissi; ex quo videtur sequi, quod, si ipse subiecerit Confessario excommunicationem, & ab eadem non fuerit solutus, non ex defectu proprio, sed ex culpa Confessarij, validum recipiat Sacramentum; culpa etenim Cōfessarij reddit ipsum culposum, non tamen inualidat absolutionem quoad peccata, cum intentionem habuerit absoluendi ab ipsis, nec culpam aliquam refundit in pœnitentem. Hanc opinionem in hoc speciali casu, non improbabilem iudico.

12 Sacerdos excludēs intentionem absoluendi à censuris grauitèr peccaret.

Ratio secundę partis est, quia ipse Confessarius per illam voluntatem non absoluendi à censuris culpabilitèr ponit obicem consecutioni effectus Sacramentalis ipsi pęnitenti, quam cęteroqui tunc fuisset consecutus, ergo non est, quin contrahat grauem culpam delinquens voluntariè in proprio officio, & priuans pęnitentem fructu, ad quem ius habet per implementum eorum, quę ad ipsum pertinent.

ARTICVLVS VII.

An forma absolutionis promenda sit per modum deprecationis, an verò per modum iudicij, seu iudicatiuè.

SVMMARIVM.

Referuntur verba Concil. Trid. 1.
Ex his euincitur, formam debere proferri modo iudicatiuo. 2.
Prolata modo depretatorio non solum esset illicita, sed etiam inualida. 3.
Referuntur variæ Græcorum formæ. 4
Ostenditur Græcos quoad substantialia procedere modo iudicatiuo. 5.
Discrimen inter formam extremæ vnctionis, & pœnitentiæ. 6.

1 Verba Concilij Trident.

Concilium Tridentinum *sess. 14. de pœnit. c. 3.* habet hęc verba. *Docet præterea Sancta Synodus Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absoluo &c. quibus quidem de Ecclesiæ Sanctæ more preces quædam laudabilitèr adiunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.*

Ex his verbis infero, ex mente Concilij formam absolutionis impertiendam esse iudicatiuè, non merè deprecatoriè; primò, quia, dum Concilium asserit vim formę consistere in illis verbis, *Ego te absoluo*, ostendit potestatem iudicialem Confessarij iudicantis, & non merè deprecantis; cęteroqui non diceret, *Ego te absoluo*, sed absoluat te Deus, & sic non absolueret, sed peteret a Deo absolutionem; qui autem petit ab alio solutionem, ipse non soluit, quod confirmari potest ex eo, quod Sacramenta nouę legis id efficiunt, quod significant, & id significant, quod efficiunt; ergo, cum significent absolutionem, & remissionem peccatorum ipsam faciunt, & non tantum petunt, vt efficiatur.

2 Euincitur, formā proferendam esse modo iudicatiuo.

Secundò, quia, dum idem Concilium segregat ipsam formam absolutoriam à cæteris precibus, quæ præmittuntur, & subsequuntur, hasque dicit, non pertinere ad formam, nec esse necessarias ad ipsius Sacramenti administrationem, vtique sentit, ipsam formam non esse deprecatoriè promendam, sicuti promuntur alię preces, quę ex sua significatione deprecationem continent, sed diuerso modo, nempè iudicatiuo, prout sonant eiusdem verba; quod etiam confirmatur *ex eodem Concil. Trid. ead. sess.* 14. *c.* 2. vbi asserit, Confessarium esse Iudicem, hocque Sacramentum exerceri per modum iudicij, sed non potest esse tale, nisi intercędat sententia Iudicis iudicatiua, ergo &c.

3 Deprecatoriè prolata esset inualida.

Hęc ita vera sunt, vt, si quis sub forma deprecatoria vellet absoluere, non solum grauitèr peccaret, sed nullius roboris esset Sacramentum, quod, pręterquam quod euincitur rationibus mox adductis, confirmatur ex antiqua, & constanti Ecclesię traditione sentientis, vt habetur *in eod. Concil. Trid. d. sess. 14. can. 9.* pęnitentiam esse actum iudicialem; sicuti igitur in cęteris actibus iudicialibus non exprimitur Iudicis actus, nec sententia per modum deprecationis, sed per modum iudicij, ita nonnisi ad modum iudicij debet exprimi absolutio.

4 Referuntur variæ Græcorū formæ.

Dices primò, mos absoluendi, quo vtuntur Græci, non est substantialitèr diuersus à more, quo vtuntur Latini, cęteroqui esset Sacramentum in substātia diuersum, quod non videtur dicendum, sed Gręci vtuntur forma pęnitentię modo deprecatorio, prout colligitur ex aliquibus Gręcorum Ritualibus, in quibus leguntur hęc verba, *Domine Iesu Christe, qui dedisti nobis potestatem, absolue hunc à peccatis suis*, vel ista, *Dominus noster Iesus Christus, qui dedit Apostolis suis potestatem, quæ per illos transijt ad nos, absoluat te, siue condonet peccata tua*, ergo, etiam Latini vti possunt forma pęnitentię modo merè deprecatiuo. Sed contrà, quia Gręci non vtuntur illis verbis tanquam forma absolutoria, sed tanquam orationibus preparatorijs ad recipiendam gratiam, & effectum Sacramentalem eo

modo,

modo, quo Latini præmittunt illas preces, *Miſereatur &c. Indulgentiam &c. Dominus noſter Ieſus Chriſtus &c.* vnde refert *Arcudius lib. 4. de pænit.* Sacerdotes Ruthenos in fine ſuarum precum ſic concludere, *Ego quoque Pater tuus ſpiritualis poteſtate mihi à Deo, & à Superioribus meis conceſſa abſoluo te ab omnibus peccatis tuis*, & Gabriel Antiſtes Philadelphius in ſuo libello de Sacramentis edito habet hanc formam *Gratia Sanctiſſimi Spiritus per humilitatem meam habet te venia donatum, & abſolutum*, & Pater Goar in ſuo Enchologio, ſeu Rituali Græcorum pag. 678. refert has formas Græcorum. *Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus, qui mandatum ligandi, & ſoluendi peccata diſcipulis tradidit, prætereat omnia peccata tua. Ego verò indignus eius ſeruus abſoluo te ab omnibus peccatis tuis*. Rurſus *Dominus Iuſtus, qui propter nos carnem aſſumpſit, & vniuerſi orbis peccatum tollit delicta tua deleat. Ego verò condono tibi omnia peccata tua.*

5 Oſtenditur Græcos procedere modo iudicatiuo.

Dices ſecundò, in forma extremæ vnctionis, in qua Miniſter etiam habet auctoritatem per vnctionem remittendi aliqua peccata, vel ſaltem reliquias peccatorum, proceditur per viam deprecationis, non iudicij, ergo peræquè in Sacramento, ſeu forma pænitentiæ poterit procedi per viam deprecationis. Sed contrà. Diſcrimen in eo ſitum eſt, quod Confeſſarius in ordine ad pænitentem ſe habet formalitèr, vt Iudex, & Superior, cui conuenit loqui modo imperatiuo, & iudicatiuo; Sacerdos verò miniſtrans extremam vnctionem ſe habet, vt Medicus, qui vnctione ſanat, non per modum ſuperioris imperantis. Quod autem fiat Sacramentum extremæ vnctionis per formam deprecatoriam, illud verò pænitentiæ per formam iudicatiuam colligitur ex verbis, quibus in ſacris paginis indicata fuerunt huiuſmodi Sacramenta; nam, vbi fit mentio de Sacramento extremæ vnctionis, *Iacobi 5.* dicitur, *& oratio fidei alleuiabit infirmum*, quæ verba, cum importent formam per modum orationis, & impetrationis, induxerunt Eccleſiam, vt tali modo eis vteretur; vbi verò eſt ſermo de pænitentia dicitur: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, quæ important actum iudicialem.

6 Diſcrimē inter formam extremæ vnctionis, & pœnitentiæ.

ARTICVLVS VIII.

An forma abſolutionis poſſit impendi nutibus, vel Scriptura.

SVMMARIVM.

- *Sententia aſſerens poſſe impendi nutibus.* 1.
- *Non poteſt validè ſic conferri.* 2.
- *Sacramenta excepto illo matrimonij conſtant verbis tanquam forma.* 3.
- *Cur ſenſibilitas formæ debeat eſſe per verba potius, quam per nutus, cum materia poſſit per nutus exhiberi.* 4.
- *Determinatiuum debet eſſe per formale ſui eſſe, non per æquipollens.* 5.
- *Non currit paritas de forma matrimonij, & quarè.* 6.
- *Verba quocunque idiomate concipiantur ſemper ſunt verba.* 7.
- *Ex Chriſti inſtitutione determinatè verba requiruntur.* 8.

Paludanus *in 4. diſt. 17. q. 2. art. 1.*, *Medina C. de confeſs. q. 11.*, *Petrus Sotus lect. 11. de confeſſ.* exiſtimarunt abſolutionem vel nutibus, vel ſcriptis impertitam ſubſiſtere, aptamque eſſe ad iuſtificandum pænitentem extantibus omnibus alijs requiſitis ad iuſtificationem Sacramentalem, quia per huiuſmodi ſigna, nutus, & ſcripturas poteſt ſenſibilitèr exprimi id, quod per verba exprimitur; vbi autem habetur ſenſibilis ſignificatio per Confeſſarium explicata, habetur quidquid requiritur ad rationem formæ Sacramentalis, parumque referre videtur, quod vno, vel altero modo talis ſignificatio, dummodo ſit ſenſibilis, applicetur ſubiecto. His tamen non obſtantibus ſit

1 Sentētia aſſerens poſſe impēdi nutibus, & ſcriptura.

Concluſio. Non poteſt validè conferri forma abſolutionis per nutus, vel per ſcripta. *D. Thomas 3. part. q. 84. art. 3.*, *Sotus in 4. diſt. 3. art. 5.*, *Coninchus diſp. 4. de pænit. dub. 9. num. 66.*, *Henriquez lib. 4. de pænit. c. 11.*, *Zerola de pænit. c. 14. q. 2. verſ. dico ſecundo, & alij communitèr.*

2 Non poteſt validè ſic cōferri.

Rationem potiſſimum ex eo deduco, quod dictum fuit in quæſtionibus de Sacram. in genere, vbi, quod omnia Sacramenta, ſi excipias illud matrimonij, conſtant rebus, & verbis, quod etiam conſtituit Concil. Florent. in decreto vnionis; Neque arbitrandum eſt, ſufficere id, quod verbis æquiualet; nempè nutus, & ſigna extrinſeca indicantia id, quod ſignificatur per verba; non, inquam, arbitrandum hoc eſt, quia, ſi hoc locum haberet, fruſtrà exciperetur Sacramentum matrimonij à cæteris Sacramentis, cum in his etiam ſufficeret æquiualentia verbis: Dum ergo

3 Sacramēta conſtāt verbis tāquam forma.

Concilium exigit in alijs Sacramentis expreſsè verba, intelligendum eſt de verbis formalibus, non æquiualentibus. Confirmatur ex eo, quod circunfertur ex D. Auguſtino. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*.

Dices primò, quod, ſicuti nomine elementi ſufficientèr indicatur materia remota cuiuſcunque Sacramenti, ita nomine verbi debeat ſufficientèr indicari quodcunque aptum eſt ſignificare formam abſolutionis; adeoque etiam nutus, & ſigna ſenſibilia. Sed contrà, quia, cum in allato loco D. Auguſtini aſſignetur in genere materia Sacramentorum, debuit aſſignari aliquod, quod aptum eſſet referri ad quamcunque materiam reſtringibilem poſtea in ſpecie ad materiam propriam ſingulorum Sacramentorum per ſuas indiuiduales, ſeu ſpecificas conditiones, ad quod aptum eſt illud verbum, *elementum*, cum non detur magis proximum valens omnem materiam comprehendere; cum verò in eodem loco aſſignetur forma in genere omnium Sacramentorum debuit etiam aſſignari, quod aptum eſſet ad ſignificandam formam omnium reſtringibilem poſteà per determinata verba ad ſingula, cum igitur datur genus magis proximum ad ſignificandam quamcunque formam Sacramentorum, nempè verbum in communi, quod poſtea in ſingulis reſtringitur per verba particularia, hinc eſt, quod pro forma in genere poſitum eſt ly, *verbum*, per quod etiam euincitur, quod formæ Sacramentorum debent conſiſtere in verbis formalibus. Addo, quod, cum forma ſit vltimum determinatiuum materiæ ſecundum ſe determinabilis, debuit exprimi in ſua ratione formali, & ſpecifica, non in æquiualenti.

4 Forma eſt vltimum determinatiuum materiæ.

Dices ſecundò, non minus eſt de eſſentia Sacramenti pænitentiæ materia, ac ſit forma, ſed materia poteſt exhiberi per nutus, & ſigna ſenſibilia, ergo etiam forma. Sed contra neganda eſt conſequentia; nec ex eo, quod vtraque ſit eſſentialis, ſequitur, quod vtraquè eodem modo debeat exhiberi. Ratio diuerſitatis eſt, quia non ob aliud requiruntur verba in materia confeſſionis, niſi, vt hæc reddatur ſenſibilis; cum autem poſſit etiam reddi ſenſibilis per nutus, & alia ſigna habetur per iſta quidquid requiritur ad ipſius rationem; in forma autem verba requiruntur tanquam formale conſtitutiuum eiuſdem, & determinatiuum, quod debet eſſe per formale ſui eſſe, non per æquiualens *arg. textus in l. 3. §. fin., & l. qui per ſalutem 33. ff. de iur. iur.*

5 Determinatiuum debet eſſe per formale ſui eſſe.

Dices tertiò. Forma Sacramenti Matrimonij poteſt ſufficientèr haberi per æquipollentia verbis, nempè per nutus, & ſigna, ergo etiam haberi poteſt per eadem forma Sacramenti pænitentiæ. Sed contra. Iam dixi, hoc eſſe ſpeciale in Sacramento Matrimonij ob ſpecialem rationem conſiſtentem in eo, quod Chriſtus Dominus non in alio conſtituerit hoc Sacramentum, niſi in mutuo conſenſu contrahentium ſenſibilitèr exhibito; conſenſus autem ęquè poteſt fieri ſenſibilis per nutus, & ſigna, ac per verba, nec aliam formam inſtituit diſtinctam ab eodem conſenſu, qui, vt dicebamus, in quęſtionibus de eodem Matrimonio, prout mutuo exhibetur, habet rationem materiæ, prout verò mutuo recipitur, & acceptatur, habet rationem formæ.

6 Non currit paritas de forma Sacramenti Matrimonij.

Dices quartò, ſubſiſtit forma abſolutionis, ſiue impendatur idiomate Italico, ſiue Latino, ſiue Germanico, ſiue Gallo, ſiue etiam Hæbreo, & tamen reſpectu Itali ignorantis alia idiomata non magis ſignificat forma prolata in idiomate Græco, vel Hæbreo, ac forma expreſſa per ſigna, vel per nutus indicantia id, quod ſignificat forma in idiomate proprio; ergo &c. Sed contrà, quia forma expreſſa per verba quocunque idiomate proferatur, ſemper ſecundum ſe ſignificat id, quod ſignificatur in idiomate proprio nihilo releuante, quod idioma illud non intelligatur à proferente; non etenim verba diuerſi idiomatis habent diuerſam ſignificationem, quando ad idem ſignificandum in quacunque natione ſunt inſtituta; verba etenim ſignificant ex hominum inſtitutione, & ſemper ſunt verba, ſeu voces articulatæ, quod non verificatur de nutibus, & ſignis, quæ licet ſint apta ſignificare, non ſunt verba, nec voces articulatæ, prout requiritur ad veram formam.

7 Diuerſitas idiomatis nō vitiat.

Ratio fundamentalis horum omnium, & concluſionis ea eſt, quod ſub hac forma verbali à Chriſto Domino inſtitutum eſt, quod licet expreſsè ex ſacris paginis non reſultat, reſultat tamen primo ex antiqua, & inueterata traditione, quæ ex alibi dictis tantam vim habet, ac ſacra pagina. Secundò ex Conciliorum definitionibus, quæ fruſtrà inſudaſſent in aſſignandis verbis eſſentialibus abſolutionis reſtringentia ad illa, *Abſoluo te*, ſi poſſet eſſentialitèr ſubſiſtere in nutibus, & ſignis ſenſibilibus; Tertiò ex communi SS. PP., & Theologorum conſenſu, qui omnes incertis verbis eiuſdem eſſentiam conſtituunt.

8 Ex Chriſti inſtitutione verba formalia requirũtur.

AR-

ARTICVLVS IX.

An in eadem confessione possit iterari absolutio super eadem peccata ritè confessa.

SVMMARIVM.

In diuersa confessione super eadem peccata potest iterari absolutio. 1.
In eadem confessione non potest. 2.
Illa iteratio inferret irreuerentiam Sacramento. 3.
Non currit paritas de peccatis antecedentèr ritè confessis. 4.
Si renouaretur dolor, & confessio posset iterari: 5.
Paritas de Hostia iam consecrata. 6.
Soluuntur rationes contra hanc paritatem. 7.
Illa iteratio sine noua materia proxima in eadem confessione induceret graue noxam. 8.

1 In diuersa confessione potest iterari.

NOn est dubium, quod super eadem peccata in diuersa confessione possit iterari absolutio accedente noua materia proxima, nempè nouo dolore, nouaque peccatorum eorundem subiectione clauibus; prout supra probatum est; difficultas igitur est solummodò in eadem confessione. Dixi, *super eadem peccata*, nam, si data semel absolutione pænitens subijceret nouum peccatum, cuius tunc tantum recordaretur, non est dubium, quod super illud posset, & deberet absolutio impendi.

2 In eadem non potest.

Conclusio; super eadem numero peccata in eadem confessione non potest licitè iterari absolutio Caietanus in *summa verb. Absolutio*, Bartholomæus Medina *lib. 2. instruct. c. 12.*, Sotus *in 4. dist. 18. q. 4. art. 3.*, Vasquez *q. 92. art. 3. dub. 5. num. 10.*, Suarez *disp. 18. sect. 1. num. 8.*, & *sect. 4. in fin.*, Filliutius *tract. 6. c. 4. q. 11.*, & alij magis communitèr.

3 Irreuerentèr iteraretur.

Ratio prima est, quia scientèr frustraneè non potest impendi forma absolutionis Sacramentalis, quia fieret irreuerentia non modica Sacramento; sed, si super eadem peccata ritè in eadem confessione confessa reiteraretur absolutio, hæc scientèr frustraneè impenderetur; ergo nonnisi cum magna irreuerentia Sacramenti, adeoque cum graui peccato. Minor probatur, quia iam per præcedentem absolutionem esset productus effectus eiusdem, & noua absolutio nihil consequeretur.

Dices, si peccata iam antecedentèr ritè confessa iterum clauibus subijcerentur, posset super illa impendi noua absolutio non obstante, quod iam per præcedentem confessionem intelligantur remissa, ergo etiã super eadem in eadem confessione poterit iterari absolutio nihilo obstante, quod per præcedentem absolutionem fuerint remissa: Sed contra; neganda est consequentia. Ratio negationis est, quia in casu assumpti licet absolutio impenderetur supra eandem materiam remotam; impenderetur tamen super nouam proximam, cum exhiberetur noua confessio cum nouo dolore; in casu autem consequentiæ noua absolutio impenderetur super eandem materiam, nedum remotam, sed etiam proximam, nempè super eandem confessionem, & super eundem dolorem, quæ propterea esset frustratoria. Sed quid esset dicendum, si pænitens recepta Sacramentali absolutione immediatè iterum eadem peccata subijceret, vel saltem se accusaret in genere de peccatis iam paulo ante confessis renouato doloris actu, an tunc posset iterum absolui? Respondendum arbitror, vtique posse, quia absolutio caderet supra nouam materiam proximam, & per illam acquireretur augmentum gratiæ non obstante, quod immediatè hoc fieret post primam absolutionem, quia renouata materia propinquitas, vel distantia temporis non officit.

4 Non currit paritas de peccatis antecedentèr remissis.

5 Si renouaretur dolor, & cõfessio posset iterari.

Ratio secunda est, quia illa iteratio formæ supra eandem materiam remotam, & proximam indicaret insufficientiam prioris absolutionis; si enim prima, vt sufficiens haberetur, non iteraretur.

Tertia ratio est, quia nulla ratione supra Hostiam iam consecratam potest forma consecrationis iterari, ergo, nec super peccata eadem iam remissa in eadem confessione non existente noua materia proxima poterit forma absolutionis iterari; Neque dicas, non currere paritatem formæ consecratoriæ super eandem Hostiam iam consecratam, & formæ absolutoriæ super eadem peccata iam remissa, quandoquidem Hostia iam consecrata non est amplius consecrabilis renouato etiam quocunque actu, per quem constituatur materia in esse proximo, nempè approximatione eiusdem Hostiæ, & applicatione eiusdem, cum hæ sint merè conditiones, supra quas non cadit consecratio, peccata verò iam remissa sunt iterum absolubilia renouata materia proxima, nempè confessione, & dolore, quantum ad effectum primarium gratiæ, quæ verè augetur, quia absolutio cadit supra eandem materiam proximam, quæ non est mera conditio, sed pars essentialis Sacramenti; Contra enim impugnaberis, quia, quidquid sit; quod Hostia consecrata non sit iterum consecrabilis etiam renouata materia proxima, hoc non officit nostræ rationi, quæ eo solum tendit, vt probet, quod; sicuti non potest forma consecrationis

6 Paritas de Hostia iam consecrata.

7 Soluuntur rationes contra hanc paritatẽ.

tionis impendi supra Hostiam iam consecratam, ita non possit forma absolutionis impendi supra eandem materiam remotam, & proximam; & ratio assignata pro diuersitate vtriusque potius firmat, quam destruat nostrum intentum, quandoquidem in tantum non potest impendi iterum forma consecratoria supra materiam iam consecratam, in quantum licet renouentur cõditiones, non tamen renouatur materia proxima; quia supra illas non cadit consecratio; in materia autem Sacramenti pænitentiæ renouari potest materia, supra quam cadere potest absolutio, nempe noua confessio, & nouus dolor, & proinde etiam absolutio. Cæterum, cum in hypothesi, de qua loquimur, non sit noua materia nec remota, nec proxima, non potest esse licita noua absolutio.

Cum autem dixerimus, non posse licitè supra eadem peccata in eadem confessione iterari absolutionem, oritur hic difficultas, quod, & quale peccatum induceret illa iteratio, si poneretur. Sentiendum est, esse peccatum ex genere suo graue, & vtique sacrilegij. Consentiunt in hoc *Bartholomæus Medina lib. 2. Instruct. c. 12., Ghetius in verb. Absolutio n. 7., Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 4. punct. 4. num. primo vers. Dixi in distinctis confessionibus.* Ratio ex eo deducitur, quod reddere inanem formam absolutionis est peccatum graue contra virtutem Religionis, quæ inclinat ad reddendum Deo debitum cultum, rebusque sacris venerationem. Excusarem tamen a graui culpa Confessarium, si inconsiderate, & inaduertentèr, vel in dubio, quod illam iam impenderit, illam de nouo impendat, excusante inconsideratione, & dubio, vt tutius pænitenti consuleret.

8 Illa iteratio sine noua materia proxima esset graue peccatũ.

ARTICVLVS X.

An licitè possit impendi absolutio sub conditione.

SVMMARIVM.

Conditio, vel potest esse de præsenti, vel præterito, vel de futuro. 1.

Conditio in forma absolutionis, vel de præsenti, vel de præterito potest licitè apponi. 2.

Dubium super conditionem de præterito propositum, & solutum. 3.

Forma absolutionis non potest impendi sub conditione de futuro. 4.

Nec sequeretur effectus, dum impenditur, nec dum purificaretur conditio. 5.

Forma absolutionis causat non solum moralitèr, sed etiam Physicè. 6.

Conditiones etiam impertinentes, quando coniunguntur cum voluntate ad illas restricta, suspendunt effectum. 7.

Conditiones, quæ apponi possũt in forma absolutionis, vel possunt esse de præsenti, vt si Sacerdos dicat. *Si Deus vult, seu, si tu potes absolui, vel si Ego possum absoluere, Ego te absoluo*; vel de præterito, vt si dicat. *Si non es absolutus, Ego te absoluo*, vel de futuro, vt si dicat. *Si Episcopus consenserit, vel si tu satisfeceris, Ego te absoluo.* Porro, conditio de præsenti adhuc duplex esse potest, quinimmò triplex, altera vera, altera falsa, altera dubia. Quibus positis

1 Cõditio, vel potest esse de præsenti, vel de præterito, vel de futuro.

Dico primò. In forma absolutionis apponi possunt conditiones de præsenti, vel de præterito. *Suarez tom. 1. de Sacrament. disp. 13. sect. 3., Vasquez de pænit. disp. 84. art. 3. dub. 5. num. 6., Pesantius 3. part. q. 84. art. 3. d. 3., Grassius lib. 1. c. 32. num. 2., Reginaldus lib. 8. num. 6., Molfesius tract. 7. c. 5. num. 35., & alij communitèr.*

2 Cõditio, vel de præsenti, vel de præterito potest apponi.

Ratio ex eo deducitur, quia conditio de præsenti, vel de præterito, nec suspendit actum, nec irritam reddit absolutionem, quinimmò non est propriè conditio, *Panormitanus in c. de quibus de Baptismo*, & de hoc expressè loquitur hic textus *in c. de quibus*, & hæc conditio, quamuis ignoretur tempore, quo profertur forma, iam intelligitur purificata, cum sit, vel fuerit, ergo poterit cum his conditionibus absolutio sine scrupulo impendi; vnde, si talis conditio apposita vera sit, forma Sacramenti suos sortietur effectus, si vera non sit, non sortietur effectum, nec tamen per hoc fiet iniuria Sacramento; si verò sit dubia, consequitur effectum, si in re vera sit, non consequitur, si falsa, quamuis de veritate, & falsitate sit ignorantia tàm respectu Confessarij, quam pænitentis.

Difficultas solummodo versari potest in eo (quando absolutio conditionalis est dubia super præteritum, vt si Confessarius dubitet, an impenderit absolutionem, & dicat, *si non es absolutus, Ego te absoluo*) quia vix conciliari potest hoc cum ijs, quæ diximus in præcedenti articulo, nempè absolutionis formam non posse licitè iterari supra eandem materiam proximam, nam in hoc casu, si verè fuerit pænitens absolutus, hæc noua absolutio caderet supra eandem materiam proximam. Sed facilè ad hoc potest responderi, quod ea, quæ supra diximus, procedunt de iteratione absolutionis absolutæ stante certitudine præcedentis absolutionis; ea verò, quæ hic dicuntur, procedunt de iterata absolutione conditionali stante dubietate præcedentis absolutionis, per quam conditionem ex vno capite tollitur quæcun-

3 Dubium super cõditione de præterito propositum, & dissolutum.

cunque irreuerentia Sacramento, & ex alio tutior redditur salus pœnitentis.

Dico secundò. Forma absolutionis non potest impendi sub conditione de futuro. In hoc consentiunt omnes Doctores prò præcedente dicto allegati, & vlterius *Ghetius in verb. Absolutio num. 7. in explic. textus D. Thomæ*, *Nauarrus in man. c. 26. n. 12.*, *Siluester verb. Absolutio 3. num. 12.*, *Caietanus in summa eod. verbo, absolutio c. 1.*, *Rodriquez c. 54. num. 2., & seqq.*, *Reginaldus lib. 8. num. 6., & alij.*

4 Non potest impendi sub códitione de futuro.

Ratio ex eo deducitur, quia verba absolutionis sub illa conditione, nec consequerentur effectum tempore prolationis, nec tempore conditionis adimpletæ, ergo non potest subsistere illa absolutio sub tali conditione. Antecedens quoad primam partem probatur, quia sine voluntate Ministri non subsistit Sacramentum, sed, dum impendit absolutionem sub tali conditione, non habet intentionem tunc absoluendi, sed suam voluntatem protrahit vsque ad tempus conditionis adimpletæ; qui enim dicit, *Ego te absoluo*, si feceris hoc, idem dicit, ac si diceret, *Ego te absoluo*, quando feceris hoc, ergo &c. Quoad secundam etiam sic euincitur, quia, quando purificatur conditio, non adsunt verba absolutoria, ergo non potest esse effectus eorundem pro illo tempore.

5 Nullus inde sequeretur effectus.

Dices. Verba absolutionis non causant Physicè, sed tantum moralitèr remissionem peccatorum; non est autem necesse, quod causa moralis coexistat Physicè effectui, sed sufficit, quod coexistat moralitèr, quæ coexistentia moralis sufficientèr haberi potest per hoc, quod ex voluntate proferentis sit relata ad aliquod opus, & non sit reuocata. Sed contra, quia in primis iuxta nostra principia in quæstionibus de Sacram. in genere, verba absolutionis, sicuti, & aliorum Sacramentorum causant, nedum moralitèr, sed etiam Physicè suos effectus. Deinde, quando etiam daremus, causare dumtaxat moralitèr, adhuc tamen requireretur existentia Physica verborum ad productionem effectus, quia tunc mouent Deum ad ponendum effectum, quando existunt, & ipsa verba essentialitèr, & formalitèr requiruntur, non merè æquiualentèr:

6 Forma hæc causat Physicè.

Ad pleniorem notitiam eorum, quæ sub hoc dicto afferuntur, aduerte conditiones, sub quibus considerari potest absolutio de futuro, vel posse habere aliquam connexionem cum Sacramento, vel esse omnino disparatas, & impertinentes. Quocunque modo sumantur, absolutio sub illis impensa est irrita defectu scilicet voluntatis in absoluente, qui non intendit absoluere, nisi purificatis conditionibus, siue hæ pertineant ad Sacramentum, siue non. Neque dicas, conditiones impertinentes non vitiare actus, qui geruntur, sed potius ipsas vitiari, ideoque haberi pro non appositis; contra enim impugnaberis, quia in rebus, quæ in sua essentia dependent à voluntate alicuius, non habet rationè sui locum lex, quod conditio impertinens habeatur pro non apposita, siquidem ablata tali voluntate res non subsistit, non quidem ratione conditionis, sed defectu voluntatis, quæ non est, nisi, dum purificatur conditio; in casu autem, de quo loquimur, cum effectus absolutionis omnino dependeat à voluntate absoluentis, & talis voluntas tempore absolutionis non sit, cum protrahatur ad tempus conditionis adimplendæ, hinc est, quod, quamuis à iure talis conditio haberetur pro non adiecta, nihilominus defectu voluntatis in absoluente Sacramentum non subsisteret.

7 Códitiones etiam impertinentes, quando coniunguntur cum voluntate ad illas restricta irritant.

ARTICVLVS XI.

An variatis verbis formæ intelligatur Sacramentum irritari.

SVMMARIVM.

Variatio formæ duplicitèr potissimum potest contingere, vel substantialitèr, vel accidentalitèr. Contingit autem variatio substantialitèr; quando per verborum mutationem variatur eorundem verborum sensus, seu significatio; accidentalitèr verò, quando retenta propria significatione eorundem verborum variatur solus modus exprimendi per diuersa scilicet sinonima, vel idiomata. Hinc sit

1 Variatio duplex altera substantialis, altera accidentalis.

Conclusio. Per variationem substantialem verborum formæ absolutionis irritatur Sacramentum, non sic per accidentalem *D. Thomas tertia part. q. 60. art. 8., & in 4. dist. 3. q. vnica art. 2., Scotus in 4. eod. dist. 3. q. 2.* quos sequuntur omnes eius discipuli.

2 Mutatio substantialis irritat.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod

quod variata parte essentiali constitutiua totius substantialitèr non remanet amplius idem totum, sed variatis verbis formæ absolutionis secundum significationem, ad quam sunt instituta, intelligitur variata substantialitèr eadem forma, quæ est pars essentialis Sacramenti pænitentiæ, ergo non remanet amplius idem Sacramentum. Maior liquèt inductione discurrendo per omnia composita siue Physica, siue moralia; variatis etenim constitutiuis in substantia non intelligitur idem constitutum. Minor probatur, quia verba in Sacramentis sunt instituta ad significandum id, quod debent efficere, & hoc est proprium munus ipsorum; ergo variata substantialitèr significatione verborum intelligitur substantialitèr variata eadem forma, quæ propterea non erit apta ad constituendum Sacramentum, vt à Christo Domino institutum.

3 Mutatio substantialis non est in potestate Ecclesię.

Confirmatur eadem prima pars, quia, cum Sacramenta nouę legis sint instituta a Christo Domino, non sunt in potestate Ecclesiæ quoad substantialia, vt definiuit *Concil. Trident. sess. 21. c. 2.* ideoque, nec quoad formam, quæ est pars substantialis eorundem, ergo, si fiat variatio in eadem quoad significationem, non erit amplius idem Sacramentum.

Ratio secundæ partis *ex cod. Trident. loc. cit.* deducitur, vbi facultatem tribuit Ecclesiæ statuendi, vel mutandi circa Sacramenta salua ipsorum substantia, quod est idem, ac dicere mutandi accidentalitèr, non substantialitèr.

4 Mutatio accidentalis non irritat.

Neque dicas, ex hoc solummodo inferri, posse per Ecclesiam fieri mutationes salua Sacramentorum substantia in eorundem administratione, non autem circa materiam, & formam, & ea, quæ quoquomodo pertinent ad easdem. Item dato, quod ea, quæ etiam pertinent ad eandem materiam, & formam spectant, accidentalitèr possint per Ecclesiã variari, non possint tamen variari per priuatos Sacerdotes. Contra enim impugnaberis, quia facultas relicta a Christo Domino Ecclesiæ, est quoad ea omnia, quæ non spectant ad substantiam Sacramentorum, & propterea dixit Concil. Trident. *Salua eorum substantia*; nec in hoc est ambigendum, cæteroqui formæ Sacramentorum esset quoad omnes rationes secundum idioma, quo a Christo Domino institutæ sunt, adhibendæ, & sic in idiomate Hebraico, quod non est dicendum;

5 Soluuntur instantiæ oppositæ.

cum autem validè adhibeantur nemine reluctante siue in idiomate Latino, siue Græco, siue Hebraico, cum tamen omnes resonent in eundem sensum, non videtur locus ambigendi, quin possint secundum accidentalia per Ecclesiam variari, dummodo saluetur eorum significatio; tam enim differunt forma absolutionis in his terminis, *Absoluo te*, ac *tibi condono peccata tua*, ac formæ adhibitæ Latino idiomate, ac adhibitæ Græco, seu Hæbraico. Ad illud, quod subditur, dicendum est ex eo, quod facultas variandi quoad accidentalia salua Sacramentorum substantia data sit Ecclesiæ, non singulis Sacerdotibus, sequi quidem, quod non possit licitè a singulis variari, sicuti potest ex dignis causis ab Ecclesia, non autem, quod non possit variari validè, nam positis ijs, quæ sunt de substantia Sacramenti, non est, cur non debeat poni Sacramentum. Hinc.

Confirmatur eadem secunda pars. Facta mutatione solummodo accidentali remanet formalis significatio verborum absolutionis, ergo non est, cur non debeat esse significatum, seu effectus significationis, dummodo extent alia requisita. Antecedens probatur, quia, cum verba sint primò, & per se instituta ad significandum, habent pro suâ substantia significationem; si ergo remanet non obstante mutatione accidentali eadem significatio, remanet & eorum substantia, & si non remanet eadem significatio, intelligitur facta mutatio in substantia eorundem verborum, ergo, cum dicatur facta mutatio solummodo accidentalis, intelligitur remanere substantia significationis, cæteroqui eadem mutatio non esset merè accidentalis, sed substantialis.

6 Quandonam cōtingat mutatio merè accidentalis.

Hæc mutatio accidentalis contingere potest, vel per varietatem idiomatis, vt si proferatur, vel idiomate Græco, vel Latino, vel Hebraico, vel Italico, vel per voces sinonimas, vt si loco dicendi, *Ego absoluo te*, dicatur, *Ego condono tibi peccata tua; vel Sacramentum absolutionis impendo tibi*, vel per vocabulorum corruptionem, vt si dicatur, *Ti risoluo*, vel per varietatem idiomatis in eodem sermone, *Io absoluo ti*.

7 Exempla mutationis substantialis.

Ex dictis in prima parte conclusionis deduces primò. Non fore validam formam absolutionis, si impenderetur modo deprecatiuo per ea, quę latè supra diximus, & ratio est; quia non saluatur substantia significationis; nam dicere, *absoluo te*, importat actualem, & positiuam actionem, per quam pœnitens absoluitur; dicere verò *Deus absoluat te*, non importat actionem absolutionis, sed votum, & desiderium, vt Deus absoluat. Secundò, non fore validam absolutionem factam absenti, dicendo, *Absoluo te*, quia ly, *te*, indicat personam præsentem, quę propterea verificari nequit respectu absentis.

Ex dictis in secunda parte colliges primò, validam esse absolutionem, si mutata signi-

8 Exempla mutationis accidentalis.

ſignificatione actiua in paſſiuam dicatur, *abſoluaris à me*, quia eſt idem omnino ſenſus. Secundò, ſi dicatur, *Remitto tibi peccata tua*. Tertiò, validam eſſe, ſi Confeſſarius abſoluens Regem, vel Ducem, vel Cardinalem dicat, *Abſoluo Maieſtatem, Celſitudinem, & Eminentiam tuam*, vel vice verſa, ſi Confeſſarius conſtitutus in aliqua dignitate dicat, *Nos abſoluimus te*. Quartò, validam eſſe, ſi impendatur modo imperatiuo, *Abſoluaris à me*, in his etenim, & ſimilibus caſibus non eſt variatio in ſignificatione formali.

ARTICVLVS XII.

An valeat abſolutio ſub his terminis. *Iubeo te eſſe abſolutum*.

SVMMARIVM.

An in hoc ſit mutatio ſubſtantialis. 1.
Sententia aſſerens, eſſe ſubſtantialem. 2.
Sententia negans. 3.
Sententia negans eſt ſpeculatiuè probabilis. 4.
Sententia affirmans eſt in praxi amplectenda, vt tutior. 5.

COnueniunt communitèr in ijs, quæ dicta ſunt in præcedenti articulo in mutatione ſubſtantiali formæ abſolutionis irritari Sacramentum, non ſic in accidentali; Diſcrepant tamen in aliquibus caſibus particularibus, non quia exiſtiment, ſufficientem ad irritandum Sacramentum mutationem accidentalem, vel non ſufficientem mutationem ſubſtantialem, ſed quia dubitant, an in illis interueniat ſolummodo mutatio accidentalis, an verò ſubſtantialis. Ideo nos in præſenti, & in ſequentibus articulis nonnullos ex his caſibus referemus, & examinabimus, an irriti ſint ex mutatione ſubſtantiali, an ſubſiſtentes ex mutatione dumtaxat accidentali. In præſenti indagabimus, an in mutatione propoſita in titulo ſequatur, necne irritatio Sacramenti.

1 An in hac forma interueniat mutatio ſubſtantialis.

Bonacina de Sacram. pænit. diſp. 5. q. 4. punct. 2. num. 9. relatis pro ſua ſententia D. Thoma, Soto, & alijs ſentit, talem mutationem eſſe ſubſtantialem, & irritare Sacramentum, eo quia per iſtum modum loquendi non ſignificatur actualis liberatio, & abſolutio à peccatis, ſed potius indicatur actus circa abſolutionem faciendam, vel circa iam factam.

2 Sentẽtia aſſerens eſſe ſubſtantialẽ.

Ex aduerſo *Scotus in 4. diſt. 14., Vaſquez tertia part. q. 84. art. 3. num. 11., Suarez tertia part. diſp. 19. ſect. 1. num. 24. in fin.* ſuſtinent eſſe merè accidentalem, & non irritare Sacramentum. Cum his ſit

3 Sentẽtia negans.

Conclusio. Sententia aſſerens, illam mutationem eſſe accidentalem, eſt ſpeculatiuè probabilis, non tamen eſt in praxi deducenda.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod ſententia modo imperatiuo apta, quinimmo aptior eſt ad abſoluendum, vel condemnandum, ſiquidem magis indicat poteſtatem indicantis, & ſubiectionem delinquentis, & quotieſcunque habet vim ſignificandi abſolutionem, ipſam inducit, ſed prolata iuxta modum expoſitum eſt prolata modo imperatiuo per ly, *Iubeo*, & apta eſt, ſignificare abſolutionem à peccatis per ly, *te eſſe abſolutum*, quæ verba coniuncta cum *Iubeo*, important voluntatem efficacem, vt pęnitens remaneat abſolutus, ergo &c. Neque obſtant, quę ex Bonacina afferebantur, nempè illum modum loquendi non importare actualem liberationem, ſed ſolummodo actum circa liberationem faciendam, vel circa iam factam; Non obſtant, inquam, quia, cum dicatur de præſenti *Iubeo*, poſito, & expreſſo effectu, qui iubetur, non poteſt, niſi de præſenti poni illa liberatio, tanquam effectus iuſſionis, nec hæc iuſſio congruentèr poteſt cadere ſupra actum iam poſitum, &, cum ipſa ſit efficax coniuncta cum verbis indicantibus effectum, ipſum de facto tunc ponit.

4 Sententia negãs eſt ſpeculatiuè probabilis.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quia denegari non poteſt, quin illa abſolutio diſcordans à conſueta Eccleſiæ præferat aliquam ambiguitatem, tum in eo, quod aſſerit Bonacina loc. cit. nempè, quod non importet formalem, & actualem liberationem poſitam ab ipſo abſoluente, tum ex eo, quod illa forma non importet effectum eſſe ab eodem abſoluente, & ſicuti ex ſuperius dictis non eſt tuta illa forma, qua dicitur, *Declaro, te eſſe abſolutum*, ita non videtur eſſe tuta illa, qua dicitur, *Iubeo, te eſſe abſolutum*; nec obſtat, quod ly, *iubeo*, coniunctum cum expreſſo effectu, *Te eſſe abſolutum*, importet liberationem actualem tanquam effectum iuſſionis, quia etiam dici poteſt, quod ly, *declaro*, coniunctum cum eodem effectu importet eandem actualem liberationem, tanquam effectum eiuſdem declarationis; In adminiſtratione autem Sacramentorum ex declaratione Innocentij XI. ſequenda eſt opinio tutior relicta probabili.

5 Sententia affirmans eſt tutior.

AR-

ARTICVLVS XIII.

An mutata forma essentiali de actiua in passiuam validum fiat Sacramentum.

SVMMARIVM.

Sententia asserens per ly, Absolueris, *non validè impendi absolutionem*. 1.
Rationes suadentes validè conferri. 2.
Absolutio collata per ly, Absolueris, *non est valida*. 3.
Non importatur actio, vt à Ministro proueniens. 4.
Ly Absolueris, *indifferens est, vel ad significandam actionem Ministri, vel alterius*. 5.
Forma debet esse expressa, & determinata. 6.

DIximus in præcedentibus, formam essentialem Sacramenti pænitentiæ consistere in illis duobus verbis, *Absoluo te*; Nunc supponimus, quod Confessarius mutata significatione de actiua in passiuam dicat, *Absolueris*, & quærimus, an per hanc formam validum constituatur Sacramentum.

1 Rationes suadentes per ly, *Absolueris*, non validè absolui.

Ratio dubitandi ex vna parte ex eo consurgit, quod ideo, cum dicitur, *Absoluo te*, non essentialitèr requiratur ly, *Ego*, quia implicitè inuoluitur in ly, *Absoluo*, prolatum in persona prima; quando autem dicitur, *Absolueris*, non implicitè importatur ly, *à me*, cum indifferentèr possit intelligi, vel à proferente, vel ab aliquo alio. Accedit, quod, quamuis pænitens sit præsens, & sua peccata subiecerit clauibus, non sufficit tamen dicere præcisè *Absoluo*, sed addenda est particula, *Te*, quia determinanda est persona, supra quam cadere debet absolutio, ergo etiam, quamuis Confessarius sit præsens, & dicat, *Absolueris*, hoc non sufficiet, sed addenda erit particula, *à me*, quia exprimenda est persona, à qua fit absolutio; vnde licet ly, *Absolueris*, in persona secunda implicitè importat personam pænitentis, non tamen importat personam absoluentis, quæ saltem implicitè debet importari in forma.

2 Sententia asserẽs validè conferri.

Ex alia parte, cum actiua, & passiua significatio non differant, nisi secundum modum, non in substantia, videtur non essentialitèr requiri ly, *à me*, in passiua significatione, sicuti non requiritur ly, *Ego*, in actiua, cum etiam ly, *à me*, videatur implicitè inuolui in ly, *Absolueris*, nam, cum absolutio sit à proferente, videtur implicitè ipsum proferentem inuoluere. Quid ergo dicendum?

Conclusio. Probabilius est, absolutionem datam sub illo vnico verbo, *Absolueris*, non esse validam, nec consequi suum effectum.

3 Non validè confertur.

Ratio ex eo deducitur, quod non minus requiritur ad validitatem formæ expressio subiecti, in quod tendit, quam expressio agentis, à quo prouenit, cum sit necessaria expressio actionis non simplicitèr, sed Ministri, sed expressio subiecti est in forma essentialis, adeout iuxta superius dicta, si dicatur præcisè, *Absoluo*, inanis sit absolutio, ergo, & expressio actionis, vt à Ministro prouenientis erit necessaria in eadem forma, sed quando dicitur præcisè, *Absolueris*, non est in eadem forma expressio Ministri absoluentis; siquidem ex vi illius verbi absolutio potest intelligi, vel ab ipso Ministro, vel à solo Deo, vel ab alio, ergo &c.

4 Non importatur actio Ministri.

Dices primò, persona agentis in forma actiuè prolata non exprimitur, & tamen valida est absolutio per ea, quæ supra commendauimus, ergo etiam, quamuis non exprimatur in forma passiuè prolata, valida erit &c. cum significatio actiua, & passiua non differant in substantia, sed tantum in modo. Sed contra, quia in significatione actiua sufficientèr persona agentis exprimitur exclusiuè quoad quemcunque aliam per ly, *Absoluo*, conceptum in persona prima; in significatione verò passiua non exprimitur exclusiuè à quocunque alio ex vi expressionis illius verbi, *Absolueris*, cum possit esse æquè ab ipso, ac ab alio.

5 Ly, *Absolueris*, non importat necessario proferentẽ.

Dices secundò, intelligi sufficientèr expressam personam absoluentis ex eo, quod verbum illud ab ipso proferatur; ex natura etenim sua verbum prolatum intelligitur esse à proferente. Sed contra: Etiam, quando pænitens est præsens, & immediatè sua peccata protulit petens absolutionem, intelligitur absolutio ad ipsum referri, & tamen necessaria est eius expressio per particulam, *Te*, quia forma debet esse expressa, & excludere in se ipsa quodcunque aliud subiectum, nec sufficit quæcunque subintelligentia, ergo etiam, quantumuis verbum intelligatur esse à proferente, debet exprimi in forma, & excludere specificè quemcunque alium, à quo possit esse absolutio, nec sufficit quæcunque subintelligentia.

6 Forma debet esse expressa, & determinata.

Ratio secundò ex eo deducitur, quod non valet argumentum à significatione actiua ad passiuam, nam in actiua requiritur necessario expressio subiecti dicendo, *Absoluo* addita particula, *Te*, vt supra probauimus, & in passiua non requiritur illa expressio, cum sufficiat dicere, *Absolueris*, ergo etiam, quamuis in actiua non requiratur expressio agentis per particulam,

Ego,

Ego, in passiua tamen requiratur, vt addatur particula, *à me*. Consequentia probatur, quia in tantum in actiua non requiritur expressio personæ absoluentis, sed expressio pænitentis, in quantum in actiua persona agentis habetur in ly, *Absoluo*, & pænitentis non haberetur, nisi fieret illius expressio per ly, *Te*; sed etiam in passiua haberetur persona pænitentis in ly, *Absolueris* in persona secunda, non autem persona agentis, nisi exprimeretur ly, *à me*, ergo &c.

Dices, requiri in significatione actiua subiecti expressionem, in quod cadit, seu cadere debet absolutio per ly, *Te*, potius, quam in significatione passiua agentis persona, à qua procedit per ly, *à me*, quia actio specificatur à termino in quem tendit, non ab agente. Sed contrà, quia terminus, ad quem tendit actio absolutoria, non est subiectum, sed remissio peccatorum; vnde licet requiratur tam subiectum, quam agens, non potius ab vno, quam ab altero specificatur actio, sed à remissione peccatorum; vnde vel vtrumque, vel neutrum esset exprimendum.

ARTICVLVS XIV.

An possit impendi absolutio limitata.

SVMMARIVM.

Illicita est absolutio limitata. 1.
Ex vi illius non omnia peccata remitterentur. 2.
Si mens absoluentis restringeretur ad aliqua tantum peccata absolutio esset irrita. 3.
Si mens absoluentis non sit limitata, sed conformis institutioni Christi probabilius erit valida. 4.

REfert *Ghetius in verb. Absolutio num. 2. in expositione literæ D. Thomæ*, aliquos Confessarios imperitos, & rurales consueuisse vti his verbis, *Ego te absoluo à peccatis tuis, de quibus habes perfectam contritionem*, vel *Ego absoluo te à peccatis, quorum memoriam habes, vel à peccatis, quæ mihi confessus es*. Circa huiusmodi formas absolutionis limitatas quærimus modo, an licitæ sint, & an validæ.

Conclusio I. Huiusmodi formæ limitatæ absolutè illicitæ sunt, & omnino ab Ecclesia eliminandæ.

1 Illicita est absolutio limitata.

1 Ratio in vniuersum ea est, quia impietatem redolet dimidiatam à Deo sperare veniam, & constitui in parte amicum Dei ratione gratiæ remissiuæ aliquorum peccatorum, & simul remanere inimicum Dei ratione peccatorum, quæ ex vi illius absolutionis non remitterentur; vnde communitèr docent Theologi non remitti vnum peccatum sine alio; Sed, si Confessarius impenderet absolutionem sub illis formis limitatis, quantum est ex se, poneret formam, per quam solum venia dimidiata constitueretur; nam iuxta primam absolutio tenderet in peccata solummodo, quorum est contritus, non in ea, quorum habet solum atritionem, & sic, si non esset contritus pænitens, sed solum atritus, quantum est vi illius absolutionis, non consequeretur veniam; Iuxta secundam, si alicuius peccati pænitens esset oblitus, illius, quinimmo, nec aliorum consequeretur remissionem, quia non potest vnum sine alio peccato læthali remitti. Iuxta tertiam, idem etiam sequeretur, ergo &c.

2 Ex vi illius non omnia peccata remittentur.

Quoad secundum dubium propositum, an scilicet illæ limitatæ absolutiones essēt validæ, & consequerentur effectum, nec ne, arguendum est ex mente absoluentis, vel etenim positiuè intendit solummodo absoluere ab illis peccatis, quorum meminit in absolutione, vel intendit absoluere iuxta præscriptum Christi Domini, & Ecclesiæ, & solum addit illas particulas limitatiuas ex errore, & ignorantia, non restringens mentem suam ad illas.

Conclusio II. Si mens absoluentis restringatur positiuè ad illa peccata, quorum mentionem facit in illa absolutione, vtique absolutio est inualida, nec vllum consequitur effectum. Ab hac neminem arbitror dissentire.

3 Si mens absoluētis restringeretur ad aliqua peccata absolutio esset irrita.

Ratio ex eo deducitur, quod sine debita intentione absoluentis non tenet absolutio, sed quando positiua intentio absoluentis non est relata ad omnia peccata, quibus pænitens afficitur; sed restrictiuè ad aliqua, non est debita intentio, vtpotè quæ esset ad impossibile, cum nequeat vnum sine alio peccato remitti, ergo non potest esse valida absolutio; sed, quando intentio est secundum tres allatos casus, non est relata ad omnia peccata; nam in primo est relata solum ad contritionem, nec potest prodesse, si tantum esset atritio de peccatis; in secundo non refertur ad peccata oblita; in tertio non refertur ad peccata oblita, vel ad ea, quæ pænitens non tenetur confiteri, ergo &c.

Secundò ex eo deducitur, quod, si pænitens non haberet, vel contritionem, vel atritionem de omnibus peccatis, etiam si sint oblita, vel non obnoxia oneri confessionis, non consequeretur remissionem suorum peccatorum, ergo etiam si Confessarius non haberet intentionem generalem absoluendi ab omnibus non conferret effectum eiusdem remissionis; & horum omnium ratio fundamentalis est, quia

 non

non potest esse remissio vnius peccati læthalis sine remissione omnium, & propterea tam ex parte pænitentis, quam ex parte Confessarij requiruntur dispositiones, & intentiones ad omnia.

4 Si mens absoluentis non sit limitata tenet absolutio.

Conclusio III. Si mens absoluentis conformetur institutioni Christi Domini, & dispositioni Ecclesiæ, & non restringatur ad verba limitata, quæ profert, sed ea addat ex errore, vel ex ignorantia probabilius absolutio est valida, & confert effectum remissionis peccatorum.

Ratio ex eo deducitur, quod in hac hypothesi sunt omnia essentialitèr requisita ad validam absolutionem, & ad remissionem peccatorum, ergo non est, cur non debeat subsistere, & conferre suum effectum. Antecedens patet, quia adest debita intentio absoluentis conformis institutioni Christi Domini, quæ est, vt sit ad omnia, nec hæc vitiatur ex additamento per errorem, vel ob ignorantiam, & in hoc valet iuridicum axioma, quod vtile per inutile non vitietur; adsunt essentialia verba, quæ, quando non limitantur per intentionem proferentis, tunc causant effectum iuxta superius dicta, quando ponitur vltima sillaba verborum essentialium, nec suspenditur vsquequo proferantur alia verba non essentialia.

ARTICVLVS XV.

An mutatio accidentalis formæ absolutionis inducat noxam, & quamnam.

SVMMARIVM.

Christus Dominus facultatem fecit Ecclesiæ variandi circa accidentalia, non singulis Sacerdotibus. 1.

Sacerdos sine causa mutans accidentalitèr formam peccat. 2.

Culpa est maior, vel minor secundum quod mutatio est maior, vel minor. 3.

Qui diceret remitto tibi peccata tua, *leuitèr peccaret.* 4.

Aliæ variationes licet accidentales inducerent regularitèr grauem noxam. 5.

Reijcitur in hoc sensus Scoti. 6.

1 Facultas accidentalitèr variandi data est Ecclesiæ.

QVamuis Christus Dominus, vt asserit *Concil. Trident. sess. 21. c. 2.* reliquerit Ecclesiæ suæ sponsæ potestatem in administratione Sacramentorum variandi, vel mutandi ea, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi magis expedire iudicauerit salua tamen illorum substantia; non tamen hanc potestatem mutandi pro libito reliquit singulis, nam cæteroqui in Ecclesia Dei vniformitas rituum non seruaretur, & confusiones plurimæ in administratione Sacramentorum orirentur cum periculo adulterandi veritatem eorundem, & fidei. Quamobrem ex his

2 Sacerdos mutans ex se accidentalitèr formā peccat.

Dicendum. Si priuatus Sacerdos sciens, & volens absque necessitate, & ex priuata auctoritate in forma Sacramentorum aliquid quantumuis accidentale mutet, non excusatur à graui, vel leui culpa, prout attentis circunstantijs grauis, vel leuis mutatio, & recessus à communi ritu inducitur. In hoc communitèr consentiunt signantèr *Caietanus tertia part. q. 84. art. 3.*, *Sotus in 4. dist. 14. q. 1. art. 3.*, *Suarez disp. 19. sect. 1. num. 24.*, *Ghetius in verb. Absolutio num. 3. ex exposit. lit. D. Thomæ*; *Bonacina de Sacram. pænit. disp. 5. q. 4. punct. 2. num. 11. vers. addo*. Ratio ex eo deducitur, quia per quamcunque mutationem à ritu communitèr in Ecclesia præscripto, & seruato fit recessus à præcepto Ecclesiastico cum periculo peruersionis rituum in re quidem ex genere suo graui concernente materiam Religionis, in qua cautè valdè procedendum est, potissimùm cum decernere in hac materia reseruatum sit Ecclesiæ, non commissum singulis; vnde non eximerem à culpa, qui in absoluendo diceret, *Condono tibi peccata tua*.

3 Culpa est maior, vel minor iuxta qualitatem mutationis.

Difficultatem aliquam illud ingerit, quod asserit *D. Thomas tertia part. q. 84. art. 3. ad tertium*, circa mutationem, qua Sacerdos pro illis verbis, *Absoluo te*, diceret, *Remitto tibi peccata tua*, vbi quærit, cur potius dicatur primum, quam secundum, & respondet, quia hoc magis congruit verbis, quæ Dominus dixit virtutem clauium ostendens, per quas Sacerdotes absoluunt. *Quodcunque solueritis super terram erit solutum, & in Cælis.* Sed responderi potest D. Thomæ etiam ex Euangelio constare verba illa, *Remitto tibi peccata tua*, esse conformia verbis Christi Domini. Ibi enim dicitur. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; vnde non videtur labe aliqua ex ratione D. Thomæ notandus, qui diceret, *Remitto tibi peccata tua*. Nihilominus *Caietanus tertia part. q. 84. art. 3.* asserit saltem venialitèr peccare, qui vteretur illa forma; nam quantumuis vtraque deducatur ex verbis Christi Domini, ex quo tamen ex Ecclesiæ præscripto, quæ in ijs, quæ non concernunt substantiam Sacramentorum, arbitra constituta est à Deo, ad seruandum vniformem in Ecclesia ritum restricta est ad illa verba, *Absoluo te*, non poterit ab aliqua noxa excusari, qui ab illa recedens diceret, *Remitto tibi peccata tua*, cum faceret contra determinationem Ecclesiæ, quæ iustis de causis ad hoc decernēdum mota est.

In

4 Qui diceret, *remitto tibi peccata tua*, leuitèr peccaret.

In hoc igitur casu, quo Sacerdos diceret, *Remitto tibi peccata tua*, ipsum eximerem à graui culpa, cum conformaretur verbis Christi Domini, non tamen à leui, quia recederet à ritu consueto Ecclesiæ. In alijs vero, in quibus non esset conformitas ad verba Christi Domini, & esset dissonantia à præscripto Ecclesiæ, vix eximerem à graui noxa, vt si dicatur, *Sacramentum absolutionis tibi impendo. Absolueris à me. Condono tibi peccata tua*, & similia, quia fieret recessus à verbis Christi Domini, & à ritu communi Ecclesiæ.

5 Aliæ variationes regularitèr inducunt grauem noxam.

Ex his patet absolutè recedendum esse ab opinione Scoti, dum dixit sufficere, vt quomodocunque exprimatur actus per sententiam absoluentis, sicut in foro exteriori fit. Recedendum, inquam, esse, quia in hoc nimis laxaretur licentia; nec valet argumentum à sententia in foro exteriori ad sententiam absolutionis in foro interno, nam, vt loquitur *D. Thomas opusc.22. c.2.* sententia, quæ fit in foro exteriori, non habet determinata verba; forma autem absolutionis à peccatis, quæ fit pro foro interno, est secundum substantiam à iure Diuino in determinatis verbis. Quamobrem ea, quæ dicit Scotus, verum non habent, &, si recedatur à consueto ritu Ecclesiæ per verba substantialitèr mutata, irritum redditur Sacramentum, & si per verba solummodo accidentalitèr variata, redditur illicitum.

6 Reijcitur in hoc sensus Scoti.

ARTICVLVS XVI.

An vtens forma absolutionis solum accidentalitèr diuersa à ritu communi Ecclesiæ cum intentione inducendi nouum ritum validum efficiat Sacramentum.

SVMMARIVM.

Sensus controuersiæ. 1.
Intendens cum scientia inducere nouum ritum non facit validum Sacramentum. 2.
Non intendit facere, quod facit Ecclesia. 3.
Vtens illa forma accidentalitèr diuersa cum errore materiali non inualidat Sacramentum. 4.

1 Exponitur, quomodo intelligendus sit titulus.

NOn defuerunt plures, qui asseruerunt, simplicitèr vtentem tali forma cum intentione inducendi nouum ritum ritui Ecclesiæ contrarium non validum efficere Sacramentum, ea moti ratione, quod, qui talem habet intentionem, non possit habere intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia, vnde error ille secundum se accidentalis, seu circa accidentalia transit in substantialem defectum debitæ intentionis. Iuxta hanc sententiam transeunt *D. Bonauentura in 4. dist. 3. art. 2., & ibi Riccardus art. 2. q. 4., Marsilius q. 3. art. 4., D. Antoninus tertia part. tract. 14. c. 13., & alij plures.*

2 Intendẽs cum sciẽtia erroris inducere nouum ritũ non facit Sacramẽtum.

Nos diutius in hoc non immorabimur, quandoquidem de eo latè egimus *in quæstionibus de Sacrament. in genere q. 2. art. 6. assert. 2.* Breuitèr ergo solummodo dicimus, quod, si vtens tali forma, quantumuis solum accidentalitèr variata cum errore formali sciens se errare, & nihilominus volens suum errorem, suumque ritum Ecclesiæ contrarium inducere, inualidum constituat Sacramentum; vtens verò eadem cum errore materiali nesciens se errare, nec putans esse Ecclesiæ contrarium, non irritum reddit Sacramentum, atque iuxta hanc nostram distinctionem procedunt *Ioannes à S. Thoma disput. 22. art. 8. dub. 1., Gouetus disp. 1. art. 9. n. 134., Suarez disp. 2. sect. 5. §. dico secundo, Arriaga disp. 7. sect. 2. num. 10., Madernus de Sacram. in genere q. 1. art. 12. num. 3., Cacheranus tom. 3. tract. 8. de Sacram. in genere c. 1. §. 2. num. 40.*

3 Non intendit facere, quod intendit Ecclesia.

Ratio primi membri distinctionis est, quia, cum intentione faciendi id, quod facit Ecclesia, non compatitur intentio formalis inducendi nouum ritum contrarium ab eo, quo vtitur eadem Ecclesia, quandoquidem hæ duæ intentiones sibi adinuicem contrariantur; Quid enim est velle ritum contrarium ritui Ecclesiæ, nisi nolle ritum Ecclesiæ? Sine intentione autem faciendi id, quod facit Ecclesia, non subsistit Sacramentum; Neque dicas, hæc ad summum verificari, quando ritus, quem intendit in Ecclesiam inducere, est cum errore quoad substantialia formæ, non autem, quando est solummodo circa accidentalia, nam tunc intentio Ministri esset quidem contraria intentioni Ecclesiæ quoad accidentalia, quoad substantialia tamen esset conformis; Contra enim impugnaberis, quia nos non asserimus, irritari Sacramentum ex defectu circa substantialia materiæ, & formæ, sed defectu intentionis Ministri, qui, cum intendat facere contrà id, quod facit Ecclesia, non habet intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia; Neque vrgeas, non habere quidem intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia circa accidentalia, habere tamen intentionem efficiendi, quod facit Ecclesia circa substantialia; Contrà adhuc impugnaberis, quia eo ipso, quod formalitèr scit se errare, quantumuis solum in accidentalibus, & intendit inducere ritum contrarium illi Ecclesiæ, intendit recedere

ab intentione Ecclesię quoad actum, quem exercet; ille etenim actus exercitus cum cognitione erroris, & volitus, vt contrarius ritui Ecclesiæ, quantumuis in se solummodo differat accidentalitèr ratione materiæ, & formæ ab actu elicito secundum ritum Ecclesiæ, excludit simplicitèr intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & differt substantialitèr ratione intentionis contrariæ, à qua regulatur.

4 Si id pręstet cum errore materiali non inualidat.

Ratio secundæ partis est, quia manente inuariata materia, & forma substantialitèr cum errore solum materiali circa accidentalia nil deest, quod requiratur ad valorem Sacramenti, sed in hypothesi illius secundæ partis manet inuariata materia, & forma solum accidentalitèr mutata ex errore materiali, ergo nil deest, per quod inualidum reddatur Sacramentum. Minor probatur, quia error ille materialis consistens in ignorantia ex natura sua non excludit intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia. Quid enim obest, quo minus ego ex ignorantia vtens hac forma in absoluendo, *Ego tibi condono peccata tua*, nec putans esse Ecclesię hanc contrariam, habeam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia?

ARTICVLVS XVII.

An verba ingrediantur intrinsecè constitutionem Sacramenti Pænitentiæ.

SVMMARIVM.

1 Sentētia Cabreræ volentis verba nō ingredi intrinsecè.

PRoponitur potissimum hæc difficultas proptèr *Cabreram disp. 2. art. 6.* qui nullam aliam in Sacramentis cognouit formam intrinsecè constitutiuam, quam significationem, ea potissimum motus ratione, quod Sacramentum sit res quædam artificiosa, & concretum accidentale; in omni autem signo artificiali materia est res instituta ad significandum; forma verò constituens rem in esse signi est ipsa significatio; vnde videtur asserere, quod verba habeant potius rationem efficientis. Nihilominus sit

2 Ingrediūtur intrinsecè tanquam forma.

Conclusio. Verba absolutionis ingrediuntur intrinsecè tanquam forma constitutionem Sacramenti Pęnitentię *D. Thomas tertia part. q. 60. art. 6. ad secundum, & art. 7., Ioannes à Sancto Thoma disp. 22. art. 6. dub. 1., Gonetus disp. 7. art. 1. §. 1., Lugus disp. 2. sect. 3., Esparza lib. 10. q. 3.*

3 Euincitur ex Concil. Florent.

Probatur primò auctoritate Concil. Florent. in Decret. vnionis, vbi sic legitur. *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*; quæ autem concurrunt tanquam materia, & forma ad constituendum totum, intrinsecè ipsum totum, qualecunque illud sit, ingrediuntur.

4 Soluitur argumētum deductum ex sinistra interpretatione Concilij.

Quod si dicas, ex hac Concilij Florentini definitione non rectè deduci ipsa verba ingredi intrinsecè constitutionem Sacramenti, quod ex verbis eiusdem colligo; primò, quia ibi non dicitur, *constituuntur*, sed *perficiuntur*; perfici autem importat efficientiam potius, quam causalitatem formalem. Deinde Concilium non dicit Sacramenta constare rebus, & verbis, vt materia, & forma propriè, sed rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma; ly autem, *tanquam*, non importat proprietatem, sed ad summum similitudinem. Sed contrà, quia ly, *perfici*, indifferens est, vel vt referatur ad efficientiam, vel ad causalitatem formalem; ex contextu verò verborum Concilium restringit ad causalitatem formalem, dum dicit, non quomodocunque perfici per verba, sed tanquam per formam, cuius proprium est constituere. Quod deinde Concilium potius vsum sit verbo *perfici*, quam verbo *constitui*, hoc fuit, quia eodem sermone comprehendit omnia, quæ essentialitèr concurrunt ad constituendum Sacramentum numerando etiam personam Ministri, quæ concurrere debet per suam intentionem in genere causæ efficientis, & propterea adhibuit verbum, quod commune esset etiam eidem agenti; Cæterum satis aperuit Concilium mentem suam, dum loquendo de rebus, illis attribuit rationem materiæ, loquendo verò de verbis, illis attribuit rationem formæ; materia autem, & forma ex genere suo habent intrinsecè constituere. Quod deinde addiderit illam particulam, *tanquam*, hoc fuit ad indicandum, hoc compositum Sacramen-

men-

mentale conſtitui ad normam aliorum compoſitorum ſubſtantialium, & Phyſicorum, in quibus, ſicuti materia, & forma intrinſecè conſtituunt, ita in iſto morali ſubſtantiali materia, & forma debeant intrinſecè conſtituere.

5 Significatio æquè poteſt poni per nutus, & ſigna.

Probatur ſecundò. Ex dictis in præcedentibus forma eſſentialis huius Sacramenti non poteſt haberi per nutus, & ſigna extrinſeca, ſed eſſentialitèr conſtituenda eſt per verba formalia, ſed hoc non poſſet ſubſiſtere, ſi verba ipſa non ingrederentur intrinſecè complexum Sacramentale, ſed dumtaxat eorum ſignificatio, vt aſſerit Cabrera, ergo verba ipſa formalitèr, & intrinſecè conſtituunt &c. Minor probatur, quia ſignificatio æquè haberi poteſt per nutus, & ſigna ſenſibilia, ergo ęquè haberetur Sacramentum per ſigna, & nutus, ſi ſolum ſignificatio haberet intrinſecè conſtituere, cum ęquè hęc haberi poſſit ſiue per nutus, ſiue per verba, ſiue per ſcripta.

6 In compoſito determinatiuum, & determinabile ſunt partes intrinſecę.

Probatur tertiò. Sacramentum pænitentiæ eſt quoddam compoſitum morale ſubſtantiale; in quocunque autem compoſito componentia intrinſecè conſtituunt; res autem, quarum nomine in Sacramento pænitentiæ veniunt peccata remotè, & proximè dolor, & confeſſio eorundem, verba verò, quę à Sacerdote proferuntur, ſunt conſtituentia ipſum, ergo &c. Confirmatur. Determinabile, & determinatiuum in quocunque compoſito habent rationem materię, & formæ, & per conſequens intrinſecè conſtituentium, vt videre eſt in quocunque complexo, ſiue Phyſico, ſiue Metaphyſico, nam in Phyſico materia eſt determinabilis vtpotè indifferens, forma verò determinat; in Metaphyſico genus, quod eſt quid potentiale eſt determinabile, differentia verò determinatiua, ſed in hoc Sacramento peccata ſunt determinabilia, & verba determinant, ergo &c.

Dices primò. In omni compoſito artificiali morali verba non ſunt de ſubſtantia, ergo nec de eſſentia. Antecedens probatur, quia verba aduenjunt rebus tanquam quid accidentale. Conſequentia probatur, quia, quod non eſt de ſubſtantia, nec poteſt eſſe de eſſentia, cum eſſe de eſſentia ſit quid magis, quam eſſe de ſubſtantia. Confirmatur, quia in compoſito artificiali, ſeu accidentali res, ſeu ſubiectum importatur in recto, & forma in obliquo, ergo verba, quę ſunt tanquam forma importata in obliquo in Sacramento non poſſunt eſſe de eſſentia. Sed contrà; Si in primis dicerem Sacramentum pęnitentię, ſicuti, & cętera Sacramenta eſſe compoſitum ſubſtantiale morale, nil dicerem, quod eſſet contra rationem, & ceſſaret tota vis inſtantię. Dato deindè, ſed non conceſſo, quod eſſent complexa merè accidentalia quid inde? An albedo non eſt de eſſentia albi? Certè album eſſe non poteſt ſine albedine. Eſt quidem accidentalis reſpectu ſubiecti, quia poteſt eſſe ſubiectum ſine albedine; at non poteſt eſſe album ſine albedine; ex quibus etiam patet, poſſe quid eſſe de eſſentia, & non de ſubſtantia. Idem ferè reſpondeas ad id, quod ſubditur de forma accidentali importata in obliquo; ex eo etenim, quod importetur in obliquo, non deſinit eſſe de eſſentia.

7 Eſt cōpoſitū ſubſtantiale morale.

Dices ſecundò. Sacramenta ſunt in ratione ſigni; in ſignis autem res habent rationem materiæ, ſignificatio verò rationem formæ, ergo pro forma Sacramenti pænitentiæ, ſicut, & aliorum Sacramentorum erit aſſignanda ſignificatio, non verba. Sed contrà; In Sacramento pænitentiæ, ſicut in cęteris duo quodamodo complexa poſſunt conſiderari; primò in ratione complexi per modum actus, & potentię; ſecundò in ratione ſigni conſtantis re ſignificante, & ſignificatione; Iuxta primum ſenſum, ſecundum quem procedit noſtra concluſio, res quidem habent rationem materię, & verba, non ſignificatio rationem formę. Iuxta ſecundum ſenſum non ſolum res, quę in primo habent rationem materię, ſed etiam verba, quę in eodem primo habēt rationem formę, conſtituunt ſignum, quod cum ſignificatione facit complexum; Noſtra autem aſſertio procedit iuxta primum ſenſum.

8 Duplex compoſitum in Sacramētis conſideratur, & quale.

Dices tertiò. In definitione Sacramenti pęnitentię nulla fit mentio verborum, ergo iſta non ſunt de eſſentia eiuſdem Sacramenti. Antecedens patet ex ijs, quę tradidimus ſupra *q.* 1. *art.* 4. dum de quidditate huius Sacramenti. Conſequentia probatur, quia definitiones debent exprimere ea, quę ſunt de eſſentia rei definitę. Sed contrà: Hoc Sacramentum loc. cit. ſic fuit definitum; *eſt ſignum practicum, & ſenſibile gratiæ remiſsiuæ peccatorum per modum actus iudicialis, ſeu iudicij emendatiui*; Ex eo autem, quod dicitur gratię remiſſiuę peccatorum ſufficientèr indicatur materia remota, & ex eo, quod dicatur per modum actus iudicialis ſufficientèr indicantur verba, cum actus iudiciales regularitèr per verba exerceantur.

9 In definitione exprimuntur verba.

QVÆ-

QVÆSTIO VII.

De Causa efficiente Sacramenti Pænitentiæ.

A Causis intrinsecis constitutiuis huius Sacramenti ad extrinsecas efficientes procedimus, quarum alia principalis, & Physica est Deus, alia principalis moralis Christus Dominus, qui principalitèr non solum quoad primum esse, seu quoad institutionẽ, sed etiam in administratione concurrunt causando effectum eiusdem; alia instrumentalis Physica, & instrumentalis moralis, quæ est Sacerdos legitimus. De Efficiente principali Physica, & morali vix aliquid hìc erit attingendum, cum latè de his disseruerimus in quæstionibus de Sacramentis in genere, quæ erunt ibi recolenda. Præcipuus scopus huius quæstionis versabitur in examine eorum, quæ spectant ad causam ministerialem, quæ est Sacerdos ad hoc munus deputatus, cuius conditiones non solum quoad potestatem requisitam, sed etiam quoad validam, & licitam administrationem fusè indagabimus, & hic etiam attingemus onera, quæ ex Sacramentali Confessione in eodem consurgunt, & ad quæ tenetur.

ARTICVLVS I.

An solus, & omnis Sacerdos sit Minister huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

Error Lutheri volentis omnes Christianos esse Sacerdotes. 1.
Conuincitur Conciliorum definitionibus. 2.
Item argumentis ex sacris paginis deductis. 3.
Damnatur signantèr in eo, quo asserit fœminas, ac Papam æquè posse absoluere. 4.
Damnatur item error Aerij, ac Valdensium asserentium æqualem esse potestatem in omnibus Sacerdotibus ad absoluendum. 5.
Veritas catholica, quod soli Sacerdotes sint Ministri huius Sacramenti. 6.
Explicatur dictum D. Iacobi Confitemini alterutrum peccata vestra. 7.
Non omnes Sacerdotes sunt Ministri huius Sacramenti. 8.

1 Exponitur error Lutheri.

MItto hìc errorem perfidi Lutheri, qui docuit, omnes homines Christianos esse Sacerdotes nulla etiam posita differentia inter sexum, qui propterea suam insaniam eousque extendit, vt ausus fuerit dicere, puerum, ac mulierem æquè, ac Papam absoluere posse à peccatis.

2 Conuincitur ex Conciliorum definitionibus.

Nam conuincitur primò quoad primum ex varijs Conciliorum definitionibus, & primo Laodicei in Phrigia celebrati anno salutis 364. sub Damaso Papa, quod postea receptum fuit ab Ecclesia in sexta Sinodo vniuersali, in quo hęc propositio damnata fuit, tanquam hæretica, & prohibitum, ne mulieres ad altare ingrederentur; Carthaginensis IV. sub Anastasio Papa anno salutis 398., quod *c. 3. 4., & 5.* suorum decretorum ordinauit Presbyteros ordinari debere per benedictionem, & manuum impositionem Episcopi; Rhemensis Prouincialis in Gallia anno salutis celebrati auctoritate Leonis III., à quo, & fuit approbatum, & receptum in Ecclesia, vbi idem definiuit, quod Carthaginense mox relatum; Lateranensis sub Innocentio III. anno salutis 1215., in quo fuit definitum, illos solos esse Sacerdotes, qui ritè ab Episcopis iuxta sanctiones Ecclesiasticas ordinati sunt; Tridentini sub Paulo III. anno salutis 1547. vbi *sess. 7. can.* 10. sic definiuit. *Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem, anathema sit.* Deinde etiam ratione euincitur, quia Sacerdotium Euangelicum longe præstantius est, quam fuerit legale; legale autem non fuit ita abiectum, vt omnibus sine vlla differentia competeret, nam *Exodi 28., & num. 4.* legitur, Tribum Leuiticam specialitèr electam fuisse ad Sacerdotale ministerium, & *num. 16.* Chore, & Abiron absorti sunt viui à terra, quia functi sunt officio Sacerdotis, cum non essent ad hoc munus electi, & *2. Reg. 6.* Ozias Rex à lepra percussus est, quia vsurpauit sibi munus Sacerdotis offerentis incensum super altare, ergo multo magis debuit, Sacerdotium Euangelicum alligari certis personis ex speciali deputatione ordinatis iuxta sanctiones Ecclesiasticas. Accedit, quidquid latret Lutherus, quod Apostoli non fuerunt ordinati Sacerdotes in collatione baptismatis, sed in vltima cæna per illa verba. *Hoc facite in meam commemorationem.*

3 Ex sacris paginis.

Conuincitur secundò quoad secundum, quod

quod scilicet puer, & mulier æquè, ac Papa possit absoluere à peccatis, quia constat Christum Dominum *Ioannis 20., & Matthæi* 18. non dedisse omnibus indefinitè auctoritatem absoluendi, sed solis Discipulis, & Successoribus. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*. Deinde error Lutheri expressè damnatur à *Concil. Trident. sess. 14. de pænitentia c.6., & can. 10.* Ibi- *Si quis dixerit non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis, sed omnibus, & singulis Christi Fidelibus esse dictum. Quæcunque ligaueritis super terram erunt ligata, & in Cælo, & quæcunque solueritis super terram erunt soluta, & in Cælis &c. anathema sit*.

4 Demētia Lutheri asserentis fœminas æquè, ac Papam posse absoluere.

Mitto secundò hæresim Aerij, & Valdensium, qui asseruerunt, omnes Sacerdotes æqualem habere potestatem; nam facilè conuincitur primo, quia omnia, quæ in veteri testamento præcesserunt sunt figuræ noui, vt legitur *prima ad Corint. 10. Omnia illis in figura contingebant*. In veteri verò testamento erat distinctio Summi Sacerdotis à Sacerdote simplicitèr, ergo hoc in nouo intelligendum est prorogatum; vnde Concil. Hispalense II. cui præfuit D. Isidorus celebratum anno 619. sub Bonifacio V. plura inhibuit simplicibus Sacerdotis, quæ solis competunt Episcopis; & hoc Concil. licet fuerit solum Prouinciale, fuit tamen celebratum auctoritate eiusdem Bonifacij, & confirmatum ab Honorio I., & receptum ab Ecclesia in sexta Sinodo sub Agatone Papa. Secundò specialitèr quoad potestatem absoluendi communem omnibus Sacerdotibus æqualitèr ex eo conuincitur error Aerij, & Valdensium, quod hoc Sacramentum exercetur per modum actus iudicialis, & iudicij emendatiui, vt loquitur Concilium Trid.; actus autem iudicialis, & iudicium non exercetur, nisi ab habente potestatem iurisdictionis, quam non habet quicunque Sacerdos, sed illi dumtaxat, quibus communicata est ab habente facultatem communicandi, vt euincitur ex *Trid. sess. 14. c. 7.* Adde, quod est potestas in Episcopis reseruandi sibi casus, vt præscribit *Trident. sess. 14. de pænit. can. 11.*, vbi anathematizat, qui secus senserit, ergo non est æqualis potestas in omnibus absoluendi à peccatis.

5 Error Aerij, ac Valdensium reprobatur.

Ex his elucet veritas catholica, quod soli Sacerdotes, non tamen omnes sint Ministri huius Sacramenti; & quidem, quod soli Sacerdotes sint Ministri prætèr allegata iura contra primum Lutheri errorem euincitur ex *Concil. Trident. d. sess. 14. c.6.* Ibi- *Circa Ministrum autem huius Sacramenti declarat Sancta Sinodus falsas esse, & à veritate Euangelij penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosuis homines præter Episcopos, & Sacerdotes clauium ministerium perniciosè extendunt*.

6 Veritas catholica, quod soli Sacerdotes sint Ministri huius Sacramenti.

Ex his deduces primò, inanem esse illorum opinionem, qui freti auctoritate D. Iacobi. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, dixerunt peccata posse etiam laico confiteri; constat enim ex prædictis hoc falsum esse; nec quidquam euincit illa auctoritas, quandoquidem, vel intelligenda est non de confessione Sacramentali, sed de ea, quæ fit humilitatis gratia, vt asserunt *Coninchus disp. 8. dub. 1. num. 6., Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 1., Reginaldus lib. 1. num. 6.*, vel de confessione facta inter Sacerdotes approbatos adinuicem, vt sentiunt alij apud *Bonacinam de Sacram. pænit. disp. 5. q. 7. punct. 1. num. 2. vers. responderi potest secundo*. Deduces secundò, nec subsistere Sacramentum facta confessione apud Diaconum, vel Subdiaconum, cum hæc potestas solis Sacerdotibus sit alligata.

7 Explicatur dictū D. Iacobi.

Quod verò non omnes Sacerdotes sint Ministri huius Sacramenti, ex eo euincitur, quod ad legitimè absoluendum non solum requiritur potestas ordinis, sed etiam iurisdictionis, siuè hæc sit ordinaria, siuè delegata, vt definitur in *Concil. Trident. sess. 14. c. 7.*; potestas autem iurisdictionis non militat in singulis Sacerdotibus, sed quibus communicata est. Huius rationem adducit *D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. quæstiunc. 4. in corpore*, dum considerat, quod in Sacramento pænitentiæ actus pænitentis sint de substantia eiusdem, & cum isti in nobis habeant principium non possunt nobis ab alio dispensari, nisi per imperium, vnde oportet, quod ille, qui dispensator huius Sacramenti constituitur, sit talis, quod possit imperare aliquod agendum; imperium autem non competit alicui in alium, nisi, qui habet super eum iurisdictionem, & ideo de necessitate huius Sacramenti est non solum, vt Minister habeat ordinem, sed etiam, quod habeat iurisdictionem. Hæc ferè ad verbum D. Thomas, qui in eo cognoscit differentiam à cæteris, quod in cæteris actus recipientis non sunt ad agendum, sed solum ad recipiendum, scilicet vtilitatem eorundem Sacramentorum remouendo prohibens eandem receptionem; in hoc verò sunt ad agendum, cum proprij actus sint de substantia, & necessitate eiusdem, qui propterea non possunt dispensari, nisi ab habente imperium.

8 Non omnes Sacerdotes sunt Ministri huius Sacramenti.

AR-

ARTICVLVS II.

An in periculo mortis quilibet Sacerdos possit absoluere periclitantem.

SVMMARIVM.

Sententia asserens quemlibet Sacerdotem posse absoluere in articulo, non in periculo mortis. 1.
Quomodo distinguant articulum à periculo mortis. 2.
Sententia asserens etiam in periculo mortis posse absoluere. 3.
Sententia asserens Sacerdotes etiam excommunicatos, & degradatos posse in illo periculo absoluere, non sic praecisos ab Ecclesia. 4.
Verius tamen etiam quod praecisi possunt in illo periculo absoluere. 5.
Soluuntur rationes opposita. 6.

ANtequam titulum hunc resoluamus, duo sunt discutienda; Primum, quid veniat nomine periculi mortis, vt quilibet Sacerdos in eo possit absoluere. Secundum, an nomine cuiuslibet Sacerdotis veniat excommunicatus, suspensus, degradatus, irregularis, Hæreticus, & Apostata à fide.

1 Asserentes posse absoluere in articulo mortis non in periculo.

In ordine ad primum aliqui distinguunt inter articulum, & periculum mortis etiam quoad hunc effectum potestatis absoluendi, adeout asserant, posse quidem quemlibet Sacerdotem in articulo mortis absoluere, non sic in periculo mortis, atque ità videntur sentire *Dominicus Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 4., Ghetius in verb. Absolutio num. 4. in expos. lit. D. Thomæ*. Isti autem nomine articuli mortis intelligunt, quando iam mors est in fieri per causam naturalem, puta per infirmitatem, aut per violentiam, vt cum quis ministerio iustitiæ est occidendus; nomine verò periculi mortis intelligunt illud, quod potest euitari, vel quo potest in illo constitutus sibi consulere, vel per Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem. Alij verò quoad hunc effectum non distinguentes articulum à periculo mortis absolute asserunt, quemlibet Sacerdotem, sicuti in articulo, ità in periculo mortis posse absoluere *Suarez de pænit. disp. 26. sect. 4. num. 3., Sanchez lib. 2. c. 13. num. 1., Vasquez de pænit. q. 93. art. 1. dub. 5. nu. 2., Reginaldus lib. 9. num. 10., Bonacina de Sacram. pænit. disp. 5. q. 7. punct. 1. num. 10.;* Quibus adhærendum existimo, vtpotè procedentibus iuxta benigniora principia. Ratio ex eo deducitur, quod in concernentibus salutem animarum non est præsumendum, quod Christus Dominus, qui expendit viscera misericordiæ suæ vsque ad effusionem totius sui sanguinis, & pia Mater Ecclesia, quæ lacrymas fundit, vt filios suos ad vitam spiritualem reuocet, voluerint remedium pro eadem salute consequenda restringere ad illud punctum, in quo nulla esset spes salutis corporalis, sed extendere ad quodcunque periculum, quo vita eius corporalis cum spirituali probabilitèr immineret. Confirmatur, quia concessio cuilibet Sacerdoti absoluendi periclitantem vita corporali simul, & spirituali, est maxime fauorabilis; in fauorabilibus autem non strictè proceditur, sed latè, atque ex his responderi poterit ad aliquos canones, si qui afferantur, in quibus fit dumtaxat mentio articuli mortis pro hac facultate absoluendi; vbi etenim agitur in fauorabilibus periculum mortis sumendum est interpretatiuè pro articulo eiusdem.

2 Quomodo distinguant articulum à periculo.

3 Sentẽtia asserens etiam in mortis periculo posse absoluere.

4 Sentẽtia docens Sacerdotes etiam excõmunicatos, & degradatos in illo periculo posse absoluere non præcisos ab Ecclesia.

In ordine ad secundum *Siluester verb. Confessor 1. q. 20., Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 4., Nauarrus in man. c. 26. num. 26.* sentiunt, quemcunque Sacerdotem, quantumuis excommunicatum, suspensum, & degradatum posse in articulo mortis absoluere, non tamen præcisum idest Hæreticum, & Apostatam à fide additis etiam nonnullis rationibus; primò, quia ex eo, quod sint præcisi non sunt amplius membra Ecclesiæ propter fidem amissam. Secundò, quia isti non solum vsu iurisdictionis suspensi sunt, verum iurisdictionem eradicata fide funditus amiserunt. Tertiò, quia valdè timendum est, ne habeant intentionem legitimam absoluendi. Contrarium verò, & sanè verius sustinent *D. Thomas in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2. in corpore, Caietanus in summa verb. Absolutio, Sairus lib. 2. Thesauri c. 2. num. 18., & alij magis communitèr*, etiam præcisum in eo articulo mortis posse absoluere. Ratio est, quia, cum etiam in præcisis remaneat caracther, & per consequens potestas saltem remota clauium non est præsumendum, quod Ecclesia, quæ totis viribus conatur filios suos iam peccato mortuos ad vitam reuocare, velit etiam in tanta necessitate periclitantis eisdem præcisis vsum iurisdictionis denegare ad eidem periclitanti consulendum; vnde, cum in eo casu cuilibet Sacerdoti nulla facta exceptione facultatem concedat in omni generalitate, nec præcisus à communi regula est excipiendus.

5 Verius tamen etiã præcisi possunt absoluere.

Nec obstant, quæ pro contraria sententia opponebantur; non primum, quia non potest dici simplicitèr, quod præcisi non sint membra Ecclesiæ, cum ratione baptismi subdantur eiusdem iurisdictioni, vnde,

6 Soluuntur rationes oppositæ.

vnde, si non sunt membra, aut dici possint in actu, sunt tamen talia in habitu; Non secundum, quia dato etiam, quod præcisis funditùs sublata intelligatur iurisdictio ob amissam fidem, quia tamen in eisdem remanet adhuc caracther, & potestas ordinis, quæ inauferibilis est quoad habitum, licet impediri possit quoad actum, seu quoad vsum, dicendum est, Ecclesiam in ea hypothesi non solum vsum ordinis, sed etiam iurisdictionem concedere, vt nulla desit occasio, qua proximus morti saluari possit; Non tertium, quia ex illo timore defectus debitæ intentionis non est priuandus moriens illo necessario subsidio; secus non permittendum esset Hæretico, seu Apostatæ baptizare puerum in periculo mortis constitutum, cum timeri posset de defectu debitæ intentionis baptizandi.

His ergo suppositis, & enucleatis sentiendum est, quemlibet Sacerdotem posse quemlibet in illo mortis periculo absoluere. *D. Thomas in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 2. in corpore, Valentia tom. 4. disp. 7. punct. 3. vers. excipimus, Vasquez quæst. 93. art. 1. dub. 3. num. 4., Suarez disp. 26. sect. 4., Medina tract. 2. de pænit. quæst. 18. sub fin., Nauarrus c. 27. num. 271., & alij communitèr.* Ratio est, quam adducit *D. Thomas loc. cit.*, quia scilicet quilibet Sacerdos legitimè ordinatus virtute clauium habet potestatem vi ordinationis indifferentèr ad omnes, & quantum ad omnia peccata; vnde aliud non deest ad validè, & legitimè absoluendum, nisi iurisdictio, quæ per ordinationem Ecclesiæ ei non competit, nisi concedatur, sed in hypothesi illius necessitatis, quæ nullam legem patitur, non est præsumendum, quod Ecclesia eandem iurisdictionem cuilibet non permittat, ergo nihil deest, quominus quilibet legitimè ordinatus possit quemlibet in ea hypothesi absoluere.

Ratio ex D. Thoma deducta.

ARTICVLVS III.

An quilibet Sacerdos possit etiam in illo vitæ periculo quemlibet absoluere ab excommunicatione.

SVMMARIVM.

Difficultas aliqua solummodo in eo videtur posse consistere, quod possit dari casus, quo quis sit innodatus excommunicatione, & tamen sit constitutus in gratia, vel quatenus id, propter quod contraxit excommunicationem, non fuerit verè respectu eiusdem peccaminosum, vel quatenus post contractam etiam censuram per actionem peccaminosam eliciuerit actum contritionis perfectæ, per quam fuerit Deo reconciliatus, licet non Ecclesiæ; in qua hypothesi non videtur in ordine ad æternam salutem ità indigere absolutione à censura, sicuti indiget absolutione à peccatis. Nihilominus

1 Ratio dubitandi circa hunc titulum.

Sentiendum est, quemlibet Sacerdotem posse in illo vitæ periculo absoluere à quacunque excommunicatione à quocunque etiam à Romano Pontifice lata. Consentiunt omnes communitèr cum *D. Thoma in 4. distinct. 20. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. in corpore.* Ibi- *Sed etiam ab excommunicatione à quocunque sit lata*, addita ratione, *quia hæc absolutio etiam ad iurisdictionem pertinet, quæ per legitimas ordinationes Ecclesiæ coarctatur.* Id ipsum definiuit *Tridentinum sess. 14. c. 7.* Ibi- *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes possunt omnes absoluere à quibusuis peccatis, & censuris.*

2 Potest absoluere à quacunque excõmunicatione.

Ratio autem ea est, quia non potest esse absolutio à peccatis, quin saltem prioritate naturæ præcedat absolutio à censuris, si ijsdem fuerit pænitens innodatus, ergo, cum cuilibet Confessario in illo mortis articulo concessa intelligatur potestas absoluendi ab omnibus, quantumuis enormissimis peccatis intelligenda est etiam concessa facultas absoluendi à quibuscunque censuris, secus inanis foret concessio absoluendi à peccatis, si non esset concessa facultas absoluendi à censuris. Neque dicas, hæc ad summum subsistere, quando pænitens est innodatus, nedum censura, sed etiam peccatis; vnde, si dumtaxat censura afficeretur, non esset, cur posset absolui; Contrà enim impugnaberis, quia licet ex hac ratione non euinceretur, quod Sacerdos posset absoluere ab excommunicatione, quando hæc solummodo existeret sine peccato; ex alio tamen capite euincitur, quod possit, nempè ex ratione adducta à D. Thoma loc. cit., quia scilicet absolutio ab excommunicatione ad iurisdictionem etiam pertinet, quam in illa hypothesi non est censenda Ecclesia denegare; & per hoc respondetur ad id, quod in ratione dubitandi afferebatur. Quod, si in eadem dicatur, quod in hypothesi existentiæ solius excommunicationis intelligatur non esse Deo inimicus, cum

3 Etiam si pænitens esset solũ innodatus censura.

4 Soluitur ratio dubitandi.

gratia non careat, atque ideo non habere tantam indigentiam, vt absoluatur à censura, sicut haberet, vt absolueretur à peccatis, si illis premeretur; adhuc respondemus, quod data suppositione, quod esset constitutus in gratia, adhuc indigeret absolutione a censuris, vt gaudere posset suffragijs Ecclesiæ, & æternam requiem ingredi, quod maxime curat pia Mater Ecclesia in ordine ad suos filios, quos licet atterat censuris, vt resipiscant, non finit tamen ad interitum deuenire, sed aperit viscera misericordiæ, eosque in gremio recipit, ne in æternum pereant, & impediantur ab ingressu in æternam requiem.

ARTICVLVS IV.

An absolutus in illo mortis periculo tam à peccatis, quam à censuris à Sacerdote non approbato, quinimmò indigno, si conualescat, teneatur se præsentare, vel approbato, vel Superiori, vt iterum absoluatur.

SVMMARIVM.

Series agendorum sub hoc titulo. 1.
Pænitens absolutus in articulo mortis à Sacerdote non approbato, si conualuerit, non tenetur peccata iterum subijcere approbato. 2.
Etiam si fuerint reseruata. 3.
Absolutus in periculo mortis ab excommunicatione, si conualuerit, tenetur se præsentare Superiori, à quo lata est, non vt iterum absoluatur, sed vt satisfaciat. 4.
Refertur Decretum Bonifacij Papæ. 5.
Si se non præsentet, contrahit similem excommunicationem. 6.
Hæc noua excommunicatio habet eadem vincula, quæ prior. 7.
Absolutus in articulo mortis intelligitur pro illo anno satisfecisse præcepto annuæ confessionis. 8.
Non currit paritas de iure Diuino obligante in articulo mortis post habitam annuam confessionem. 9.
Ratio, ob quam absolutus in articulo mortis ab excommunicatione, teneatur se præsentare, non sic absolutus à peccatis reseruatis. 10.

1 Synopsis eorum, quæ hic agitanda sunt.

SUb hoc titulo plura veniunt examinanda. Primò in ordine ad peccata simpliciter sumpta, an ab illis absolutus à non approbato teneatur eadem apud approbatum iterum subijcere. Secundò, an, quamuis ad hoc non teneatur, teneatur tamen, si illa peccata, vel aliqua illorum fuerint reseruata. Tertiò in ordine ad censuras, an teneatur, postquam conualuerit, se Superiori præsentare, à quo lata est, vt ab illa absoluatur. Quartò in ordine ad easdem censuras excommunicationis, si postquam conualuerit, non se præsentet, reincidat in eandem numero censuram, an verò nouam contrahat. Quintò in ordine ad peccata, an per illam confessionem factam in illo mortis periculo penes Confessarium non approbatum intelligatur pænitens satisfecisse præcepto annuæ confessionis, adeo vt pro illo anno ex vi præcepti Ecclesiastici non teneatur iterum confiteri. Sextò ex suppositione, quod teneatur quoad censuras, postquam conualuerit, se præsentare Superiori, & non quoad peccata siue simpliciter sumpta, siue reseruata, quænam sit ratio diuersitatis.

2 Peccata absoluta in articulo mortis à non approbato non sunt subijcienda approbato.

Dico primò, in ordine ad peccata simpliciter sumpta, postquam conualuerit, non tenetur eadem iterum subijcere penes Confessarium approbatum. *D. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad secundum, Ghetius in verb. Absolutio num. 5. in exposit. lit. D. Thomæ, Bonacina de Sacram. pænit. disp. 5. q. 7. punct. 1. num. 13.* Ratio ex eo deducitur, quia potestas, quæ competit cuilibet Sacerdoti absoluendi in articulo mortis, est potestas absoluta, & directa, & talis, qualis conceditur alijs Sacerdotibus approbatis extra illum mortis articulum, ergo, si ratione eiusdem existente illo mortis periculo absoluatur, non tenebitur postea, si conualuerit pænitens, eadem iterum alteri Sacerdoti approbato subijcere, sicuti non tenetur subijcere pænitens, qui Sacerdoti approbato confessus est. Confirmatur, quia in illo mortis articulo æqualis est potestas in omnibus Sacerdotibus absoluendi, seruato tamen ordine, de quo infra, sed, si in eodem mortis periculo absoluatur ab approbato, non est amplius ex necessitate eadem confessio repetenda, ergo neque erit repetenda, si tunc absolutio fuerit à Sacerdote alias non approbato, quia quilibet in illo casu intelligitur directè, & absolutè approbatus.

3 Etiam si fuerint reseruata.

Dico secundò, etiam si in periculo mortis constitutus habuerit peccata reseruata, & ab illis fuerit per simplicem Sacerdotem absolutus, adhuc non tenetur illa peccata iterum Superiori, à quo fuerunt reseruata, subijcere. *Bonacina, & Ghetius loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quia pro illo mortis periculo cessat quæcunque reseruatio, & illa peccata pro illo statu perinde se habent, ac si non essent reseruata; non enim præsumendum est, quod Superior reseruans voluerit in illo periculo tenere

nere

nere reseruatione obstrictum pænitentem, vt non possit tunc eximi a periculo damnationis æternæ, ergo, cum tunc illa peccata non habeantur tanquam reseruata, eandem sortem sortientur, quam habent simplicitèr non reseruata, sed hæc tunc confessa non sunt amplius ex necessitate clauibus subijcienda, ergo, nec illa.

Soluitur instantia opposita.

Dices, præsumi quidem, quod Superior reseruans pro illo statu remittat reseruationem, sed non simplicitèr, sed tantum, vt consulat pænitenti pro illo statu, in quo eius salus æterna periclitatur, & propterea cessante illo statu redeat eadem reseruatio. Sed contra, quia gratis dicitur, quod illa reseruatio pro illo statu simplicitèr non remittatur, cum tunc nulla fiat exceptio, nec restrictio, & remissio reseruationis habeatur à benigna vniuersalis Ecclesiæ concessione; nec aliquis textus reperitur, qui obliget ad iteratam eorundem peccatorum reiterationem, nec ad onus nouæ præsentationis. Deinde, vel illa peccata secundum se per illam primam confessionem factam simplici Sacerdoti intelliguntur verè remissa, vel non; si intelliguntur remissa, iam non indigent vlteriori remissione; &, cum reseruatio cadat supra peccata, illis extinctis non potest subsistere; si non intelliguntur remissa; iam falsum esset id omne, quod supra dictum est iuxta definitiones Conciliorum, & rationes allatas, quod nec aduersarij admittunt.

4 Absolutus ab excõmunicatione tenetur se præsẽtare.

Dico tertiò. Si pænitens in illo mortis periculo fuerit à simplici Sacerdote absolutus ab excommunicatione, & postea conualuerit, non tenetur se præsentare Superiori, à quo lata est illa excommunicatio, vt ab illa iterum absoluatur, sed benè, vt eidem offerat satisfactionem. *D. Thomas in 4. dist. 20. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad secundum, Bonacina, & Ghetius loc. cit.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ab illa excommunicatione iam intelligitur absolutus, ergo non tenetur iterum se præsentare, vt ab illa absoluatur; quia, sicuti iam extinctum non reuiuiscit, ita absolutum simplicitèr non renascitur &c. Ratio secundæ partis deducitur ex decreto Bonifacij Papæ relato *in c. eos qui de sent. excommun. in 6.* vbi præcipitur, vt absoluti ab huiusmodi excommunicatione per simplicem Sacerdotem, si periculum euaserint, cum primum potuerint, se Iudici præsentent satisfacturi, prout iustitia suadebit, ne censuræ illudantur Ecclesiasticæ indicta pæna reincidentiæ, si non se præsentauerint; vbi nota illam particulam *satisfacturi*, quæ refertur ad satisfactionem, non ad iteratam absolutionem. Si autem quæratur ratio, ob quam teneatur sic conualescens absolutus ab excommunicatione se præsentare Superiori, non sic absolutus à caso reseruato, dicam infra in sexto dicto.

5 Refertur Decretũ Bonifacij Papæ.

6 Si se non presentet cõtrahit similem excommunicationem.

Dico quartò, si absolutus à simplici Sacerdote ab excommunicatione in periculo mortis, postquam conualuerit, non se præsentat Superiori, à quo lata est illa excommunicatio, non contrahit eandem numero excommunicationem, sed aliam in eadem specie latam a Bonifacio Papa *in d. c. eos, qui de sententia excommunicationis in sexto.* Ita expressè sentit *Ghetius loco quo supra.* Ratio ex eo deducitur, quia, quod semel extinctum est, non potest tractu temporis conualescere, nec a priuatione ad habitum datur regressus; vnde, si per inobedientiam in se non præsentando contrahit excommunicationem, non eandem in numero, sed similem in specie contrahit; Neque obesse potest, quod Bonifacius Pontifex *in d. c. eos qui* dixerit, *Decernimus in eandem sententiam recidere ipso iure*, vbi Glosa subdit *ipso facto incidit in pristinam excommunicationem;* illa autem verba *eandem, & pristinam*, appellant identitatem, non similitudinem excommunicationis; Non, inquam, obesse potest, quia illa verba intelligenda sunt de identitate in specie, & secundum eandem vim, eosdemque effectus, quos præstabat pristina excommunicatio, non de numerica, quæ, cum extincta fuerit, non potest amplius reuiuiscere. Pontifex igitur in pænam contumaciæ volens corripere delinquentem, ipsum subdit excommunicationi, quæ eum premat, sicut premebat antiqua.

7 Hæc noua excõmunicatio habet eadem vincula, quę prior.

Sed hic oritur difficultas, an, cum illa noua excõmunicatio sit inducta per eundẽ Pontificẽ Bonifaciũ, vt nos asserimus, intelligatur solummodo vtpotè Papalis auferibilis à Romano Pontifice. In hoc considerandum est, an prior excommunicatio esset Pontifici reseruata, vel solummodo Diæcesano. Si Pontifici; certum est, quod etiam secunda non sit auferibilis, nisi ab eodem, quia hæc contrahit omnes qualitates primæ; atque ideo eadem vincula; Si verò Diæcesano, erit etiam ab isto auferibilis, quia hæc succedit loco primæ, quæ sicuti per Episcopum erat auferibilis, ita & ista, non obstante, quod de nouo statuatur a Papa, qui solum voluit, vt ratione contumaciæ pænitens ita se habeat, ac si non fuisset absolutus, & propterea ipsum reducit ad priorem statum, in quo poterat à proprio Episcopo absolui.

Hic ad magis corroborandum nostrum assertum, quod scilicet inducatur noua in numero excommunicatio ob illam contumaciam in se non rapræsentando, noto illam particulam textus *in d. c. eos qui de sententia excommunicationis in sexto. Decernimus,*

nimus, vbi verbum decernere importat, quid aliud à declarare; declarare etenim supponit aliquid, quod est, decernere verò est ponere aliquod, quod non est, quod benè aduertit etiam *Glosa ibidem in verb. Decernimus*, vbi asserit, quod benè suo tempore procedebant Gofredus, & Hostiensis existimantes, absolutos in articulo mortis ab excommunicatione non reincidere in eandem, si se non præsentabant, eo quia iam illa excommunicatio extincta erat, & tunc non erat promulgata hæc lex in *c. eos qui*, ergo signum euidens est, quod Pontifex per hoc decretum induxerit contra contumaces nouam excommunicationem.

Decernere non est præcisè declarare.

Dico quintò. Si fuerit absolutus in articulo mortis à quocunque simplici Sacerdote, & conualuerit, intelligitur pro illo anno, pro quo sic fuit absolutus, satisfecisse etiam præcepto annuæ confessionis. In hoc etiam consentiunt *D. Thomas loc. cit.* (dum dicit eum, qui fuit absolutus in articulo mortis, *non teneri recurrere ad proprium Sacerdotem, vt iterum à peccatis soluatur, sed vt innotescat ei, quod est absolutus*, vbi nota illas particulas, *vt innotescat ei, quod est absolutus*; non est autem necesse, vt innotescat proprio Sacerdoti, quod fuerit absolutus, nisi in ordine ad annuam confessionem, cum in ordine ad aliam proprius Parochus nullam ius habeat, qui propterea ex necessitate non est certificandus) *Sotus, & Ghetius loc. cit.* Ratio autem ex eo deducitur, quia *in c. omnis vtriusque sexus de pæn. & remis.* præcipitur, vt quisque teneatur semel in anno confiteri nullo præscripto determinato tempore; hoc autem verificaretur respectu illius, qui in articulo mortis confessus, & absolutus est, cum verè possit dici pro illo anno confessus, ergo &c.

8 Absolutus in articulo mortis satisfecit præcepto annuæ confessionis.

Hæc adeo vera sunt, vt etiam si post absolutionem habitā in illo articulo intra illū annum alia peccata lethalia cōmiserit, non teneatur ex vi annuæ confessionis intra illum annum illa subijcere; non enim quotiescunque quis peccat, tenetur peccatum statim subijcere, sed sufficit, quod semel in anno subijciat. Dixi, *ex vi annuæ confessionis*, nam, si vel in Paschate, vel alio tempore etiam deuotionis causa deberet, vel vellet Eucharistiam sumere, teneretur peccata læthalia, quæ post illam absolutionem commisit, confiteri, ne indignus eandem Eucharistiam sumeret.

Intellige quantum est ex vi annuæ confessionis.

Dices, Confessionem habere in articulo mortis est in adimplementum iuris Diuini, quod tunc obligat, quantumuis pro eo anno confessio fuerit antecedentèr habita, ergo illa habita iterum habenda erit in adimplementum iuris Ecclesiastici, quātumuis antecedentèr fuerit habita ex iure Diuino. Sed contrà, quia ius Diuinum determinatè præcipit confessionem in articulo mortis, siue antecedentèr fuerit habita confessio, siue non; ius autem Ecclesiasticum solum præcipit confessionem semel in anno; vnde in primo casu non satisfit iuri Diuino, nisi confessio fiat pro periculi mortis tempore, nec confessio antecedentèr posita potest ad articulum mortis referri; in secundo autem casu satisfit præcepto Ecclesiastico, si semel in anno confessio fiat, pro quocunque tempore intra annum fiat; nec obstat, quod in articulo mortis facta fuerit in executionem præcepti Diuini, quia non est aliqua repugnantia, quominus per vnum, & idem opus satisfiat duplici præcepto.

9 Non currit paritas de iure Diuino obligante in articulo mortis post annuam confessionem.

Dico sextò. Ratio, ob quam absolutus in articulo mortis ab excommunicatione teneatur, si conualuerit, se præsentare Superiori, à quo lata est illa excommunicatio, vt satisfaciat, non teneatur autem se præsentare, si in eodem articulo fuerit absolutus à peccatis eidem Superiori reseruatis, duplex potest assignari; altera deducta ab extrinseco, nempè ex eo, quod præsentatio Superiori post obtentam absolutionem ab excommunicatione est præscripta à iure *in d. c. eos qui de sent. excomm. in sexto*, sub pæna reincidentiæ, præsentatio verò eidem post absolutionem habitam ab inferiori quoad peccata reseruata, nullibi est præscripta; Altera deducta à principio intrinseco sita in eo, quod excommunicatio regularitèr fertur, vel ob crimen notorium, vel ob contumaciam contrà Ecclesiasticas sanctiones, vel in detrimentum alterius, quæ propterea exigit satisfactionem non solum Deo exhibendam, sed etiam Ecclesiæ, vel alteri læso, vnde textus *in d. c. eos, qui de sent. excomm. in sexto*, dicit *satisfacturi*, & *D. Thomas in quarto dist. 20. qu. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad secundum*, asserit *satisfactionem offerens*, quæ satisfactio exigenda est per superiorem excommunicantem; reseruatio autem est propter grauitatem, & frequentiam peccati etiam occulti, quod redundat dumtaxat in detrimentum delinquentis, & propterea videtur sufficere satisfactio Deo exhibenda.

10 Ratio, ob quam teneatur absolutus à censura se præsentare, non sic absolutus à reseruatis.

AR-

ARTICVLVS V.

An potestas, quam habet quilibet Sacerdos absoluendi in articulo mortis, procedat à iure Diuino, an tantum Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

Sententia docens hanc potestatem absoluendi in articulo mortis prouenire à iure Diuino. 1.
Rationes pro hac sententia. 2.
Sententia docens, esse tantum ex facultate, & concessione Ecclesiæ. 3.
Radicalitèr prouenit à iure Diuino, formalitèr ab Ecclesiastico. 4.
Conciliatio argumentorum contrariorum. 5.

1 Sententia docens prouenire à iure Diuino.

PRo vtraque parte militant DD. *Paludanus in 4. dist. 20. q. 1. concl. 1., Capreolus item in 4. dist. 19., & alij plures* sentiunt procedere de iure Diuino, quorum rationes eas arbitror esse, quia Christus Dominus, in quo residet primaria potestas ordinis, & iurisdictionis instituit hoc Sacramentum, nedum tanquam remedium salubre, sed necessarium lapsis ad resurgendum à peccatis, &, licet contulerit Ecclesiæ potestatem iurisdictionis pro illius exercitio communicandam Sacerdotibus secundum regulatum ipsius arbitriũ, quæ propterea communicat modo magis, modo minus restrictè, & amplè, non est præsumendum, quod pro statu, in quo maximè periclitatur salus æterna, qualis est articulus mortis, voluerit relinquere arbitrio Ecclesiæ, sed indefinitè reliquerit omnibus Sacerdotibus potestatem absoluendi. Secundò, quia pro illo statu articuli mortis ius Diuinum obligat independentèr ab Ecclesia ad confessionem peccatorum, ergo pro illo statu præsumendum est, quod concesserit quamcunque facultatem, vt haberi possit confessio, cæteroqui onus imposuisset, quod quandoque non posset adimpleri. Tertiò, quia facultas absoluendi in articulo mortis cõpetit etiam præcisis ab Ecclesia, Hæreticis, & Apostatis à fide; à quibus Ecclesia omnem subtraxit facultatem, quosque non recipit, vt membra saltem in actu, ergo præsumendum est, quod talis facultas non ab Ecclesia, sed à Christo Domino illis sit concessa.

2 Rationes pro hac sententia.

3 Sententia docens esse tantũ ex cõcessione Ecclesiæ.

Sotus verò *in 4. dist. 18. q. 4. art. 4., Durandus in 4. dist. 10. q. 2., Medina q. 36., Valentia disp. 7. q. 1. punct. 2., Suarez disp. 26. sect. 5., & alij magis communitèr*, sustinent non à iure Diuino, sed ex Ecclesiæ commissione hanc facultatem competere; quorum rationes sunt. Primò, quia Christus Dominus potestatem iurisdictionis contulit Ecclesiæ, vt de eadem iuxta suam ordinationem disponeret, ergo præsumendum est, quod eadem Ecclesia iuxta facultatem sibi concessam de ea pro quocunque statu disponat, adeoque ipsa indulgeat, vt pro statu periculi mortis quicunque Sacerdos illa vtatur. Secundò, quia Ecclesia in quibuscunque reseruationibus, & censuris solet facultatem absoluendi adimere excipiendo præterquam in articulo mortis; frustra autem fieret illa exceptio, si facultas pro illo statu absoluendi procederet immediatè à Christo Domino. Tertiò, quia quilibet Confessarius pro illo mortis periculo solum habet vsum iurisdictionis Ecclesię, non iurisdictionem ab illa distinctam, vt considerauit *Dominicus Sotus loc. mox cit.* cuius placet verba referre. Ibi. *Quia Ecclesia acceptat, vt quilibet Sacerdos absoluere possit in articulo mortis, ideo ex hoc ipso quis iurisdictionis habet vsum, quamuis iurisdictione careat.*

Rationes pro eadẽ.

Quid iam in hac controuersia concludendum? Res videtur parui ponderis, nam constito, quod re vera illa facultas competat omnibus Sacerdotibus in illo mortis articulo, parũ referre potest quoad eiusdem vsum, quod procedat vel à iure Diuino, vel à Pontificio. Nihilominus, ne hanc indecisam relinquamus, quasi conciliando vtramque sententiam dicere possumus, hanc facultatem quoad singulos Sacerdotes absoluendi in illo articulo radicalitèr procedere à iure Diuino, formalitèr à iure Ecclesiastico; non etenim denegari potest, quod Christus Dominus in institutione huius Sacramenti commiserit eiusdem administrationem Ecclesiæ iuxta indigentiam fidelium ad finem, ad quem instituit, qui est remedium peccatorum, ne eorum æterna salus depereat, & sic fons talis facultatis est à Christo Domino; accepta deinde ab Ecclesia tali facultate non est, cur illius vsus, & dispositio formalitèr ab eadem secundum hominum status, & exigentiam non proueniat iuxta tamen mentem instituentis.

4 Radicalitèr prouenit à iure Diuino formalitèr à iure Ecclesiastico.

Quamobrem argumenta pro prima sententia allegata referenda sunt, vt probent principium radicale talis potestatis absoluendi in tali mortis articulo refundendum esse in ius Diuinum, nempè in Christum Dominum institutorem huius Sacramenti; principium verò formale in Ecclesiam interpretem mentis, & dispositionis Christi Domini.

5 Conciliatio argumentorũ contrariorum.

AR-

ARTICVLVS VI.

An poteſtas conceſſa cuilibet Sacerdoti abſoluendi in articulo mortis ſit abſoluta, an verò tantum conditionalis.

SVMMARIVM.

Difficultates, quæ circa titulum emergunt. 1.
Probabilius talis facultas eſt tantum conditionalis, & quomodo. 2.
Extante alio approbato nulla vrget neceſſitas. 3.
Intellige, ſi approbatus præſens velit abſoluere. 4.
Si approbatus fuerit præſens, ſed non benè viſus pœnitenti periclitanti, poteſt alter non approbatus ipſum abſoluere. 5.
Verba generalia Tridentini ſunt limitanda ad normam finis. 6.
Simplicitèr approbatus poteſt abſoluere in illo mortis periculo à reſeruatis etiam præſente approbato ad reſeruata. 7.
In illo periculo ſublata eſt omnis reſeruatio. 8.
Exiſtentibus duobus Sacerdotibus vno nullibi approbato, altero approbato in aliena Diœceſi, poteſt alter ipſorum indefinitè in illo articulo abſoluere. 9.
Extante ſimplici Sacerdote non approbato, & approbato, ſed excommunicato præferendus eſt ſimplex. 10.
Excommunicatus vitandus, ſi in illo articulo præſente ſimplici Sacerdote abſoluat rationes ſuadentes inualidè abſoluere. 11.
Rationes ſuadentes validè abſoluere. 12.
Iſtæ rationes præferuntur. 13.
Quinam ordo ſit ſeruandus inter plures diuerſis cenſuris irretitos. 14.

1 Articuli examinandi circa titulum.

SEnſus tituli hic eſt, an quilibet Sacerdos conſtituto aliquo in articulo mortis poſſit abſolutè eidem impendere beneficium abſolutionis, ſiue nullus alius approbatus ſit præſens, ſiue alius approbatus ſit præſens, qui poſſit, & velit abſoluere, an verò tantum, quando nullus alius ſit præſens. Porrò data ſuppoſitione, quod hæc facultas ſit dumtaxat conditionalis, controuertendum erit, quinam ordo ſeruandus erit inter multos ibi exiſtentes, quorum alter ſit approbatus, alter ſimplex Sacerdos, ſed non approbatus, nulla tamen alia labe, ſeu defectu infectus, alter antecedentèr quidem approbatus, ſed modo excommunicatione irretitus, alter degradatus, alter præciſus, ſeu Hæreticus, & Apoſtata à fide.

Concluſio I. Probabilius eſt, talem facultatem eſſe tantum conditionalem, ea conditione, niſi ſit alius Sacerdos approbatus, qui legitimè poſſit, & velit abſoluere *Sotus in 4. diſt. 18. q. 4. art. 4. col. 4.*, *Franciſcus Victoria de Sacram. num. 156.*, *Mendoza vol. 1. de fide diſp. 82. ſect. 6. §. 163.*, *Filliutius tract. 7. c. 8. punct. 8.*, *Suarez diſp. 26. ſect. 4. num. 4.*, *Reginaldus lib. 1. n. 61.* quidquid ex aduerſo dixerint *Ledeſma tom. 1. tract. de pœnit. c. 14. diffic. 2.*, *Zerola in praxi de pœnit. c. 15. q. 4., & 5.*, qui innituntur illi principio, quod *Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 7.* æquè omnibus Sacerdotibus tribuat facultatem abſoluendi in articulo mortis nulla facta reſtrictione ad approbatos.

2 Probabilius eſt tantum conditionalis.

Ratio ex eo deducitur, quia facultas conceſſa ſimplicibus Sacerdotibus abſoluendi in articulo mortis eſt propter neceſſitatem, quam tunc habet in illo conſtitutus, vt ſibi ſubueniat de opportuno, & certiori remedio ad æternam ſalutem conſequendam, ſed extante Sacerdote approbato ceſſat neceſſitas ſibi ſubueniendi per ſimplicem Sacerdotem, cui non confertur poteſtas vſus iuriſdictionis, niſi ratione neceſſitatis, cui aliter nequeat occurri, ergo &c. Hic aduerte, quod, licet DD. communitèr videantur loqui, quando eſt præſens proprius Sacerdos, nomine tamen proprij Sacerdotis large ſumatur, vt notat *Franciſcus à Victoria de Sacram. n. 156.* quicunque habet iuriſdictionem ſiue ordinariam, ſiue delegatam.

3 Extante alio approbato nulla eſt neceſſitas.

Dixi, *ſi ipſe velit*, nam, ſi ipſe renuerit excipere illam confeſſionem, & abſoluere, poterit alter non approbatus recipere, & abſoluere; tum quia approbatus nolens abſoluere in ordine ad hunc effectum perinde eſt, ac ſi eſſet abſens; tum quia tunc vrget neceſſitas ſubueniendi periclitanti, quæ eſt ratio conceſſionis ponderata à *Concil. Trident. d. ſeſſ. 14. c. 7.*

4 Intellige, ſi approbatus præſens velit abſoluere.

Sed quid erit dicendum, ſi Sacerdos approbatus ibi præſens velit quidem recipere confeſſionem, & abſoluere; ſed pœnitens in illo periculo conſtitutus parum fidat, eidem ſtatum propriæ conſcientiæ depromere, vel ob nimiam familiaritatem, quæ cum ipſo antecedentèr præceſſit, vel ob diſſenſiones cum ipſo habitas, vel ob timorem, ne ſecreta detegat, vel ob dubiũ, ne complicem agnoſcat; an tunc poterit pœnitens non approbato confiteri, & abſolutionem ab eo recipere? Stante procliui admodum Eccleſiæ piæ Matris diſpoſitione ad conſulendum proprijs filijs in eorum neceſſitatibus præcipuè in ordine ad æternam ſalutem non dubitarem, aſſerere in hac hypotheſi, vtique poſſe penes non approbatum confiteri, ab eoque recipere abſolutionem, ne nimis ardua, & anguſtijs

5 Exiſtente approbato nõ benè viſo pœnitenti poteſt alter non approbatus ipſum abſoluere

stijs plena fieret confessio, si habenda esset apud approbatum sibi non benè visum, & cui parum fidit; vnde ex vno capite vrgente mortis periculo Ecclesia facilius gremium aperit ad veniam, & ex alio non videtur in illo statu obligare cum tot anxietatibus, & tanto discrimine periclitantis.

Nec mihi aliquid negotij facescit id, quod obijcitur ex *Trident. sess. 14. c. 7.* tribuente generalitèr, & sine vlla restrictione æquam facultatem absoluendi cuilibet Sacerdoti in illo mortis articulo. Non, inquam, aliquod negotij facescit, quia facultas à Tridentino concessa regulanda, & limitanda est ex fine, ob quem fuit concessa, qui fuit ad consulendum saluti patientis, quæ necessitas cessat existente Sacerdote proprio, vel approbato, cui confitendo potest patiens sibi perfectè consulere.

6 Verba generalia Tridentini sunt limitanda iuxta finem.

Conclusio II. Existentibus duobus Sacerdotibus altero approbato simplicitèr ad confessiones, altero etiam approbato quoad reseruata, non est necesse pænitentem irretitum peccatis reseruatis in articulo mortis constitutum recurrere ad approbatum etiam quoad reseruata, sed potest vti etiam simplicitèr approbato. In hanc consentit *Reginaldus lib. 1. num. 61.*

Ratio ex eo deducitur, quod habetur in *Concil. Trident. sess. 14. c. 7.* Ibi- *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis*; si ergo in illo articulo nulla est reseruatio, vtiq; quilibet Sacerdos approbatus poterit æquè à non reseruatis, ac à reseruatis absoluere, cum cessante reseruatione omnes approbati æqualem habeant potestatem.

7 Approbatus simplicitèr potest absoluere à reseruatis etiã præsente approbato ad ista.

Dices, existentibus duobus Sacerdotibus altero approbato, altero non approbato non potest non approbatus recipere confessionem constituti in articulo mortis, eumque absoluere, ergo existentibus duobus Sacerdotibus, altero quidem approbato ad omnia, altero tantum ad non reseruata non poterit hic recipere illius confessionem, nec absoluere, cum videatur æqua ratio in vtroque casu. Sed contra, quia ex modo, quo loquitur Concilium, apparet diuersitas in vtroque casu, nam loquens in ordine ad reseruata absolutè dicit, nullam esse reseruationem in articulo mortis, vnde reducit eadem peccata reseruata ad auctoritatem, & potestatem cuiuscunque Confessarij approbati ordinariam, sicuti erant antecedentèr ad reseruationem; loquens verò in ordine ad quæcunque peccata non tribuit facultatem quibuscunque Sacerdotibus absoluendi, nisi ratione necessitatis, quæ cessat existente Sacerdote approbato; nec mirum est, quod reseruationem in illo mortis articulo adimat absolutè respectu cuiuscunque Confessarij approbati; facultatem autem absoluendi respectu non approbati non conferat, nisi conditionatè, quia reseruatio est odiosa, & omnia odia pro illo statu cessare debent; auctoritas autem absoluendi est beneficium propter necessitatem, qua cessante cessare debet.

8 In illo periculo sublata est omnis reseruatio.

Conclusio III. Existente vno Sacerdote nullibi approbato, & altero approbato non in illa Diæcesi, in qua quis est constitutus in articulo mortis, sed in aliena, probabilius potest pœnitens indefinitè, vel ab vno, vel ab altero in illo statu absolui *Trullench. in Bullam cruciatæ lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 5. num. 4., Diana part. 5. tract. 63. resol. 60. §. notandum,* contrà *Mendozam vol. 1. de fid. disp. 82. sect. 6. §. 163.*

Ratio ex eo deducitur, quia approbatus in aliena Diæcesi nullam habet iurisdictionem in ista nec ordinariam, nec delegatam, ac proinde se habet in ista, ac si non esset approbatus, sed simplex Sacerdos, ergo æquè alius nullibi approbatus, ac iste approbatus in aliena Diæcesi, & non in ista poterit pænitentem in articulo mortis constitutum absoluere, & inter istos dabitur locus præuentioni; Neque obstare potest, quod in approbato in aliena Diæcesi præsumatur scientia sufficiens, non sic in alio nullibi approbato; Non, inquam, obstare potest, quia scientia secundum se non confert maiorem iurisdictionem, licet possit esse ratio, ob quam facilius concedatur; vnde potest esse iurisdictio cum approbatione in minus sciente, & non esse in alio, qui maioribus scientijs, & peritia pollet; & sic in illo mortis periculo potius attendenda est iurisdictio, quam scientia, & cum iurisdictio sit æqualis, hinc est &c.

9 Approbatus in aliena Diœcesi in ordine ad istam perinde est, ac si non sit approbatus.

Conclusio IV. Concurrente in mortis articulo simplici Sacerdote cum Sacerdote approbato, sed excommunicato denuntiato in confessione recipienda præferendus est Sacerdos simplex excommunicato *Mendoza vol. 1. de fide disp. 83. sect. 6. §. 145., Diana part. 5. tract. 3. resol. 60. vers. libet.*

10 Simplex præferendus est approbato excõmunicato.

Ratio ex eo deducitur, quod ex vno capite excommunicatus denuntiatus caret iurisdictione; ex alio capite est vitandus, nec potest maximè in sacris communicare; simplex verò Sacerdos caret dumtaxat iurisdictione, ergo hic erit illi præferendus. Confirmatur primò, quia excommunicato resistit positiuè per voluntatem contrariam Ecclesia; simplici autem Sacerdoti positiuè non resistit per voluntatem contrariam, sed tantum non confert, nisi vltima necessitate cogente. Confirmatur secundò, quia excommunicato vitando

tando interdicta est absolutio etiam quoad peccata venialia, non autem simplici Sacerdoti, ergo &c.

Hic solum oritur difficultas, an simplex Sacerdos ita sit præferendus Sacerdoti excommunicato vitando, vt, si iste illo neglecto absoluat, intelligatur inualida absolutio, an solum intelligatur excommunicatus peccasse in illa absolutione. Hoc, quod quæritur de absolutione ab excommunicato in ordine ad simplicem Sacerdotem, habet locum etiam in ordine ad non approbatum existente approbato. Ex eo, quod dixerimus, simplicibus Sacerdotibus non approbatis non competere facultatem absoluendi, nisi vrgente necessitate articuli mortis, & conditionalitèr, si scilicet non existat approbatus, quo existente cessat talis necessitas, videtur absolutè dicendum, quod, si excommunicatus vitandus absoluat existente Sacerdote non excommunicato, & Sacerdos non approbatus existente approbato inualidè absoluat defectu potestatis in vtroque absoluendi, dum respectu vtriusque cessat necessitas ratione existentiæ non excommunicati, & approbati respectiuè. Ex alia parte, cum pœnitens reperiatur in vltima necessitate, & præstet quantum in se est, vt consequatur beneficium absolutionis, & remissionis peccatorum, & pia Mater Ecclesia semper, & præcipuè in illo extremo necessitatis indulgeat, quantum potest, sic indigentibus, præsumendum est, quod non deneget facultatem ad validam absolutionē in ordine ad quemcunque Sacerdotem, & hoc fauore pænitentis, licet decernat ordinem seruandum ad licitè impendendam absolutionem eandem, quo non seruato Confessarius, qui inordinatè absoluit, contrahat grauem noxam. Piè interpretans mentem Ecclesiæ in fauorem periclitantis asserendum existimo, validam fore absolutionem, sed illicitam ex parte absoluentis; nec obstant ea, quæ pro parte aduersa afferebantur, facultatem scilicet non concedi, nisi ratione necessitatis, quæ necessitas considerari non potest existente approbato, & respectiuè non excommunicato; Non obstant, inquam, quia Ecclesia, quæ omnibus modis in illo statu existentibus consulere studet, ne deficiat in illa vltima necessitate ex defectu Sacerdotis, non est præsumenda facultatem subtrahere, quam omnibus Sacerdotibus tunc concedit, licet præscribat ordinem seruandum, vt licitè fiat.

11 Rationes suadentes excōmunicatum vitandū extante simplici Sacerdote inualidè absoluere.

12 Rationes suadentes validè absoluere.

13 Istæ præferuntur.

14 Quinam ordo sit seruandus inter plures diuersis cēsuris irretitos.

Conclusio V. Concurrentibus pluribus diuersis censuris irretitis hic ordo seruandus est in receptione confessionis constituti in articulo mortis, eiusque absolutione, vt interdictus, & suspensus præferatur excommunicato denuntiato, excommunicatus degradato, degradatus præciso ab Ecclesia, hoc est Hæretico, & Apostatæ à fide. Consentiunt in hoc *Mendoza vol. 1. de fide disp. 82. sect. 6. §. 156., Reginaldus lib. 1. num. 61.*

Ratio ex eo deducitur, quod in ordine ad effectum exercitij iurisdictionis quoad prælationem in impeditis illud magis, vel minus impedit, per quod quis est magis, vel minus præcisus ab Ecclesia, & eius muneribus, sed Apostata à fide, & Hæreticus est magis ab Ecclesia præcisus, quam degradatus, degradatus magis, ac excommunicatus, excommunicatus magis, ac suspensus, & interdictus, ergo &c. Minor probatur, quia Hæreticus, & Apostata à fide pertinacitèr deficiunt à fundamento, cui innititur Ecclesia, nempè à fide; Degradatus non solum est eradicatus ab exercitio cuiuscunque ordinis Ecclesiastici, sed etiam à potentia proxima ad idem exercitium, excommunicatus verò est priuatus quacunque iurisdictione, & communione sacrorum, & fidelium participatione; suspensus verò, & interdictus est solummodo prohibitus ab exercitio ordinis, à quo est suspensus, & à loco sacro &c. Magis autem est præcisus ab Ecclesia, qui pertinacitèr deficit à fide, quam qui est eradicatus à potentia proxima exercitij ordinum, & magis iste, quam qui caret iurisdictione, & participatione sacrorum, & magis iste, quam prohibitus ab exercitio ordinum, & à loco, ergo &c.

Rationes pro hoc ordine.

ARTICVLVS VII.

An simplex Sacerdos, qui absente Confessario approbato cæpit audire confessionem existentis in articulo mortis teneatur desistere superueniente approbato.

SVMMARIVM.

Articuli hic examinandi. 1.

Confessio incæpta cum simplici Sacerdote in articulo mortis potest apud eundem perfici non obstante, quod superueniat proprius Parochus. 2.

Cognita inualiditate confessionis habitæ in articulo mortis apud Sacerdotem non approbatum extante approbato est coram isto repetenda. 3.

Si pœnitens in articulo mortis oblitus fuerit alicuius peccati potest illud exponere primo Sacerdoti non approbato, quamuis tunc sit præsens approbatus. 4

Arguitur inconsequentia Ludouicus della Crux. 5.

ID

ID, quod proponitur de simplici Sacerdote superueniente ad incæptam confessionem approbato, vel proprio Parocho, intelligendum videtur de excommunicato superueniente non excommunicato habente legitimam facultatem, & sic de cęteris recensitis in pręcedenti articulo seruato ordine, de quo fuimus locuti. Ex occasione etiam propositi tituli hic erit inquirendum, an si moribundus confessionem inualidam ex aliquo titulo habuerit apud simplicem Sacerdotem ipso dumtaxat tunc existente, & cognita inualiditate velit ipsam repetere, & tunc superuenerit approbatus, teneatur repetere coram approbato, an verò possit repetere coram simplici Sacerdote, apud quem primò confessus est, licet inualidè. Item, si fecerit quidem confessionem validam, sed habita absolutione recordatus fuerit alicuius peccati in eadem confessione obliti, & tunc superuenerit approbatus, teneatur peccatum illud oblitum exponere coram approbato, an verò possit illud subijcere primo, à quo fuit ab alijs absolutus.

1 Examinanda circa pręsentem titulum.

Conclusio I. Incępta confessione vita periclitantis apud simplicem Sacerdotem tunc alio approbato non existente potest eandem penes eundem perficere, & absolutionem ab eodem recipere non obstante superuenientia proprij Parochi, vel alterius approbati. Idem dic de cęteris supra recensitis. In hoc consentire videntur *Mendoza loc. quo supra, Granadus in 3. part. controuers. 7. tract. 10. disp. 4. sect. 2. n. 10., Diana part. 5. tract. 3. resol. 66.*

2 Confessio incæpta cum non approbato est perficienda apud eũdem etiã si superueniat approbatus.

Ratio ex eo deducitur, quia tunc, quando simplex Sacerdos nullo alio approbato existente cępit moribundi confessionem audire, acquisiuit plenam potestatem in ordine ad perfectam confessionem eiusdem; vbi autem legitimè iudicium cęptum est, ibi finiri debet iuxta textum *in l. vbi cæptum 30. ff. de iud.*, nec emergente priuilegio alio auocari, aut deduci negotium, de quo agitur, potest *l. si quis postea, ff. de iudicijs, & l. penult. ff. de iurisd.* Confirmatur, quia nimis durum, & arduum esset pænitenti maximè in periculo mortis constituto, si postquam Sacerdoti ex facultate eidem ab Ecclesia, & pręcipuè ex *Trident. d. sess. 14. de pænit. c. 7.* competente sua peccata cęperit exponere, teneretur eadem alteri superuenienti iterum exponere, ergo, nedum validè, sed etiam licitè poterit pænitens apud eundem suam confessionem perficere, & ab eodem recipere absolutionem.

Conclusio II. Si pænitens in articulo mortis penes Confessarium non approbatum confessionem inualidam fecerit, & cognita inualiditate velit eam repetere superueniente approbato, non potest licitè eam repetere penes primum Confessarium non approbatum, apud quem primam fecit. Est contrà *Ludouicum della Crux in Bulla Cruciata disp. 1. c. 3. dub. 15. num. 13., Dianam part. 5. tract. 3. resol. 66. §. sed quid.*

3 Cognita inualiditate confessionis habitę cũ non approbato iterari debet cũ approbato, si extet.

Ratio est, quia, cum illa confessio fuerit inualida, perinde est, ac si non fuerit facta, ergo repetenda erit secundum iuris dispositionem, secundum quam existente approbato non potest non approbatus absoluere, sed in hac hypothesi approbatus existeret pro tempore, quo est repetenda, ergo &c. Neque dicas; ex quo iam pænitens subiecit peccata sua primo Confessario non approbato, videtur ius acquisiuisse, vt coram illo confessio reducatur ad actum perfectum per validam absolutionem, cæteroquì nimis graue onus ipsi impenderet, si teneretur eadem peccata apud alium repetere. Contrà enim impugnaberis, quia, cum supponatur inualiditas prouenire ex defectu eiusdem pænitentis, debet sibi imputare illud onus repetendi apud alium approbatum peccata sua.

Ratio secunda est, quia Confessarius non approbatus iam intelligitur perfecisse munus suum per absolutionem, quam dedit, quo posito, cum eius auctoritas non perseueret, nisi durante necessitate, non videtur posse amplius se ingerere.

Conclusio III. Si pænitens in articulo mortis apud Confessarium non approbatum confessus fuerit validè peccata sua, & absolutionem obtinuerit; & deinde recordatus fuerit alicuius alterius peccati, quod velit exponere existente tunc alio Sacerdote approbato, probabilitèr potest relicto approbato, qui superuenit, exponere primo à quo primam absolutionem receperat.

4 Peccatũ oblitum corã non approbato potest corã eodẽ exponi etiã existente tunc approbato.

Ludouicus della Crux d. disp. 1. c. 3. dub. 15. qui in casu præcedentis conclusionis docuit, posse existentem in articulo mortis, qui confessus fuit inualidè apud Confessarium non approbatum, etiam superueniente Parocho, vel alio approbato repetere confessionem apud primum; modo statuit, si confecit confessionem validam, & deinde superueniente Confessario approbato recordatus fuit alicuius alterius peccati obliti, teneri hoc peccatum in prima confessione valida oblitum exponere non primo, sed Confessario approbato, ea ductus ratione, quod hæc est noua confessio non dependens à prima. Melius meo videri dixisset, si rationem istius secundi sui dicti refudisset in eo, quod grauamen in hoc non sentiat pænitens repetendi idem peccatum penes duos, cum idem primo non patefecerit; quod grauamen putaretur,

5 Arguitur inconsequentię Ludouicus della Crux.

tur, si teneretur peccata, quæ primo exposuit, alteri superuenienti patefacere.

Sed non possum eidem acquiescere; nam in hoc secundo casu de peccato oblito confessio respicit integritatem præcedentis confessionis, vi cuius intelligitur remissum, vnde tanquam pars ad ipsam refertur; in casu verò confessionis inualidæ, cum perinde se habeat, ac si non fuerit posita, nec aliquid per ipsam intelligitur positum in esse, adeoque integrè est ponenda pro tempore, pro quo cessat necessitas; Nec vrget, quod pænitens in hoc secundo casu grauamen pateretur in exponendo alteri peccata, quæ iam exposuerat primo, quod non militat in casu peccati obliti; Non vrget, inquam, quia debet sibi imputare, quod inualidè eidem primo exposuerit, & onus exponendi peccata Confessori approbato non extante necessitate præualere debet grauamini iterum exponendi peccata, quæ ritè non fuerunt exposita.

Soluitur instantia opposita.

ARTICVLVS VIII.

An cuilibet Sacerdoti ex vi ordinationis competat facultas absoluendi à venialibus, & læthalibus iam ritè confessis.

SVMMARIVM.

Sententia docens, simplicem Sacerdotem posse à venialibus absoluere. 1.
Sententia negans posse. 2.
Fundamentum dubitationis. 3.
Decretum Sacræ Congregationis vetat sub pænis. 4.
Non potest simplex Sacerdos stante tali decreto absoluere. 5.
Explicatur circa hoc dictum D. Thomæ. 6.
Euincitur potestas Ecclesiæ impediendi talem absolutionem. 7.

PRocedit titulus de huiusmodi facultate extra casum necessitatis, & de Sacerdote simplici, qui tamen non sit innodatus aliqua censura; & difficultas potissimum nunc temporis vrget ex eo, quod Sacra Congregatio die 12. Februarij 1679. Episcopis, & Ordinarijs locorum præcepit, ne permittant, vt venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario, ex qua ordinatione videtur deduci non inesse cuilibet Sacerdoti facultatem ex vi ordinationis absoluendi à venialibus.

D. Thomas in 4. dist. 18. q. 2. art. 3. quæstiunc. 1. ad tertium, expressè asserit, quod remissio venialium sequitur potestatem ordinis, quem textum communitèr explicantes Thomistæ asserunt, quod ad remissionem venialium non est opus iurisdictione addita etiam ratione, quod iurisdictio nulla est, vbi nulla inuenitur vis cogendi, nec vllus potest cogi ad confessionem venialium, quæ alia via remitti possunt ab illa confessionis. D. Thomam sequuntur omnes ferè eius discipuli, & item *Viualdus in candel. aur. tit. de absolutione num. 18., Vasquez q. 93. art. 1. dub. 6. num. 5., Suarez disp. 26. sect. 5. num. 5., & seqq., Pesantius in addit. ad tertiam part. q. 10. disp. 6., Coninckus disp. 8. dub. 2. n. 17., Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 10. punct. 2. sub fin.*

1 Sentẽtia docens simplicẽ Sacerdotem posse à venialibus absoluere.

Ex aduerso *Faber in 4. dist. 17. q. vnic. disp. 25. c. 3. n. 71.* asserit etiam ad remissionem venialium requiri licentiam Ordinarij, cum sit actus iurisdictionis, fit enim per modum iudicij; nec alicubi constat, quod Sacerdos habeat iurisdictionem absoluendi à venialibus; vnde DD. plurimi asserunt, potestatem huiusmodi in simplicibus Sacerdotibus absoluendi a venialibus, & læthalibus iam ante legitimè confessis non procedere ex vi ordinationis, sed ex tacita Ecclesiæ concessione.

2 Sentẽtia negans posse absoluere.

Pendet igitur resolutio præsentis difficultatis à decisione huius articuli, an hæc potestas absoluendi à venialibus pendeat à iure Diuino ex vi ordinationis simplicitèr, an verò ex iure merè positiuo humano, ex tacita scilicet concessione Romani Pontificis; si etenim procederet ex ordinatione Diuina, non video, quomodo possit per Ecclesiam, seu decreta Pontificum, seu Sacræ Congregationis auferri; si verò procedat ex tacita Ecclesiæ permissione, non video, cur D. Thomas loc. cit. asseruerit remissionem venialium sequi potestatem ordinis.

3 Ratio, cui innititur hęc difficultas.

Magnam vim facit auctoritas D. Thomæ, sed maiorem Sacræ Congregationis Card. Sacri Concil. Trident. interpretum relata ordinatio, quæ, dum iubet, ne Episcopi, & locorum Ordinarij permittant, vt venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, vel Ordinario, videtur, quamcunque facultatem circa eadem venialia ademisse; quia tamen hoc vetat sub grauibus pænis, non tamen irritam declarat confessionem factam simplici Sacerdoti quoad venialia, adhuc relinquit locum dubitandi de validitate huiusmodi Confessionis.

4 Decretũ Sacrę Cõgregationis vetat sub grauibus pęnis.

Veneror ordinationem Sacræ Congregationis, quam propterea absolutè amplectendam arbitror; cum etenim huiusmodi venialium confessio fiat per modum iudicij, requirit iurisdictionem in iudicante, quæ regularitèr concessa est Ecclesiæ, quæ

5 Probabilius non potest simplex Sacerdos absoluere

que communicat Sacerdotibus prout vult, & suspendere potest, prout vult; & licet Ecclesia imperare non possit venialium confessionem, cum alia via, alioue remedio remitti possint, ex quo tamen voluntariè subduntur in ordine ad ipsorum remissionem, & ad augmentum gratiæ, remissio fit auctoritatiuè, & per modum iudicij, quod exigit iurisdictionem; & licet hæc non extendatur ad cogendum, vt fideles venialia subijciant, extenditur tamen ad iudicandum, & ad imponendas pænas iuxta qualitatem eorundem venialium.

6 Explicatur mens D. Thomæ.

Quamobrem ad auctoritatem D. Thomæ dicendum est, ipsum dixisse remissionem venialium sequi potestatem ordinis, quia posita ordinatione ex tacita Ecclesiæ concessione sine alia approbatione permittebatur ordinatis à venialibus absoluere ad differentiam remissionis læthalium, ad quam semper fuit requisita specialis approbatio, vel adnexa beneficio, vel delegata. Quamobrem, quod tacite concedebat, potuit iuxta temporum varietatem postea moderari, & restringere dignis de causis, vt factum est per ordinationem Sacræ Congregationis supra relatam.

7 Ostenditur potestas Ecclesię impediendi talé absolutionem.

Hæc omnia, quæ dicta sunt de concessione Ecclesiæ in ordine ad peccata venialia, confirmantur ex eo, quod Ecclesia potest prohibere Sacerdotibus eorum absolutionem, vt videre est in excommunicatis, ergo ab eadem dependet facultas ab eisdem absoluendi; non enim posset talem facultatem auferre, si à Christo Domino immediatè proueniret.

ARTICVLVS IX.

De iurisdictione requisita ad ministrandum Sacramentum Pænitentiæ.

SVMMARIVM.

Ad absoluendum requiritur potestas clauium. 1.
Quid sit potestas iurisdictionis. 2.
Iurisdictio duplex, & qualis. 3.
Vtraque principalitèr residet in Romano Pontifice. 4.
Iurisdictio pro foro interno duplex, alia ordinaria, alia delegata. 5.
In Ministro huius Sacramenti necessario requiritur iurisdictio siue ordinaria, siue delegata. 6.
Hoc munus exercetur per modum iudicij. 7.
Sine eadem inualidum esset iudicium, & Sacramentum. 8.
Non valet argumentum ab alijs Sacramentis. 9.
Aliud est, quod iurisdictio conferatur ab Ecclesia, aliud quod requiratur solum de iure Ecclesiastico. 10.
Ex eo, quod in c. omnis vtriusque sexus, *requiratur proprius Sacerdos, non excluditur habens potestatem delegatam.* 11.
Quisnam dici possit proprius Sacerdos. 12.

1 Requiritur potestas clauium.

Requiri ad validè absoluendum potestatem clauium est certo certius, nec vllus est ex Catholicis, qui ambigat. Ad constituendam autem potestatem clauium requiritur, nedum potestas ordinis, sed etiam iurisdictionis. Potestas ordinis tunc Sacerdoti confertur, quando post potestatem eidem collatam ad conficiendum verum, & reale Corpus Christi Domini, Episcopus ordinans dicit, *Accipe Spiritum Sanctum; Quorum remiseris peccata &c.* nec ante illa verba ab Episcopo prolata Sacerdos habet ius aliquod in corpus misticum eiusdem Christi. De hac ordinis potestate latè egimus in quæstionibus de sacris ordinibus. Nunc agendum remanet de potestate iurisdictionis, quæ nihil aliud est, quam quidam gradus superioritatis quem quis habet in alios ad ius dicendum, qui gradus constituitur per assignationem subditorum, in quos potest ius dicere.

2 Quid sit potestas iuridictionis.

3 Iurisdictio duplex, & qualis.

Hæc iurisdictio prout ad præsentem locum attinet, est spiritualis, quæ duplex quodamodo est altera pro foro externo, altera pro interno. Prima est in ordine ad varios actus externos, quæ regularitèr residet in superioribus, puta ad iuridicè visitandos subditos, inquirendum de illorum moribus, illos coercendos, leges ferendas, excommunicationem in contumaces ferendam, & similia. Secunda est, quæ præcipuè ordinatur ad absoluendos pro foro interno pænitentes à proprijs peccatis. Vtraque hæc potestas principalitèr competit Romano Pontifici eidem immediatè tradita à Christo Domino 16. *Matthæi. Tibi dabo claues Regni Cælorum,* & secundum totam suam plenitudinem, & in omnes orbis terrarum Prælatos, & in omnes ipsorum subditos iuxta textum *in c. fin. de for. compet.* In alijs verò Prælatis residet quidem, sed secundum limitationem eis immediatè, vel mediatè constitutam à Papa, prout probat *Bellarminus tom. 1. lib. 4. c. 24. in controu. de Summo Pontif., Turre Cremata de Eccles. lib. 2. c. 54., & seqq.*

4 Vtraque principalitèr residet in Romano Pontifice.

5 Iurisdictio pro foro interno alia ordinaria, alia delegata.

Porro sistendo in iurisdictione in foro interno, prout pertinet ad præsens institutum, adhuc hæc duplex est; alia ordinaria, alia delegata. Ordinaria est, quæ annexa est alicui officio, seu dignitati, quæ propterea ipso iure competit habenti tale officium, seu dignitatem. Delegata est, quæ alteri committitur ab habente auctorita-

tem conferendi, cui non competit ex officio. Prima adhuc diuiditur in Papalem, Episcopalem, & Parochialem. Papalis, quæ competit Summo Pontifici, quæ est vniuersalissima in toto orbe in ordine ad omnes Ecclesiæ subditos. Episcopalis, quæ est vniuersalis, & competit Episcopis in tota sua Diæcesi, non quidem in ordine ad omnia, sed tantum ad non reseruata Romano Pontifici. Parochialis, quæ competit Parochis in suis respectiuè Parœcijs quoad non reseruata Romano Pontifici, seu proprio Episcopo. Secunda idest delegata, quæ committitur ab habente auctoritatem ordinariam alteri, qui non habet ex officio. His pro notitia suppositis sit

6 Requiritur iurisdictio siue ordinaria, siue delegata.

Conclusio. Ad ministrandum Sacramentum pænitentiæ necessario requiritur in ministrante iurisdictio, vel ordinaria, vel delegata. In hanc communitèr consentiunt.

Hoc manifestè euincitur ex *Concil. Florent. in instruct. Armen.*, *& ex Trident. sess. 14. de pænit. c. 7.* vbi hęc ratio adducitur, quia hoc Sacramentum per modum iudicij exercetur; in iudicio autem requiritur, & potestas in iudicante, & subiectio in iudicato, in qua potestate, & subiectione consistit propriè iurisdictio. Confirmatur primò, quia in hoc Sacramento Sacerdos exercet imperium obligans ad obseruationem eius, quod in ipso pręcipitur; imperium autem non exercetur, nisi in subditum. Confirmatur secundò, quia in omni iudicio etiam laicali non potest quilibet in quemlibet illud exercere, sed dumtaxat in subditos, cęteroqui iudicium, si fieret in non subditum, non subsisteret ex defectu potestatis in iudicante, ergo etiam in foro pęnitentiali, & Sacramentali quilibet in quemlibet non potest illud exercere, cum non minus sit ordinatum iudicium Sacramentale, ac sęculare.

7 Hoc munus exercetur per modum iudicij.

Dices primò, hęc ad summum subsistere quoad licitam administrationem, non autem quoad validam, nam etiam in alijs Sacramentis requiritur iurisdictio aliqua, & tamen, si conferantur sine ista, validè conferuntur, ergo &c. Sed contra negan-da est consequentia, nam licet in administratione aliorum Sacramentorum requiratur aliqua iurisdictio, requiritur tantum de iure Ecclesiastico, quę propterea, si deficiat, manentibus ijs, quę sunt de iure Diuino, non est, cur non debeant in substantia subsistere Sacramenta, & defectus est tantum contrà ius Ecclesiasticum, quod non inducit inualiditatem, sed tantum culpam in conferente; in Sacramento autem pęnitentię iurisdictio requiritur de iure Diuino, quę propterea, si deficiat, deficit in suo esse Sacramentum.

8 Sine eadē inualidū esset iudicium.

9 Discrimē quoad alia Sacramenta.

Vrgebis. Iurisdictio tantum de iure Ecclesiastico conceditur, si excipias Romanum Pontificem, qui immediatè illam à Deo recipit, ergo, & hęc solum de iure Ecclesiastico in Sacramento pænitentiæ requiritur, quia de eo tantum iure requiritur, à quo prouenit. Sed contrà, quia aliud est, quod concedatur à iure Ecclesiastico, aliud, quod tantum à iure Ecclesiastico requiratur. Primum conceditur; secundum negatur; Christus enim Dominus, vt supra asserebam, hoc Sacramentum instituit per modum iudicij, ad quod requiritur iurisdictio. Quod deinde contulerit Ecclesiæ potestatem illam conferendi, seu communicandi, hoc recta ratione dispositum est; cum etenim in istius Sacramenti ministerio requiratur idoneitas ad rectè hoc iudicium exercendum, nec in singulis reperiatur, sicuti eidem Ecclesiæ commissa est approbatio, ità eidem collata est potestas iurisdictionem conferendi.

10 Aliud est, quod iurisdictio conferatur ab Ecclesia, aliud, quod requiratur solum de iure Ecclesiastico.

Dices secundò, ex *c. omnis vtriusque sexus de pænit., & remission. §. si quis autem*, requiritur, vt pænitens confiteatur penes proprium Sacerdotem, cuius nomine venit solum proprius Parochus, vel eminentèr proprius Episcopus, ergo non potest validè apud alium, qui non sit proprius Parochus confiteri, quantumuis habeat iurisdictionem delegatam. Sed contrà primò aliqui restringunt textum illum non ad confessionem quomodocunque, sed tantum ad confessionem annuam, vt Pastor pro illo tempore saltem cognoscat oues proprias; sed hoc quoque non seruat communis praxis, secundum quam alij etiam à Parocho approbati pro illo tempore recipiunt Sacramentales confessiones Parochis, & locorum Ordinarijs scientibus, & non contradicentibus, vnde sufficit, quod semel in anno se præsentent Parocho. Secundò alij nomine proprij Sacerdotis intelligunt quemcunque approbatum ab Episcopo, qui, cum hoc munus exerceat tanquam vicem eiusdem gerens saltem appropriatiuè dici potest respectu pænitentis se illi subijcientis proprius Sacerdos. Tertiò iuxta *Nauarrum ad c. placuit de pænit. dist. 6. num.* 131. proprius Sacerdos tripliciter dici potest; communissimè, communitèr, & propriè, cum qua distinctione etiam transit D. Bonauentura; Communissimè dicitur talis quicunque potest absoluere pænitentem, vel ex officio, vel ex commissione sibi præstita, qui etiam dicitur Sacerdos legitimus; communitèr dici potest proprius Sacerdos, qui ex officio potest absoluere habens iurisdictionem ordinariam, vt est Papa in toto orbe, Episcopus in propria Diæcesi, Parochus in sua Parœcia; & ad hos etiam reducuntur

11 Explicatur textus in *c. omnis vtriusque sexus*.

12 Quisnam dici possit proprius Sacerdos.

Ge-

Generales Religionum in subditos totius ordinis, Prouinciales in subditos suæ Prouinciæ; Superiores locales in subditos sui Monasterij; Propriè dicitur Sacerdos proprius strictissimè, qui habet immediatam curam animarum, nec alium habet subordinatum, cuiusmodi sunt Parochi, Superiores locales &c. Cuicunque autem ex his pænitens confiteatur, dicitur proprio Sacerdoti confiteri sub aliqua ex allegatis rationibus.

ARTICVLVS X.

Quisnam possit conferre iurisdictionem delegatam ad recipiendas Sacramentales Confessiones.

SVMMARIVM.

Iurisdictio pro foro pænitentiali est delegabilis. 1.

A Romano Pontifice in toto orbe, ab Episcopo in propria Diæcesi, à Generalibus in Religione. 2.

An Parochi in sua Paræcia possint delegare, & Delegati subdelegare. 3.

De iure communi Parochus electus, & confirmatus, quantumuis non sit Sacerdos, potest alteri Sacerdoti approbato conferre potestatem audiendi confessiones suorum subditorum. 4.

Per iura municipalia alicubi interdicitur hæc delegatio. 5.

Parochus non potest ad hoc munus delegare non approbatum à proprio Episcopo. 6.

Nec Parochum alterius Diæcesis, nisi sit approbatus ab Episcopo delegantis. 7.

Nisi sit tacitus consensus proprij Episcopi. 8.

Quandonam intelligatur hic tacitus consensus. Ibid.

Delegatus simplicitèr ad audiendas confessiones non potest subdelegare. 9.

Nec delegatus ad reseruata potest quoad eadem subdelegare. Ibid.

Legatus Sedis Apostolicæ potest subdelegare. 10.

1 Hæc iurisdictio est delegabilis.

IUrisdictionem pro foro pænitentiali esse delegabilem est in iure certissimum, prout habetur *in c. omnis vtriusque sexus de pænit., & remiss.; & ex c. si Episcopus eod. tit. in sexto, in Concil. Florent. de instruct. Armen. de Sacrament. pænit., & in Trident. sess. 14. de pænit. c. 7.* Id, quod exigit titulus, est quisnam possit eandem iurisdictionem delegare. Hoc posse Romanum Pontificem indubitatum est apud omnes, cum hic habeat plenissimam potestatem a Christo Domino, non limitatam, vniuersalissimam in toto orbe, quam propterea potest vel per se ipsum, vel per alium exercere. Item Episcopum in sua Diæcesi quoad non reseruata Romano Pontifici, & Generales Religionum pro suis subditis in toto ordine, & Prouinciales in sua Prouincia, vt habetur *in c. quoniam, & c. inter cætera de offic. ord., & c. cum Episcopus eod. tit. in sexto, & c. 2. de pænitent., & remiss. in sexto;* & item Vicarios Generales Episcoporum, qui, cum habeant iurisdictionem a Romano Pontifice per textum *in c. 2. de offic. Vicar. in sexto*, censentur eandem ordinariam habere, prout latè tradit *Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 29. q. 1., & 2.* quod idem dicendum est de Vicario Capitulari sede vacante; non autem de Vicarijs foraneis, qui, cum habeant iurisdictionem solum ab Episcopis, qui nequeunt ordinariam constituere, non possunt esse, nisi delegati.

2 A quo sit delegabilis.

Difficultas igitur solummodo quoad præsentem titulum procedit quoad Parochum, vtrum scilicet possit delegare potestatē iurisdictionis alteri Sacerdoti quoad subditos propriæ Parochiæ, item quoad delegatos, an possint alios subdelegare; & quidem quoad Parochum secundum diuersas considerationes multiplex oriri potest ratio dubitandi: Prima, an si Parochus sit electus, non tamen adhuc ordine Sacerdotali initiatus, possit alteri Sacerdoti ab Episcopo, in cuius Diæcesi est Parochia, approbato conferre potestatem audiendi confessiones suorum subditorum. Secunda, an possit, quantumuis sit Sacerdos, & in plena possessione Parochiæ conferre potestatem alteri Sacerdoti, qui non sit approbatus ab Episcopo, ad audiendas confessiones. Tertia, an possit conferre potestatem absoluendi suos subditos Sacerdoti, qui sit quidem approbatus in alia Diæcesi, non autem in illa, in qua est sua Parochia.

3 An Parochi possint delegare, & delegati subdelegare.

Quoad Delegatum verò difficultas versabitur in eo, an Delegatus simplicitèr ad audiendas confessiones possit facultatem, quam habet, alteri simplicitèr subdelegare, an verò saltem quoad aliqua in particulari; Secundò, an Delegatus quoad reseruata in vniuersum possit in aliquo saltem casu in particulari subdelegare. Tertiò, an Sedis Apostolicæ Legatus possit suam potestatem delegare.

Difficultates quoad delegatum.

4 Parochus cōfirmatus quāuis non Sacerdos potest delegare Sacerdotē approbatum.

Conclusio I. Sistendo in iure communi Parochus electus, & confirmatus, quantumuis non sit ordine Sacerdotali initiatus, potest alteri Sacerdoti approbato conferre facultatem audiendi confessiones subditorum suæ Parochiæ *Nauarrus in c. placuit de pænit. dist. 6. num. 140., Reginaldus lib. 1. num. 56., Filliutius tract. 7. c. 8. q. 1. n. 199., Coninchus disp. 8. dub. 4., & alij.*

De-

Deducitur primò arg. textus *in c. suffraganeis de electione, & elect. potest.* vbi Archiepiscopo, qui adhuc pallium non habuit, conceditur potestas delegandi alios Episcopos ad consecrandum. Secundò ratione, quia, nec est repugnantia respectu eiusdem Parochi, nec respectu Delegati; non respectu Parochi, nam ipse habet iurisdictionem, quæ est annexa beneficio Parochiali, licet non habeat potestatem ordinis, ergo non est, cur eandem non possit alteri committere; non respectu delegati, quia cum ipse sit approbatus ab Episcopo, vtique habet conditiones, quæ requiruntur, vt possit delegari.

5 Per iura municipalia alicubi interdicitur hæc delegatio

Dixi, *sistendo in iure communi*; nam alicubi in iuribus municipalibus statutum est, vt sine approbatione Episcopi non possit alius à Parocho eligi ad ministranda Sacramenta, vt refert Bonacina contingere in hac Mediolanensi Diæcesi ex decretis Sinodalibus *de Sacram. pænit. disp. 5. q. 7. punct. 4. §. 1. num. 12. vers. addo*, quod tamen intelligerem, non in ordine præcisè ad audiendas confessiones, sed ad omnia ministeria Parochialia exercenda, vnde etiam *Regnaldus lib. 1. num. 51.* asserit Parochum inconsulto Episcopo curam suam Pastoralem subdelegare non posse, nisi ad breue tempus, quod aliqui restringunt ad tres hebdomadas *argumento textus in c. si quis ex clero 7. q. 1.* de qua re *Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 31. num. 11.*

6 Non potest delegare non approbatũ à proprio Episcopo.

Conclusio II. Parochus, quantumuis Sacerdos, & gaudens plena possessione beneficij non potest delegare potestatem audiendi suorum subditorum confessiones Sacerdoti non approbato ab Episcopo *Nugnus in addit. ad tertiam part. q. 8. art. 5. dub. 6., Vasquez q. 93. art. 1. dub. 5. ad fin., Conincbus disp. 8. dub. 4. num. 28.*

Hoc clarè deducitur ex *Concil. Trident. sess. 23. c. 5.* vbi præcipitur, quod nullus confessiones audiat, nisi ab Ordinario approbatus, priuilegijs, & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus; nec obstat regula generalis, secundum quam dicitur, quod habens iurisdictionem ordinariam possit illam delegare, potissimum cum in ordine ad suos subditos sit vniuersalis; Non obstat, inquam, quia, cum hæc sit subordinata Episcopo, potest ab eodem limitari potissimum in ordine ad delegationem, quando in delegando requiruntur certæ conditiones dependentes ab Episcopi examine, & cognitione.

7 Nec Parochum alterius Diæcesis.

Conclusio III. Parochus vnius Diæcesis non potest delegare Parochum alterius Diæcesis non approbatum ab Episcopo suæ ad audiendas confessiones suorum Parochianorum, nisi saltem tacitè consentiente proprio Episcopo *Bonacina de Sacram. pænit. disp. 5. q. 7. punct. 4. §. 1. n. 12. vers. nobis verò sustinendum est, Vasquez disp. 93. art. 1. dub. 5. ad fin., & alij.*

Ratio ex eo deducitur, quia Sacerdos approbatus in vna Diæcesi in aliena Prouincia perinde est, ac si esset simplex Sacerdos non approbatus per ea, quæ supra probauimus, & approbatio, quæ requiritur à *Trident. d. sess. 23. c. 15.* debet esse à proprio Episcopo, & hoc est communitèr receptum, sed Sacerdos non approbatus non potest delegari ad confessiones audiendas à Parocho quoad suos Parochianos per probata in præcedenti conclusione, ergo &c.

8 Nisi sit tacitus cõsensus proprij Episcopi.

Dixi, *nisi saltem tacitè consentiente proprio Episcopo*, nam, si Episcopus proprius vrgente aliqua causa sciret alium ab ipso non approbatum confessiones ad deputationem Parochi audire, & non contradiceret, arbitrarer, validam fore absolutionem. Hoc contingeret potissimum in casu, quo Parochi diuersæ Diæcesis haberet Parçcias confines, & alter alterum conuocaret ad audiendas suorum subditorum confessiones scientibus respectiuè Episcopis, & non contradicentibus, prout sentiunt *Vinaldus in candelabro tit. de confessione num. 28., Beia part. 4. cas. 5. col. 3. vers. cum quod, Suarez disp. 26. sect. 3. num. 12.* Neque obstat, quod *Concil. Trid. d. sess. 23. c. 5.* requirat confessiones non excipi, nisi ab approbato ab ordinario, qui, vt dictum est, intelligitur proprius; Non obstat, inquam, quia supponitur tacita ordinarij approbatio in illis circunstantijs, dum scit, & non contradicit.

9 Delegatus ad cõfessiones non potest subdelegare.

Conclusio IV. Delegatus ad audiendas simplicitèr confessiones in aliqua Diæcesi non potest simplicitèr alium deputare non approbatum ab Ordinario, nec delegatus ad reseruata potest alium ad eadem subdelegare, nec in casu particulari, nisi à delegante habeat facultatem subdelegandi.

Ratio primæ partis patet ex supradictis, & si Parochus, qui habet potestatem ordinariam, non potest delegare non approbatum ab Ordinario, multominus poterit simplicitèr delegatus. Ratio secundæ ex eo deducitur, quod, sicuti delegatus simplicitèr ad confessiones audiendas non potest alterum delegare ad easdem, ità multo minus delegatus ad reseruata potest alterum subdelegare.

10 Legatus Sedis Apostolicæ potest subdelegare.

Conclusio V. Sedis Apostolicæ Legatus, quamuis in multorum sententia non habeat potestatem ordinariam, adhuc tamen potest subdelegare. Consentiunt in hoc *Regnaldus lib. 1. num. 45. vers. notandum est in fine, Gratianus discept. for. c. 738. n. 1., & seqq.*

Ex-

Expressè colligitur ex textu *in c. fin. de offic., & potest. deleg.*, vbi quod delegatus à Principe possit subdelegare, & hoc, vt notat *Reginaldus loc. cit.* fit ob Summi Principis potestatem, cuius cum sit solummodo conferre potestatem ordinariam, aut quæ ordinariæ æquipolleat per textum *in c. à Iudicibus 2. q. 6.* non est ambigendum, quin Sedis Apostolicæ Legato conferat potestatem cum facultate subdelegandi.

ARTICVLVS XI.

Quot modis acquiratur iurisdictio delegata.

SVMMARIVM.

Numerantur sex modi acquirendi iurisdictionem. 1.
Explicatur modus acquirendi per commissionem. 2.
Si Episcopus fuerit excommunicatus nominatim denuntiatus non potest committere. 3.
Explicatur modus acquirendi per necessitatem. 4.
Hæc commissio est in casu periculi mortis. 5.
Explicatur modus acquirendi per libertatem. 6.
Hæc libertas potest dupliciter considerari. 7.
Quomodo quis ratione libertatis residentis apud Romanum Pontificem possit in ipsum exercere iurisdictionem. 8.
Vagi ratione libertatis possunt se subijcere Confessarijs locorum, per quæ transeunt. 9.
Etiam alio se transferentes ad finem præcisè ibi confitendi. 10.
Innodatus casu reseruato in loco proprij domicilij iter habens per loca, in quibus ille casus non est reseruatus, potest ibi absolui. 11.
An possit ab eodem alibi absolui, si data opera illuc se transferat, vt se subtrahat à lege sui Superioris remissiuè. 12.
Modus acquirendi iurisdictionem per facultatem. 13.
Modus acquirendi per licentiam. 14.
Ratihabitio de præsenti videtur prodesse. 15.
Non sic de præterito, nec de futuro. 16.
Nunc modus acquirendi per consuetudinem non subsistit. 17.

Caietanus *in summa verb. Absolutio à peccatis secundo*, sex modos acquirendi huiusmodi iurisdictionem enumerat; Primò per commissionē; Secundò per necessitatem; Tertiò per libertatem; Quartò per facultatem; Quintò per licentiam; Sextò per consuetudinem.

1 Sex modi acquirendi iurisdictionē.

Singulos hos modos breuitèr expendo. Primus per commissionem tunc est, quando per habentem potestatem ordinariam alteri confertur potestas absoluendi. Aduerte hic tamen, ad acquirendam hanc potestatem requiri in delegante, vt, quamuis gaudeat officio, cui annexa sit potestas Ordinaria, non possit eandem delegare, si fuerit excommunicatus nominatim denuntiatus, quia tunc ipse caret iurisdictione, prout notarunt *Paludanus in 4. dist. 17. sub finem, D. Antoninus 3. part. tit. 17. c. 9. sub fin.* Dixi, *nominatim denuntiatus*, quod idem intellige de publico Clerici percussore; nam, si fuerit toleratus, poterit ex extrauag. Martini delegare, vt infra latè ostendemus; Neque obstat, quod Parochus, quantumuis adhuc non sit Sacerdotali ordine insignitus, possit alteri suorum Parochianorum confessiones committere, qui sit Sacerdos, & approbatus, ergo etiam Superior, cuius officio annexa est potestas ordinaria, quantumuis sit excommunicatus, & per consequens ratione excommunicationis careat exercitio iurisdictionis, poterit alteri Sacerdoti non excommunicato committere, vt suorum subditorum confessiones recipiat. Non obstat, inquam, quia collatio iurisdictionis per delegationem est actus, & exercitium iurisdictionis, quo caret excommunicatus denuntiatus, quam propterea non potest alteri committere; carentia autem ordinis in Parocho nondum Sacerdotio initiato non tollit ab eodem iurisdictionem, quam propterea non est, cur nequeat alteri Sacerdoti conferre.

2 Modus acquirēdi per commissionē.

3 Excōmunicatus nominatim denuntiatus, non potest committere.

Secundus per necessitatem tunc est, quando vrget necessitas aliquem absoluendi, quod potissimum contingit, quando constitutus est in articulo mortis, pro quo statu *Concil. Trident. sess. 14. c. 7.* facultatem tribuit omnibus Sacerdotibus absoluendi quoscunque pænitentes à quibuscunque casibus, de qua re latè egimus in præcedentibus; vnde hæc potest dici à iure delegata. Sed, an hæc delegatio sit solummodo ob necessitatem articuli mortis, an verò etiam ob alias causas, & necessitates. Negat *Suarez tom. 4. disp. 30. sect. 3. assert. 2., & disp. 31. sect. 3.* esse ob alias, & quidem merito; quod deducit ex *Concil. Trident. loc. cit.* Sed, an extra casum articuli mortis possit quandoque Confessarius inferior absoluere à reseruatis, dicemus infra, dum de peccatis reseruatis.

4 Modus acquirēdi per necessitatē.

5 Hic modus est solummodo in periculo mortis.

Tertius per libertatem, tunc est, vel quando quis nulli alteri est subiectus, cuiusmodi est Pontifex Romanus, vel quando quis nunquam in eodem loco permanet, sed huc, illucque vagatur nullum habens fixum domicilium, seu licet habeat domicilium, in quo eius liberi habitant, ipse

6 Modus acquirēdi per libertatem.

ipse tamen nunquam in eodem permanentèr quiescit, sed huc, illucque transcurrit; vel quando licet habeat fixum domicilium ratione materiæ nulli subijcitur, vt si habeat solum venialia; In his etenim omnibus casibus videtur habere libertatem.

7 Hæc libertas potest dupliciter considerari.

Loquendo de habente libertatem primo modo, qualis est solummodo Pontifex, nulli dubium est, quin possit, cui voluerit Sacerdoti se subijcere, ipsumque delegare ad se Sacramentalitèr absoluendum; & si etenim ipse sit supremus in Ecclesia Dei, nullumque habens Superiorem, nihilominus, quia potest in foro interno esse peccatis obnoxius, æquum fuit, & est, vt remedio non careat alijs communitèr concesso. Sed difficultas hic viget in explicando, quomodo alius possit exercere imperium in Pontificem, cum par in parem, & multo minus in Superiorem illud exercere nō valeat. Si enim dicatur, quod exerceat auctoritate ab eodem Pontifice sibi concessa, hoc non videtur rationi congruum, quandoquidem nemo in se ipsum potest iurisdictionem exercere, cum hæc sit ad alterum, & auctoritas, quæ dicitur concedi à Pontifice, est auctoritas eiusdem Pontificis licet per alterum exercita. Si verò dicatur exercere de iure Diuino, hoc non videtur cohærere cum dictis supra, cum solus Pontifex immediatè habeat iurisdictionem à Deo. Probabilius arbitror, exercere auctoritate sibi ab eodem Pontifice attributa; nec obstant ex aduerso adducta, quia repugnat quidem, quod idem per modum iudicij exerceat imperium in se ipsum, non repugnat autem, quod alius auctoritate à se eidem collata exerceat iudicium in se ipsum.

8 Quomodo quis ratione libertatis possit exercere iurisdictionem in Pontificem.

9 Vagi possunt se subijcere Confessarijs locorum per quæ transeunt.

Loquendo verò de vagis, siue habeant domicilium, siue non habeant, dummodo in eodem loco non permaneant, sed huc, illucque vagentur, certum videtur, quod ratione libertatis possint se subijcere Parochis locorum, per quæ transeunt, & etiam alijs Sacerdotibus ibi approbatis *Vasquez q. 93. art. 1. dub. 4 num. 4., Coninchus disp. 8. dub. 8. n. 67., Reginaldus lib. 1. n. 64.* non tamen ibi possunt eligere quemcunque non approbatum, quem voluerint. Ratio autem ea est, quia, cum huiusmodi vagi, siue habeant domicilium, siue non habeant, semper vagentur, nec figant pedem in aliquo determinato loco habēda est pro habitatione eorum illa quātum ad hunc effectum, quam pro tempore tenent. Hæc adeo vera sunt, vt etiam iter habentes possint in loco, ad quem accedunt, & per quem transeunt peccata sua confiteri coram Parocho, vel alio Sacerdote approbato illius loci *Suarez disp. 23. sect. 3., & disp. 25. sect. 2., Vasquez q. 93. art. 1. dub. 4. num. 4., Coninchus disp. 8. dub. 8. num. 61.* Hoc communis praxis suadet, secundum quam huiusmodi itinerantes confessiones habent coram Sacerdotibus in tali loco approbatis scientibus Ecclesiæ Prælatis, & non contradicentibus, ex quo elicitur tacitus eorum consensus.

10 Etiam alio se transferentes ad finem ibi confitendi.

Disputant hic DD., an mox dicta verificentur solummodo, quando quis habet iter ex alia causa, an verò etiam, quando hoc præstat solum ex fine, vt alteri à Parocho confiteatur. Nonnulli, inter quos *Suarez disp. 25. sect. 2. num. 9., Vasquez loc. cit. num. 6.* sentiunt in hac hypothesi non validè confiteri, addita etiam ratione, quia in hac suppositione non potest intelligi tacitus consensus, vel Pontificis, vel aliorum Prælatorum, ad quos spectat. Contrarium tamen sustinet *Filliutius tract. 7. c. 7. q. 9. num. 195.* cuius opinionem probabilem arbitror, quia, cum hæc facultas vigeat ratione consuetudinis tacitè approbatæ a Romano Pontifice, potest quilibet ea vti, potissimum cum possit habere causam non confitendi Parocho, vel alteri Sacerdoti proprij domicilij, qui non potest ipsum compellere ad se sibi ipsi subijciendum.

11 Extra locum in quo casus est reseruatus potest quis ab illo absolui.

Sed quid erit dicendum, si sit innodatus aliquo peccato, quod in loco proprij domicilij sit reseruatum, & se transferat in alium locum, vbi non est reseruatum, vt ibi ab illo absoluatur, an tunc validè ab illo peccato absoluetur? Respondendum est affirmatiuè *Suarez disp. 30. sect. 1. n. 4., Vasquez q. 93. art. 1. dub. 4. ad fin., Reginaldus lib. 8. num. 68., Caietanus verb. Absolutio 2., Nauarrus c. 27. num. 275., Henriquez lib. 6. c. 14. num. 9.* quidquid ex aduerso dixerint *Medina lib. 1. c. 10., Nugnus in addit. q. 8. art. 5. dub. 10., Sotus in quarto dist. 18. q. 2. art. 4., & alij.* Ratio ex eo deducitur, quia ex vna parte potest vti pænitens iure communi, secundum quod potest confiteri apud Confessarium approbatum in loco, ad quem transit; ex alia Confessarius potest, & debet iudicare secundùm leges, & consuetudines loci, in quo sedet, vt Iudex in foro interno, ergo, quantum est ex parte vtriusque, potest legitimè absolui. Quid verò dicendum sit, si in talem locum pænitens se transferat data opera, vt euitet legem sui Superioris, qui induxit illam reseruationem? Ex superius dictis videtur asserendum, vtique posse validè absolui, nam, sicuti, si data opera, vt a peccatis soluatur, & effugiat subiectionem proprio Sacerdoti potest ad alium locum se transferre, & validè absolui, quia Confessarius in loco, ad quem se transfert, habet facultatem absoluendi simplicitèr à peccatis, ità, si data opera se

12 Quid si alio se transferat data opera.

se ad alium locum transferat, vt effugiat reseruationem sui Superioris, poterit ibi absolui à peccatis reseruatis, quia Confessarius in tali loco habet facultatem absoluendi à talibus peccatis, cum ibi non sint reseruata. Nihilominus in hoc valdè hęsitarem, quia ratione reseruationis non potest præsumi tacitus consensus, nec Pontificis, nec proprij Episcopi, nam facilè eluderentur leges reseruationum; Nec valet argumentum deductum à paritate aliorum peccatorum non reseruatorum, quia quoad ista præsumi rationabilitèr potest, quod non sit contraria, nec mens Pontificis, nec proprij Episcopi.

Soluitur instantia opposita.

Quod, si instes, quod hac ratione non posset etiam absolui in loco, ad quem transit, ab eisdem reseruatis, quantumuis illuc non se transferret data opera ad hunc effectum, sed ex alia causa, quod est contrà superius dicta; Adhuc impugnaberis, quia, quando ex alia causa se transfert in talem locum, non intelligitur talis transitus in fraudem legis, sed principalitèr ad finem talis causæ; vnde, quod postea vtatur legibus talis loci est quid iuri conforme, cui non intelligitur Pontifex dissentiri.

Loquendo tandem de libero ratione materiæ non est, cur diu immoremur, cum latè de eo egerimus in pręcedentibus, vbi stante declaratione Sacræ Congregationis emanata sub die 12. Februarij 1679. sub Innocentio XI. asseruimus non posse pænitentem simplici Sacerdoti non approbato confiteri peccata venialia, sed teneri confiteri approbato.

13 Modus acquirēdi iurisdictionem per facultatem.

Quartus per facultatem tunc est, quando alicui personarum generi ius concedit sibi eligere Confessarium, vt Episcopis, & Superioribus Prælatis, & alijs ex textu *in c. fin. de pænit., & remis.*, quod ius teste *Suarez tom. 4. disp. 27. sect. 2. nu. 11.* non est restringendum ad electionem vnius dumtaxat Confessarij, sed vnius, vel cuiuscunque alterius pro arbitrio habentis tale ius.

14 Modus acquirēdi per licentiam.

Quintus per licentiam tunc est, quando Superior habens legitimam potestatem approbandi, & deputandi Confessarios ratam habet confessionem apud Sacerdotem hactenus non approbatum. Hæc ratihabitio, vel potest esse de præsenti, vel de præterito, vel de futuro; si sit de præsenti, quatenus Superior ante administrationem, vel in ipsa administratione sciens, & videns proprium subditum confiteri apud Sacerdotem à se non approbatum non contradicat, sed potius adhibet conniuentiam; tunc enim videtur tacitus ipsius consensus signo aliquo sensibili exhibitus; si sit de præterito, quatenus habita confessione apud Sacerdotem huiusmodi Superior sciens ipsam ratam habeat, & tunc arbitrarer, non validam fore confessionem, quia pro eo tempore, quo facta est, non aderat iurisdictio; neque obesse potest, si dicatur, quod illa ratihabitio retrotrahatur ad tempus eiusdem confessionis, quandoquidem ad validam confessionem requiritur vera, actualis, & realis iurisdictio, nec sufficit adesse per fictionem iuris, qualis est illa retrotractio. Hac eadem ratione euincitur, quod ratihabitio de futuro, quatenus confessio modo fiat apud Confessarium non approbatum, cum spe, quod Superior illam ratam habebit, non conferat ad validitatem præcedentis confessionis, quia tunc, quando hæc posita est, non aderat iurisdictio.

15 Ratihabitio de præsenti prodest.

16 Non sic de præterito.

17 Modus acquirēdi per consuetudinem non subsistit.

Sextus per consuetudinem modo non subsistit stante decreto *Concilij Trid. sess. 23. c. 15.* derogante cuicunq; consuetudini etiā immemorabili, nisi Confessarius sit ab Ordinario approbatus. Limitarem tamen in casu, quo cum illa consuetudine concurreret tacitus consensus Superioris.

ARTICVLVS XII.

De approbatione requisita ad confessiones audiendas.

SVMMARIVM.

Approbatio, & iurisdictio differunt. 1.
Decretum Concilij Tridentini per extensum. 2.
Habens iurisdictionem, non tamen approbationem, audiens confessiones grauitèr peccat. 3.
Immo, & pænitens, qui sciențèr eidem confiteretur. 4.
Confitens sciențèr tali Sacerdoti non solum illicitè, sed etiam inualidè confitetur. 5.
Confitens bona fide secundum Medinam non inualidè confitetur. 6.
Secundum veritatem inualidè. 7.
Euincitur ex Concil. Trident. 8.
Approbatio requiritur de iure Diuino. 9.
Regularitèr approbatio facienda est per examen. 10.
Constante manifeste de idoneitate approbatio potest fieri sine examine. 11.
Approbatio facta sine examine, & non constante de idoneitate non est subsistens. 12.
Episcopus præcisè electus, & etiam præcisè titularis non potest approbare. 13.
Vicarij Generales Episcoporum, & Capitulares sede vacante possunt approbare. 14.
Abbates habentes proprium territorium priuatiuè quoad Episcopum possunt approbare. 15.
Non tamen Parochi. 16.
Nec Generales Religionum, nec Prouinciales in ordine ad subditos Episcoporum. Ibid.

AD collationem iurisdictionis prærequiritur approbatio, quæ certè est diuersa ab illa, quod pluribus probat *Reginaldus lib. 1. num. 168.* vnde *Concil. Trid. sess. 23. c. 15.* hæc specialitèr habet. *Quamuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Sinodus nullum etiam Regularem posse confessiones secularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus esse iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat priuilegijs, & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus.*

1 Approbatio, & iurisdictio differunt.

2 Decretũ Concil. Trident.

In explicatione huius decreti vniuersa meta præsentis articuli versabitur. Vt clarius, & distinctius procedamus difficultates inde emanantes per varia dubia proponemus, & per suas respectiuè responsiones dissoluemus.

Dubium I. An non approbatus audiens confessiones peccet læthalitèr. Certum est, quod, si quis nec habeat iurisdictionem, nec approbationem, nedum illicitè, sed etiam inualidè administraret Sacramentum pænitentiæ per superius latè allegata, & probata; quare supponimus, quod quis habeat iurisdictionem à Romano Pontifice, vt plerique statuunt, & non quidem sine ratione, de Regularibus ex textu *in Clem. fin. de sepult.*, & de alijs habentibus facultatem ab eodem Pontifice audiendi confessiones, non tamen approbationem ab Episcopo, quam requiri videtur certum, cum concessiones Pontificiæ intelligendæ sint cum conditione istius approbationis, & quærimus, an si isti sine approbatione confessiones audirent, contraherent noxam læthalem.

Quomodo quis possit habere iurisdictionem sine approbatione.

Respondeo verè contrahere, si excipias casum articuli mortis. *Reginaldus lib. 1. num. 170., & alij communitèr.* Ratio est clara, quia facit contra dispositionem Concilij in re grauissima prohibentis exercitium iurisdictionis; nec obstat, quod huiusmodi iurisdictionem habeat à Romano Pontifice, quandoquidem concessio Pon-

3 Hic audiens cõfessiones grauitèr peccaret.

Pontificis intelligenda est seruatis seruandis, vt ex communi tradit *Viualdus in candelab. aur. c. de confessione num. 26.*, cum autem decretum Concilij sit ius ordinarium, non censendus est Papa eidem derogare, nisi, cum id expresse declarauerit, quod etiam notauit *Suarez disp. 28. sect. 4. num. 9.*

4 Immo, & pœnitens, qui scientèr eidem confiteretur.

An verò pænitentes ad ipsum non approbatum confugientes cum scientia non approbationis læthalitèr peccent; certi iuris est talitèr peccare. Ratio est, quia scientèr, & voluntariè cooperantur peccato illius Sacerdotis non approbati; quinimmò inualidè confessionem illam haberent, quia in ipso actu confessionis nouum peccatum contraherent, cum quo non compatitur contritio requisita ad valorem Sacramenti.

5 Confitẽs scientèr tali Sacerdoti non solũ illicitè, sed etiam inualidè confitetur.

Dubium II. An confessio habita apud Confessarium non approbatum non solum sit illicita, sed etiam inualida. Difficultas non procedit, quando pænitens est in mala fide, sciens Confessarium non esse approbatum, nam ex mox dictis patet esse inualidam ex defectu debitæ contritionis, quæ non compatitur cum nouo peccato, sed tantum, quando pænitens est in bona fide arbitrans illum Confessarium esse legitimum, & approbatum, quæ difficultas reducitur ad hoc caput, an respectu Confessarij illa approbatio sit tantum necessaria necessitate præcepti, adeout sine illa actio reddatur solum illicita, an verò necessitate Sacramenti, adeo vt reddatur etiam inualida.

6 Confitẽs bona fide secundũ Medinã validè cõfitetur.

Medina in Cod. de confessione q. 34. videtur asserere, esse tantum illicitam, & peccaminosam respectu Confessarij, non tamen inualidam; existimat enim, quod prohibitio Concilij non sit suspensio iurisdictionis eo modo, quo, si per statuta sinodalia prohibeatur, ne quis Sacerdos confessiones audiat, antequam sit per Prælatum examinatus, nihilominus asserit valere confessionem, quæ bona fide facta fuerit Sacerdoti non examinato, quod postea Medina applicat ad rem præsentem. Nihilominus

7 Secundũ veritatẽ inualidè.

Respondeo, fore talẽ confessionem inualidam *Lopez in instruct. conscient. parte 1. c. 26. §. insuper*, *Suarez tom. 4. disp. 28. sect. 4. num. 9.*, *Reginaldus lib. 1. num. 172.* Colligitur ex verbis eiusdem Concil. Trident. Ibi *Non posse sine approbatione audire confessiones sæcularium, neque ad id reputari idoneum*, vbi signantèr nota illam particulam, *Non posse*, quæ, cum sit negatiua, importat carentiam exercitij iurisdictionis, adeout in actum validè absoluendi exire non possit; Neque obesse potest, si dicatur ly, *Non posse*, importare solummodo carentiam honestatis iuxta illud. Non videtur posse fieri, quod non potest fieri honestè *l. Nepos Proculo, ff. de verb. signif.* non inualiditatem actionis, quod præcipuè videtur verificari in præsenti hypothesi, secundum quam ad valorem Sacramenti, quantum est ex parte Confessarij, videtur solum de necessitate requiri potestas ordinis, & iurisdictionis; iurisdictio autem supponitur esse à Romano Pontifice, vnde approbatio videtur solum esse de præcepto; Non, inquam, obesse potest, quia, quando negatiua præponitur actioni principali resistit absolutè natiuitati actus, ne possit exire; cum igitur ly, *Non posse*, cadat supra auditionem confessionis, tollit quamcunque potentiam ad ipsam; Nec obstant ea, quæ subduntur; licet enim iurisdictio sit collata à Pontifice, non intelligitur collata, nisi sub conditione approbationis, & eiusdem negatio suspendit exercitium eiusdem iurisdictionis.

8 Euincitur ex Concil. Trid.

9 Iurisdictio requiritur de iure Diuino,

Minus obesse potest, si dicatur, approbationem non esse de iure Diuino, sed tantum Ecclesiastico, cuius defectus propterea officere non potest valori Sacramenti, si alia non desint requisita de iure Diuino; nam Sacramenta quoad validum esse vim habent ex institutione Christi, nec dependent à iure Ecclesiastico. Minus, inquam, obesse potest, quia, cum Sacramentum pænitentiæ de iure Diuino sit institutum per modum iudicij, de iure Diuino etiam ex consequenti requiritur iurisdictio in iudicante, quam concedere spectat ad Ecclesiam, quæ propterea potest conferre talibus, vel talibus conditionibus, & non alitèr; vnde aliud est, quod de iure Diuino ad validam absolutionem requiratur iurisdictio, aliud est, quod concedatur de iure Diuino; primum conceditur; secundum negatur.

10 Regularitèr approbatio facienda est per examen.

Dubium III. Quomodo facienda sit huiusmodi approbatio? Concilium Trident. loc. cit. hæc expresse habet. *Nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopo per examen, si illi videbitur necessarium, aut aliàs idoneus esse iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.*

Respondeo primò. Regularitèr approbatio facienda est per examen. Colligitur expresse ex Concil. Trid. in illis verbis, *aut ab Episcopo per examen*, cum hic modus aptior sit ad cognoscendam idoneitatem; vnde vsu receptum esse ait *Bonacina de pænit. Sacramento disp. 5. q. 7. punct. 4. §. 1. n. 10.*, vt omnes etiam DD. eidem examini subijciantur, & *Suarez tom. 4. disp. 28. sect. 4. num. 3.*, *Reginaldus lib. 1. num. 177.* afferunt

in praxi æquum esse, vt nullus ad confessiones audiendas admittatur sine præuio examine; Quod tamen passim non admitterem. Quamobrem

11 Constante de idoneitate potest fieri approbatio sine examine.

Respondeo secundò, constante de idoneitate, eo quod approbandus sit Theologiæ professor insignis, vel laureatus, & in rebus Theologicis valde instructus liberum est Episcopo, ipsum approbare sine præuio examine, quod colligitur ex *eodem Trident. loc. cit.* vbi loquens de examine subdit, *si illi*, idest Episcopo, *videbitur necessarium;* non videtur autem hæc necessitas, si euidentèr constet de idoneitate, quod magis firmatur ex seqq. verbis, *aut aliàs idoneus esse iudicetur*.

12 Sine examine, & non constante de idoneitate non est subsistẽs.

Respondeo tertiò, approbatio facta sine præuio examine, & non constito de idoneitate approbati non est subsistens *Suarez disp. 28. sect. 5. num. 7., Reginaldus lib. 1. num. 197.* Ratio ex eo deducitur, quia talis approbatiò debet esse cum iudicio; nam Concilium Trident. loc. cit. præscribit, quod debeat iudicari idoneus, vel per examen, vel alia via; non potest autem esse iudicium rectum sine præuia cognitione idoneitatis, quæ cognitio non potest esse non constito &c. Hinc à fortiori deduces, quod approbatio non subsistat, quando per Episcopum posita fuit scientem non esse idoneum, cum non sit iudicium de idoneitate; Si verò approbatio sit ab Episcopo iudicâte, approbatum esse idoneum, cum re vera non sit idoneus; tunc videndum est, an tale iudicium deductum sit ex aliqua apparente ratione idoneitatis; an verò nulla apparente ratione, nec attestatione; si primum; sentiendum est subsistere, quia tunc interuenit iudicium aliqua probabili ratione regulatum, quod est, quod requirit Tridentinum; si secundum; perinde est, ac, si ista approbatio esset facta sine examine, & non constito de idoneitate, & propterea dicenda sunt, quæ supra diximus in casu non præmissi examinis, & non constito de idoneitate.

Dubium IV. Quisnam veniat nomine Episcopi, cui spectet approbare Confessarios. Cum approbatio non sit actus ordinis, sed iurisdictionis, cum sit instituta ad bonum regimen, debitamque curam animarum, certum omnino videtur, quod, qui non habet potestatem iurisdictionis, non possit approbationem constituere. Quarè

13 Episcopus præcisè titularis, & etiã præcisè electus non potest approbare.

Respondeo primò, Episcopum præcisè electum, nec dum per confirmationem constitutum super subditam plebem non posse Confessarios approbare, quinimmo, nec Episcopum præcisè titularem. Consentiunt *Suarez tom. 4. disp. 28. sect. 5., Reginaldus lib. 1. num. 181.* Ratio ex mox dictis deducitur, quia ad approbandum requiritur iurisdictio in approbante, sed Episcopus pure titularis, & etiam electus, non tamen per confirmationem constitutus super subditam plebem, non habet iurisdictionis vsum, quinimmo, nec potestatem, ergo &c. Minor probatur, quia iurisdictio confertur per applicationem subditorum.

14 Vicarij Generales Episcoporum, & Capitulares possunt approbare.

Respondeo secundò, Vicarios Generales Episcoporum, & etiam Capitulares sede vacante posse approbare, & in hoc venire nomine Episcoporum. *Suarez, & Reginaldus loc. cit.* Ratio primæ partis est, quia Vicarius Generalis habet potestatem ordinariam iurisdictionis, & constituit vnum Tribunal cum Episcopo, cuius vices in iurisdictionalibus sustinet, ergo non est, cur non possit simplices Confessarios approbare; Nec obesse potest, quod Concil. Trident. loc. cit. loquatur specificè de Episcopo, non genericè de Ordinario, ideoque dispositio non possit extendi ad eos, qui Episcopali dignitate non gaudent; Non, inquam, obesse potest, quia in Concil. Trident. facta est mentio approbare debentis sub qualitate Episcopi, quia regularitèr hæc potestas apud ipsum principalitèr residet, cæterum, cum hæc sit fauorabilis, non est, cur non extendatur ad gaudentes Episcopali iurisdictione, quod potissimum verificatur in Vicario Generali, cuius potestas est potestas Episcopi. Ratio secundæ partis est, quia Vicarius Capitularis succedit Episcopo in iurisdictionalibus, quæ iure Ordinario competunt eidem Episcopo per textum *in c. cum olim de maior., & obed.*, ergo, cum hæc potestas approbandi pertineat ad potestatem iurisdictionis, & Episcopis competat de iure ordinario, non erit, cur non possit Vicarius Capitularis ipsam exequi.

15 Item Abbates habentes propriũ territorium.

Respondeo tertiò, Abbates habentes proprium territorium, in quo ex Priuilegio Summi Pontificis exerceant iurisdictionem Episcopalem priuatiuè quoad Episcopos, iustè possunt approbare Confessarios pro subditis eiusdem territorij. In hoc etiam consentiunt *Suarez, & Reginaldus loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quod supra dicebamus, nempè hanc potestatem approbandi non pertinere ad potestatem ordinis, sed dumtaxat ad illam iurisdictionis; potestas autem plena iurisdictionis in tali territorio spectat ad ipsos Abbates priuatiuè quoad alios omnes, si excipias Romanum Pontificem, cui dumtaxat subduntur, non alteri, ergo non est, cur non possint approbare.

16 Non tamen Parochi.

Respondeo quartò, Parochos non posse approbare Confessarios pro suis Parochialibus; nec Generales, nec Prouinciales

Regu-

Regularium ordinum Sacerdotes sibi subditos ad audiendas confessiones sæcularium. Ità quoad primam partem *Nugnus in addit. q. 8. art. 5. dub. 6.*, *Vasquez q. 93. art. 1. dub. 5. ad fin.*, *Bonacina de Sacram. pœnit. disp. V. q. 7. punct. 4. §. 1. num. 12. vers. nobis verò*. Quoad secundam *Reginaldus*, & *Suarez loc. cit.* Ratio primæ pars est, quia *Trident. d. sess. 23. c. 15.* requirit approbationem Episcopi, seu saltem habentis iurisdictionem Episcopalem independentèr à quocunque alio, præterquam à Romano Pontifice; Parochus autem, licet habeat iurisdictionem in suos Parochianos, non habet tamen Episcopalem, & independentem, sed propriam, limitatam, & dependentem. Ratio secundæ partis, quia licet Generales, & Prouinciales habeant iurisdictionem Episcopalem in suos subditos, nullam tamen habent in ordine ad sæculares, respectu quorum propterea non possunt approbare Confessarios.

Nec Generales, nec Prouinciales.

Dubium V. An requiratur approbatio Episcopi pænitentis, vbi habenda est confessio, an verò Episcopi Confessarij, qui debet confessiones ibi audire. Suppono, quod pænitentes sint vnius Diæcesis, & Confessarius approbandus alterius. Item, quod Confessarius approbandus debeat audire Confessiones in loco pænitentium, qui sunt diuersæ Diæcesis; si etenim audire deberet intra fines Diæcesis proprij Episcopi, certè videretur approbandus à proprio Episcopo, cum in illo possit recipere quoscunque ad se aduenientes, Peregrinos, vagos, & iter habentes, quantumuis data opera illuc accederent, vt ibi propria peccata expiarent, vt supra probauimus; Intellige tamen, nisi proprius Confessarij Episcopus limitasset facultatem ad proprios subditos priuatiuè quoad alios.

17 Variæ suppositiones circa dubium.

Respondeo, probabilius approbationem requiri ab Episcopo loci, & pænitentium sistendo in terminis suppositionum, quas præmisimus. Ratio ex eo deducitur, quod approbatus pro vna Diæcesi non intelligitur idoneus, & legitimus Minister huius Sacramenti pro alia, in qua non est approbatus, sed quando confessiones habendæ sunt in loco alterius Diæcesis, & quoad pænitentes istius Diæcesis approbatus pro sua Diæcesi à suo Episcopo non est approbatus ab illo istius, ergo pro ista non est idoneus Minister, ergo, vt sit talis, indiget approbatione Episcopi istius Diæcesis.

18 Probabilius approbatio habenda est ab Episcopo loci pænitentiū.

Confirmatur, quia pænitentes, nec ratione personarum, nec ratione loci subduntur Confessario approbato in diuersa Diæcesi à sua, ergo Confessarius, vt possit validè illorum confessiones recipere, indigebit approbatione Episcopi loci, in quo audiendæ sunt confessiones, & in quo degunt ipsi pænitentes.

Difficultas solummodo aliqua videtur in eo consistere, quod Episcopus alterius Diæcesis, in qua degunt pænitentes, & in qua audiendæ sunt confessiones, non videtur habere aliquam iurisdictionem in Sacerdotem, qui non sit suæ Diæcesis, & sibi subditus; vnde non videtur posse ab ipso approbari. Sed ad hoc responderem, quod, cum approbatio sit actus iurisdictionis voluntariæ, non contentiosæ, nec cum præiuditio iurium Episcopi, cuius est subditus Sacerdos, possit etiam conferri non subdito, sicuti etiam causæ pro foro externo possunt ex voluntate partium committi etiam extraneo.

19 Sacerdos extraneus potest approbari ab Episcopo in ordine ad suos.

Dubium VI. An approbatio vnius Episcopi videatur sufficiens pro tota Ecclesia. Hoc dubium secundum multiplicem sensum potest accipi; primò, quatenus simplicitèr approbatus ab vno Episcopo possit subditos illius Episcopi, vbicunque reperiantur audire, & absoluere Sacramentalitèr. Secundò, quatenus approbatus à suo Episcopo simplicitèr possit a quocunque alio Episcopo eidem conferri iurisdictio non facto præuio examine, nec alia notitia requisita. Tertiò, an supposito, quod certo personarum statui puta Religiosis sit collata iurisdictio a Romano Pontifice, quæ non procedat ab Episcopo, quatenus hic habeat tantum approbare, & ab vno Episcopo facta fuerit approbatio, hæc intelligatur sufficiens pro omnibus locis. Quartò, an, si per Romanum Pontificem fuerit alicui concessa facultas eligendi sibi Confessarium ex approbatis possit absolui à Confessario approbato ab alio Episcopo in quouis loco iste reperiatur, siue in Diæcesi Episcopi, qui approbauit, siue extra illam.

20 Variæ considerationes circa dubium, an approbatio facta ab vno Episcopo deseruiat pro omni loco.

Respondent primò aliqui iuxta primum sensum Sacerdotem simplicitèr approbatum à suo Episcopo posse subditos illius, vbicunque reperiantur etiam extra propriam illius Diæcesim Sacramentalitèr absoluere, dummodo alibi, seu extra illam Diæcesim domicilium non fixerint, *Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 3. vers. aliud verò dubium*, *Suarez disp. 25. sect. 1. n. 17.*, *Henriquez lib. 3. de pænit. c. 7. num. 1.*, *Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 34. num. 2.*, *Reginaldus lib. 1. num. 93.*, *Coninchus disp. 8. dub. 3. num. 22.* Ratio est, quia nec obstat conditio personæ, nec circunstantia loci; non conditio personæ, nam pænitens, quousque non mutarit domicilium figens illud in alia Diæcesi, subditus remanet Episcopo proprij domicilij, & per consequens etiam Sacerdoti ab ipso approbato, nec subiec-

21 Sentētia asserens Sacerdotem approbatū ab Episcopo posse subditos illius etiam extra Diœcesim absoluere.

subiectio tollitur ex eo, quod se transferat in alium locum, in quo non figit domicilium; non circunstantia loci, quia exercitium iurisdictionis voluntariæ, quæ fit sine strepitu iudicij, haberi potest in quocunque loco, cum per illud non lædatur iurisdictio possidentis talem locum.

Neque hic admittenda est distinctio, cum qua procedit *Siluester verb. Confessio 1. q. 14.* asserens, quod, si Confessarius habeat iurisdictionem ordinariam, vtique possit absoluere pænitentem subditum in quocunque loco propter allatam rationem iurisdictionis voluntariæ exercendæ sine strepitu iudicij; si verò habeat iurisdictionem solummodo extraordinariam, seu delegatam, non possit, potissimum, si fuerit Religiosus, propter textum *in Clem. dudum, §. statuimus de sepult.*, vbi dicitur, quod Religiosis Episcopo præsentatis concedatur facultas quoscunque ad se accedentes recipiendi ad Sacramentalem confessionem, ea tamen adiecta conditione, vt extra Ciuitates, & Diæceses, in quibus fuerint deputati, nullatenus recipiant. Non, inquam, admittenda est, quia, vt benè notat *Sotus in 4. distinct. 18. q. 4. art. 3.* in eodem textu *Clem. Dudum, §. per huiusmodi*, Religiosis tantum potestatis tribuitur, quantum curatis; vnde plures, & inter cæteros *Victoria de Sacram. num. 151.* referũt Sixtum IV. statuisse etiam Religiosos approbatos in vna Diæcesi posse recipere confessiones subditorum illius Diæcesis etiam extra illam. Ad id, quod dicitur *ex d. Clem. Dudum, §. statuimus*, respondet *Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 34. num. 2. in fine*, illum textum intelligendum esse, non de personis illius Diæcesis, in qua fuerunt approbati, ita vt extra Ciuitatem, & Diæcesim non possint audire, sed de personis alterius Diæcesis, quas extra illam, ad quam sunt deputati, non possunt audire. Considerauit enim in hoc Pontifex Bonifacius, quod ex eo, quod Religiosi habeant secundum rectam sententiam immediatè iurisdictionem à Romano Pontifice, possent præsumere, quod semel approbati in vna Diæcesi possent in quacunque Diæcesi sine alia approbatione recipere confessiones, & ad tollendam hanc præsumptionem statuit, quod in alijs Diœcesibus ab illa, in qua fuerunt approbati, non possint subditorum illarum Sacramentales confessiones recipere.

22 Sentẽtia asserens, si habeat auctoritatem ordinariam posse absoluere, non sic habens delegatã.

23 Exceptiones contrà hanc sententiam.

24 Probabilius non potest.

Sed in hoc huic sententiæ non libentèr assentior stante Constitutione Clem. X. edita vndecimo Kalendas Iulij 1670. vbi statuit Regulares extra Diæcesim non posse audire subditos illius Episcopi, a quo fuerunt approbati.

Respondeo secundò, iuxta secundum sensum. Approbatus simplicitèr in vna Diæcesi potest, si fuerit Sacerdos sæcularis, recipere iurisdictionem ab Episcopo alterius Diæcesis ad recipiendas confessiones subditorum illius Diæcesis sine præuio examine, & non habita alia notitia. Dixi, *si fuerit Sacerdos sæcularis*; nam, si fuerit Regularis supposita sententia, quod Regulares immediatè recipiant iurisdictionem à Romano Pontifice, & solum indigeant approbatione Episcoporum, sufficeret, quod haberet approbationem ab Episcopo alterius Diæcesis, quam posset præstare sine præuio examine, & sine alia notitia contentus notitia, quod fuerit ab Episcopo suæ Diæcesis approbatus. Probatur responsio. Ad rectum, & etiam prudens iudicium efformandum de idoneitate subiecti sufficere potest testimonium personæ præcellentis, cuius attestationi fides communitèr habeatur, quę asserat subiectum illud præuio examine inuentum fuisse idoneum ad confessiones recipiendas; sed hoc habere potest Episcopus alterius Diæcesis ex eo præcisè, quod constet illud subiectum fuisse approbatum in sua præuio examine, alijsque requisitis, ergo constito de illa approbatione facta in sua Diæcesi poterit per Episcopum alterius approbari pro sua sine alio examine, & non habita alia notitia; Concilium etenim Tridentinum non restringit facultatem approbationis ad solum examen, sed extendit ad notitiam, quæ aliundè possit haberi, dum dicit, *aut aliàs idoneus iudicetur*, quinimmò loquens de examine non ponit necessitatem quoad illud, sed quodammodo remittit arbitrio, dum subdit, *si illis necessarium videbitur*; potest autem Episcopus alterius Diæcesis iudicare non esse necessarium aliud examen, sed fidere primo præstito in alia Diæcesi, & ex illo idoneum iudicare.

25 Approbatus à suo Episcopo potest approbari ab alieno sine examine.

26 Concilium Tridentinum nõ restringit approbationem ad solum examen.

Confirmatur. Ex attestatione legitima, quod quis fuerit in Sacra Theologia laureatus iuxta classicorum DD. placitum potest Episcopus sine præuio examine illum ad confessiones suorum subditorum approbare, ergo etiam ex attestatione, quæ habeatur per literas patentes, proprij Episcopi, quod ex examine præstito in sua Diæcesi quis fuerit iudicatus sufficientèr instructus, & versatus in cognitione eorum, quæ pertinere possunt ad confessiones recipiendas, poterit ab alio Episcopo iudicari idoneus ad recipiendas confessiones suorum etiam subditorum, & ad illas approbari sine alio examine &c.

Respondeo tertiò. Recepta immediatè iurisdictione à Romano Pontifice, qualem ex plurimorum placito recipiunt Regulares, approbatus simplicitèr in vna Diæcesi

non

27 Habens iuriſdictionem à Romano Pontifice indiget approbatione in omnibus locis, in quibus confiteri debet.

non intelligitur approbatus pro tota Eccleſia, ſed indiget approbatione in vnaquaque Diæceſi. Hoc ſuadet communis praxis, ſecundum quam Regulares, qui ſibi ſuadent iuriſdictionem habere immediatè à Sede Apoſtolica, nihilominus non obſtante, quod in aliqua Diæceſi fuerint ſimplicitèr approbati, recipiunt approbationem in ijs omnibus Diæceſibus, in quibus ſunt deſtinati, ſine quibus confeſſiones ibi non recipiunt. Adde, quod communitèr reijcitur propoſitio illa *Approbatus Romæ eſt vbique approbatus*, ergo a fortiori erit reijcienda propoſitio iſta. Approbatus in vna Diæceſi intelligitur approbatus in omni.

Ratio horum omnium ex eo deducitur, quod collatio iuriſdictionis, & approbatio ſumenda eſt ad modum, & mentem conferentis, ſed modus, & mens Pontificis conferentis iuriſdictionem Regularibus eſt, vt in ſingulis Diæceſibus, in quibus fuerint deſtinati, approbationem recipiant ab Epiſcopis illarum, ergo &c. Minor probatur *ex d. Clem. Dudum, §. ſtatuimus de ſepult.*, vbi præcipitur, quod Regulares in omnibus, & ſingulis Ciuitatibus, & Diæceſibus ſe præſentent Prælatis earundem, quod indicat ſubiectionem, vt ab illis approbentur.

Euincitur ex c. dudum, §. ſtatuimus de ſepult.

Reſpondeo quartò quoad quartum ſenſum. Habens conceſſionem Pontificis, vt poſſit ſibi eligere quemcunque Confeſſarium voluerit ex approbatis exiſtens in Diæceſi vnius Epiſcopi non poteſt eligere Confeſſarium ab illo non approbatum, ſed dumtaxat ab alio Epiſcopo alterius Diæceſis. Dixi, *exiſtens in Diæceſi vnius Epiſcopi*, nam, ſi eſſet in Diæceſi alterius, vtique poſſet eligere vnum ex approbatis in illa. Dixi, *non approbatus ab illo*, nam, ſi eſſet ab illo approbatus, quamuis reperiretur extra Diæceſim illius non animo ibi permanendi, extra quam tranſeuntèr etiam eſſet ipſe approbatus vtique apud illum ſecundum aliquos poſſet confiteri, quod tamen nos non approbauimus.

28 Habens facultatē à Romano Pontifice ſibi eligendi Confeſſarium ex approbatis non poteſt eligere Confeſſarium ibi non approbatū.

Probatur iam reſponſio. Approbatus in alia Diæceſi relatiuè ad iſtam perindè eſt, ac, ſi non eſſet approbatus, ſed eſſet ſimplex Sacerdos, ergo pænitens commorans in iſta Diæceſi non poteſt ipſum eligere, vt eidem confiteatur, quandoquidem eligeret non approbatum; Neque dicas, Pontificem in conceſſione voluiſſe quidem, quod eligendus eſſet ex approbatis, non tamen potius ab hoc, quam ab illo Epiſcopo, cum ſolum intelligatur reſpexiſſe ad idoneitatem eligendi, de qua conſtare poteſt ex cuiuſcunque approbatione, ergo, quantumuis pænitens eligat approbatum ab alio Epiſcopo exiſtentem intra fines Diæceſis, in qua ipſe habitat, poterit apud ipſum validè confiteri; contra enim impugnaberis, quia conceſſiones Pontificum intelligendæ ſunt iuxta diſpoſitionem iuris, ſecundum quam approbationes debent eſſe ab Epiſcopis proprijs in ſingulis Diæceſibus; non enim ſupponuntur Pontifices derogare iuri communi, niſi ſpecialitèr id exprimant.

Dubium VII. An, ſi petatur approbatio ab Epiſcopo, & iniuſtè denegetur, habeatur pro conceſſa. Procedit dubium tam de Sacerdotibus ſæcularibus, quam de Regularibus, & reſpectu iſtorum fortius vrget ratio dubitandi ex textu *in d. Clem. fin. de ſepult.* Ibi- *Si verò ijdem Prælati præfatis Fratribus ad confeſſiones, vt præmittitur, audiendas electis huiuſmodi exhibere licentiam recuſauerint, nos ex nunc ipſis, vt confeſſiones ſibi confiteri volentium liberè, licitèque audire valeant, & eiſdem pænitentias imponere ſalutares, atque eiſdem beneficium abſolutionis impertiri gratiosè concedimus de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis.*

29 Iura euincētia approbatiōnē iniuſtè negatam haberi pro conceſſa.

Plerique ſtatuunt, non ſolum ex hac Pontificis diſpoſitione, ſed etiam ex alia communis iuris ſanctione haberi hanc approbationem pro conceſſa, eo quod conſenſus debitus, & iniuſtè negatus eandem vim habeat in iure, quam conſenſus datus per textum *in c. cum olim de arbitr.*, & *c. potuit de loc.*, & *cond.*, & *l. vlt. C. de iur. Emphyt.*, quod etiam in pluribus euincitur, & primò *ex c. licet de Regul.*, vbi Religioſo, ſi petierit facultatem a ſuo Prælato tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem, & non obtinuerit, facultas conceditur tranſeundi. Secundò ex declaratione Clementis VIII., & Pauli V., vbi habetur, quod, ſi per Confeſſariū petatur facultas à Prælato abſoluendi eius ſubditum à reſeruatis, & iniuſtè denegetur, poſſet idem Confeſſarius eundem abſoluere. *Naldus in ſumma verb. Religio num.* 44., vbi refert eaſdem declarationes.

Contrarium tamen communius ſuſtinent in caſu, de quo hic loquimur, ſtante decreto *Concil. Trident. d. ſeſſ. 23. c.* 15. per quod requiritur actualis approbatio cum derogatione quorumcunq; priuilegiorum, & conſuetudinum, quantumuis immemorabilium, eo quia illa particula conditionalis, *Niſi*, eam vim habet, vt, ſi conditio requiſita non ponatur re ipſa, non ſequatur effectus; vnde ad textum *in d. Clem. fin. de ſepult.* dicunt, quod eidem derogatum intelligatur per dictas clauſulas Concil. Trident. Quid iam concludendum?

30 Concilii Trident. derogans huiuſmodi iuribus

Aduerto primò, dubium non procedere, quando euidentèr non conſtat iniuſtè negari; tunc etenim ius Superioris ſemper integrum remanet, eiuſque libertas debet

in

31 Vbi expressè nō constat de idoneitate, non iniustè negatur.

in iure suæ possessionis seruari; & iure quidem merito, nam secus posset contingere, quod, dum non euidentèr constat de idoneitate, non idoneum approbaret. Procedit igitur excitatum dubium, quando euidentèr constaret de idoneitate, & Prælatus sine aliqua causa approbationem petitam denegaret. In quo casu

32 Probabilius non potest excipere confessiones.

Respondeo, probabilius esse sic reiectum quantumuis Regularem non posse audire confessiones, & pænitentes ad se confugientes Sacramentalitèr absoluere; Moueor potissimum ex dispositione Concilij, quod omnes comprehendit, quantumuis Regulares. Ibi *nullum etiam Regularem*, vbi nota illam particulam, *Nullum*, quæ omnes excludit, & cum faciat etiam mentionem Regularium eosdem in hoc facit communes cum cæteris Sacerdotibus.

33 Respondetur iuribus oppositis.

Nec obstare videntur, quæ ex aduerso afferebantur; non primum desumptum *ex d. Clem. final. de sepult.*, quandoquidem eidem satis expressè derogatum intelligitur per idem Trident. per illa verba, *Priuilegijs, & consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstantibus*; non secundum desumptum ex regula, quod consensus debitus, & iniustè negatus habeatur pro consensu præstito; nam, licet hæc in plerisque locum habeat, vt in præcitatis iuribus; fallit tamen præcipuè quoad administrationem Sacramentorum in ijs, in quibus requiritur consensus actualis, vt in casu, de quo loquimur, prout requirit Tridentinum loc. cit. vt notat *Suarez disp. 8. sect. 5. à n. 5. ad 11.*

34 An approbatio semel posita sit reuocabilis.

Dubium VIII. An approbatio semel ritè concessa reuocari possit, aut alitèr auferri. Sub hoc dubio plura comprehenduntur examinanda. Primum est, an simplicitèr ab eodem Ordinario approbatus possit ab eodem sine causa reuocari. Secundum ex suppositione, quod non possit reuocari, an approbatus ad annum intelligatur simplicitèr approbatus ad hunc effectum, vt non possit ab eodem reuocari sine causa, sicuti non potest reuocari simplicitèr approbatus. Tertium, an approbatio morte concedentis reuocetur. Quartum, an post mortem concedentis adueniente nouo Episcopo possit approbatio facta à primo reuocari. Quintum, an hoc possit fieri à Vicario Capitulari sede vacante. Sextum, an Confessario recedente a Diæcesi, in qua fuit approbatus, & figente alibi suum domicilium cesset approbatio, adeo vt, si redeat negotiorum causa non ibi moraturus non possit pro eo tempore confessiones subditorum illius Diæcesis recipere. Septimum, quid dicendum sit de Regularibus, qui quandoque recedunt à loco, in quo fuerunt approbati alibi commoraturi, & postea viuente eodem Episcopo, qui approbauit, redeunt.

Varij sensus, & considerationes circa dubium.

35 Approbatus simplicitèr ab eodem non videtur congruè posse ab eodem reprobari sine causa.

Respondeo primò. Approbatus simplicitèr ab eodem Ordinario probabilius sine iusta causa non potest ab eodem remoueri *Suarez disp. 28. sect. 8. num 7.*, *Reginaldus lib. 1. num. 202.* Probatur primò in vniuersum, quia approbatio simplicitèr facta seruatis seruandis habet rationem iuridicæ cuiusdam declarationis, & tanquam iusta sententia à Superiore, tanquam Iudice in fauorem petentis lata, & non tanquam mera, & simplex gratia; ius autem acquisitum per iustam, & legitimam sententiam sine iusta, & legitima causa non potest auferri; vnde, si verificatur adagium, quod semel placuit, amplius displicere non possit, à fortiori verificabitur, quod id, quod per iustam sententiam simplicitèr concessum est, non possit sine causa retractari. Probatur secundò signantèr de Regularibus simplicitèr approbatis, quia ipsi in alio ab Episcopis non dependent, nisi quoad approbationem, ad quam ius videntur habere, si idoneitatem suam exhibuerint, ergo eadem exhibita, & reportata approbatione tanquam eisdem debita non erit, cur possint non interueniente legitima causa eadem priuari.

36 Euincitur specialiter in ordine ad Regulares.

Ad hoc plurimum facit Constitutio declaratoria priuilegiorum quoad Sacramenti pænitentiæ administrationem Regularium Clem. X. edita anno 1670. vndecimo Kalendas Iulij, in qua hæc expressè habentur *Regulares verò ad eiusmodi confessiones audiendas præuio examine simplicitèr, & absque vlla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem, si ab eius Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis approbatus, non posse ab eodem, qui sic approbauit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias ipsis concessas reuocari, nisi noua superueniente causa, quæ ipsas confessiones concernat.* Inter causas autem, quæ concernere possunt confessiones ibi numerat Pontifex improbitatem, inhonestam vitam, & delicta eorundem Regularium; addita ratione *cum præcipua Ministri Sacramenti pænitentiæ qualitas sit vitæ integritas, & morum honestas.*

37 Approbatus ad annum intelligitur simplicitèr approbatus.

Respondeo secundò. Approbatus ad annum intelligitur simplicitèr approbatus quoad effectum, vt nequeat ab eodem Ordinario reuocari. Ratio ex eo deducitur, quòd regularitèr huiusmodi approbationes expediuntur ad annum, quando non est motiuum, vel ex defectu debitæ scientiæ, vel alterius qualitatis requisitæ illas restringendi; vnde, cum fiant sub tali tenore, accipiendæ sunt pro simplicitèr factis, cæteroqui vel nulla, vel ferè nulla esset approbatio simplicitèr.

Acce-

Accedit potissimum in ordine ad Regulares, quod semel approbati ab vno Episcopo non possint ab eodem reprobari, prout habetur in extrau. Pij incip. *Romana Pontificis prouidentia*, edita anno 1571. vbi hæc habentur. *Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Ciuitate, & Diæcesibus suis præuio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari*, quod item declarauit Sacra Concilij Congregatio per hæc verba, *Congregatio Concilij censuit Regulares ad audiendum sæcularium confessiones in Ciuitate, & Diæcesi ab Episcopo præuio examine approbatos iterum ab eodem examinandos non esse; cæterum posse iterum à successore examinari iuxta Constit. sanct. mem. Pij V. dat. Idibus Augusti anni* 1571., quæ Constitutio Piana, & Sacræ Congregationis declaratio non fuit reuocata per Gregorium XIII. per reductionem priuilegiorum Regularium ad terminos Concilij Trident., vt probat *Viualdus in candelabro aureo prima part. tit. de confess. num.* 28., *Miranda in man. tom.* 1. *q.* 45. *art.* 7. Idem statuit Clemens X. in sua Constit. Incipient. *Superna* edita Vndecimo Kalendas Iulij 1670.

38 Iura specialia in ordine ad Regulares.

Respondeo tertiò. Approbatio facta ab Episcopo non expirat morte eiusdem *Nauarrus in c. placuit de pænit. dub.* 6. *n.* 161., *Suarez tom.* 4. *in tertia part. disp.* 26. *sect.* 3. *num.* 9., *Reginaldus lib.* 1. *num.* 200. *vers. secundum documentum est, Bonacina de Sacram. pænit. disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 4. §. 1. *num.* 8. Ratio ex eo desumitur primò, quod huiusmodi approbatio fit ab Episcopo nomine dignitatis; dignitas autem nunquam expirat. Secundò, quia tum in allegata Constit. Pij V., tum in declaratione Sacræ Congregationis Concilij, tum in Bulla Clementis X. dicitur posse à Successore approbatio facta à Prædecessore reuocari, ergo non intelligitur reuocata per mortem præcisè eiusdem Prædecessoris; vnde communitèr statuunt, quod, si successor non reuocauerit, adhuc duret, & possit approbatus interim recipere confessiones. Ex his

39 Approbatio facta ab Episcopo nō expirat morte eiusdem.

Respondeo quartò. Confessarium quantumuis Regularem simplicitèr approbatum ab Episcopo antecessore posse reuocari à successore, & iterum examinari. Hoc satis indicat Pius V. in allegata sua Constitutione. Ibi- *A successore autem Episcopo pro maiori conscientiæ suæ quiete examinari de nouo poterunt*; Item Sacra Congregatio. *Cæterum posse iterum à successore examinari*, & congrua quidem ratione hoc inductum videtur, vt Episcopi successores habere possit notitiam idoneitatis Ministrorum, qui in hoc genere debent esse eisdem Coadiutores. Quamuis autem hoc possint, non tenentur tamen iterum examinare, cum allegata iura sistant præcisè in potentia facultatiua, non coarctatiua.

40 Potest à successore Episcopo iterū examinari.

Respondeo quintò. Mortuo Episcopo, qui Regulares simplicitèr approbauit, non potest Vicarius Capitularis sede vacante approbationes eorundem reuocare, eosq; iterum examinare. *Siluester verb. Confessor num.* 49., *Stephanus Fagundez de Eccles. præcept. lib.* 7. *c.* 1. *num.* 28, *Cespedes tract. de exempt. Regul. c.* 6. *quoad Sacram. administrat. dub.* 123. Ad quod asserendum mouentur potissimum ex concessione Clement. IV., quam refert *Rodriquez tom.* 1. fol. mihi 36. Ibi- *Quia tamen ipsis Prælatis decedentibus vti licentia huiusmodi Ecclesijs sic vacantibus dubitatis, nobis humilitèr supplicatis, vt prouidere vobis super hoc paterna diligentia curaremus. Vestris igitur supplicationibus inclinati præsentium vobis auctoritate concedimus, vt in huiusmodi casu positis, vti tandiù liberè prædicta licentia, donec viduatis Ecclesijs prouisum fuerit de Pastore*.

41 Vicarius Capitularis nō potest Regulares approbatos reijcere.

42 Iura, quibus innititur assertum.

Idipsum videtur satis clarè deduci ex præcitata Constitut. Pij V. incip. *Romani Pontificis prouidentia*, vbi facultas reuocandi tribuitur Episcopo successori. Ibi- *Ab eodem Episcopo iterum non examinari; à successore autem Episcopo pro maiori conscientiæ suæ quiete examinari de nouo poterunt*, vbi vides facultatem hanc reuocandi approbationem, & iterum examinandi restringi ad Episcopum successorem, quod idem deducitur ex declaratione enuntiata Sacræ Congregationis.

Neque obesse possunt ea, quæ ex aduerso asserunt *Marchinus part.* 5. *tract. de pestilentia c.* 4. *num.* 15., & *Ioannes Angelus Bossius de tripl. Iubil. priuil. sect.* 3. *cas.* 2. §. 3. *num.* 61., nempè Capitulum sede vacante succedere in omnibus quoad iurisdictionalia, quæ pertinebant ad Episcopum; ad istum autem pertinet approbare etiam Regulares quoad confessiones audiendas, ergo hoc etiam mortuo Episcopo pertinebit ad Capitulum, quod, cum sit successor ad eundem, poterit id efficere, quod potest efficere Episcopus successor, qui potest reuocare approbationes sui Prædecessoris, & propterea &c. Non, inquam, obesse potest, quia in primis rigorosè loquendo non potest dici, quod Capitulum mortuo Episcopo sit eius successor saltem vniuersalis, cum non succedat in dignitate, nec in omnibus iurisdictionalibus, vt in pluribus probant *Stephanus Quaranta verb. Capitulum sede vacante, Sbozzius de offic. Vicarij lib.* 2. *per multas quæstiones, Barbosa de offic. Episc. alleg.* 36. *num.* 9.: Pontifex autem Pius V. in allegata sua Constitutione,

43 Soluuntur obiecta opposita.

qui prohibuit Episcopo approbanti iterum examinare Regulares approbatos ab ipso, facultatem quidem tribuit iterum examinandi eosdem successori Episcopo, non successori quomodocunque, & non in omnibus. Deinde Regulares ab hoc onere iterati examinis quoad Capitulum sede vacante exempti sunt vigore allegatæ concessionis Clement. IV.

44 Approbatus in vna Diæcesi, si ab eadē recedat, & alibi figat domiciliū, si casu ibi negotiorum causa reuertatur non potest confessiones recipere.

Respondeo sextò. Si approbatus ab Episcopo vnius Diæcesis ab eadem recedat, & domicilium figat in alia Diæcesi cum animo ibi permanendi, & occasionalitèr se transferat negotiorum causa in primam non ibi permansurus, probabilius non potest pro tempore illius breuis permanentiæ recipere confessiones subditorum illius Diæcesis *Suarez tom. 4. in tertiam partem disp. 28. sect. 7. num. 8., Reginaldus lib. 1. num. 203.* Ratio est, quia per mutationem domicilij ille sic approbatus amittit subiectionem versus illum Episcopum, à quo fuit approbatus, ergo & iurisdictionem, quam ab illo acquisiuit; nec recuperat ex eo, quod breui se in Diæcesim illam se transferat negotiorum causa ibi breuitèr moraturus, ergo non poterit subditos illius Diæcesis Sacramentalitèr audire, & validè absoluere vtpotè, qui caret iurisdictione ad hoc munus requisita. Hęc potissimum verificantur quoad Confessarios sæculares, qui iurisdictionem recipiunt ab Episcopo approbante; Sed quid erit dicendum quoad Regulares, qui non ab Episcopo, sed à Pontifice iurisdictionem recipiunt, dicemus infrà.

45 Si reuertatur animo ibi permanendi indiget noua approbatione.

Sed quid erit dicendum, si Sacerdos sæcularis, qui fuit approbatus in vna Diæcesi ab illa recesserit, & domicilium alibi fixerit cum animo ibi permanendi, sed postea mutato consilio, & voluntate redierit ad primam Diæcesim ibi permansurus, an tunc indigebit noua approbatione illius Episcopi, vt confessiones in eadem possit recipere? Vtique arbitrarer, indigere noua approbatione, quam tamen de facili concedere deberet Episcopus etiam sine nouo examine. Ratio est, quia prior facultas tam quoad approbationem, quam quoad iurisdictionem per mutationem domicilij expirauit, ergo, quantumuis ille Sacerdos reuertatur in priorem Diæcesim ibi permansurus, indigebit noua approbatione; Neque dicas, per simplicem recessum ab eadem Diæcesi cum animo non amplius ad illam reuertendi amisit iurisdictionem, & potestatem recipiendi ibi confessiones, ergo per simplicem regressum in eandem cum animo ibi permanendi recuperabit eandem iurisdictionem cum facultate recipiendi confessiones; Contrà enim impugnaberis, quia, cum

De facili tamen est concedēda.

talis iurisdictio, & potestas dependeat à voluntate Episcopi concedentis illa semel amissa non potest iterum acquiri sine voluntate vel expressa, vel tacita eiusdem, adeoque requiritur noua ipsius approbatio, sine qua non legitimè confessiones reciperet.

46 Regulares, qui recesserunt, & postea reuersi sunt non indigent ab eodē noua approbatione.

Respondeo septimò. Regularis approbatus in vna Diæcesi, in qua habebat domicilium, si inde per Superiores eiusdem fuerit remotus, & ad aliam Diæcesim translatus, & deinde ad primum domicilium, in quo fuit approbatus, fuerit reuocatus, non indiget noua approbatione illius Episcopi, si fuerit superstes. *Suarez d. disp. 28. sect. 7. num. 9., Amicus disp. 15. num. 135. de satisfact. Sacram., Bossius de tripl. Iubil. priuilegio* apud *Cespedes c. 7. quoad Sacram. admininist. dub. 109., Lezana tom. 1. c. 19. num. 7. in fin., Nugnus in addit. ad tertiam part. q. 8. art. 3. dub. 1. conclus. 2.* Communitèr probant hanc responsionem ex eo, quod approbatio Regularium supponunt esse, vel debere esse sine temporis pręfinitione; Sed hæc ratio non videtur vniuersalitèr subsistere; nam etiam si sæcularis Sacerdos fuerit simplicitèr sine temporis præfinitione approbatus, & recessisset ab eadem Diæcesi, & iterum reuersus ad illam posset sine noua approbatione in eadem recipere confessiones, quod non consonat cum supradictis. Quamobrem rationem responsionis congruentius refunderem in priuilegia eorundem Regularium, qui, cum habeant iurisdictionem immediatè à Romano Pontifice, & solum indigeant approbatione Episcopi hac semel habita, ab eodem quoad approbationem non amplius dependent, prout habetur ex Constitutione Pij V., & aliorum vtsupra; neque per mutationem domicilij alteratur hæc qualitas, seu hæc priuilegia, quandoquidem comitantur personas, non vt illa exerceant vbicunque reperiantur, sed in loco, ex quo facta est approbatio, quandocunque contigerit ibi approbatum reperiri.

47 Ampliatio ad mox dicta.

Ampliando procedunt plurimi, inter quos *Rodriquez in Bullam Cruciatæ §. 9. n. 5., Nugnus in addit. ad tertiam part. q. 8. art. 3. dub. 1. concl. 2., Ioannes Vallerus verb. Absolutio differ. 1. num. 19., Tamburinus tom. 2. de iure Abbat. disput. 3. q. 14. num. 2.* asserentes Regularem, qui recessit à loco, in quo approbatus est, & ad alium accesit, si redierit ad primum, non modo posse in eodem confesiones Sacramentales recipere viuente eodem Episcopo, sed etiam mortuo, quantumuis successor eiusdem aduenerit, dummodo iste approbationes prædecessoris non reuocauerit. Ratio est, quia Regularis redeundo ad priorem locum,

cum, à quo recesserat recuperat iura, quæ antecedentèr habebat, perinde ac, si non recessisset, sed, si non recessisset gauderet facultate recipiendi confessiones subditorum illius loci adhuc mortuo Episcopo approbante, quinimmo etiam adueniente successore, donec ab isto fuerint facultates reuocatæ, ergo &c.

ARTICVLVS XIII.

De Scientia in Confessario requisita.

SVMMARIVM.

Inter requisita ad approbationem potissimum est scientia. 1.
Cautè procedere debent Pænitentes in eligendo Confessario idoneo, & docto. 2.
Cautè etiam procedant Confessarij sibi conscij insufficientiæ, ne se exponant. 3.
Vix possent excusari à peccato radicali. 4.
Etiam Superiores debent cautè procedere in exponendis suis subditis ad confessiones audiendas. 5.
Excellens scientia est optima in Confessario, non tamen singulis necessaria, mediocris est necessaria, & sufficiens. 6.
In quo consistat scientia excellens. 7.
Qualis, & quanta debeat esse mediocris scientia. 8.
Numerantur in particulari, quæ scire debet Confessarius. 9.
Quandonam Confessarius imperitus excusari possit à culpa. 10.
Pænitens doctus supplere potest imperitiam Confessarij. 11.
Etiam integritas morum eiusdem pænitentis vniuersalitèr cognita excusare potest. 12.
In articulo mortis etiam absoluens excusatur. 13.
Confitens bona fide Confessario ignaro validè confitetur. 14.
Facta confessione bona fide Confessario ignaro, si postea pænitens cognouerit ignorantiam non tenetur confessionem repetere. 15.
Intellige, si in illa confessione peccata exposuerit cum suis qualitatibus. 16.
Si ex obliuione, vel errore aliquod omiserit, tenetur illud exponere. 17.
Quid dicendum sit, si Confessario ignaro confessus fuerit peccata reseruata. 18.
Si pænitens mala fide confessus fuerit Confessario ignaro tenetur confessionem repetere. 19.

1 Approbatio requirit scientiã.

APprobatio versatur potissimum circa qualitates personæ approbandę, quæ debent esse motiuum eiusdem approbationis. Inter cæteras autem numeratur scientia, quam requiri in eo, qui approbandus est, clarissimè liquet ex munere, quo debet fungi, & ad quod est approbandus; debet enim exercere actus iudiciarios, qui requirunt cognitionem rerum iudicandarum, vnde *in c. 1. de pænit. dist. 6.* §. *caueat* expresse dicitur. *Oportet sciat cognoscere, quidquid debet iudicare; iudiciaria enim potestas hoc exigit, vt quod debeat iudicare, discernat.*

2 Cautè procedãt pænitentes in eligendis Confessarijs doctis.

Hic nequeo silere, quin Pænitentes moneam, quam cauti debeant esse in Confessario idoneo, & scienteo sibi eligendo, ne sibi contingat, quod habetur *in c. 1. de pænit. dist. 6. in principio*, Ibi. *Qui vult confiteri peccata sua, vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare, & soluere, ne, cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditèr monet, & petit, ne ambo in foueam cadant, quam stultus euitare noluit.*

3 Sacerdotes sibi conscij insufficientiæ ne se exponant.

Secundò, quin moneam Sacerdotes, qui sibi conscij sunt suæ insufficientiæ, ne se exponant, ne dum alios soluere student à vinculo peccatorum, se ipsos strictioribus noxis illaqueent. Certè non essent excusandi à peccato radicali, à quo tot crimina prouenirent, quot iniquè sine cognitione causæ absoluerent; nec prodesse posset excusatio, quod fuerint ab Episcopo, vel præuio examine, vel alitèr approbati, quandoquidem illud experimentum valdè tenue est, nec facit scientem, cui propterea præualere debet insufficientia propria à se cognita. Quod, si supponas, Sacerdotem præcipuè Regularem se exponere confessionibus ex mandato sui Superioris dubitans de sua capacitate, quam exposuit eidem Superiori; tunc crederem, posse deposito illo dubio dictis eiusdem Superioris fidere, nec peccare stando illius iudicio, cui debet submittere suum. Dixi, *dubitans de sua capacitate*, nam, si ipsi euidentissimè constaret de sua insufficientia ad illud munus, tunc non eximerem ipsum à graui noxa, si se exponeret non obstante sui Superioris mandato *arg. textus in c. literas*, §. *porro de restitut. spol.*, nam agens contrà conscientiam ædificaret in gehenna. Erat ibi sermo de muliere nupta, quæ recesserat à marito ob certam notitiam consanguinitatis, &, cum maritus ageret ad ipsius restitutionem Superiore, seu Iudice ipsam compellente sub pænis censurarum, vt ad maritum rediret, respondit Pontifex, quod potius debeat sustinere sententiam excommunicationis, quã redire ad maritum, vt ipsi copularetur.

4 Vix possent excusari à peccato radicali.

5 Etiã Superiores debent cautè procedere in exponendis, & approbãdis suis subditis.

Tertiò, quin moneam Superiores, vt cautè procedant in exponendis suis subditis, ijsque approbandis; debent etenim aduertere, quas personas rapræsentare debeat Confessarius, & quæ munera exercere;

cere; rapræsentat etenim Iudicem, Medicum, Pastorem, Doctorem &c. Debet ex munere pænitentem excitare ad detestationem peccatorum, iuuare interrogationibus, vbi necessarium nouerit ad integritatem confessionis, docere, monere, arguere, consolari, animæ morbis mederi, satisfactiones imponere, confirmare ad vitæ emendationem, aduersus relapsus corroborare &c. quæ, cum talia, & tanta sint, exigunt in eodem scientiam, peritiam, prudentiam, quæ omnia ponderare debent Prælati, an existant in exponendis, & approbandis, ne dum inconsultè exponunt, & approbant, sibi, & illis ingerant interitum.

His igitur præmonitis id, quod specialitèr venit sub hoc titulo discutiendum, erit primò qualis, & quanta scientia requiratur in Confessario approbando. Secundò, an quandoque possit excusari Confessarius à culpa audiens confessiones. Tertiò, an pænitens confitens bona fide peccata sua Confessario ignaro, & recipiens ab eo absolutionem intelligatur validè absolutus. Quartò, an peccet pænitens, & inualidè confiteatur, si ei confiteatur, quem nouit non habere sufficientem scientiam.

Articuli examinãdi.

6 *Excellẽs scientia non est necessaria, mediocris est sufficiens, & necessaria.*

Conclusio I. Excellens scientia est optima in Confessario, non tamen singulis necessaria; mediocris est necessaria, & sufficiens *Nauarrus in Enchir. c. 4. n. 3., & ad §. caueat num. 9. de pænit. dist. 6. c. 1., Reginaldus lib. 1. num. 143., Homobonus de exam. Eccl. tract. 1. c. 9. q. 47., & 48., & tract. 5. q. 42.*

Ratio primæ partis est, quia, si scientia excellens in omnibus requireretur, qui approbandi sunt ad Sacramentales confessiones audiendas, pauci, & ferè nulli reperirentur, qui ad hoc munus exercendum essent idonei, & sic hoc salutare remedium institutum pro omnibus vix paucis posset prodesse, cum messis esset multa, & operarij pauci, qui possent in tot fidelibus vbique dispersis eam colligere, & omnibus prodesse, ergo æquum non fuit, vt hoc munus adstringeretur paucis peritia excellenti pollentibus.

7 *In quo consistat hæc sciẽtia excellens.*

Si autem inquiratur, in quo consistat hæc scientia excellens, dicam *cum Nauarro locis cit.* consistere in eo, vt Theologiam tam moralem, quam Sacramentalem calleat, & iuris præsertim Canonici peritiam non quomodocunque, sed practicè habeat, & constitutiones tam Pontificias, quam sinodales regionis, in qua hoc munus exercere debet, teneat; ad hoc etenim, vt sit excellens Confessarius, debet posse omnibus ad ipsum accedentibus per se ipsum satisfacere; hoc autem præstare non valet, nisi in omnibus allegatis sit perfectè instructus, vt per se patet, ergo &c.

Ratio secundæ partis ea est, quia excellens, vt mox diximus, necessaria non est, minima non est sufficiens, ergo media, hoc est mediocris erit necessaria, & sufficiens. Secunda pars antecedentis ex eo euincitur, quia ad hoc munus necessarium est, vt Confessarius possit efformare prudens iudicium, quod haberi nequit per minimam scientiam, seu notitiam eorum, quæ agenda sunt, & per neglectum eorum, quæ communitèr sciri debent.

8 *Qualis, & quanta debeat esse mediocris scientia.*

Si autem inquiratur, qualis, & quanta debeat esse determinatè hæc mediocris scientia; tunc respondent *Caietanus in summa verb. confessionis iteratio sub fin., Nauarrus d. c. 4. num. 4., & in d. §. caueat num. 17., Panormitanus in c. cum in cunctis de elect. num. 4.* non posse certam, & determinatam regulam in hoc præscribi propter diuersitatem personarum, & locorum; personarum quidem; nam in ordine ad aliquas maior, in ordine ad alias minor potest requiri; sic maior requiritur in eo, qui audire debet assuetos negotiationibus, & qui rebus arduis implicantur, ac in eo, qui audit rusticos, ac simplices personas; locorum, nam in Ciuitatibus maior videtur requiri peritia, quia ibi sunt arduiora commertia, ac in villis, & pagis.

9 *Recensẽtur in particulari, quæ scire debet.*

In vniuersum dici potest, quod illa scientia requiratur, qua nouerit, quæ necessaria sunt ad materiam, & formam huius Sacramenti, quæ circunstantiæ saltem in genere ex necessitate explicandæ in confessione, quænam sint peccata mortalia, & quænam venialia, vel saltem sciat dubitare, ex qua culpa oriatur obligatio restitutionis, an possit absoluere, vel non absoluere pænitentem, & his similia. Dum autem diximus debere scire, quænam sint peccata læthalia, hoc intelligendum est de peccatis, quæ communitèr nota sunt, vt sunt capitalia, nam quæ non ita nota sunt, sufficit, quod de illis possit dubitare, quod idem intellige de speciebus peccatorum, & de circunstantijs mutantibus speciem, non etenim necesse est, vt omnes singillatim cognoscat, cum tales, & tot sint, vt neq; à peritioribus cognoscantur, prout notant *Franciscus à Victoria de Sacramentis num. 168.*; vnde infert *Suarez tom. 4. disp. 28. sect. 2. num. 17.*, quod, cum non sit de necessitate huius Sacramenti, vt Sacerdos, & pænitens cognoscat totam grauitatem peccatorum, valdè probabile sit, quod confessio sit valida, quamuis pænitens confiteatur aliquod peccatum, vt veniale, licet in se sit læthale, & Confessarius etiam vt veniale recipiat.

Con-

10 Quandonam Cõfessarius imperitus excusari possit à culpa.

Conclusio II. Potest quandoque Confessarius imperitus excusari à graui culpa, si confessiones recipiat non cognoscens distinctè ex se qualitates peccatorum *Nauarrus in man. c. 4. num. 5., Reginaldus lib. 1. num. 147.*

Probatur numerando casus, in quibus excusatur à graui culpa. Primus est, quando peritia pænitentis supplet defectum scientiæ ipsius Confessarij; quod contingeret, quando pænitens non solum confiteretur peccata sua quoad numerum, species, circunstantias mutantes speciem, & etiam indicaret, quænam trahant obligationem restitutionis, sed vlterius simul certiorem redderet Confessarium de huiusmodi numero, speciebus, & circunstantijs mutantibus speciem; tunc etenim ipse Confessarius posset efformare prudens, & distinctum iudicium de statu eiusdem pænitentis.

11 Pænitens doctus supplere potest imperitiã Confessarij.

Secundus est, quando ipse Confessarius certò moralitèr nouit ex morum integritate, ex regulato viuendi tenore pænitentem non esse noxis læthalibus infectum; quando etenim non omnia peccata venialia quoad suas species cognosceret, adhuc validum constitueretur Sacramentum; sicuti etenim non est necesse, quod omnia venialia clauibus subijciantur, ità non est necesse, quod omnia distinctè percipiantur secundum suas species. *Nauarrus loco quo supra, Reginaldus lib. 1. n. 147. vers. secundus casus est.*

12 Etiam integritas morũ pænitentis euidẽtèr cognita.

Tertius est, quando confessionem recipit alicuius in articulo mortis constitutus, nec alius est idoneus, qui possit talem confessionem recipere *Suarez d. tom. 4. disp. 28. sect. 2. num. 13.*, qui etiam testatur de communi. Ratio est, quia in hac hypothesi existente dispositione in pænitente, & iurisdictione in Confessario non est præsumendum, quod Christus Dominus ex defectu scientiæ in Confessario velit pænitentem relinquere in illo discrimine salutis æternæ, & sicut in illo casu indulget, vt, si pænitens non possit exprimere singillatim peccata, ex solis pænitentiæ signis possit validè, & licitè absolui, quamuis Confessarius non possit de illius statu prudens iudicium efformare, ità non est hæsitandum, indulgere, si exponat sua peccata, licet Confessarius non percipiat perfectè statum eiusdem pænitentis.

13 In articulo mortis absoluens etiam excusatur.

Conclusio III. Pænitens, qui bona fide confitetur peccata sua Confessario ignaro nescienti discernere inter peccatum mortale, & veniale, inter reseruatum, & non reseruatum, validè confitetur, & recipit beneficium absolutionis *Vasquez quæst. 93. art. 3. dub. 2., Petrus Soto lect. 9. de confess., Medina C. de confessione iteranda ob defectum Confessarij, Suarez disp. 23. sect. 6. num. 4., & disp. 28. sect. 2., Reginald. lib. 1. n. 148.*

14 Cõfitens bona fide Confessario ignaro validè confitetur.

Ratio ex eo deducitur, quod in hac hypothesi interueniunt omnia requisita ad validitatem Sacramenti, scilicet in Confessario potestas ordinis, & iurisdictionis, cum debita intentione absoluendi; & in pænitente confessio integra, debitus dolor, & voluntas satisfaciendi, & si quæ culpa potest in hoc considerari, se tenet ex parte Confessarij, quæ non potest officere validitati eiusdem Sacramenti, nec obesse pænitenti, vt videre est in alijs, in quibus eius improbitas non inficit, nec irritat ipsum Sacramentum, sed dumtaxat reddit peccantem eundem Confessarium. Neque dicas, improbitatem præcisè Confessarij in alijs non officere Sacramento, nec pænitenti; improbitatem autem circa ea, quæ spectant ad naturam Sacramenti, ipsum irritare; improbitas autem, quæ oritur ex defectu debitæ scientiæ tangit ipsam naturam Sacramenti, cum impediat rectum iudicium de statu pænitentis, in quo iudicio ipsum Sacramentum constituitur; Contrà enim impugnaberis, quia essentialia Sacramenti consistunt in præcitatis actibus Confessarij, & pænitentis, & licet etiam requiratur iudicium Confessarij, hoc tamen non est necesse, vt sit omnino, quantum ad validum esse, distinctum quoad omnes species, & circunstantias peccatorum, vt videre est in eo, qui aliquibus tantum peccatis expositis non potest alia subijcere ob accidens superueniens ipsi pænitenti, cuius confessio nemine disceptante est valida, quamuis Confessarius nequeat perfectè discernere, & iudicare de statu pænitentis; Sufficit ergo, quod in hac hypothesi habeat materiam, quam iudicet necessariam, vel sufficientem, supra quam cadere possit absolutio; nec ad aliquid aliud pænitens tenetur, cum omnia sua peccata integrè exposuerit cum debito dolore.

Rationes pro asserto.

Hic duo potissimum dubia insurgunt. Primum est, an, si pænitens postea cognouerit Confessarium ex imperitia, seu ignorantia non rectè iudicasse distinguendo inter peccata venialia, & mortalia, teneatur iterare eandem confessionem. Secundò, an, si in prima confessione subiecerit simul cum non reseruatis peccata reseruata, quæ Confessarius non distinxerit, teneatur cognita imperitia eiusdem Confessarij apud Superiorem, qui eadem sibi reseruauit, saltem illa reseruata iterum exponere, vt ab illis absoluatur.

Nonnulla dubia corrolaria ad prædicta.

In ordine ad primum asserendum est, si ea cum suis qualitatibus in prima confessione exposuerit, non teneri amplius exponere. Consentiunt omnes allegati pro con-

15 Cognita ignorãtia nõ tenetur confessiones repetere.

conclusione, & vlterius *Bonacina de Sacram. pœnit. disp. 5. q. 7. punct. 4. §. 2. n. 14.* Ratio ex dictis colligitur, quia hoc Sacramentum validum fuit, nec contigit aliquis substantialis defectus ex parte pænitentis, ratione cuius teneatur eandem confessionem iterare, ergo non est, cur teneatur eandem repetere. Dixi, *cum suis qualitatibus*, nam, si non expressisset aliquam speciem, vel circunstantiam mutantem speciem, vel exposuisset peccatum aliquod sub qualitate dubij, cum tunc fortè tale crederet, & postea cognouerit illam speciem, seu circunstantiam mutantem speciem, & quod peccatum illud, quod confessus est, vt dubium, sit certum, tunc certè teneretur illam speciem, vel circunstantiam mutantem speciem, & peccatum sub qualitate certi iterum exponere. Ratio est, quia hoc exigit integritas confessionis, & sicuti, si quis in præcedenti confessione oblitus fuerit alicuius peccati læthalis, si postea illius recordatus fuerit, tenetur illud exponere non obstante, quod illius consecutus fuerit remissionem, ità, si ex errore, vel inaduertentia in præcedenti confessione non expresserit aliquam speciem, vel circunstantiam mutantem speciem, & peccatum sub qualitate certi, & postea ea cognouerit, tenebitur illa exponere iterum clauibus *Sanchez in summa lib. 1. c. 10., Bonacina loc. cit. num. 15. in fine.* Dixi, *si ex errore, vel inaduertentia in præcedenti confessione non expresserit*, nam, si non expressisset ex malitia, teneretur non solum illam speciem, vel circunstantiam mutantem speciem exponere, sed iterare totam confessionem, cum præcedens fuisset omnino irrita.

16 Intellige, si exposuit integrè sua peccata.

17 Si ex obliuione aliquod omiserit tenetur illud exponere.

In ordine ad secundum videtur dicendum, quod saltem peccata illa reseruata teneatur repetere in alia confessione, cum non fuerit potestas in illo Sacerdote ab illis absoluendi, nam sicuti, si quis, quantumuis bona fide confessus fuerit sua peccata alicui non habenti facultatem absoluendi, non remanet absolutus, ità, si confessus fuerit peccata reseruata non habenti facultatem absoluendi, quantumuis bona fide apud illum confessus fuerit, non remanebit ab illis absolutus, cum in ordine ad ista non habuerit facultatem absoluendi, nec ignorantia Confessarij potest illi prodesse ad eximendum ipsum ab onere exigendi absolutionem ab habente facultatem absoluendi ab eisdem; nam licet dici potest indirectè absolutus, cum vnum peccatum læthale sine alio non remittatur, adhuc tamen remanet obligatio se præsentandi Superiori, vel habenti auctoritatem, vt ab illis absoluatur. Nihilominus in hoc procederem cum distinctione; vel etenim pænitens cognouit apud illum Confessarium non esse potestatem absoluendi à reseruatis, vel ignorauit eadem esse reseruata, vel non esse in ipso facultatem absoluendi ab illis. Iuxta primum sensum sentio teneri, nedum illa peccata reseruata iterum exponere habenti facultatem ab illis absoluendi, sed omnia alia peccata exposita primo Confessario. Ratio est, quia in hac hypothesi non potest dici bona fide accessisse, vnde in eadem confessione grauitèr deliquit, & sic non potuit consequi remissionem peccatorum, & sicuti iuxta dicenda in sequenti conclusione, si accederet scientèr, seù mala fide ad Confessarium ignarum nescientem distinguere inter læthalia, & venialia non consequeretur gratiam remissiuam, quia in eadem confessione grauitèr delinqueret, ita &c. Iuxta secundum sensum magna difficultas in eo versari videtur, quia ex vna parte ille pænitens est etiam à peccatis reseruatis absolutus, & ex regula communitèr pręcepta apud *Nauarrum in c. placuit num. 112. dist. 6. de pœnit.* nemo per se loquendo obligari potest, vt idem peccatum bis confiteatur; ad hoc autem obligaretur pęnitens, si, postquam illud bona fide exposuit cum omnibus suis qualitatibus, teneretur iterum illud Superiori exponere; ex alia parte magis communitèr statuunt DD., & signantèr *Coninchus de Sacram. disp. 8. dub. 17. num. 141., Nugnus tom. 2. in addit. ad tertiam part. q. 8. art. 3., Floron de casib. reseru. part. 1. c. 5. §. 1.; Possevinus de Offic. Curati c. 7. num. 64., Homobonus tract. de casib. reseru. c. 6. num. 5., Conradus in resp. cas. consc. part. 1. q. 18., Nauarrus in man. c. 26. num. 14., Siluius in addit. ad tertiam part. q. 8. art. 4. quæritur 8. concl. 1., & 2.,* quod Confessarius, qui absoluit à reseruatis non habens quoad illa iurisdictionem teneatur illam à Superiore petere, & monere pęnitentem, vt iterum illa confiteatur; ex quo videtur directè sequi, quod, si ipse pænitens facta confessione reseruatorum bona fide, & recepta absolutione, si postea cognouerit illa esse reseruata, vel non fuisse iurisdictionem in Sacerdote, qui absoluit, teneatur illa iterum habenti iurisdictionem confiteri. Quid iam in hoc concludendum? Vtraque opinio probabilis, sed secunda asserens teneri illud iterum subijcere tenenda est propter communem auctoritatem, & quia in praxi tutior est.

18 Quoad reseruata exposita Confessario ignaro quid sentiendum.

Sentētia auctoris exponitur.

Conclusio IV. Si pęnitens mala fide confiteatur Confessario, quem certò norit esse ignarum, nec scire distinguere inter lęthalia, & venialia, grauitèr peccat, nec consequitur effectum absolutionis, vnde tenetur eandem confessionem iterare.

19 Confitens mala fide Confessario ignaro nescienti distinguere.

guere venialia à læthalibus tenetur confessionem repetere.

re *Suarez tom. 4. disp. 28. sect. 2 num. 9.*, *Reginaldus lib. 1. num. 151.*, & in hoc arbitror alios communitèr consentire.

Ratio ex eo deducitur, quia Confessarius iste tali ignorantia affectus se exponens confessionibus audiendis grauitèr peccat, ergo etiam ipse pęnitens, qui cum scientia talis ignorantię eidem se subijcit. Consequentia probatur, quia ipse scientèr cooperatur actioni per se malę. Accedit, quod in hoc verificatur id, quod dicitur *in c. 1. de pœnit. dist. 6. in princip.* prout supra retulimus, quod indignum eligat in pręiudicium animę suę, & quod, cum circa se sit negligens, negligatur a Deo.

ARTICVLVS XIV.

De requisitis positiuis in Confessario ad validè, vel licitè administrandum Sacramentum pænitentiæ.

SVMMARIVM.

Requisita in Confessario in ordine ad pænitentes. 1.
Requiritur prudentia. 2.
Circa quæ versari debeat huiusmodi prudentia. 3.
Quomodo se gerere debeat Confessarius circa restituenda. 4.
Si pænitens promiserit, quam primum restituere, potest statim ipsum absoluere. 5.
Si Confessarius cognouerit pænitentem non obstante promissione non restituturum, tenetur suspendere absolutionem, donec satisfecerit. 6.
Confessarius tenetur monere pænitentem de onere restitutionis, vbi illud nouerit, si pænitens de illo non cogitet. 7.
Non tamen tenetur de suo resarcire læsum, si non monuerit. 8.
Requiritur etiam in eodem consilium. 9.
Circa quæ versari debeat huiusmodi consilium. 10.
Requiritur etiam sollicitudo. 11.
Parochi, & curam animarum habentes per se loquendo tenentur toties in confessione subditos audire, quoties opportunè exigunt. 12.
Nonnullæ exceptiones ad hanc regulam. 13.
Excluditur sententia Medinæ, & Reginaldi volentium teneri solum, quando vrget præceptum, vel necessitas. 14.
Requiritur etiam misericordia. 15.
Etiam iustitia requiritur, & in quo hæc versari debeat. 16.
Etiam patientia necessaria est. 17.
Quomodo hæc exhibenda. 18.

Requisita positiua alia sunt in ordine ad ipsum Confessarium, alia in ordine ad pænitentes. Ad prima pertinet eius bonitas, charitas, aliæque virtutes tam interiores, quam exteriores, quę ipsum reddant dignum Dei Ministrum, & exemplar bonorum operum, quibus excitentur pænitentes ad detestanda peccata, & se conuertendos pura mente, & mundo corde ad Deum; æquum quippè est, vt in ijs, in quibus alios iudicare debet, ipse sit non iudicandus, & quæ in alijs condemnat, in se ipso approbet; vnde *Ecclesiastici* 14. habetur. *Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit?* Ad secunda pertinent prudentia, consilium, sollicitudo, misericordia, iustitia, & patientia. Prima magis elucescent per oppositionem ad contraria, de quibus latè agemus in sequenti articulo. Secunda erunt meta præsentis.

1 Requisita in Confessario in ordine ad pænitentes.

Prudentia igitur Confessarij primo respicit pænitentis vtilitatem, quatenus versari debet in eo prudentèr admonendo, sollicitè instruendo in ijs, quæ ad proprium officium pertinent, lenitèr obiurgando, vbi humilem, & contritum inuenerit, acritèr arguendo, vbi contumacem, & crebro delinquentem agnouerit, increpando in omni patientia, & doctrina, occasiones peccatorum dexterè remouendo, congruas, & salutares pænas imponendo, non atrociores, & arduas, ne dum illis compescere studet delinquentes, ipsos in desperationem conijciat, ità vt mole perteriti onus vniuersum deijciant.

2 Requiritur prudentia.

In ordine ad diuersos debet esse diuersa.

Ad eandem prudentiam pertinet discernere conditiones, & qualitates personarum; non enim omnes eodem modo, & tenore excipiendæ sunt, sed aliæ maxima cum comitate, & humanitate monendæ, aliæ acritèr compescendæ; alijs suauiores etiam ob eadem, & similia delicta pænæ imponendæ, alijs grauiores; alijs beneficium absolutionis differendum, alijs immediatè impendendum; alijs opportunè suadendum, alijs importunè insistendum; hęc etenim omnia, & similia exigunt diuersæ personarum conditiones, nam quæ vni inseruiunt ad medelam, alij conferunt ad ruinam.

3 Circa quę versari debeat huiusmodi prudętia.

Ad eandem pertinet circa peccata iniustitiæ decernere, quando restitutio facienda est, quomodo facienda, vt ex vna parte integretur læsus, ex alia in fama, & honore non lædatur lædens, an differenda sit absolutio, donec in effectu ponatur restitutio, an stante præcisa promissione possit immediatè illam impendere. Circa hæc duo potissimum insurgunt dubia. Primum est, an quandocunque posita fuerit per pænitentem promissio de restitutione facienda, possit Confessarius immediatè

4 Quomodo se gerere debeat circa restituenda.

tè

tè ipsum absoluere. Secundum, an teneatur ipsum admonere de onere talis restitutionis, & si non admoneat, teneatur ipse de suo resarcire damnum, quod læsus passus est.

5 Si pænitens promiserit, quam primum restituere, potest statim absoluere

Ad primum afferendum est, quod, vbi stante promissione non habet rationem dubitandi, quod non sit, quam primum restituturus, possit immediatè imposito onere restitutionis absolutionem impendere; vbi verò cognouerit, quod data opportunitate restituendi non restitueret, possit, quinimmo teneatur non absoluere, donec satisfecerit. Ita in vniuersum *Suarez de pænit. disp. 3. sect. 2. num. 3., Nauarrus in man. c. 26. num. 5., Reginaldus lib. 8. num. 16., Caietanus verb. Restitutio c. 6., Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 7. punct. 4. §. 2. num. 19.* Ratio primæ partis est, quia hoc Sacramentum exercetur per modum iudicij voluntarij, in quo sine alia inquisitione statur dictis, & accusationi Rei, cui, sicut standum est circa propositum non peccandi de cætero, ita standum est circa propositum exhibitum de restitutione quam primum facienda, & sicuti statur eiusdem promissioni de adimplenda satisfactione imposita à Confessario, ita non est, cur stari non debeat promissioni de satisfaciendo proximo; ex alio capite præceptum satisfactionis non obligat statim metaphysicè, sed moralitèr data opportunitate. Ratio secundæ partis est, quia, cum constet habito alias præcepto satisfaciendi data opportunitate non satisfecisse, habet iustam rationem dubitandi non obstante repetitione præcepti non satisfacturum, seu non habere firmum, & efficax propositum satisfaciendi, ergo ad ipsum obligandum ad satisfactionem poterit, quinimmo debebit beneficium absolutionis suspendere.

6 Si Confessarius cognouerit non obstante promissione non restiturum tenetur suspendere absolutionem.

Ad secundum dico, quod, vbi Confessarius nouerit in pænitente onus restitutionis, de quo non cogitat pænitens, teneatur ipsum monere, quinimmo præceptum imponere de restitutione facienda, quod, si hoc non præstiterit, probabilius non tenetur de suo resarcire damnum, quod læsus passus est ex negatione illius admonitionis. Prima pars est communitèr accepta. Secunda est *Lessy lib. 2. de iust. c. 13. num. 78., Valentia tom. 3. disp. 5. q. 6. punct. 3., Sanchez in summa lib. 1. c. 6. num. 5., & lib. 2. c. 12. nu. 23., Azorij tertia part. lib. 4. c. 16. q. 3., Suarez de pænit. disp. 32. sect. 6. n. 9. vers. ego verò,* quidquid ex aduerso dixerint *Petrus à Nauarra de restit. lib. 3. c. 4. n. 125., Clauis Regia c. 14. num. 16., Fillintius tract. 32. c. 3. q. 12. num. 79.,* & alij. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod ad officium proprium Confessarij spectat monere pænitentes de oneribus, quæ ad ipsos spectant, vbi potissimum nouerit, ea non cognoscere; vbi autem pænitentes læserunt alterum, vel in bonis famæ, & honoris, vel in bonis fortunæ est onus in eisdem compensandi, ergo ex officio Confessarius tenetur de illo onere pænitentes monere, cæteroque grauitèr delinqueret in proprio officio. Ratio secundæ partis est, quia Confessarius tenetur quidem ex proprio munere consulere bonis spiritualibus pænitentis, non bonis temporalibus aliorum, vnde in primo deficientes peccant, deficientes in secundo non contrahunt obligationem resarciendi, cum ad hoc non teneantur. Limitant aliqui, inter quos *Lessius lib. 2. de iust. c. 13. num. 77.* quoad eos, qui curam habent animarum, cuiusmodi sunt Episcopi, & Parochi, eo quia decimas, & stipendia accipiunt à populo, vt pro modo suæ gubernationis impediant, ne alijs damnum inferatur, sicut ex hoc fine Principes, & Magistratus sæculares tributa, & vectigalia recipiunt. Sed non libentèr annuerem huic limitationi attentis discretis iuribus, & muneribus Episcoporum, & Parochorum ab illis Magistratuum sæcularium, nam illa respiciunt spiritualia, ista temporalia, quod etiam videtur agnouisse idem *Lessius* non solum *loc. cit. vers. His addo*, sed etiam *c. 9. dub. 13.*

7 Confessarius tenetur monere pænitentem de onere restitutionis.

8 Non tamen tenetur de suo resarcire, si nó monuerit

Consilium Confessarij secundò respicit vtilitatem pænitenti, cum ad eum spectet dirigere in viam salutis æternæ per congruas suasiones; à vijs prauis retrahere, ostendendo baratrum miseriarum, in quod possunt offendere, docere, quæ occasiones sint euitandæ, quæ societates fugiendæ, quæ commercia non incunda. Item instruere, & animare ad obseruantiam Diuinorum mandatorum, media opportuna exhibere, quibus possint à malo auerti, dispositiones proponere, quibus ad salutem valeant promoueri &c.

9 Requiritur etiam consiliũ.

10 Circa quę versari debeat huiusmodi cõsilium.

Sollicitudo tertiò Confessarij respicit vtilitatem pænitentis; hæc etenim eidem aditum aperit, vt facilius, & crebrius ipsum conueniat, vt peccata sua confiteatur, & salutaria consilia recipiat. Hic oritur difficultas, an Parochus, & quicunque curam animarum habet, teneatur pænitentium confessiones audire, quoties pęnitens vult confiteri. Dixi, *Parochus, & quicunque curam habet animarum*, cum quoad alios, puta Regulares, qui non ex officio, sed ex charitate recipiunt Confessiones sęcularium indubitati iuris sit, quod non teneantur toties audire, quoties pænitentes se exhibent; magnum tamen opus esset pietatis, si ipsos non eijcerent, nisi iusta causa in alijs detinerentur, vel expe-

11 Requiritur etiam sollicitudo.

expediret bono pænitentis, vt non ità frequentèr audiretur. Difficultati propositæ respondeo per se loquendo Parochos, & curam animarum habentes teneri toties in confessione subditos audire, quoties eandem exigunt. Dixi, *per se loquendo*, nam non negauerim, quandoque per accidens Parochos excusari à tali auditione, & primò, si alijs officijs ad curam pertinentibus detineantur; secundò, si ità expediat vtilitati pænitentis, quatenus ex crebrioribus confessionibus eidem scrupuli augeantur; tertiò, si nimis importunè, & frequentèr velit confiteri, & tempore non congruo; non enim tenetur Parochus maximum laborem, & summam diligentiam adhibere, sed moderatam iuxta prudentis iudicium, vt tradit *Suarez disp. 32. sect. 1. num. 5., Bonacina de Sacram. pænit. disp. 5. q. 7. punct. 4. §. 2. num. 23. vers. non existimo tamen in fin.* Responsionem in his terminis sustinent *Nauarrus in c. placuit dist. 6. num. 151., Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 2., Henriquez lib. 6. c. 27., Vasquez q. 93. art. 3. dub. 6.* contra *Fumum verb. Absolutio num. 28., Medinam C. de confessione q. 38., Reginaldum lib. 1. num. 81.* volentes non teneri, nisi quando vrget necessitas præcepti, vel periculum mortis, vel alia grauis. Ratio est, quia Parochus ex vi sui muneris tenetur consulere vtilitati spirituali suorum Parochianorum, ad hoc etenim datus est, & ad hoc recipit decimas, & stipendia à populo, & sicuti, quia Iudices, & Magistratus recipiunt a subditis stipendia, tenentur eisdem iustitiam ministrare, quoties ipsam petunt, ità Parochi, & alij curam animarum habentes &c.

12 **Parochi, & curam animarũ habentes per se tenẽtur toties audire subditos, quoties moderate exigunt.**

13 **Nõnullæ exceptiones ad hanc regulam.**

Neque hic audiendi sunt Medina, & Reginaldus loc. cit., dum dicunt, non teneri Parochos, nisi pro tempore præfinito, vel à iure Ecclesiastico, vel Diuino, vel alia vrgente necessitate, nec ratione fraternæ charitatis, nec ex vi pastoralis officij; non ratione primi, quia fraterna charitas obligat omnes æqualitèr; alij autem à Parocho non tenentur ministrare hoc Sacramentum, nisi vrgente graui necessitate, ergo, nec Parochus; non ratione secundi; quia officium Parochi imitatur officium paternum; sicuti autem Pater satisfacit proprio muneri tribuendo filijs necessaria, negando abundantiora, ita Parochus suo officio satisfacere censendus est, si conferat Sacramenta subditis, cum eorum suscipiendorum necessitas vrget. Non, inquam, audiendi sunt, quia, quidquid sit de onere fraternæ charitatis, quę tamen magis in vno vrget, quam in altero ratione maioris, vel minoris coniunctionis, vel alia ratione, dico ex vi pastoralis officij teneri subuenire subditis, quoties isti arbitrantur, sibi expedire; nec valet paritas de patre in ordine ad filios, quia iste tenetur dumtaxat ex vi naturalis pietatis, quæ obligat solum ad necessaria personæ, & statui, & vt plurimum expedit non conferre abundantiora ad rectum regimen familiæ, & eorundem filiorum; Parochus autem tenetur ex lege iustitiæ, cum ad hoc intelligatur conductus per decimas, & stipendia, quæ ipsi conferuntur ad finem, & effectum conferendi, quæ conferunt ad salutem spiritualem subditorum, nec abundantia in hoc potest obesse suæ Ecclesiæ, & subditis, quin potius prodesse, vnde non est, cur non teneatur. Adde, quod Ecclesia assiduis concionatorum exhortationibus, indulgentiarum concessionibus præmouet fideles ad Sacramentorum frequentiam, quod inutilitèr præstaret, si subditi non haberent, qui ex onere sibi iniuncto tenerentur eorum confessiones recipere.

14 **Reprobantur Medina, & Reginaldus volentiũ teneri solum quãdo vrget pręceptũ, vel grauis causa.**

Misericordia Confessarij quartò multum confert ad vtilitatem pænitentium; vnde hac die, qua hæc scribo, legimus in Euangelio Hebdomadæ præceptum Domini ad Discipulos suos ordinatum, *Estote Misericordes, sicut, & Pater vester Misericors est.* Ad hanc pertinet humanitèr excipere pænitentes, ipsos paternè præmouere, vt vulnera conscientiæ suæ fidenter aperiant, exhibere se benignum curatorem, & medicum, compati eorum miserijs, spem ingerere remissionis à Deo concedendæ, excitare ad actus doloris, & pænitentiæ, paratum exhibere Deum ad veniam, si toto cordis affectu, & compuncto corde ad ipsum confugiant.

15 **Requiritur etiam Misericordia, & qualis.**

Iustitia quintò Confessarij potest in bonum pænitentis redundare, quatenus grauiores grauioribus delictis, mitiores minoribus debet pænas iniungere, non quatenus debeat æquales delictis pænitentias imponere, quia hoc esse non potest, cum peccata læthalia sint in supremo genere malitiæ, cui nulla pæna temporalis ęquiparari potest. Ad hanc etiam spectat decernere restitutiones, & compensationes faciendas, vbi opus fuerit, cohibere delinquentes, ne amplius in fratres suos peccent ipsos lædendo, vel in bonis famæ, & honoris, vel in bonis fortunæ.

16 **Etiam iustitia requiritur.**

Patientia tandem necessaria est Confessario, vt congruentius consulat saluti pænitentium. Hæc præcipuè exhibenda est in ipso ministerio Sacramenti, vt non ex tristitia, sed ex hilaritate recipiat pænitentem, non irascatur audiendo enormia, sed compatiatur, & condoleat ijs, qui errant, non ægrè ferat, si pænitens ex ignorantia distinctè, & dilucidè peccata non proferat, sed studeat congruis interroga-

17 **Etiam patientia necessaria est.**

tionibus, & non acribus verbis eorundem qualitates dignoscere, non signa tristitiæ edat, si diutius, quam par sit, detineatur. Consideret vlterius, quod difficilius animi vulnera curentur, quam corporis, vnde debet cum omni mansuetudine attentus insistere, nec desperare salutem, non desistere à cura ex difficultate curationis, oleũ cum vino commiscere, idest mansuetudinem adhibere cum congrua acrimonia, memor, quod nihil est in rerum natura, quod patientia, & diligentia non corrigatur, neque vitium adeo graue, quod Dei timore non superetur.

18 Quomodo hæc exhibenda.

ARTICVLVS XV.

De requisitis negatiuis in Confessario ad excipiendas confessiones.

SVMMARIVM.

Qualis esse non debeat Confessarius. 1.
Articuli circa ipsum examinandi. 2.
Confessarius improbus improbitate positiua, læthali, & actuali illicitè ministrat, & contrahit grauem noxam. 3.
Intellige, si verè sibi sit conscius improbitatis positiuæ. 4.
An pænitens sciens improbitatem Confessarij, & eidem se subijciens peccet grauitèr secundum varias considerationes dubium resoluitur. 5.
Confessarius improbus audiens confessiones non inualidè audit. 6.
Confessarius existens in læthali, & plures successiuè absoluens, tot peccata committit, quot absoluit. 7.
Non possunt illæ confessiones sumi per modum vnius. 8.
Excommunicatus toleratus validè recipit confessiones, non tamen licitè. 9.
Euincitur ex Concil. Constantiensi. 10.
Nec obstat Concilium Basiliense, & quarè. 11.
Euincitur, quod licitè non recipiat. 12.
Eximitur à culpa, si conteratur. 13.
Petens Sacramentum ab excommunicato tolerato non contrahit aliquam culpam. 14.
Excommunicatus vitandus nec licitè, nec validè potest ministrare. 15.
Euincitur ex Concilio Constantiensi. 16.
Duplex quoad hoc exceptio. 17.
Recipiens scientèr Sacramentum ab excommunicato vitando ne dum illicitè, sed etiam inualidè recipit. 18.
Confitens ignorantèr penes Confessarium vitandum inualidè confitetur, non tamen noxiè. 19.
Si extra locum, in quo est nominatim denuntiatus, cæteris omnibus ignorantibus aliquis nouerit esse talem, an validè apud ipsum confiteatur, duplex sententia exponitur. 20.
Quandonam Confessarius dicendus sit excommunicatus vitandus. 21.
Quid requiratur, vt quis dicatur notorius Clerici percussor. 22.
Dicta de excommunicatione intelligenda sunt de alijs censuris. 23.

HActenus qualis debeat esse Confessarius; nunc qualis esse non debeat. Hæ qualitates negatiuæ per oppositionem ad positiuas dignoscentur. Cum igitur Confessarius debeat esse probus Minister, debet à se excludere quamcunque improbitatem, &, cum debeat habere iurisdictionem, debet à se abdicare quodcunque potest obesse eidem iurisdictioni. Debet ergo Minister esse non improbus, nec habere aliquam censuram, ratione cuius priuetur iurisdictione. Hic iam quærimus primò, an, si Confessarius fuerit aliqua improbitate infectus, & in eadem ministret hoc Sacramentum, validè, & licitè ministret; Secundò, an, si in eadem continuatè pluribus hoc ministret, tot peccata committat, quot Sacramenta ministrat; Tertiò, an, si fuerit excommunicatus siue toleratus, siue non toleratus, validè recipiat Sacramentales confessiones.

1 Confessarius qualis esse nõ debeat.

2 Articuli circa ipsũ examinãdi.

Conclusio I. Si Confessarius fuerit improbus improbitate positiua, actuali, & læthali illicitè quidem ministrat Sacramentum, & contrahit grauem noxam sacrilegij, non tamen inualidè. Dixi, *improbitate positiua, actuali, & læthali*; nam, si primò fuerit solum habitualis, quatenus fuerit assuetus vitijs, tunc tamen, quando Sacramentum ministrat, illis sit liberatus per præcedentem confessionem, non est dubium, quin licitè etiam ministret; secundò, si fuerit solummodo improbitas negatiua, quatenus solummodo careat virtutibus, quibus constitueretur probus, non tamen haberet vitium, per quod constitueretur positiuè improbus, etiam licitè ministraret; tertiò, si fuerit solummodo venialis, non redderet illicitam confectionem Sacramenti. Prima pars communitèr recipitur ab omnibus de qua nos etiam latè egimus in quæstionibus de Sacramentis in genere. Secunda etiam est communis, & à nobis ibidem approbata, eamque signantèr sustinent *Medina C. de confessione q. 25., Sotus in 4. dist. 1. q. 5. art. 5., Suarez disp. 24. sect. 1., Filliutius tract. 7. c. 7. q. 4. num. 181., Reginaldus lib. 1. num. 162., Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 7. punct. 4. num. 2.*

3 Improbus improbitate actuali, & positiua illicitè ministrat nõ tamen inualidè.

Ratio primæ partis est, quia denegari non potest, quin magnam irroget irreuerentiam Sacramento, qui illud pertractat mini-

Irrogat magnam Sacramẽto iniuriam.

ministrando in peccato læthali, ergo non est, cur non debeat contrahere grauem noxam sacrilegij. Antecedens probatur, quia excogitari non potest maior immunditia, & fæditas, quam sit illa, quam secum affert peccatum læthale, & si in administratione Sacramentorum vti vase immundo inducit noxam propter irreuerentiam, quæ irrogatur eisdem, rebusque sacris, quantam maiorem, & grauiorem inducet noxam ministratio eiusdem Sacramenti per Ministrum turpissima labe peccati læthalis infectum?

4 Si sibi sit conscius improbitatis positiuæ.

Intellige, quæ dicta sunt, quando Confessarius verè sibi conscius est improbitatis positiuæ, actualis, & læthalis, nam, si probabilitèr crederet, se esse contritum, cum esset tantum atritus, tunc eximerem ipsum a noxa læthali, si confessiones reciperet, nam quantumuis coram Deo esset tali improbitate infectus, non esset tamen talis in propria conscientia, vnde ignorantia inuincibilis ipsum excusaret.

Hic ex occasione oritur difficultas, an non solum Confessarius infectus illa improbitate positiua grauem noxam contrahat ministrando Sacramentum, an etiam ipse pænitens eidem se subijciens, si nouerit illius improbitatem. Pro istius difficultatis resolutione plura veniunt necessario consideranda. Primò, an ipse Confessarius spontè se offerat, & paratum se exponat, an verò inducatur ab ipso pænitente. Secundò, an aliqua necessitas vrgeat respectu pænitentis, & an officium proprium obliget Confessarium. Tertiò, an constet euidentèr pænitenti Confessarium illum esse improbum improbitate positiua, an verò solum dubitet ex aliqua præcedenti actione. Hinc dico primò, si solum pænitens dubitet de improbitate Confessarij, & iste se paratum exhibeat, non subijcitur pænitens alicui noxæ, si illi confiteatur. In hoc consentiunt *Suarez disp. 18. sect. 1. paulo ante fin., Reginaldus lib. 1. num. 167.* Ratio est, quia ex eo, quod Confessarius paratum se exponat, rationabilitèr præsumere potest pænitens, quod se disposuerit per actus congruos ad gratiam, & illa præsumptio potest præponderare illi dubio. Dico secundò, si dubitet de improbitate Ministri, & ipse pænitens ipsum inducat ad recipiendam suam confessionem nulla tunc vrgente necessitate, adhuc probabilius eximeretur a culpa; consultius tamen foret, si tunc non induceret. In hoc etiam consentiunt *Suarez, & Reginaldus loc. cit.*, & ex eodem principio deducitur, quia potest pænitens præsumere, quando etiam esset infectus illa labe, quod posset Confessarius breui illo tempore se disponere, & se disponat, nec ratione dubij tenetur pænitens se priuare illo bono spirituali, quod consequetur ex Sacramentali confessione. Dico tertiò, si euidentèr ei constet, esse malè dispositum, non potest licitè nulla pro tunc vrgente necessitate ipsum inducere ad sibi ministrandum Sacramentum, & si induceret, grauitèr peccaret, & inualida foret confessio. Ratio est, quia scientèr cooperaretur peccato Confessarij, & sic inficeretur eadem labe, ratione cuius non posset consequi gratiam remissiuam peccatorum. Dico quartò, si necessitas pænitentis vrgeret habendi tunc confessionem, non peccaret pænitens, si induceret talem Confessarium ad recipiendam suam confessionem *Caietanus ad tertiam part. D. Thomæ q. 64. art. 6. ad secundum, Reginaldus lib. 1. num. 165.*, quod deducunt ex textu *in c. cum Ecclesia Vulturana de elect., & l. iniuriarum, ff. de iniur.*, vbi quod nulli iniuriam faciat, qui vtitur iure suo, & si in extrema vitæ necessitate licitum est inducere etiam excommunicatum, non video, cur etiam non licitum sit inducere peccatorem. Difficultas solummodo est, an liceat hoc solum præstare vrgente mortis periculo, an verò etiam alia minori necessitate impellente, puta ad implendum præceptum annuę confessionis, vel ad se constituendum in gratia aliquo die solemni ad effectum lucrandi Iubilęum. Sentio, licere etiam in casibus enumeratis illius minoris necessitatis inducere Parochum, vel habentem curam animarum, & in hoc etiam consentiunt *Suarez, & Reginaldus* supra recensiti, eo quia etiam in hac hypothesi pænitens non est priuandus iure suo ad implendum præceptum, & consequendum Iubilæum. Sed, an etiam liceat inducere alium Confessarium tali labe infectum, qui non sit Parochus, nec aliundè obligatus, crederem posse ab illo petere, vt audiat eius confessionem, quia petit, quod sibi quoquo modo necessarium est, & sperare potest, vt se conuenienter Confessarius disponat, quod breuissimo tempore facere potest per actum contritionis.

5 An pænitens sciēter se subijciens Confessario improbo peccet secundū varias considerationes resoluitur.

6 Confessarius improbus non inualidè ministrat

Ratio secundæ partis deduci potest ex *Concil. Trident. sess. 14. c. 6., & can. 10.*, vbi definit potestatem absoluendi non impediri per peccatum mortale. Item ex ijs, quæ docuimus in quæstionibus de Sacramentis in genere, & de Sacramento ordinis, vbi docuimus Ministrum, cæteroqui idoneum, quantumuis infectum labe læthali validè conficere, & ministrare Sacramenta. Tandem ex ijs, quæ subtilitèr, & doctè tradit Caietanus, qui in Sacramentorum confectione, & administratione duo considerat, & ea, quæ procedunt à

Ministro, tanquam ab instrumento Dei, & Christi ex opere operato, & ea, quæ procedunt ab eodem ex opere operantis; primo modo non requiritur probitas in Ministro, & effectus sequitur, quantumuis ille sit improbus, quod satis est ad præsens institutum.

Conclusio II. Confessarius existens in peccato læthali, & plures successiuè audiens, & absoluens in confessione tot peccata committit, quot distinctè absoluit *Vasquez in tertiam partem tom. 4. quæst. 91. art. 10. dub. 4. num. 8., Siluester verb. Clericus 2. num. 2. ad fin., Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 3. diffic. 2. num. 7.*, vbi alios plures allegat. Idipsum nos tradidimus supra *q. 4. art. 11. vers. quintò, quod si Sacerdos.*

7 Tot peccata cõmittit, quot absoluit existens in læthali.

Ratio ex eo deducitur, quia plures sunt actus completi, & vnusquisque in suo esse adæquatus; actus etenim constituitur ex potentia in actu secundo; & obiecto; hic autem sunt plura obiecta secundum se distincta, & potentia est in actu secundo singularitèr quoad vnumquodq; illorum; ergo etiam sunt plura peccata numero distincta; Neque obesse potest, si dicatur, ratione continuationis temporis illa omnia obiecta, quamuis secundum distincta, sumi per modum vnius, adeoque non constituere, nisi vnum obiectum morale; Non, inquam, obesse potest, quia, quando obiecta sunt adæquata, & vnumquodque illorum complet per se ipsum actum, non possunt sumi per modum vnius. Recole, quæ dicta sunt loc. cit.; non etenim vacat hic ea repetere.

8 Non possunt illæ cõfessiones sumi per modũ vnius.

Conclusio III. Confessarius excommunicatus toleratus validè quidem recipit confessiones pænitentium, sed illicitè. In hanc consentiunt *Vasquez tract. de excommun. dub. 3., Alterius lib. 1. disp. 8. c. 1., & seqq., Reginaldus lib. 1. num. 115., Henriquez lib. 13. c. 6. num. 3., Sairus lib. 2. c. 2. num. 8., Bonacina de excommun. disp. 2. q. 2. punct. 2. §. 3. num. 1., & seqq., & alij communitèr.*

9 Excõmunicatus toleratus validè recipit cõfessiones.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod nihil sit, quod obstet validitati huiusmodi Sacramentorum, cum concurrant omnia substantialitèr ad ea requisita tam ex parte Confessarij, quam pænitentis; ex parte Confessarij potestas ordinis, & iurisdictionis, cum illa per excommunicationem toleratam non priuetur, vt mox ostendam, debita intentio absoluendi, vt supponitur; ex parte pænitentis legitima confessio, debitus dolor, & propositum satisfaciendi, ergo non est, cur non debeat esse válida illa confessio.

Quod autem per illam excommunicationem non priuetur Confessarius iurisdictione euincitur ex Concil. Constantiensi, quod referunt *Caietanus in summa verbo excommunicatio c. vlt. vers. minor excommunicatio, Sotus in quarto dist. 22. q. 1. art. 4.* in hæc verba. *Ad euitanda scandala, & multa pericula, subueniendumque timoratis conscientijs, per illud indulgetur fidelibus, vt in administratione, vel susceptione Sacramentorum, vel alia communicatione nullum vitare teneantur prætextu cuiuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, nisi hæc aduersus illum fuerit à Iudice publicata specialitèr, & expressè, aut nisi eam incurrerit ob Clerici percussionem ità notoriam, vt nulla tergiuersatione celari possit, aut aliquo iuris suffragio excusari*; Si ergo fideles permittente Concilio possunt cum excõmunicato tolerato communicare in administratione Sacramentorum, vtique in excommunicato non intelligitur sublata iurisdictio; inanis etenim foret talis permissio, si esset impotentia ministrandi Sacramenta in ipso excommunicato.

10 Euincitur ex Concilio Constantiensi.

Sed hic oritur difficultas, quod *in Concilio Basiliensi sess. 20.* videatur decretum Constantiense quoquo modo innouatum, & in aliqua parte correctum, prout videntur notare *Coaruuias ad c. alma mater part. 1. §. 2. num. 7., Nauarrus in Enchirid. c. 27. nu. 35., & ad c. 1., §. laboret de pænit. dist. 6. num. 10.* nam vbi Concil. Constant. permittit communicationem etiam in Diuinis cum omni excommunicato generalitèr, donec specialitèr expressè, & nominatim denuntietur, vel sit notorius Clerici percussor; Concilium Basiliense cum nullo permittit communicationem, cuius excommunicatio sit notoria; Sed huic difficultati potest facilè occurri cum *Nauarro in Enchir. c. 27. num. 35., D. Antonino part. 3. tit. 25. c. 3.* asserendo Concilium Basiliense non esse receptum, nisi secundum tenorem Constantiensis; vnde etiam *Sotus in quarto dist. 22. q. 1. art. 4., & dist. 1. q. 5. art. 6. propositione 4. testatur vsum inoleuisse, vt decretum Basiliense non retineatur secundum antiquum tenorem, nec sine metu retinendum esse.* Deinde, si subsisteret Concilium Basiliense secundum terminos, quibus exponitur, non saluaretur finis à Constantiensi intentus, nempè euitandi scandala, & multa pericula, & subueniendum conscientijs timoratis, vt ex se patet.

11 Nec obstat Conciliũ Basiliense, & quarè.

Ratio secundæ partis est, quia excommunicatio maior ex genere suo habet annexam culpam læthalem, propter quam solummodo regularitèr fertur, sed existens in peccato læthali non potest licitè ministrare Sacramenta, ergo excommunicatus excommunicatione maiori, quamuis toleratus, non potest licitè ministrare.

12 Euincitur, quod illicitè recipiet.

Quod,

Quod, si supponas, quod se purgauerit à labe peccati læthalis per actus contritionis, & solum in eodem remaneat excommunicatio, & quæras, an ex vi eiusdem præcisè in ipso permanentis illicitè audiat confessiones,& absoluat; tunc sentiendum est non illicitè audire, & absoluere,& hoc est, quod sentiunt *Reginaldus lib. 1. c. 10. num. 116.*, *Bonacina de excomm. disp. 2. q. 2. punct. 2. §. 3. num. 5. in respon. ad obiect.* Ratio est, quia eo ipso, quod fidelibus facta est potestas recipiendi Sacramenta ab excommunicatis toleratis, intelligitur etiam relicta potestas excommunicatis toleratis illa ministrandi, cæteroqui eadem difficultas remaneret suscipiendi post idem Concilium, quæ aderat ante ipsum, & sic non esset consultum conscientijs timoratis, quandoquidem restricta potestate in Confessario, adeout licitè non possit absoluere, maxima esset difficultas in recipiente, nec esset satis consultum timoratis conscientijs.

13 Eximitur tamen à culpa, si se purgauerit per contritionem.

Ex quibus deducitur, quod petens Sacramenta ab excõmunicato tolerato non contrahat noxam læthalem non solum, quando ignorat ipsum esse excommunicatum, sed etiam quando scit talem esse, sed toleratum, prout etiam sentiunt *Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 9. num. 8.*, *Sotus in quarto dist. 22. q. 1. art. 4.*, *Alterius lib. 1. disp. 7. c. 2. col. 2.*, *Reginaldus lib. 1. n. 116.* Ratio est, quia sic petendo vtitur iure suo, nec aliquid obstat stante concessione Concilij; nec potest dici, quod petendo cooperetur peccato Confessarij; nam in primis supponimus, quod à culpa se liberauerit per actus contritionis, & quoad excommunicationem non impediatur ratione Conciliaris dispositionis. Deinde dici non potest per se cooperari illius peccato, dum iure sibi concesso vtitur.

14 Petens ab eodẽ confessionẽ non contrahit aliquam culpam.

Conclusio IV. Excommunicatus vitandus, seu specialitèr, & nominatim denuntiatus nec licitè, nec validè potest Sacramentum pænitentiæ ministrare *Vgolinus tab. 1. c. 13. §. 16.*, *Sairus lib. 2. c. 2. num. 11.*, *Henriquez lib. 13. c. 10. num. 2.*, *Vasquez tract. de excommun. dub. 4.*, *Coninchus disp. 14. dub. 5. num. 34.*

15 Excõmunicatus vitandus, nec licitè, nec validè potest ministrare.

Colligitur primò ex Concil. Constantiensi per particulas illas exceptiuas. *Nisi hæc aduersus illum fuerit à Iudice publicata specialitèr, & expresse, aut nisi eam incurrerit ob Clerici percussionem ità notoriam, vt nulla tragiuersatione cælari possit, aut aliquo iuris suffragio excusari.*

Ratione etiam euincitur, quia excommunicatio secundum se priuat excommunicatum iurisdictione, & licet per Concilium Constantiense ex priuilegio, & indulgentia eximatur ab hac regula excommunicatus toleratus, remanet tamen sub regula vitandus, & nominatim denuntiatus, sed sine iurisdictione in absoluente non potest esse validum Sacramentum, ergo Sacramentum collatum per excommunicatum vitandum non est validum, adeoque erit iterandum.

16 Euincitur ex Concilio Constantiensi.

Hæc tamen intelligenda sunt cum duplici limitatione; quarum prima est, nisi recipiat confessiones extra locum, in quo est specialitèr, & nominatim denuntiatus *Vgolinus tab. 1. c. 13. §. 16. num. 12.*, *Suarez de censur. disp. 11. sect. 2. num. 14.*, *Coninchus disp. 14. dub. 10. num. 88.*, *& alij satis communitèr*. Ratio est, quia in loco, in quo recipit confessiones, se habet, vt toleratus,& licet careat in se iurisdictione, hæc suppletur per Ecclesiam,cum ibi adsit titulus coloratus, & error communis iuxta textum *in l. Barbatius, ff. de officio Prat.*, *& alijs concordantibus*; secunda est, quando recipit confessionem in articulo mortis constituti per ea, quæ supra latè dicta sunt ex Concil. Trident.

17 Duplex exceptio ad prædicta.

Ex quibus etiam deduci potest, quod petens, & recipiens Sacramentum ab excommunicato vitando non solum inualidè recipiat, sed etiam contrahat grauem noxam. In hoc consentiunt communitèr DD., vt testatur *Bonacina de excommun. disp. 2. q. 2. punct. 2. §. 3. propos. 2. num. 4.*, & tradit *Reginaldus lib. 1. num. 163.* Ratio quoad primam partem est manifesta, quia recipit absolutionem à non habente potestatem absoluendi, cum careat iurisdictione; quoad secundam etiam euincitur,quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, qualis est communicatio in Diuinis contrà enixam Ecclesiæ prohibitionem.

18 Recipiẽs Sacramẽtum ab excõmunicato vitando inualidè recipit.

Hic duplex oritur difficultas, quarum prima est, an, si in loco, in quo Confessarius est excommunicatus nominatim denuntiatus, aliquis particularis ignoret excommunicationem, & denuntiationem, & petat ab eodem audiri in confessione, & absolui, si consequatur effectum petitionis, grauitèr peccet. Secunda, an, si extra locum, in quo est specialitèr denuntiatus, & nominatim alijs omnibus in tali loco ignorantibus excommunicationem aliquis in particulari eandem norit, & nihilominus ab ipso petat absolutionem, & obtineat, validè eandem obtineat, & eximatur à culpa.

Ad primam respondendum est inualidè quidem recipere absolutionem,non tamen petentem contrahere aliquam noxam; inualidè quidem, quia absolutio lata est sine requisita iurisdictione, nec in hac hypothesi potest suffragari dispositio textus *in d. l. Barbatius, ff. de offic. Prat.*, quia hic

19 Si quis ignorans Confessarium esse vitandũ penes eũdem confiteatur invalidè cõfitetur, non contrahit tamen aliquam noxam.

hic non adest error communis, nec sufficit ad inducendum ius ignorantia priuata; Non contrahit tamen aliquam noxam, quæ non potest esse, vbi non est voluntarietas in operante; voluntarietas autem non est, vbi non est cognitio; Nec valet dicere, quod,quando lex est promulgata, obliget omnes, adeout non eximantur à pænis delinquentes aduersus ipsam, quantumuis ignorantes; Non valet, inquam, quia in ijs, quæ concernunt forum internum, nuda veritas attenditur, non præsumptiones; vnde non currit paritas, nec argumentum ab incursu pænarum ad incursum culpæ; quia in ordine ad pænas externas facta promulgatione legis imponentis huiusmodi pænas iura præsumunt pro scientia, adeoque non eximunt ab eisdem, in ordine verò ad culpam, cum hæc non innitatur præsumptionibus, sed nudæ veritati, secundum quam supponitur non adesse cognitionem, sine qua non potest esse culpa, ideo &c.

Ad secundam videtur prima fronte asserendum, & validè, & licitè apud talem Confessarium in loco, in quo non est nominatim denuntiatus habere confessionem, quia in eodem adest error communis, & titulus coloratus, nec priuata scientia demit aliquid de tali errore, & de tali titulo; sicuti igitur alij de tali loco possunt licitè ipsi confiteri, ità non est, cur, & ipse non possit hoc præstare. Nihilominus *Reginaldus lib.* 1. *num.* 117. sentit, & inualidè, & illicitè scientem excommunicationem apud talem Confessarium confiteri, non quidem defectu iurisdictionis, cum priuata scientia illam non demat, sed propter obicem, quem ponit peccans mortalitèr communicando scientèr cum eodem in Diuinis, nam licet ipse secreto sciat excommunicatum, debet ipsum secreto euitare per textum *in c. cum non ab homine de sent. excomm.* Sed non video, quomodo arbitrari possit Reginaldus, quod pænitens ponat obicem communicando in Diuinis cum tali excommunicato stantibus præmissis, in quibus ipse consentit; ipse admittit, quando est toleratus, quod validè recipiat confessiones, nec peccet pænitens petens ab eo audiri; ipse admittit, quod extra locum, in quo specialitèr, & nominatim est denuntiatus, possit audire confessiones, cum in eodem sit toleratus, & habeatur pro tolerato; rursus admittit, quod quando est toleratus in loco, quamuis pænitentes nouerint ipsum excommunicatum, validè, & licitè confiteantur; Quibus positis sic ad hominem contrà ipsum arguo. Quando Confessarius est excommunicatus toleratus, quantumuis pænitentes nouerint excommunicationem validè apud ipsum confitentur, nec contrahunt aliquam noxam, si petant eius ministerium, ergo, nec contrahet, si extra locum, in quo nominatim denuntiatus est, apud ipsum quis confiteatur, quantumuis sciat illum in suo loco esse nominatim denuntiatum. Consequentia probatur, quia extra illum locum habetur, ac si non esset denuntiatus, cum ibidem sit toleratus; vnde, vel dicendum est, quod, nec extra locum denuntiationis possit licitè, & validè recipere confessiones, cum excommunicatio cum suis qualitatibus ipsum vbique afficiat, & sequatur, quod non admittit Reginaldus, vel quod extra locum eiusdem denuntiationis quis sciens ipsum esse cum talibus qualitatibus excommunicatum possit validè, & licitè apud ipsum confiteri; Nec obstat textus *in d. c. cum non ab homine de sententia excommunicationis*, cum intelligatur correctus per Concilium Constantiense supra allegatum.

20 Extra locum, in quo est denũtiatus, an sciẽs possit validè penes ipsum confiteri.

Remanet pro clariori notitia præcedentium explicandum, quandonam Confessarius habeatur pro excommunicato non tolerato, sed vitando; pro quo dico primo, non sufficere, quod Iudex in loco priuato declaret ipsum esse excommunicatum *Henriquez in summa Theolog. mor. lib.* 13. *c.* 5. §. 1. *lit. E. Reginaldus lib.* 1. *n.* 118.; licet enim talis sententia declaratoria attingat personalitèr ipsum Confessarium, non est tamen publica denuntiatio, seu publicatio; vnde requiritur, quod talis sententia, vel fiat in Ecclesia tempore Missæ, aut sedente Iudice pro Tribunali, & coram multis fulminante talem sententiam, aut literis declaratorijs affixis in locis cõsuetis. Dico secundò, si in sententia declaratoria publicè fulminata quis nominatim fuerit denuntiatus, & alij suppresso nomine, vt si in eadem dictum fuerit. Declaramus excommunicatum Titium cum suis fautoribus, ipse Titius erit vitandus, & habebitur pro non tolerato, non verò eius fautores *Sairus lib.* 2. *Thesauri cas. consc. c.* 12. *num.* 17., *Siluester verb. Excommunicatio* 5. *num.* 8. cum isti non possint dici nominatim denuntiati. Dico tertiò sufficere, quod quis sit nominatim, & specialitèr denuntiatus, vt hæreticus formalis, vt sit vitandus, quamuis in eadem sententia declaratoria non fuerit expressè declaratus excommunicatus, quidquid ex aduerso dixerit *Nauarrus in miscel.* 47. *de orat. n.* 2., *& lib.* 5. *consul. tit. de hæret. conf.* 15. *nu.* 2. Ratio est, quia eo ipso, quo denuntiatus est pro hæretico formali, intelligitur sufficientèr denuntiatus pro excommunicato, cum notorie excommunicatio sit affixa hæresi, & cæteroqui sit vitandus de iure

21 Quandonam Cõfessarius dicendus sit vitandus.

Diuino

Diuino, iuxta illud Ioannis Epist. 2. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert nolite eum recipere in domum, & Aue ei ne dixeritis*, cui inhærens Ecclesia addidit excommunicationem latæ sententiæ.

22 Quæ requirantur, vt quis dicatur notorius Clerici percussor.

Quoad notoriam verò clerici percussionem non sufficit, quod sit solummodo notorietas iuris, sed requiritur etiam notorietas facti *Coaruuias ad c. alma mater part. 1. §. 2. num. 9.*, *Reginaldus lib. 1. num. 122.*, *& alij*, hocque expresſè deducitur ex dicto Concil. Constantiensi. *Ibi adeo notoriè constiterit incidiſſe, quod factum non poſsit alia tragiuerſatione celari, nec aliquo ſuffragio iuris excuſari*, vbi vides notorietatem facti specialitèr in hoc considerari.

23 Quæ dicta sunt de excõmunicato, sunt proportionalitèr dicẽda de alijs censuris affecto.

Pro complemento eorum, quæ pertinent ad præsens institutum, aduertendum est, quod ea, quæ dicta sunt de excommunicatione affecto, siue sit tolerandus, siue vitandus, intelligenda etiam sint de innodato alijs censuris, si tales sint, vt per ipsas prohibeatur vsus omnis officij Ecclesiastici, aut specialitèr vsus officij Sacramentorum ministrandorum, & tam actiua, quam passiua participatio Sacramentorum, quod etiam innuit idem Concilium Constantiense.

ARTICVLVS XVI.

An quilibet Confessarius approbatus in aliqua Diæcesi sit Minister idoneus ad recipiendas confessiones Regularium in eadem Diæcesi.

SVMMARIVM.

Fundamentum dubitationis. 1.

Confessarij sæculares approbati à suo Episcopo regulariter nequeunt excipere confessiones Regularium, nec Regularis vnius ordinis illas Regularis alterius. 2.

Referuntur variæ Pontificum sanctiones. 3.

Nonnullæ exceptiones ad prædicta. 4.

Regularis habens facultatem à suo Prælato eligendi sibi Confessarium extra Religionem potest eligere non approbatum ab Episcopo. 5.

Nec sæcularis Regularem, nec Regularis Regularem alterius ordinis potest à reseruatis in ordine suo absoluere. 6.

Etiam si Confessarius sæcularis esset electus de licentia Prælati. 7.

Et Regularis esset absens à proprio Monasterio. 8.

Quomodo se gerere debeat Religiosus absens à Monasterio grauatus casu reseruato, qui sine scandalo omittere non potest celebrare. 9.

Quid si peccato reseruato annexa sit excommunicatio. 10.

IN præcedentibus dictum est, Confessarium in vna Diæcesi approbatum posse excipere confessiones subditorum alterius Diæcesis, si in Diæcesi eiusdem Confessarij se illi præsentent, & subijciant; Nunc quærimus, an hoc ità verum sit, vt eiusdem potestas extendatur etiam in ordine ad Regulares, siue sint eiusdem, siue diuersæ Diæcesis, si se illi præsentent, & sicuti, vt supra dictum est potest absoluere subditos alterius Diæcesis etiam à reseruatis in illa Diæcesi, dummodo non sint reseruata in sua, ità etiam possit absoluere Regulares à reseruatis à suis Prælatis Regularibus, si non sint reseruata à proprio Episcopo. Decisio huius quæstionis potissimum dependet à priuilegijs, & iuribus Regularium secundum cuiuscunque ordinis statuta, quæ non vacat singula indagare.

1 In quo fundetur ratio dubitandi.

Conclusio I. Regularitèr loquendo Confessarij approbati ab Episcopo in sua Diæcesi nequeunt ministrare Sacramentum pænitentiæ, si fuerint sæculares, Regularibus, siue eiusdem, siue diuersæ Diœcesis conuenientes ad ipsos, & si fuerint Regulares, nequeunt alijs Regularibus diuersi ordinis, etiam si sint eiusdem Diæcesis, illud conferre *Henriquez in summa lib. 6. c. 16. §. 7. in margine lit. T.*, *Alphonsus à Viualdo in candel. aureo c. de absolutione num. 25.*, *Reginaldus lib. 8. de Sacrament. absol. num. 37.*, & alij.

2 Nec Cõfessarius Sæcularis potest excipere confessiones Regularium, nec Regulares vnius ordinis illas aliorũ ordinũ.

Ratio est, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ possunt in aliorum prẹiudicium cedere per textum *in c. quamuis de rescript. in sexto*, si autem in concessione facultatis generalis audiendi confessiones veniret facultas in Sacerdote sæculari audiendi confessiones Regularium, & in Sacerdote Regulari facultas audiendi illas Regularium alterius ordinis cederet in magnum præiudicium Religionum, siquidem Religiosi extraherentur à directione suorum Prælatorum in spiritualibus, & traherentur ad instructionem aliorum, ergo &c.

3 Referuntur variæ Pontificũ sanctiones.

Hinc Clemens IV. in mari magno inhibuit vniuersis Fratribus ordinis Minorum, ne aliquis eorum, nisi necessitatis vrgente articulo alijs, quam Prælatis suis sua peccata confiteri præsumat, vt refert *Hieronymus à Sorbo in compendio Priuileg. ord. Minor. verb. Absolutio ordinaria quoad Fratres*, quod idem statuit quoad Carmelitas, & vniuersis Ecclesiarum Prælatis, & alijs inhibuit, ne confessiones Fratrum Minorum inuitis eorundem Fratrum Prælatis audire præsumant, vt ibidem refert idem Hiero-

Hieronymus à Sorbo. Hoc idem quoad Religiosos nostræ Congregationis statuit Clemens VII. vt in nostro compendio, & Innocentius VIII. quoad Fratres Eremitanos Sancti Augustini Prouinciæ Hispaniæ, vt habetur in compend. Minorum tit. Confessiones, & Confessores §. 7., & Paulus III. quoad Patres Societatis Iesu, vt habetur in eorum compendio.

Dixi, *regularitèr loquendo*, non enim negauerim, in plerisque casibus posse alijs confiteri; & primò de licentia, siue expressa, siue implicita suorum Prælatorum; secundò in casu absentiæ à proprijs Monasterijs cum debita licentia non extantibus alijs eiusdem ordinis, quod Martinus V. concessit Fratribus Sancti Hieronymi Hispaniæ, vt habetur in eorum compendio tit. Absolutio, §. 1., & Clemens VII. nostræ Congregationi, quod confirmatum fuit à Pio V. anno Domini 1567. Idibus Februarij.

4 Nonnullæ exceptiones ad prædicta.

Sed hic oritur difficultas, an Religiosus, cui facta fuit facultas a proprio prælato eligendi sibi Confessarium extra propriam Religionem, teneatur eligere Confessarium approbatum ab Episcopo, siue Regularem, siue Sæcularem. Respondendum est, posse eligere etiam non approbatum *Nauarrus in Enchirid. c. 4. in addit. ad primum dictum*, quod deest in multis exemplaribus, *Suarez tom. 4. disp. 28. sect. 3. n. 4., & seqq., Franciscus à Victoria de Sacram. nu.* 154. Ratio est, quam considerat idem Nauarrus loc. cit. quia Concilium Trid. nihil circa Regulares innouauit de iure antiquo; de iure autem antiquo habentes licentiam eligendi sibi Confessarium poterant eligere Sacerdotem simplicem etiã ab Episcopo non approbatum.

5 Regularis habẽs facultatẽ à proprio Prælato eligendi sibi Confessarium extra ordinẽ potest eligere non approbatum ab Episcopo.

Conclusio II. A fortiori Confessarij approbati ab Episcopo siue fuerint Sæculares, siue Regulares nequeunt absoluere Regulares alterius ordinis à reseruatis à suis Prælatis, quantumuis non sint reseruati ab Episcopo loci, in quo ijdem Regulares se præsentant.

6 Confessarius Sæcularis nequit absoluere Regulares à casibus reseruatis Prę latis eorundem Regularium.

Stantibus dictis in præcedenti conclusione non est immorandum in probatione istius; si etenim huiusmodi Confessarij nequeunt simplicitèr Regulares absoluere, multo minus poterunt absoluere à reseruatis. Difficultas solummodo potest esse in duobus casibus. Primò, qnando à proprio Prælato data est facultas eligendi sibi Confessarium extra propriam Religionem, an scilicet à sic electo possit Regularis absolui a casibus in propria Religione reseruatis. Secundò, quando de licentia sui Prælati est absens a Monasterio, in quo casu diximus, posse apud Sacerdotem alterius ordinis, vel Sæcularem confiteri, an tunc possit ab illo Sacerdote etiam à reseruatis in sua Religione absolui.

Ad primum dicendum est, a Sacerdote electo alterius ordinis, vel sæculari non posse absolui à reseruatis *San Iuan quæst. 9. art. 1. dub. 3., Diana part. 3. in addit. resol. 4. vers. notandum*, qui testatur de communi. Ratio est, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ, si specialitèr peterentur, de facili non concederentur; non est autem præsumendum, quod Prælatus Regularis, cui maxima cura debet esse decoris, & bonæ existimationis suæ Religionis, de facili velit concedere, quod peccata grauia, quæ in maximum eiusdem dedecus cederent, extra illam exeant, vt dissoluantur, ergo hęc in generali concessione non intelliguntur comprehendi.

7 Etiam si ille Sæcularis fuisset electus de licentia Prælati.

Ad secundum etiam sentiendum est, in casu absentię non posse absolui à reseruatis à Sacerdote alterius ordinis, vel sęculari, quantumuis in loco, in quo Regularis confitetur, casus illi non sint reseruati. In hoc consentiunt DD. mox citati in resolutione primę difficultatis; & alij communitèr. Ratio est, quia facultas, quę conceditur à Martino V. Fratribus Sancti Hieronymi Hispanię, & nostris à Clement. VII. iuxta supra allegata non est absoluta quoad omnia, sed dumtaxat quoad eos casus, à quibus existentes in Monasterio possent absolui; in Monasterio autem non possent à reseruatis absolui, nisi a Pręlato, vel cui ipse commiserit. Quod, si dicatur, facultatem illam non procedere solum ex facultate facta per Pontifices, sed etiam ex pręsumpta voluntate suorum Superiorum, quę propterea debet magis extendi, dicam ego vtriusque concessionem in idem tendere, nam Pontifices, vt mox innuebam, restringunt ad casus, quibus possunt in Monasterio absolui, Superiores item non supponuntur concedere per rationes superius adductas.

8 Et etiam si Regularis esset absens à proprio Monasterio.

Dices, etiam Episcopi reseruantes casus quoad suos subditos non pręsumuntur eisdem facultatem concedere, vt in aliena Diœcesi absoluantur à casibus sibi reseruatis, & tamen, si subditi in aliena Diœcesi, vbi non sunt reseruati, absoluantur, validè absoluuntur per superius allegata, & probata, ergo etiam si Pręlati Regulares non pręsumantur concedere suis subditis, vt extra Religionem a casibus reseruatis absoluantur, si tamen ex facultate sibi concessa confiteantur Sacerdoti extra Religionem, apud quem illi casus non sunt reseruati, intelligendi erant validè ab illis absoluti. Sed contra, quia subditis Episcoporum non est interdictum a iure posse confiteri in quocunque loco reperiantur

Discrimẽ inter Cõfessarium absoluẽtem Sæcularem alterius Diœcesis à reseruatis in sua Diœcesi, & absoluẽtẽ Regularẽ à reseruatis in suo ordine.

cui-

cuicunque Confessario ibi approbato, nec quoad hoc indigent aliqua speciali concessione; Regulares autem interdicuntur extra Religionem confiteri, & solum eisdem hoc conceditur in specialibus casibus ex Pontificum indulto, vel ex expressa, vel tacita suorum Superiorum concessione, quę concessio non intelligitur prorogata vltra ipsorum intentionem.

9 Quomodo se gerere debeat Regularis innodatus casu reseruato, qui absens est à Monasterio, & tenetur celebrare

Quid autem erit dicendnm, si Regularis absens à proprio Monasterio lapsus in casum reseruatum suo Prælato ad euitandum scandalum, vel ob aliam necessitatem teneatur Missam celebrare, an tunc poterit à Confessario siue Sęculari, siue Regulari alterius ordinis absolui ab illo casu reseruato potissimum, cum ibi non sit reseruatus. Tunc *Diana tertia part. in addit. secunda resol. 4. vers. notandum est tamen* asserit, posse celebrare sine pręuia confessione eliciendo actum contritionis, vel confiteri cum atritione, si velit etiam peccata reseruata, quę indirectè tunc absoluentur, teneatur tamen postea, cum copiam habuerit Confessarij potestatem ab illo absoluendi habentis manifestare, vt absolutionem directè obtineat, quod idem repetit *part. 3. tract. 4. resol. 104., & tract. 5. resol. 68.* Alij asserunt in ea hypothesi teneri solum confiteri peccata non reseruata reticito reseruato; cum etenim tunc certus sit pęnitens se non posse absolui à reseruato, ad quidnam prodesset confessio illius, nisi ad se infamandum penes illum Confessarium? & iuxta hanc sententiam procedunt *Alexander de Ales part. 4. q. 18. memb. 4. art. 5. §. 2. ad vlt., Petrus à Soto lect. 10. de confess., Angelus verb. Confessio 1. §. 7.*

Iuxta primum sensum Dianæ, vt vides, Regularis irretitus casu reseruato potest non præmissa confessione, sed elicito dumtaxat actu contritionis in ea hypothesi Missam celebrare; Iuxta secundum eiusdem sensum, si velit confessionem præmittere tenetur omnia etiam reseruata in confessione exponere. Iuxta aliorum citatorum placitum potest, & debet confessionem dimidiare exponendo non reseruata, & reticendo reseruata. Vtrumque sensum Dianæ probabilem arbitror, & in praxi tutum.

10 Quid si peccato reseruato annexa sit excómunicatio.

Sed quid erit dicendum, si peccato illi reseruato esset annexa excommunicatio? Tunc *Paludanus in 4. dist. 17. q. 6. art. 1. concl. 2., & 4., D. Antoninus part. 3. tit. 14. c. 19. §. 4., Sotus in quarto dist. 22. q. 1. art. 1., & alij plures* apud *Dianam part. 3. tract. 5. resol. 68.* sentiunt non posse confiteri peccata reseruata Confessario simplici, quia non sublata excommunicatione non potest esse valida absolutio; Confessarius autem simplex non potest excommunicationem auferre. Contrarium sustinent *Nauarrus in man. c. 9. num. 3., Suarez in tertia part. tom. 4. disp. 31. sect. 3. num. 6., & alij* apud *eundem Dianam loc. cit.* Ego verò arbitror in ea hypothesi posse elicito actu contritionis celebrare ad euitandum scandalum, quando hoc imminet, si non celebret *Vasquez tom. 4. tract. de excomm. dub. 4. nu. 8. §. 3. ergo opinio, Siluius in addit. ad tertiam part. D. Thomæ q. 20. art. 2., Paludanus in 4. dist. 17. q. 6. art. 1. concl. 2., & 4.* sic exigente tali necessitate, qua posita præsumi rationabilitèr potest, quod Ecclesia non resistat.

ARTICVLVS XVII.

De Casuum reseruatione.

SVMMARIVM.

Adest potestas in Ecclesia reseruandi grauia aliqua crimina. 1.
Et valdè expedit, quod reseruet. 2.
Articuli examinandi circa titulum. 3.
Ad eum spectat reseruare, ad quem spectat approbare, & conferre iurisdictionis exercitium. 4.
Non debent reseruare purè interna. 5.
Probabilius possunt reseruare. 6.
Non expedit etiam reseruare peccata venialia. 7.
An possint venialia reseruari remissiuè. 8.
Peccata reseruanda debent esse atrociora, & Reipublicæ perniciosa. 9.
Nec debent esse multa. 10.
Nimia peccatorum reseruatio secundum aliquos non solum esset illicita, sed etiam inualida. 11.
Verius tamen esset valida. 12.
Pontifex regularitèr non sibi reseruat peccata, nisi habentia annexam excommunicationem. 13.
Referuntur peccata reseruata in Bulla Cænæ. 14.
Numerantur aliqua, quæ videntur vbique ex consuetudine reseruata. 15.

1 Adest potestas in Ecclesia reseruádi sibi grauia aliqua crimina.

Adesse potestatem in Ecclesia reseruandi aliqua grauiora, & Reipublicæ perniciosiora crimina ipsa ratio manifestè suadet, & aduersus hæreticam prauitatem definiunt Concilia; ratio quidem, quia, sicuti iurisdictio ad validè absoluendum à peccatis dependet ab Ecclesia, ità hæc & in ordine ad personas, & in ordine ad peccata potest eandem limitare; Concilia definiunt, & signantèr *Tridentinum sess. 14. c. 7., & can. 11.*, vbi anathematizat quemcunque, qui dixerit Episcopos non habere ius reseruandi sibi casus, nisi

quoad externam politiam; atque ideo casuum reseruationem non prohibere, quominus Sacerdos à reseruatis verè absoluat.

2 Et valdè expedit, quod reseruet.

Nec solum adest talis potestas, sed expediens est, vt per Ecclesiæ Prælatos reducatur ad actum secundum executionis, tum in ordine ad rectum regimen Ecclesiarum, tum etiam ad consulendum saluti animarum; quandoque etenim ex hominum peruersitate ita crebrò adolescunt atrociora, & nefanda crimina, vt Ecclesię ordinem perturbent cum ingenti animarum clade, tum ob scandala, quæ ingerunt, tum ob perniciem, quam inferunt, quæ propterea, sicuti grauiora sunt, ità indigent grauiori iudicio subijci, vt talitèr peccantes ab eisdem perpatrandis amoueantur ob difficultatem recipiendi absolutionem.

3 Articuli examinãdi circa titulum.

Id igitur, quod potissimum cadit sub hoc articulo examinandum, erit primò, quis possit peccata sibi reseruare. Secundò, quænam peccata possint reseruari. Tertiò, quænam sint peccata reseruata Papæ in Bulla Cænæ. Quartò, quænam reseruata in decreto, & decretalibus. Quintò, quęnam in Clement., & extrauag. Sextò, quænam reseruata Pontifici extra Bullam Cænæ, & extra corpus iuris Canonici. Septimò, de reseruatis Episcopis in suis respectiuè Diæcesibus.

4 Ad quẽnam spectet reseruare.

In ordine ad primum in vniuersum dico, eum dumtaxat Superiorem posse sibi peccata reseruare, qui ex officio debet conferre approbationem, & iurisdictionis exercitium. In hoc debent omnes conuenire. Ratio est, quia ad reseruandum requiritur potestas quædam Superior in reseruante; sed hęc non potest esse potestas ordinis, cum hęc in quocunque Sacerdote legitimè ordinato sit ęqualis, ergo debet esse iurisdictionis, quę non est ęqualis in omnibus, sed in vno independens ab alijs omnibus, & solum dependens à Deo, qualis est in Romano Pontifice, in alijs solum à Romano Pontifice dependens, & ab ijs alijs communicabilis, qualis est in Episcopis in sua Dięcesi, in alijs dependens ab ipsis Episcopis, vel alijs habentibus iurisdictionem Episcopalem, quæ licet extendatur ad subditos quoad facultatem absoluendi, non extenditur tamen quoad potestatem communicandi, ergo hęc potestas reseruandi potest esse solummodo in ijs, quibus est potestas illam alijs communicandi, qui cum possint cõmunicare, & non communicare, possunt communicare cum maiori, vel minori limitatione, vel in ordine ad personas, vel in ordine ad peccata, atque ideo aliqua peccata sibi reseruare. Hoc autem pręstare non possunt, qui habent iurisdictionem dependentem, nec possunt alijs conferre, quales sunt Parochi, apud quos, sicuti ex Concilio Tridentino non residet potestas approbandi alligata Episcopis, ità &c.

5 Non debent reseruare pura interna.

In ordine ad secundum dico primò, non expedire, vt Superiores habentes facultatem reseruandi reseruent sibi peccata purè interna. *Suarez disp. 29. sect. 3. num. 3.*, *Coninchus disp. 11. nu. 78.*, *Reginaldus lib. 1. num. 128.*, *Maior in quarto dist. 17. q. 5. propos. 2.*, *Medina lib. 1. instruct. c. 10.*, *Iacobus Graffius part. 1. decis. lib. 1. c. 13. num. 71.*, *Henriquez lib. 6. c. 14. §. 5.*, *Sanchez lib. 2. mor. c. 8. num. 4.* Ratio ex eo deducitur, tum quia huiusmodi peccata non valdè officiunt regimini Ecclesię, nec grauia damna eidem conferunt; tum quia huiusmodi peccata interna frequentissima sunt, & occultissima, ità vt homo vix possit discernere, an consenserit, nec ne, & grauissima afferrent incommoda, si pro eorum absolutione recurrendum semper esset ad Superiorem reseruantem.

6 Probabilius possunt ea reseruare.

Sed, an Ecclesia, & eiusdem Pręlati possint verè eadem sibi reseruare, non dubitarem posse, quandoquidem non minus requiritur iurisdictio ad absoluendum ab externis, quam ab internis peccatis, & liberum est Prętatis conferre talem iurisdictionem vel magis, vel minus strictè, adeoque possunt conferre cum limitatione etiam in ordine ad interna *Graffius in append. ad decis. lib. 1. c. 7. nu. 24.*, *Nugnus in addit. ad tertiam part. q. 8. art. 5. dub. 10.*, *Reginaldus lib. 1. num. 128.*, *Sotus in quarto dist. 18. q. 2. art. 5.*

7 Non expedit etiã reseruare peccata venialia.

Dico secundò. Non expedire etiam reseruare peccata venialia. In hoc communius consentiunt, & hoc in praxi seruatur; tum quia ratione eorum fideles non sunt foro pęnitentiali obnoxij, tum quia facilè eliderctur eadem reseruatio per subtractionem eorum clauibus, cum ea subijcere non teneantur. Sed, an possint Ecclesię Pręlati verè ea reseruare. Videtur negare *Reginaldus lib. 1. num. 126.* vbi in suam trahit sententiam *Suarez tom. 4. disp. 29. sect. 3. num. 2.*, *Vasquez qu. 91. art. 3. dub. 2.* propter rationes mox adductas, quod scilicet affectus venialibus non subdatur foro pęnitentię. Posse tamen reseruari saltem à Romano Pontifice affirmat

8 An possint venialia reseruari.

Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 7. punct. 5. §. 1. num. 3. vers. secunda pars, allegatis alijs pluribus ratione deducta ex eo, quod conferens iurisdictionem potest cum ea limitatione conferre, quod à certo venialium genere nequeat Confessarius absoluere, & licet pęnitens non teneatur illud clauibus subijcere, si tamen velit illud subijcere, & Sacramentalitèr ab eo absolui, non possit, nisi

nisi facultate obtenta à Superiore reseruante. Vtraque opinio probabilis. Sequere quam mauis.

Dico tertiò. Peccata læthalia externa, quæ subijci debent reseruationi, debent esse atrociora, Reipublicæ pernitiosiora, nec multa, vt sint in ædificationem, & non in destructionem. In hoc consentiunt communitèr signantèr *Reginaldus lib. 1. num. 127.* Hoc expressè habetur in *Concil. Trident. sess. 14. de pœnit. c. 7.* Ibi- *Atrociora quædam, & grauiora crimina non à quibusuis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absoluerentur*, & iure quidem merito hoc inductum est, quia per nimiam facilitatem obtinendi absolutionem peruersè homines sine habenis irruerent in huiusmodi delicta cum magno Christianæ Reipublicæ detrimento, & ruina plurimorum. Dixi, *& non multa*, cum hæc potestas reseruationis inducta sit in ædificationem, non in destructionem, vt notat idem Concilium Tridentinum; esset autem quandoque in destructionem, si reseruatio esset ad plura, quam par sit, quandoquidem mole eorum nimis grauarentur, & Confessarij, & subditi, vt potius arcerentur à frequenti confessione, quam ad exquirenda media, quibus liberarentur.

9 Reseruāda debēt esse ex atrocioribus.

10 Nec debent esse multa.

Hæc adeo vera sunt, vt *Reginaldus loc. cit. ex Soto*, afferat, quod tantus posset esse abusus reseruationis, quod Parochi non tenerentur Superiori parere, sed possent eo inconsulto à peccatis sic reseruatis absoluere, & *Sotus ipse in 4. dist. 18. q. 2. art. 5.*, *Angelus verb. Casus Finellus c. 4. num. 4.*, *Henriquez lib. 6. c. 14. num. 3.* dicunt, quod nimis grauis atque insolita plurium peccatorum in aliqua Diæcesi reseruatio non solum sit illicita, sed etiam inualida, quam propterea seruare Confessarij non teneantur; & aliqui alij addunt, quod, cum in magno reseruatorū numero non sit maior ratio, quod vnum sit reseruatum, & non alterum, nullum intelligatur reseruatum. Sed monerem non ità tutè fidendum esse huic sententiæ; tum quia falso videtur inniti fundamento supponens, quod præcipuè Parochi iurisdictionem habeant à iure Diuino, cuius contrarium nos supra docuimus; tum quia, licet illicitò videantur procedere Ecclesiarum Prælati ingentem numerum peccatorum sibi reseruando, quia tamen habent potestatem reseruandi, non potius hæc, quam illa, & iurisdictionem possunt communicare magis, vel minus amplam, non video, cur, si plura reseruauerint, nòn debeat esse valida reseruatio, licet illicita ob rationes mox adductas; vnde in hoc cautè debent procedere Confessarij ipsam non contemnendo, sed ad summum possunt supplicare eosdem Ecclesiæ Prælatos, vt ad minorem numerum reducantur, ne cedant potius in destructionem, quam in ædificationem.

11 Nimia peccatorum reseruatio secundū aliquos esset inualida.

12 Verius tamen esset valida.

In ordine ad tertium hoc in primis monendum est, Pontifices Romanos nunquam consueuisse sibi reseruare peccata, nisi annexam habeant excommunicationem, propter quam solum reseruant; vnde docent plurimi, nec immerito, quod, si Pontifex, vel alius ab eodem habens potestatem relaxet excommunicationem, possit quilibet Confessarius ab illis peccatis, quibus annexa erat excommunicatio, absoluere. Intellige, dummodo aliundè peccata ipsa secundum se non sint reseruata ab Episcopo.

13 Pontifex regularitèr non reseruat peccata, nisi habentium annexam excōmunicationem.

Deinde dico, peccata, quæ propter excommunicationem annexam sunt reseruata Papæ in Bulla Cænæ, viginti numerari; quorum primum est hęresis cuiuscunque sectę, propter quam lata est excommunicatio in ipsos eiusdem sectatores, fautores, libros legentes, tenentes, & imprimentes, & schismaticos. Secundum est appellatio à sententia Romani Pontificis ad futurum Concilium. Tertium surreptio bonorum Christianorum, qui in naufragio perierunt, etiam si illa bona in litoribus fuerint inuenta. Quartum crimen Piratariæ, & receptatio Piratarum, & fauor eisdem præstitus. Quintum impositio nouorum pedagiorum, & gabellarum, & augmentum ipsorum. Sextum falsificatio literarum Apostolicarum, & supplicationum à quocunque auctoritatem habente signatarum, & falsa fabricatio literarum Apostolicarum. Septimum delatio armorum ad Turcas, & quarumcunque rerum vsui bellico idonearum, vel ad alios Christiani nominis inimicos, & denuntiatio eorum, quæ ad statum Christianæ Reipublicæ pertinent eisdem Ecclesiæ inimicis facta in damnum Christianorum. Octauum oppositio facta eis, qui victualia, & alia necessaria Romam deferunt, ne deferant. Nonum vexatio, & læsio illorum, qui ad Sedem Apostolicam veniunt, aut ab eadem recedunt sua, vel aliorum opera, & item vexatio facta sine iurisdictione in eos, qui in eadem curia commorantur. Decimum læsio in Romipetas, & Peregrinos etiam in Vrbe commorantes, vel ab eadem recedentes. Vndecima offensio in S. R. E. Cardinales, aliosque Prælatos. Duodecimum læsio, & offensio in eos, qui per se, vel per alios recurrunt ad Romanam curiam pro suis negotijs. Decimumtertium appellatio ab executione literarum Apostolicarum ad potestatem laicalem. Decimumquartum impedimentum appositum expeditioni literarum Apostolicarum, aut alijs expeditionibus ad gra-

14 Numerātur peccata reseruata Pontifici in Bulla Cænæ.

tias impetrandas. Decimumquintum attractio Ecclesiasticarum personarum per Iudices Sæculares ad sua Tribunalia, item ablatio, & perturbatio libertatis Ecclesiasticæ. Decimumsextum oppositio facta Prælatis, ne sua iurisdictione vtantur per recursum ad curiam Sæcularem. Decimumseptimum vsurpatio iurisdictionis Sedis Apostolicæ, & aliarum Ecclesiasticarum, & sequestratio fructuum. Decimumoctauum impositio decimarum, aliorumque onerum personis Ecclesiasticis, Monasterijs, aut eorum fructibus. Decimanona interpositio per Iudices Sæculares in causis capitalibus, seu criminalibus contrà Ecclesiasticas personas. Vigesimum vsurpatio terrarum Ecclesiæ Romanæ, & illius iurisdictionis. His omnibus annexa est excommunicatio latæ sententiæ, ratione cuius intelliguntur Romano Pontifici reseruata. Harum explicationes vide apud Auctores, qui de eisdem agunt.

In ordine ad quartum, & sextum vide quæ latè habent *Reginaldus lib. 1. à n. 131. vsque ad n. 134.*, qui ibi plura enumerat; non enim vacat ea hic repetere.

In ordine ad septimum, cum alia sint à iure, & consuetudine reseruata, alia ab homine, consulenda sunt iura vniuscuiusque Prouinciæ, seu Diæcesis; non enim sunt omnibus communia; in vna etenim quid statuitur, quod non viget in alia. Enumerantur tamen à *Nauarro in man. c. 27. num. 256., & seqq.* nonnulla peccata, quæ à iure, vel consuetudine videntur vbique Episcopis reseruata. Primum est incendium domorum, & agrorum malitiosè factum, & consilium ad id faciendum datum iuxta textum *in c. pessimam 23. q. 8.* Secundum peccatum publicum, & notorium, ob quod imponenda sit solemnis pænitentia; sed hoc modo non est in vsu, sicuti non est in vsu solemnis pænitentia. Tertium homicidium voluntarium. Quartum crimen falsi, idest falsitas admissa in scripturis exhibendis, aut in dicendo testimonio. Quintum violatio Ecclesiasticæ immunitatis, qua scilicet quis in Ecclesia, vel loco sacro, aut spacio priuilegiato in circuitu Ecclesiæ offendit proximum in persona, vel rebus suis. Addit Siluester sextum peccatum ex consuetudine Episcopis reseruatum, nempè sortilegium, & diuinationem, quod colligi potest ex textu *extrauag. communis, Inter cunctas de priuileg. §. incendiarius*, vbi inter cætera peccata numeratur sortilegium. De reseruatis ab homine recolenda sunt, quæ in singulis Diæcesibus habentur.

15 Referuntur aliqua, quæ vbique videtur reseruata.

ARTICVLVS XVIII.

De Reseruatione per Prælatos Regulares in ordine ad suos subditos.

SVMMARIVM.

PRælatis Regularibus maioribus inesse facultatem casus sibi reseruandi in ordine ad suos subditos nulla videtur esse posse ratio dubitandi, cum in ordine ad eosdem polleant iurisdictione Episcopali, & vtique ordinaria, quam agnouerunt etiam Pontifices, dum eisdem præscripserunt modum, & formam reseruandi. Supposita igitur tali potestate dubium solummodo est primo, apud quem Superiorem resideat, an solum penes Generales in toto ordine, an verò etiam apud Prouinciales in sua Prouincia, an etiam in Superioribus localibus in suis Monasterijs, Conuentibus, & Collegijs. Secundò, quænam peccata possint reseruare. Tertiò, an reseruare etiam possint quoad Nouitios.

1 In Prælatis Regularibus inest potestas reseruandi sibi casus.

In ordine ad primum consideranda sunt iura municipalia cuiuscunque ordinis, secundum quæ est dirimenda hæc difficultas. In nostra Congregatione vsus inualuit, vt à solo Præposito Generali fiat huiusmodi reseruatio. In alijs etiam à Prouincialibus in sua Prouincia assolet fieri. Præcisis iuribus, & consuetudinibus ordinum considerando rem secundum se, & secundum dignitatem, & iurisdictionem, quæ annexa est Prælaturis arbitrarer

2 In Congregatione nostra solus Generalis reseruat.

rer non solum Generales in toto ordine, sed etiam Prouinciales in sua Prouincia posse casus sibi reseruare; Intellige tamen, si habeant facultatem approbandi Confessarios, quæ regularitèr ipsis inesse in ordine ad Confessiones suorum subditorum censenda est. Ratio ex eo videtur sufficientèr deduci, quia Prouinciales sunt Præfecti Prouinciarum, & in illis habent supremam iurisdictionem iuxta regulas, & Constitutiones; eorum officium dignitas est, cum sit administratio cum iurisdictione; habent iurisdictionem ordinariam, non merè delegatam, quia sunt ordinarij Pastores, & verè Prælati Prouinciarum, & Regularium in eisdem existentium *Suarez tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 10. c. 5.*; habent iurisdictionem Episcopalem in subditos, vt tradunt *Lezana tom. 1. c. 18. n. 2.*, *D. Thomas secunda secundæ q. 33. art. 7.*, *Tortellus in dubijs Reg. verbo Prælati iurisdictio*, quinimmo assimilantur Archiepiscopis, cum habeant sub se Superiores immediatos Conuentuum, & Collegiorum, qui etiam habent quasi Episcopalem iurisdictionem *Rodriquez tom. 1. qq. Reg. q. 12. art. 5.*, & possunt delegare suam auctoritatem iuxta statuta suorum ordinum; omnis enim, qui habet iurisdictionem ordinariam, eam delegare potest *Tortellus in dub. Reg. verb. Prælati potestas in addit. n. 6.* Quibus stantibus non video, cur etiam non possint sibi casus in sua Prouincia reseruare, nisi statuta ordinum, vel consuetudines obstent.

3 Vbi statuta ordinū aliter non decernūt probabilius etiā Prouinciales possunt reseruare.

Adde, quod Clemens VIII. in Constitutione sua, de qua infra, statuens, quod Prælati Regulares non possint reseruare sibi, nisi casus à se præscriptos, subdidit, quod alios à præscriptis non possint reseruare, nisi Generalis in Capitulo Generali, & Prouinciales in suis Capitulis Prouincialibus, ergo, quia Pontifex cognouit posse etiam Prouinciales sibi casus reseruare, cæteroqui frustrà excepisset, quod non possint reseruare, nisi in Capitulis Prouincialibus, si absolutè non possent reseruare.

4 Clemens VIII. hāc potestatē agnouit in Prouincialibus.

Sed, an Superiores locales possint sibi reseruare casus quoad subditos sui Monasterij sibi subiectos, videtur affirmandum, cum habeant iurisdictionem quasi Episcopalem, quibus subduntur Confessarij Monasterij, qui computantur tanquam Parochi; vnde *Rodriquez tom. 1. qq. Reg. q. 12. art. 5.* comparat Hierarchiam Religiosam Ecclesiasticæ; adeout; sicuti in ista sunt Parochi, Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, & Primates, qui omnes subduntur Summo Pontifici, ita in illa connumerantur Confessarij, qui sunt veluti Parochi habentes solum iurisdictionem in foro interno, Superiores locales, qui sunt quasi Episcopi, qui habent iurisdictionem quasi externam; Prouinciales, qui sunt quasi Archiepiscopi habentes sub se Superiores locales, qui ex dictis habent iurisdictionem quasi Episcopalem; Generales, qui sunt veluti Primates, & Patriarchæ, cum habeant sub se Prouinciales, & hi omnes subduntur Romano Pontifici; ex quibus eruitur, quod, sicuti Episcopi in sua Diæcesi possunt sibi casus reseruare quoad suos subditos, ità Superiores locales, qui Episcopis comparantur, possint in suis Monasterijs reseruare quoad Religiosos sibi subditos. Nihilominus in hoc potissimum veniunt consideranda iura municipalia ordinum, an permittant eisdem Superioribus localibus approbationem Confessariorum Monasterij; si etenim non permittant, non videntur posse eis restringere facultatem absoluendi, adeoque, nec reseruandi; an eisdem a Superioribus maioribus concedatur facultas illimitata, & absoluta, an verò solummodo limitata, & dependens. In rigore arbitrarer, vbi non obstant iura Religionis, posse reseruare, quia habent potestatem, vt asserebam, quasi Episcopalem.

5 An Superiores locales possint reseruare remissiuè.

In ordine ad secundum dico, Prælatos Regulares non posse reseruare, nisi peccata, quæ fuerunt præscripta a Clemente VIII. in sua præcit. Constitutione, nec expediens esse etiam, vt illa omnia reseruent. Peccata autem ab eodem Pontifice præscripta sunt, *Primo, Veneficia, Incantationes, Sortilegia. Secundo, Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eo peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat. Tertio, nocturna, & furtiua à Monasterio, seu Conuentus egressio etiam non animo apostatandi facta. Quarto, proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum lethale. Quinto, iuramentum falsum in iudicio Regulari, seu legitimo. Sextò procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum etiam effectu non subsecuto. Sexto, falsificatio manus, seu sigilli Officialium Monasterij, aut Conuentus. Octauo, furtum de rebus Monasterij, seu Conuentus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. Nono, lapsus carnis voluntarius opere consummatus. Decimo, occisio, vulneratio, seu grauis percussio cuiusque personæ. Vndecimo, malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperitio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.* Extra hos casus nequeunt Superiores alios reseruare, nisi Generalis in commitijs Generalibus, & Prouinciales in Capitulis Prouincialibus, vbi id necesse cognouerint; prout præscribit idem Pontifex, qui etiam præcipit, ne id fiat,

6 Casus quos solū possunt sibi reseruare Prælati Regulares.

7 Extra hos casus nequeunt alios reseruare.

fiat, nisi cum matura discussione, & iudicio ob Religionis conseruationem, aut conscientiæ puritatem, prout notant *Prosper Augus. in addit. ad Quarantam in summa Bullarij verb. Casus reseruati, Suarez tom. 4. in tertiam part. disp. 28. sect. 3. num. 13., & tom. 4. de Religione tract. 8. lib. 2. c. 18.*

Ex eo autem, quod Prælati Regulares nequeant alia ab expositis peccata sibi reseruare, dubitatur, an possint reseruare censuras alijs casibus per se impositas sub pœna censurarum, vt si Prælatus præcipiat suo subdito, ne accedat ad Monasterium Monialium, quod frequentare solebat, collocuturus cum aliqua Moniali? In hoc video DD. inter se discrepantes. Posse reseruare affirmant *Suarez in tertia part. tom. 4. disp. 29. sect. 3. num. 15., Tamburin. de iur. Abbat. tom. 2. disp. 13. q. 3. num. 1., Fagundez praecept. 2. lib. 8. c. 4. num. 5.*, qui ea mouentur ratione, quia Clemens VIII. in precit. sua Constitutione loquitur dumtaxat de reseruatione peccatorum, quæ propterea non est extendenda ad censuras. Negant verò posse *Sanchez in summa tom. 2. lib. 6. c. 1. num. 15., Megala in prima part. lib. 1. c. 12. nu. 8., Molfesius in summa tom. 1. tract. 7. c. 20. num. 17.* quibus ego adhærendum existimo, tum propter declarationem Sacræ Congregationis emanatam die 7. Iulij 1617. de qua testatur *Lezana in summa qq. Regul. tom. 1. c. 18. num. 21., P. Leone tract. de offic., & potest. Confess. tom. 2. recollect. tom. 11. num. 5.* per quam dicitur in prædicto decreto Clement. VIII. comprehendi etiam censuras; tum propter finem, & intentionem eiusdem Pontificis, quæ fuit, ne nimis grauarentur subditi tot reseruationibus cum periculo damnationis æternæ. Ibi in proemio *Nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem*; hæc autem æquè contingerent, si alijs peccatis imponeretur reseruatio propter excommunicationem annexam eisdem. Quamobrem ad rationem Suarez, & aliorum pro prima sententia allegatorum dicendum est, in hoc non esse extensionem, sed comprehensionem, vt definiuit Sacra Congregatio, & hoc etiam euincitur ex eo, quod hoc etiam saltem indirectè esset reseruatio peccati, quam vltra præscripta reprobauit Pontifex.

8 Sentẽtia docens posse sibi reseruare censuras alijs casibus impositas.

9 Sentẽtia negans præfertur.

10 Soluuntur rationes cõtrariæ sẽtentiæ.

In ordine ad tertium, quamuis aliqui asserant, posse Prælatos Regulares reseruare sibi peccata etiam in ordine ad Nouitios, & ad hoc afferant viuæ vocis Oraculum Pauli V.; probabilius tamen est, non posse *Azorius tom. 1. lib. 12. c. 2. qu. 10., Vega in summa tom. 2. c. 50. cas. 6., Vgolinus de potest. Episcop. p. 2. c. 35. §. 1. num. 5., Homobonus de cas. reseruat. part. 1. c. 32.* Ratio est, quia Nouitij licet pro directione seruare debeant leges, & onera Religionis, vt experiantur onera, & iura eiusdem, non tenentur tamen ad illa ex obligatione aliqua eisdem imposita, vnde nequeunt aliquo onere reseruationis obstringi; Nec valet argumentum, quod Nouitij gaudeant priuilegijs Religionis, atque ideo subdi debeant eiusdem legibus, & oneribus. Non valet, inquam, quia in fauorabilibus fit extensio, non sic in odiosis.

11 Nequeũt reseruare in ordine ad Nouitios.

ARTICVLVS XIX.

Quisnam possit absoluere à Peccatis reseruatis.

SVMMARIVM.

Regulariter ad eum spectat absoluere, ad quem spectat reseruare. 1.
Casus dicuntur Papales, quia eorum absolutio reseruatur Papæ. 2.
Quandoque tamen possunt ab alijs absolui. 3.
In casibus occultis Papalibus possunt Episcopi suos subditos absoluere, vel per se ipsos, vel per suos Vicarios. 4.
Item ab hæresi occulta per se ipsos, non tamen per Vicarios. Ibid.
Item ab irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, dummodo non sint ex homicidio voluntario. Ibid.
Etiam à censuris contentis in Bulla Cœnæ, si fuerint occultæ. 5.
Subditi suffraganeorum non possunt absolui ab huiusmodi casibus occultis ab Archiepiscopo. 6.
Excipe in actu Visitationis. Ibid.
Probabilius Capitulum sede vacante potest absoluere. 7.
An etiam ab hæresi occulta variæ sententiæ. 8.
Probabilius non potest. 9.
Prælati Regulares nequeunt à casibus Papalibus absoluere exteros, bene tamen suos à casibus, in quibus possunt Episcopi erga suos, non tamen ab hæresi occulta. 10.
Decretum Sacræ Congregationis sub Clemente VIII. 11.
Excipiuntur aliqui casus, & quinam, à quibus nequeunt absoluere. 12.
Pœnæ aduersus eos, qui absoluunt ab huiusmodi casibus specialitèr prohibitis. 13.
Monita Sacræ Congregationis ad Episcopos circa reseruationes. 14.
Regulares absoluentes à recensitis casibus non prætextu priuilegiorum, sed ex ignorantia videntur excusari ab allegatis pœnis. 15.

Modo

1 Regulariter absoluit, qui reseruat.

COmmunis regula est, quod ad eum spectat absoluere, qui reseruauit, vel ad eius Superiorem; vnde, si Episcopus seruauit, ipse, vel eius Commissarius debet absoluere, vel Superior in dignitate, & iurisdictione ipsi Episcopo. Quia tamen ex superius dictis aliqua sunt peccata, quæ ratione excommunicationis reseruantur Pontifici; alia, quæ reseruantur Episcopis, siue à iure, siue ab homine, alia, quæ reseruantur Religionum Prælatis in ordine ad suos subditos, ideo in ordine ad singula inquiremus discriminatim, quinam habeant potestatem absoluendi; sed quia prolixitas, & confusio posset oriri omnia simul exeminando, ideo præsentem titulum in aliquot sectiones diuidemus, in quibus singulis singula discutiemus.

SECTIO I.

Quinam possit à casibus Papalibus absoluere.

2 Casus dicuntur Papales, quia reseruantur Papæ.

CAsus dicuntur Papales, quia Papæ intelliguntur reseruati, & ex genere suo non absoluibiles, nisi ab ipso, vel cui ipse commiserit absolutionem. Quamuis autem hæc vera sint, nihilominus quandoque, vel ex expresso, vel tacito illius consensu, vel priuilegio, vel interpretatiua eiusdem voluntate secundum aliquas circunstantias in alios transfundi potest potestas ab eis absoluendi; Hic igitur quærimus primò, an Episcopi possint suos subditos in aliquo casu absoluere, & quonam à Papalibus. Secundò, an Prælati Regulares suos in eisdem, vel alijs casibus. Tertiò, an habentes facultatem à Sede Apostolica absoluendi à reseruatis eidem possint etiam absoluere à censuris contentis in Bulla Cænæ Domini. Quartò, an Episcopi quoad casus Papales, à quibus ipsi possunt absoluere, possint alios delegare ad absoluendum ab ipsis. Quintò, an Episcopi in casibus, in quibus possunt suos subditos absoluere, possint etiam Peregrinos tunc existentes in sua Diæcesi absoluere quoad Papales, & alia inde resultantia.

3 Quandoque tamẽ possunt ab alijs absolui.

4 A casibus Papalibus occultis possunt Episcopi absoluere.

Conclusio I. Possunt Episcopi suos subditos à quibuscunque casibus Sedi Apostolicæ reseruatis per se ipsos, aut per suos Vicarios absoluere, si casus fuerint occulti, in foro interno imposita pænitentia salutari; item ab hæresi occulta per se ipsos, non tamen per suos Vicarios. Hoc expressè colligitur *ex Concil. Trident. sess. 24. c. 6.* quinimmo possunt etiam dispensare in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum. *Idem Trident. loc. cit.*

5 Etiam à censuris occultis contentis in Bulla Cænæ.

An verò possint etiam à censuris contentis in Bulla Cænæ absoluere, si fuerint occultæ? Affirmandum est, quia *Tridentinum loco cit.* loquitur absolutè cum clausula *in irregularitatibus omnibus*, exceptis prouenientibus ab homicidio voluntario, & deductis ad forum contentiosum, & *in quibuscunque casibus etiam Sedi Apostolicæ reseruatis*; particula autem *omnes, & quæcunque* nullam excludit. Adde, quod ibidem Concilium loquitur etiam de hæresi, quæ comprehenditur in casibus Bullę Cænæ, & solum quoad ipsam limitat quoad Vicarios Episcoporum, per quod firmat regulam quoad alios casus eiusdem Bullæ Cænæ, ità vt, si fuerint occulti, possint etiam per Vicarios ab Episcopo deputatos absolui.

6 Subditi suffraganeorum nequeũt absolui ab Archiepiscopo.

Cum autem in eodem Concilio dicatur *posse quoscunque suos subditos in foro conscientiæ absoluere*, oritur hic difficultas, an nomine subditorum veniant subditi suffraganeorum in ordine ad Archiepiscopos, adeout isti possint absoluere subditos eorundem suffraganeorum à casibus Sedi Apostolicę reseruatis. Sentiendum est, non venire nomine subditorum, nec posse ab Archiepiscopis absolui, nisi in actu Visitationis *Henriquez lib. 6. c. 7. num. 5., Suarez. disp. 25. sect. 1. num. 14., & disp. 30. sect. 2. num. 8., Coninchus disp. 8. dub. 3. num. 21., Reginaldus lib. 1. num. 33., & seq.* Ratio ea est, quia quoad ea, quæ pertinent ad forum internum Episcopi non subduntur Archiepiscopis, vt patet *ex c. Pastoralis de offic. ord.* Dixi, *nisi in actu Visitationis Diæcesis eorundem suffraganeorum*, tunc etenim Archiepiscopus habet etiam in foro interno iurisdictionem in suorum suffraganeorum subditos per textum *in c. fin. de censuris in sexto*.

Excipe in actu Visitationis.

An autem Capitulum sede vacante possit absoluere à casibus Papalibus occultis, conueniunt ferè communitèr omnes, quod possit eo, quia succedit Episcopo non solum

lum in ijs, quæ eidem Episcopo competunt iure communi, & generali per textum *in c. cum olim de maiorat., & obed.*, sed etiam quæ competunt eidem, vt Ordinario. Quod, si dicatur, quod Episcopis non competat ius Ordinarium absoluendi à casibus Papalibus occultis, sed tantummodo delegatum ex vi dispositionis *Concil. Trident. loc. cit.*, quandoquidem vbi non est acceptatum Concil. Trident., hæc facultas absoluendi à casibus Papalibus Episcopis non competit, prout tradit *Diana part. 7. tract. 2. resol. 2.*, adeoque, nec competere posse videtur Capitulo sede vacante, cum solum succedat in iurisdictionalibus Episcopo quoad potestatem ordinariam, non quoad delegatam. Si, inquam, hoc dicatur, statim respondebimus, quod, cum hæc facultas sit generalitèr concessa omnibus Episcopis quoad suos subditos, & procedat a iure generali, computanda sit ordinaria quoad eosdem, ac proinde in eadem succedat Capitulum sede vacante.

7 Probabilius Capitulum sede vacante potest absoluere.

Maior difficultas videtur in eo versari, an scilicet Capitulum sede vacante possit absoluere ab hæresi occulta. Ex eo, quod Concil. Trident. loc. cit. asserat posse ab hæresi occulta absoluere Episcopos per se ipsos, non per suos Vicarios, videtur rectè inferri, nec Capitulum sede vacante ab eadem posse absoluere, cum talis facultas videatur apposita dignitati Episcopali, qualem non habet Capitulum sede vacante. Ex alia parte, cum Capitulum succedat iure proprio in iurisdictionalibus Episcopo, & non habeat iurisdictionem ab Episcopo, sicuti habet eius Vicarius Generalis, sed a iure, videtur hæc eidem competere. Crederem verè hanc facultatem Capitulo non competere, cum Concilium Tridentinum restrictiuè ipsam alliget Episcopis.

8 An etiam ab hæresi occulta variæ sententiæ.

9 Probabilius non potest.

Conclusio II. Prælati Regulares nequeunt a casibus Papalibus, multoque minus à contentis in Bulla Cænæ alios à suis subditis absoluere, quantumuis fuerint occulti, benè tamen suos in casibus, in quibus possunt Episcopi erga suos, non tamen ab hæresi occulta.

10 Quid possint Prælati Regulares tam in ordine ad exteros, quam ad suos.

Prima pars ex eo euincitur, quod, quamuis per Summos Pontifices concessa fuerint priuilegia plura Regularibus absoluendi exteros ab huiusmodi casibus, vt per Paulum III. Societati Iesu, vt habetur in compendio priuileg. eiusdem Societatis *tit. absolutio* §. 1., & in eiusdem Priuilegio concesso à *d. Paulo III. sub die 3. Iunij* 1545. quod incipit *cum inter cunctas solicitudines nostras*, vbi tamen sit exceptio à casibus in Bulla Cænæ contentis; per Sixtum V. Congregationi Oratorij Sanctæ Mariæ de Vallicella de Vrbe, vt habetur penes *Stephanum Quarantam in sua summa Bullarij sub tit. Confessor, §. decet Romanum Pontificem sub data nonis Septembris* 1586.; attamen hæc priuilegia intelliguntur reuocata per decretum Sacræ Congregationis iussu Clement. VIII. editum sub die 9. mensis Ianuarij anno 1601., cuius tenorem de verb. ad verbum refert *Quaranta in verb. Casus reseruati, §. editum fuit alias*.

11 Decretũ S. Cõgregationis sub Clemente VIII.

Aduerte tamen, quod, cum dubia aliqua orta fuerint super illo edito decreto Sacræ Congregationis, eaque proposita eidem Sacræ Congregationi ab eadem sub die 26. Nouembris 1602. emanarint declarationes sequentes super eodem; primò, vt Regulares, cæterique priuilegiati non absoluant à casibus contentis in Bulla Cænæ clarè, vel dubiè. Secundò, ne absoluant à Violatione immunitatis Ecclesiæ in terminis constitutionis Gregorij XII. Tertiò, à Violatione clausuræ Monialium ad prauum finem. Quartò, à Prouocatione, & pugna in duello in terminis Concilij, & Constitutionis Gregorij XIII. Quintò, ab iniectione manus violentæ in Clericos *iuxta c. si quis suadente*, ac iuris dispositionem. Sextò, à Simonia reali scientèr contracta. Septimò, à confidentia beneficiali. Octauò, ab omnibus casibus, quos locorum Ordinarij sibi reseruabunt, & reseruarunt etiam in casu necessitatis, & impedimenti, nisi in mortis articulo, vel nisi habeant licentiam nouam specialem à Sede Apostolica, vel ab Ordinarijs in scripto, vel viua voce. In alijs casibus, qui habent priuilegia poterunt iuxta eorum tenores, & facultates absoluere, dummodo ante decretum essent vsu recepta, & non reuocata; Qui verò non habent priuilegia, non possunt absoluere, nec per hoc decretum, & declarationem aliquid de nouo acquirunt. Pænæ, quæ iniunguntur contrà Regulares, & Priuilegiatos, qui in prædictis specialitèr prohibitis audebunt prætextu priuilegiorum absoluere, & contrà alios non priuilegiatos, qui ab eisdem, & à cæteris reseruatis absoluãt, sunt pænæ excommunicationis, priuationis officiorum, dignitatum, & beneficiorum, & inhabilitatis ad ea imposterum obtinenda ipso facto absque vlla declaratione, à quibus nequeant dispensari, habilitari, & absolui, nisi à Sede Apostolica præterquam in mortis articulo quoad absolutionem.

12 Excipiũtur aliqui casus, à quibus nequeũt absoluere.

13 Pænæ cõtrà absoluentes ab huiusmodi casibus

In eadem declaratione monentur locorum Ordinarij. Ne reseruent casus contentos in Bulla Cænæ Domini; non specialitèr reseruatos Sedi Apostolicæ; non promiscuè eos, quibus annexa est excommunicatio maior à iure imposita, cuius absolutio nemini est reseruata, nisi iudi-

14 Monita Sacræ Congregationis ad Episcopos in ordine ad reseruationes.

caue-

cauerint aliquos nominatim reseruandos propter frequentiā, scandalum, aut aliam necessariam causam; non eos, quibus non datur absolutio, nisi facta restitutione, vel executione; non eos, qui licet inuoluant peccatum mortale, tamen versantur circa res parui momenti, & quæ frequentèr euenire solent inter idiotas. Monentur insuper, vt paucos reseruent præcisa multitudine, quinimmo, quam paucissimos, eosque maximè necessarios; atrociora dumtaxat, & grauiora, ne sequatur effectus contrarius piæ menti Sanctæ Matris Ecclesiæ. Hæc omnia recensere placuit ad commodum legentium, cum non apud omnes versentur exemplaria decreti, & declarationis eiusdem Sacræ Congregationis.

15 Regulares absoluentes nō prętextu priuilegiorum videntur eximi à pænis.

Aduerte secundò quoad pænas recensitas contrà absoluentes à casibus recensitis, ad quos non habent priuilegia, eas non incurrere Regulares, aliosque, qui ab ijs absoluunt non prætextu priuilegiorum, sed vel ex ignorantia, vel inaduertentia, prout docent *Gambarupta de reseruat. c. 3. n. 12.*, cum in eodem decreto Sacræ Congregationis, & declaratione dicatur expressè *prætextu priuilegiorum*, quod etiam firmauit *Villalobos tom. 1. in summa tract. 9. difficult. 61. num. 5.*

16 Modo Regulares nequeunt absoluere à casibus Papalibus.

Hic oritur difficultas, an, quamuis Sacra Congregatio in decreto, & declaratione recensitis concesserit Regularibus, alijsque priuilegiatis posse absoluere à casibus Papalibus exceptis contentis in Bulla Cænæ, alijsque sex supra enumeratis, intelligatur hæc facultas quoad casus non exceptos reuocata per Paulum V. sub die 7. Ianuarij 1617., adeout modo nedum non possint Regulares à contentis in dicta Bulla Cænæ, & ab illis sex absoluere, sed nec etiam ab alijs Papalibus. Nonnulli apud *Dianam part. 3. tract. 2. resol. 13. vers. nota etiam secundo*, asserunt, per eundem Paulum V. intelligi reuocata priuilegia quoad omnes casus Papales, quod probant ex eo, quod Pontifex recensitis casibus Bullæ Cęnæ, & sex enumeratis addit illam particulam, *Ac insuper*, quæ importat nouam legislatoris dispositionem ab antiquis omnino distinctam *arg. textus in c. statutum, §. insuper, & ibi Glos. de rescript. in sexto.* Sed *Duardus in Bullam Cænæ lib. 3. §. 2. q. 1. num. 31., & seqq.* absolutè sentit, non intelligi reuocata.

Ratio secundæ partis conclusionis est, quia Prælati Regulares in ordine ad suos subditos habent quoad iurisdictionalia potestatem, quam habent Episcopi in suos vigore *Trident. sess. 24. c. 6.* prout docet *Henriquez lib. 6. c. 16. num. 1.* ergo non est, cur non possint absoluere suos subditos in ijs casibus, in quibus Episcopi possunt absoluere suos: Hoc expressè concessum est à *Martino V. ordini Sancti Hieronymi Hispaniæ*, vt refertur in eius compendio *tit. Absolutio quoad omnes §. 3.*, quod priuilegium confirmatum fuit PP. Teatinis, quinimmo de nouo concessum à *Paulo V. die 4. Aprilis 1612.*, vt refertur in eorum compendio *tit. Confirmatio priuilegiorum §. 3.*

17 Prælati Regulares in ordine ad suos habens potestatem quasi Episcopalem.

Si autem quæratur, quinam sint casus, in quibus Episcopi possunt absoluere suos Diæcesanos, & præcipuè quoad censuras, ad quorum normam Prælati Regulares possint absouere suos; Dicam, hoc posse colligi ex supradictis; Deinde primò possunt absoluere ab omni excommunicatione lata à iure, quæ nulli sit reseruata per textum *in c. Nuper, §. in secundo verò casu de sent. excom., Sairus de censur. Ecclesi. lib. 2. c. 19. num. 2., & seqq.*, qui testatur de communi. Secundò ab excommunicatione lata ab homine, quæ generalis sit, cum hæc æquipararetur canoni, seu statuto, vt notant *Coaruuias in c. Alma Mater de sent. excomm. in sexto in prima part. relect. §. 12. nu. 4. vers. secundo, Nauarrus in man. c. 27. num. 44., Sairus de censur. lib. 2. c. 19. n. 5.* Tertiò à percussione Clerici suadente Diabolo, quando percussio leuis est per textum *in c. peruenit de sent. excom.*

18 Casus, in quibus possunt absoluere

Ratio tertiæ partis, quod scilicet nequeant absoluere ab hæresi occulta, quidquid ex aduerso dixerint *Suarez de Religione tom. 4. lib. 2. c. 21. num. 10., & alij* apud ipsum, ex eo deducitur, quod ità fuerit declaratum per Sacram Congregationem sub die 17. Nouembris 1628. sub Vrbano VIII.; Neque obstat, si dicatur, Sacram Congregationem intelligendam esse solummodo in ordine ad absoluendos sęculares ab eadem hæresi occulta, non autem suos subditos, ad quod confirmandum multum conferre potest declaratio Alexandri VII. sub die 25. Septembris 1665. qua damnauit propositionem, quæ inter cæteras reprobatas est in ordine secunda, qua dicebatur *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absoluere quoscunque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.* Non obstat, inquam, quia Sacra Congregatio sub Vrbano VIII. expresse loquitur de Prælatis Regularibus in ordine ad suos subditos.

19 Non possunt absoluere ab hæresi occulta.

Conclusio III. Habentes facultatem à Sede Apostolica absoluendi ab eidem reseruatis non possunt absoluere à censuris contentis in Bulla Cænæ Domini, *Suarez disp. 21. sect. 3. num. 3., & disp. 7. sect. 5. num. 11., Vgolinus tab. 1. c. 10. §. 4. n. 8.*

20 Facultas absoluendi à casibus Papalibus non extenditur ad cōtentos in Bulla Cænæ.

Ratio est, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ specialitèr reseruantur, quæque non ità facilè conceduntur,

ſed cenſuræ contentæ in Bullæ Cænę Domini ſpecialitèr reſeruantur, nec ità facilè conceduntur, quandoquidem ipſæ ſingulis annis renouantur, & in priuilegijs, quæ Regularibus, cæteriſque aſſueuerunt concedi, regularitèr excipiuntur, ergo non veniunt in generali conceſſione, niſi in eadem de eiſdem fiat expreſſa mentio; Ex hoc etiam fundamento nonnulli etiam deducunt, quod habentes facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis etiam contentis in Bulla Cænæ non poſſint abſoluere ab excommunicatione ob hæreſim etiam occultam contracta *Nauarrus in man. c. 27. nu. 275., Coaruuias in c. alma Mater part. 1. §. 11. num. 15., Henriquez lib. 8. c. 16. n. 3., Auila part. 2. c. 2. diſp. 1. dub. 7. concl. 2., Sanchez in ſumma lib. 2. c. 12.*

21 Epiſcopi in caſibus in quibus poſſunt abſoluere poſſunt alios delegare.

Concluſio IV. Epiſcopi in caſibus, quibus ipſi per ſe poſſunt abſoluere à caſibus Papalibus, poſſunt alios delegare ad abſoluendum ab ipſis, ſi excipias hæreſim.

Ratio ex eo deducitur, quia, cum hæc facultas ſit Epiſcopis conceſſa generalitèr à iure communi, computatur pro ordinaria quoad huiuſmodi caſus; habens autem poteſtatem ordinariam poteſt alteri eam delegare; Neque hic audiendi ſunt aliqui, qui exiſtimant hanc poteſtatem in Epiſcopis eſſe priuilegium affixum ſtatui, & dignitati Epiſcopali, adeoque non eſſe alteri communicabilem; non, inquam, audiendi ſunt, quia gratis ſibi confingunt eſſe priuilegium affixum dignitati, quod ex eo euincitur, quod *Concil. Trid. d. ſeſſ. 24. c. 6.* non ſolum hanc facultatem concedit Epiſcopo, ſed etiam Vicario ad id ab eodem ſpecialitèr deputato, vt legenti textum ſit manifeſtum; tum quia de facto talis poteſtas alijs ab Epiſcopis fuit deputata.

22 Non tamen in caſu hæreſis.

Dixi, *ſi excipias hæreſim*, quia hæc exceptio expreſsè habetur *in eodem Concil. Trid. d. ſeſſ. 24. c. 6.* Ibi- *Item, & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantum*, ideſt Epiſcopis, *non eorum Vicarijs ſit permiſſum*; ex quibus apparet crimen hæreſis ſpecialiori iure eſſe prohibitum, & reſeruatum.

Concluſio V. Epiſcopus, ſeu Vicarius ab eo delegatus ad abſoluendum à caſibus Papalibus, in quibus ipſe Epiſcopus ex iure ſibi competente vigore Trident. loc. cit. poteſt abſoluere ſuos ſubditos, poteſt etiam ab eiſdem abſoluere Peregrinos ad ſe confugientes. In hoc communitèr conueniunt quotquot ſuſtinent Confeſſarios vnius Diæceſis poſſe recipere confeſſiones Peregrinorum in eadem exiſtentes, de quibus ſupra.

Ratio ex eo deducitur, quod tantam habet poteſtatem in ſua Diæceſi Confeſſarius ſimplicitèr approbatus ad confeſſiones in ordine ad Peregrinos non habentes reſeruata, quantam habet Confeſſarius priuilegiatus, ſeu Epiſcopus, aut eius Vicarius habens facultatem Papalium in ordine ad Peregrinos habentes caſus Papales, ergo, ſicuti ſimplex Confeſſarius in ſua Diæceſi approbatus poteſt abſoluere Peregrinos non habentes reſeruatos, poterit Epiſcopus, ſeu eius Vicarius habentes poteſtatem abſoluendi à Papalibus Peregrinos abſoluere habentes Papales; ſicuti enim in primo caſu non obſtat, quod Peregrini non habeant ibi domicilium, neque obſtabit in ſecundo, cum ſufficiens ſit auctoritas in abſoluentibus reſpectiuè ad vtroſque caſus.

23 Poſſunt etiam abſoluere Peregrinos.

SECTIO II.

Quinam poſſint abſoluere à reſeruatis Epiſcopis.

SVMMARIVM.

Caſus Epiſcopales alij ſunt à conſuetudine, alij a iure, alij ab homine, & quid ſinguli. 1.

Ab his omnibus poteſt Epiſcopus abſoluere. 2.

Quoad conſuetudinarios non poteſt dici eſſe reſeruatos de iure communi. 3.

Solutio quoad caſum abortus, & percuſſionis Clerici. 4.

Caſus conſuetudinarij Epiſcopales poſſunt abſolui regulariter à Confeſſarijs ſimplicitèr approbatis. 5.

Quid ſentiendum ſit de crimine abortus, & percuſſionis Clerici remiſſiuè. 6.

Si Epiſcopus promulgatis decretis Sinodalibus, in quibus aliqui caſus eidem reſeruantur, nullos alios ſibi ſpecialiter reſeruauerit, Regulares nequeunt ab eiſdem abſoluere. 7.

Si alios caſus ſibi reſeruauerit diſtinctos à Sinodalibus, nec Regulares poſſunt ab illis abſoluere. 8.

Si alios caſus à Sinodalibus ſibi in tabella reſeruauerit, & aliquos ex Sinodalibus in eadem expreſſerit, & non alios, Sinodales non expreſſi poſſunt à Regularibus abſolui. 9.

Regulares non poſſunt abſoluere à caſibus, quos Epiſcopi ſibi reſeruant, & exponunt in tabella. 10.

Poſſunt illi, quibus Epiſcopus committit. 11.

Si Epiſcopus alicui commiſerit omnem facultatem abſoluendi ſuos ſubditos ſine alia expreſſione non poteſt hic abſoluere à reſeruatis. 12.

Niſi aliter conſtet de mente Epiſcopi concedentis. 13.

Habes

Habens omnem facultatem absoluendi à casibus reseruatis, habet etiam facultatem absoluendi à censuris eidem reseruatis. 14.
Habens facultatem absoluendi à casibus Episcopo reseruatis non potest super irregularitatem, & vota dispensare. 15.
Concessa alicui ab Episcopo facultate absoluendi ab omnibus casibus ipsi reseruatis intelligitur etiam concessa in ordine ad Papales, à quibus ipsi Episcopi possunt absoluere. 16.

1 Casus Episcopales in triplici genere.

CAsus Episcopales, qui ideo dicuntur tales, quia reseruantur Episcopis, alij sunt à consuetudine, alij a iure, alij ab homine. Primi sunt, qui consuetudine quasi vbique vigente habentur pro reseruatis, de quibus egimus in præcedentibus, cuiusmodi sunt homicidium voluntarium, ac alia supra recensita, de quorum reseruatione, quamuis non esset lex scripta, adest tamen ius non scriptum, hoc est consuetudo. Secundi sunt, qui reseruantur, vel in Concilijs Prouincialibus, vel Sinodalibus lege quasi vniuersali pro tali Prouincia, vel Diæcesi. Tertij sunt, qui specialitèr reseruantur ab Episcopis, vel in Sinodo, vel extra, & in schedulis exponuntur. Ab his omnibus posse Episcopos ipsos dispensare indubitati iuris est, quia ad eum spectat soluere, ad quem spectat ligare. Difficultas solummodo est, an alij ab ipsis Episcopis possint ab huiusmodi casibus, cuiuscunque generis sint, absoluere.

2 Ab his omnibus potest Episcopus absoluere.

In ordine ad casus primi generis aduertendum est, primò huiusmodi casus referri diuersimodè ab auctoribus, dum aliqui plures, alij pauciores assignant, nec omnes vbique vigent quoad reseruationem. Secundò non posse dici hos reseruatos Episcopis de iure communi, cum nullus sit assignabilis textus, qui ipsos eisdem reseruet, prout notant *Suarez tom. 4. in tertiam partem disp. 29. sect. 1. num. 6., Fagundez in secundum Ecclesiæ præceptum lib. 8. c. 2., Peirinus tom. 1. priuileg. in Constit. Pirrhi, §. 8. num. 38.* Difficultas solummodò aliqua quoad hoc potest esse quoad abortum, & quoad percussionem leuem Clerici, nam quoad primum, cum Sixtus V. ipsum Sedi Apostolicæ reseruasset, Gregorius XIV. moderando decretum Sixtianum reseruauit Episcopo, dum præcepit tale crimen committentem non posse absolui, nisi per Confessarium ad hos casus specialitèr per loci Ordinarium deputatum; quoad secundum verò, cum percusio Clerici esset indefinitè reseruata Pontifici, in casu, quo hæc sit leuis, eius absolutio est demandata soli Episcopo; in quo vtroque casu videtur reseruatio Episcopo esse de iure communi. Sed ad hoc respondet *Cespedes tract. de exempt. Regul. quoad Sacram. administ. c. 6. num. 3.* non intelligi hos casus reseruatos Episcopis, sed Episcopos esse ad ipsos delegatos.

3 Quoad consuetudinarios non adest ius commune.

4 Solutio quoad casum abortus, & percussio Clerici.

5 Consuetudinarij possunt à simplicibus Cōfessarijs absolui.

Conclusio I. Casus, qui ex consuetudine dicuntur Episcopales, regularitèr loquendo possunt absolui a Confessarijs simplicitèr approbatis, præcipuè Regularibus. Consentiunt in hanc *Suarez, Fagundez, Peirinus locis cit., Lezana in verb. Casus reseruati Regularium num. 4.*

Ad hoc pluribus rationibus mouentur, primò, quia hi casus certi non sunt, cum diuersimodè referantur à DD., vt videre est apud *Angelum, Siluestrum verb. Casus, Medinam in summa lib. 1. c. 10. §. 3., Toletum lib. 3. c. 14.* Secundò, quia hæc lex generalis non est, nec eiusdem modi in omnibus Episcopatibus videtur esse, & in aliquibus aliqui eorum exponuntur in schedulis, in alijs non exponuntur; vnde inferunt, quod, vbi exponuntur, obligent, sed tunc sunt specialitèr reseruati, vbi verò non exponuntur, non obligent. Tertiò, quia nullum à iure communi reperitur reseruatum peccatum Episcopis, cum nullus textus sit assignabilis; quod, si a Summistis plures assignentur, hoc est, quia Episcopi aliquos ex illis consueuerunt reseruare, vel, quia illis debetur aliqua pæna infligenda in foro contentioso. Adde, quod aliqui Episcopi, & ferè omnes aliquos ex dictis casibus, qui dicuntur à iure reseruati, sibi reseruant in tabella, & non alios, ergo, quia expressos intelligunt tantum reseruatos, & non alios.

6 Quid sentiendum sit de abortu, & percussione Clerici remissiuè.

Quid verò sentiendum sit de crimine abortus fætus animati, & de leui percussione Clericorum. Tunc dicam, quod, vel illi duo casus ex iure Pontificio intelliguntur Episcopis reseruati, vel solum Delegati Episcopi ad absoluendum ab eisdem; & si primum dicatur; tunc ratiocinandum erit, sicuti ratiocinabitur infra de reseruatis Episcopis in commitijs siue Prouincialibus, siue Sinodalibus; si verò secundum; idem dicendum erit, quod dictum fuit de alijs casibus Papalibus non reseruatis in Bulla Cænæ.

Loquendo iam de casibus Episcopis reseruatis siue in Concilijs Prouincialibus, siue Sinodalibus *Cespedes tract. de exempt. Regul. quoad Sacramen. administ. c. 6. n. 6., & seqq.* asserit secundum magis communem DD. sententiam, Regulares non posse ab illis absoluere; ipse tamen probabilem putat opinionem concedentem Regularibus facultatem ab eisdem absoluendi, quinimmo ex rationibus, quas successiuè adducit, videtur in hanc magis inclinare.

Conclusio II. Si Episcopus promulgatis

7 Si Episcopus reseruauerit sibi in Sinodo casus, & non alios, non potest Regularis ab illis absoluere

decretis Sinodalibus, & Prouincialibus, in quibus aliqui casus eidem reseruantur, nullos alios casus sibi specialitèr reseruauerit, probabilius Regulares nequeunt ab illis absoluere. Item, nec possunt absoluere, si alios casus specialitèr reseruauerit distinctos à Sinodalibus, & Prouincialibus omnino, quantumuis de istis nullam mentionem fecerit; si verò in casibus sibi specialitèr reseruatis in tabella aliquos etiam comprehenderit, & expresserit ex Sinodalibus, vel Prouincialibus, non verò alios, probabilius est, quod à Sinodalibus, vel Prouincialibus in tabella non comprehensis, & non expressis possint absoluere. Quoad primam, & secundam partem videtur consentire *Cespedes loc. cit.*, qui quamuis afferat esse probabilem contrariam sententiam, hanc tamen communiorem asserit, & probabiliorem. Expresse consentit *Capeauille c. 4. de potest. deleg. circa reser. q. vnica diffic. sexta*.

Iura quibus innititur assertum.

In confirmationem primæ, & secundæ partis idem Capeauille adducit definitionem Gregorij XIII. in Sacra Congregatione Cardinalium Concil. Trid. interpretum, de qua definitione testantur tres Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales; & primò Cardinalis Sancti Sixti Epist. ad Cardinalem Borromeum, quæ habetur in Concil. Prouinciali 3. Mediol. ad fin. Secundò Cardinalis Pallæotus apud *Viualdum de absolut. num. 35.* Tertiò Cardinalis Borromæus in instruct. Past. per eum compositis, & Antuerpiæ impressis anno 1586., vbi contra Confessarios Sæculares absoluentes ab huiusmodi casibus imponitur excommunicatio a Sinodo Diæcesana lata; contra Religiosos excommunicatio lata a Gregorio XIII.

Decretū SacrǫCōgregationis sub Vrbano VIII.

Fortior dispositio quoad hoc habetur ex decreto Sacræ Congregationis sub Vrbano VIII. emanato Romæ die 17. Nouembris 1628., quod cantat in hæc verba, *Ac proinde Regulares cuiusuis ordinis, Congregationis, Societatis, & instituti etiam necessario exprimendi nec intra, nec extra Italiam in vim priuilegiorum, aut confirmationem eiusmodi, quas, vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absoluere ab huiusmodi casibus in Bulla Cenæ, aut Ordinario loci reseruatis, ac, si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse, & fore; ab alijs verò casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, siquidem Regulares habent à Sede Apostolica absoluendi facultatem illam extra Italiam minimè sublatam fuisse eisdem Sacræ Congregationis decretis hac de re editis iussu Sanctæ memoriæ Clement. VIII., quam Sacra Congregationis sententiam Sanctitas Sua mandauit ab omnibus, ad quos pertinet inuiolabilitèr obseruari*, vbi nota illas particulas, *aut Ordinario loci reseruatis*, ex quibus videtur, non posse Regulares à casibus Ordinario reseruatis absoluere, quamtumuis reseruatio sit à Sinodo, vel Concilio Prouinciali; semper enim verificatur, quod sint Ordinario reseruati.

Intelligēdum est tale decretum vniuersalitèr.

Neque dicas, huiusmodi decreta siue edita iussu Clement. VIII., siue Vrbani itidem VIII. intelligenda esse de casibus non quomodocunque reseruatis Ordinario loci, sed de ijs, quos sibi specialitèr Ordinarius loci reseruauit; cum etenim versemur in odiosis, interpretatio mitior facienda est, & priuilegia Regularium, quoad minus fieri potest, lædenda; contra enim impugnaberis, quia, cum verba sint generalitèr prolata de reseruatis Ordinario loci, sunt in sua generalitate intelligenda. Deinde præsumendum est, quod Sacra Congregatio in decreto nuper edito iussu Vrbani VIII. aliquid de nouo statuerit, quod non fuerit antecedentèr expresse statutum, & declaratum; cum autem in pluribus alijs, & præcipuè in decretis Sacræ Congregationis iussu Clementis VIII. fuerit declaratum, quod Regulares non possint absoluere à casibus, quos Ordinarij locorum sibi specialitèr reseruarunt, censendum est, quod Sacra Cōgregatio in decretis iussu Vrbani VIII. editis voluerit quid aliud statuere, atque ideo, quod nequeant etiam absoluere à Casibus siue in Sinodo, siue in Concil. Prouinciali Episcopis reseruatis.

Non est simplicitèr confirmatorium decreti Clementis VIII.

Neque hic audiendus est *Cespedes d. tract. de exemp. Regul. quoad Sacram. administ. c. 6. dub. 142. num. 13.*, dum dicit per decretum Sacræ Congregationis sub Vrbano VIII. fuisse solummodo confirmata decreta sub Clement. VIII. de casuum reseruatione, & tantum hoc de nouo statutum, quod Regulares extra Italiam nequeant absoluere à reseruatis, etiam si multa quoad hoc priuilegia habeant, quod prius tantùm ligabat in Italia; Non, inquam, audiendus est, quia in allegato decreto sub Vrbano VIII. duo decernuntur; primum pariformitèr procedendo de casibus in Bulla Cænæ, ac Ordinario reseruatis statuitur, quod æquè ab illis nequeant absoluere Regulares, siue intra, siue extra Italiam. Secundum, quod ab alijs casibus, & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, siquidem Regulares habent à Sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extra Italiam minimè sublatam fuisse eisdem Sacræ Congregationis decretis hac de re editis iussu Sanctæ memoriæ Clement. VIII., quam Sacræ Congregationis sententiam ab omnibus, ad quos pertinet Sanctitas Sua mandauit inuiolabilitèr

biliter obſeruari; in primo duo declarantur, quæ erant controuerſa; primum, cum controuerteretur, an facultas Regularibus conceſſa per priuilegia abſoluendi à caſibus Epiſcopalibus extenderetur tum ad reſeruatos à iure in Sinodis,& Concilijs Prouincialibus, an verò non, dictum fuit non extendi ad iſtos, ſed prohibitionem comprehendere omnes reſeruatos Epiſcopis. Secundum, an prohibitio coarctaretur intra fines Italiæ, dictum fuit extendi etiam extra Italiam; ex quo deduco argumentum efficax ad rem noſtram. Indubitati iuris eſt, quod ad caſus ſpecialitèr ſibi ab Epiſcopis reſeruatos, & in tabella expoſitos nequeant Regulares abſolutionem extendere in quocunque loco reperiantur etiam extra Italiam reſiſtentibus tot iuribus antiquis, ergo controuerſia, quæ orta fuit, intelligenda erit ſolummodo de caſibus à iure, ſiue Sinodali, ſiue Prouinciali Epiſcopis reſeruatis, adeoque de iſtis intelligenda erit diſpoſitio Sacræ Congregationis ſub Vrbano VIII., ſecus nihil diſponeret, quod antea non fuiſſet diſpoſitum.

Ratio autem, propter quam, quando Epiſcopus nullos caſus ſibi reſeruauit præter reſeruatos in Sinodis, ſeu Concilijs Prouincialibus, vel reſeruauit quidem aliquos extrà illos, nullum tamen ex reſeruatis in Sinodis, vel Concilijs, nequeunt à reſeruatis in Sinodis &c. abſoluere, ex eo deducitur, quod in primo caſu intelliguntur contenti Epiſcopi reſeruatione illorum, nec arbitrari aliam reſeruationem eſſe neceſſariam, adeoque in prima ſiſtere, ergo ab illis vtpotè intentis ab Epiſcopis nequeunt Regulares abſoluere; In ſecundo verò caſu, cum in reſeruatione nullam Epiſcopi de illis mentionem fecerint, non intelliguntur illis cedere, ſed illos in ſuo robore relinquere.

8 Si reſeruauit ſibi alios caſus nulla facta mẽtione Sinodaliũ.

Ratio tandem, propter quam, quando Epiſcopus aliquos caſus in Sinodo reſeruatos ſibi ſpecialitèr in tabella reſeruauit, & non alios, poſſint Regulares ab alijs in Sinodis reſeruatis abſoluere ex eo deducitur, quod ſibi illos reſeruando non videntur de alijs curare, quinimmo eorum reſeruationi cedere; ad quid etenim illos ſibi ſpecialitèr reſeruare, ſi voluiſſent alios eſſe æquè reſeruatos? Ad hoc facit, quod aſſerit *Comitolus reſp. mor. lib. 1. q. 25.* Epiſcopum quendam, quem innominatum relinquit, nobiliſſimæ Ciuitatis Italiæ ſibi dixiſſe, quod, quando Epiſcopi ſibi in tabella reſeruant aliquos caſus reſeruatos in Sinodo, intelligunt reliquos caſus in Sinodo poſitos contemnere, & inferioribus Sacerdotibus concedere.

9 Si reſeruentur in tabella aliqui Sinodales, & non omnes non expreſſi poſsunt abſolui.

Concluſio III. A caſibus Epiſcopalibus, qui dicuntur reſeruati ab homine, hoc eſt, quos Epiſcopi ſibi ſpecialitèr reſeruant, & exponunt in tabella, poſſunt ipſi Epiſcopi reſeruantes abſoluere, & illi, quibus ipſi commiſerint abſolutionem, non tamen Regulares ex vi ſuorum Priuilegiorum. In hoc omnes conſentiunt.

10 Quinam poſſint abſoluere à caſibus ſpecialitèr Epiſcopis reſeruatis.

Quod Epiſcopi reſeruantes poſſint abſoluere non poteſt reuocari in dubium, quandoquidem reſeruatio dependet ab ipſorum libera voluntate, quam poſſunt propterea pro libertate ſubtrahere, & ſicuti poſſunt reſeruationè tollere, adeo vt quilibet ſimplex Confeſſarius approbatus poſſit ab illis abſoluere, ità non eſt, cur non poſſint manente adhuc reſeruatione ipſi per ſe ipſos immediatè, & directè abſoluere, nam reſeruatio eſt in ordine ad alios inferiores, non ad ſe ipſos. Accedit, quod eius eſt ſoluere, cuius eſt ligare; cum igitur ipſi per reſeruationem ligent, vt non poſſit vinculum ab alijs ſolui, poterunt etiam per ſe ipſos ſoluere.

Quod alij, quibus ipſi commiſerint, poſſint abſoluere etiam indubitati iuris eſt, quandoquidem poteſtatem, quam habent Epiſcopi abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis, eſt poteſtas ordinaria, quam propterea poſſunt, vel in omnibus, vel in aliquibus, prout ipſis libuerit, alteri delegare.

11 Poſsunt illi abſoluere, quibus Epiſcopi cõmittunt.

Hic nonnulla oriuntur dubia quoad hanc commiſſionem, ſeu delegationem abſoluendi à caſibus ſpecialitèr Epiſcopis reſeruatis. Primum eſt, an, ſi Epiſcopus conceſſerit alicui facultatem omnem abſoluendi ſuos ſubditos à peccatis nulla alia facta expreſſione intelligatur etiam conceſſiſſe facultatem abſoluendi à ſibi reſeruatis. Ad hoc negatiuè reſpondent *Silueſter verb. Confeſſor 3. n. 6.*, vbi etiam citat ArchiDiaconum, *Nauarrus in man. c. 27. num. 261.*, & hanc ſententiam veram in rigore iuris aſſerit *Chapeauille c. 4. q. vnica difficult. 4. circa caſus ſecundi generis.* Ratio autem huius ſententiæ eſt, quia in generali conceſſione non veniunt ea, quæ exigunt ſpeciale mandatum, quæque ſpecialitèr reſeruantur, cuiuſmodi ſunt caſus, quos ſibi ſpecialitèr Epiſcopi reſeruant *atq. textus in c. fin. de offic. Vicarij in ſexto.* Hanc ego quoque arbitror opinionem veram eſſe, ſiſtendo in conceſſione generali nudè ſumpta. Dixi, *nude ſumpta*, nam, ſi fulciretur aliquibus circunſtantijs indicantibus mentem Epiſcopi concedentis extendi etiam ad caſus reſeruatos, non dubitarem, eum, cui facta eſt illa conceſſio, poſſe etiam à reſeruatis abſoluere. Hæc autem præſumpta extenſiua mens concedentis ex multis poteſt haberi: primò, ſi in illa generali conceſſione aliquos caſus excéperit, quia per illam exceptionem firmat

12 Habens ab Epiſcopo omnem facultatẽ abſoluẽdi eius ſubditos ſine alio non poteſt abſoluere à reſeruatis.

13 Nisi aliter cõstet de mente Episcopi concedẽtis.

mat regulam in alijs non exceptis, vt signantèr notat idem *Chapeauilla loc. cit.* Secundò, si post factam illam generalem concessionem concessionarius petat à concedente facultatem circa aliquem casum reseruatum in particulari, & ipse concedens respondeat, iam tibi dedi omnem meam facultatem, & ratio est, quia, cum hic esset sermo de reseruato, & dicat, se iam dedisse facultatem, vtique hæc intelligenda est relata etiam ad reseruatos, cæteroqui non esset congrua responsio ad petitionem.

Secundum est, an, si Episcopus concesserit alicui omnem suam facultatem etiã in ordine ad casus sibi reseruatos, intelligatur eandem concessisse etiam in ordine ad censuras sibi reseruatas. *Nauarrus in man. c. 27. num. 261., Graffius in decis. aur. lib. 1. c. 13. num. 63., & alij*, sustinent talem facultatem non extendi ad censuras Episcopis reseruatas addita etiam ratione, quia censuræ non sunt casus, sed pœnæ casuum, immo aliqua sunt peccata, quæ nullam habent annexam censuram, & sunt specialitèr reseruata Episcopis, & aliqua, quæ habent annexam censuram, & ratione eiusdem sunt Episcopis reseruata; à diuersis autem non rectè fit illatio. Contrarium tamen sustinent, & quidem recentius *Suarez tom. 5. de censuris disp. 7. sect. 4. num. 13., Portellus de dub. Reg. verb. Casus reseruati nu. 4., Lezana in summa qq. Regul. tom. 3. verb. Casus reseruati Regul. num. 26.* Ratio ea est, quia nomine casuum veniunt etiam censuræ; non enim quis minus dicitur cadere in peccatum, ac cadere in censuram; item facultas concessa Episcopis absoluendi à casibus Papalibus occultis nemine disceptante extenditur etiam ad censuras occultas; item ex superius dictis omnes casus, qui reseruantur Romano Pontifici, sunt tales ratione excommunicationis, & censuræ annexæ, & tamen dicuntur casus Papales, ergo &c. Nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur, nam licet censuræ sint diuersæ à peccatis, cum illa potissimum supponant, & sint pœnæ propter ipsa inflictæ, comprehenduntur tamen sub nomine generico casuum reseruatorum.

14 Habens facultatẽ ab Episcopo absoluendi ab omnibus casibus sibi reseruatis potest etiam absoluere à censuris.

Soluũtur rationes contrariæ.

Tertium est, an, si alicui ab Episcopo fuerit concessa facultas absoluendi ab omnibus suis casibus, & censuris, intelligatur per eandem concessa facultas dispensandi super irregularitate, relaxandi vota, & iuramenta, in quibus habet facultatem ipse Episcopus. Quoad irregularitatem videtur dicendum concessam esse facultatem super ea dispensandi, eo quia, qui eandem contrahit, dicitur in irregularitatem iuxta consuetum modum loquendi

15 Non potest super irregularitatem, & vota dispensare.

cecidisse. Nihilominus probabilius est, nisi aliud de voluntate concedentis constet, nec posse super irregularitate dispensare, nec vota, nec iuramenta relaxare.. *Chapeauille d. c. 4. q. vnica diffic. 3. posterioris generis, Nauarrus in man. c. 27. num. 26., Graffius in decis. aur. lib. 1. c. 13. num. 63., Lezana tom. 3. verb. Casus reseru. n. 27.* Ratio est, quia delegatus ad absoluendum non intelligitur delegatus ad dispensandum, nec ad commutandum; irregularitas autem non absoluitur, sed dispensatur; & iuramenta, & vota non sunt peccata, super quæ cadat absolutio. Adde potissimum in ordine ad irregularitatem, quod hæc sit difficilis dispensationis, ad quam non videtur sufficere generalis concessio, prout notat *Lezana tom. 1. c. 19. num. 19.*

Sed quid erit dicendum, si Episcopus non sub formali ratione absoluendi ab omnibus casibus sibi reseruatis, sed sub generali ratione vniuersæ suæ auctoritatis efficiendi, quidquid ipse potest, alicui contulerit facultatem, an iste poterit dispensare super irregularitate dispensabili ab Episcopo, & relaxare, seu commutare vota, & iuramenta. Ex circunstantijs, in quibus concessa est hæc facultas, & ex modo, quo concessa est, dirimenda videtur hæc quæstio; Si etenim talis facultas concessa est occasione, quia Sacerdos petierit ab Episcopo approbationem pro confessionibus audiendis, & ipse annuens petitioni concesserit cum ampla illa facultate, de qua in quæsito, probabilius est, quod non concesserit, nisi in ordine ad absolutionem casuum sibi reseruatorum, quia concessio intelligenda est ad normam eius, quod petitur, nempè in ordine ad confessionem, sub qua ex natura sua præcisè cadunt peccata, nec veniunt vota, & irregularitates, quæ non absoluuntur; si verò talis facultas concessa est non in ordine ad confessionem, sed absolute, quatenus Episcopus ipsum elegerit ad vices eius sustinendas in omnibus, quæ concernunt forum internum animarum, ad istas soluendas ab omni vinculo, quo alligantur, tunc probabile est, quod possit, & dispensare in irregularitate, & vota, & iuramenta relaxare, seu commutare, quia talis facultas generalis est; vbi verò ex circunstantijs constare non possit, ad quæ voluntas concedentis extendatur, tunc præsumendum est, quod non extendatur vltra facultatem absoluendi à casibus reseruatis. Ratio est, quia regularitèr loquendo facultates, quæ conceduntur Confessarijs, non sunt, nisi in ordine ad ea, quæ cadere possunt sub absolutione, quæque concedi solita sunt; huius-

Quid sit sentiendum, si Episcopus concesserit omnem suam auctoritatẽ non sub præcisa ratione absolutionis.

huiusmodi autem sunt peccata, ergo &c.

Quartum est, an, si Episcopus concesserit Confessario omnem suam auctoritatem ad absoluendum a casibus sibi reseruatis, intelligatur etiam validè concessisse in ordine ad eos, qui ex genere suo sunt reseruati Pontifici, & solum ratione alicuius circunstantiæ, puta, quia sunt occulti, vel quia non patet aditus ad ipsum Pontificem, remittuntur eidem Episcopo. Posse Episcopum concedere facultatem Confessario absoluendi a casibus Papalibus, in quibus ipsi possunt absoluere, dictum est supra *in praecedenti sectione concl. 4.*, si hæresim excipias. Sed, an in generali concessione absoluendi ab omnibus casibus sibi reseruatis sine alio addito intelligatur comprehensa facultas absoluendi à casibus Papalibus ratione circunstantiarum remissis Episcopis id est, quod venit examinandum sub præsenti dubio. In hoc arbitrarer, talem facultatem intelligi comprehensam, quia eo ipso, quo Episcopus concedit sine vlla exceptione facultatem suam in omnibus sibi reseruatis, intelligitur concedere etiam in illis Papalibus, de quibus loquimur, cum isti in illis circunstantijs de iure communi sint Episcopis reseruati.

16 Potest etiam absoluere à Papalibus, à quibus potest Episcopus absoluere

Quod tandem Regulares nequeant ab illis casibus ab homine, seu ab ipso Episcopo sibi reseruatis, & in tabella expositis manifestè euincitur ex tot iuribus supra allegatis, & præcipuè ex decretis Sacræ Congregationis sub Clemente VIII., & sub Vrbano VIII., circa quæ, quamuis à DD. controuertatur, an comprehendant peccata a iure reseruata Episcopis, nemine tamen discrepante directè casus attingunt, quos sibi specialitèr Episcopi reseruant.

SECTIO III.

Quinam possunt absoluere à casibus, quos sibi reseruant Prælati Regulares.

SVMMARIVM.

De iure Ordinario competit Genaralibus in toto ordine, & Prouincialibus in tota Prouincia. 1.

Ex commissione etiam Superioribus localibus. Ibid.

Articuli examinandi circa titulum. 2.

Absente Superiore locali potest Vicarius suos Religiosos à reseruatis absoluere. 3.

Et item delegare Confessarium ab absoluendum. Ibid.

Delegatus in omnibus, seu ad vniuersitatem causarum potest subdelegare. 4.

Nonnullæ limitationes ad prædicta. 5.

Confessarij deputati ad audiendas confessiones Monasterij non possunt à reseruatis absoluere. 6.

Multo minus possunt absoluere subditum alterius Monasterij. 7.

Data suppositione, quod possunt absoluere subditos proprij Monasterij, an possint etiam absoluere illos alterius Monasterij variæ considerationes. 8.

Si illa peccata sint æquè in vtroque Monasterio reseruata possunt absoluere. 9.

Soluitur instantia opposita. 10.

Si casus sint reseruati in Monasterio, à quo Religiosus recedit, & non in Monasterio, ad quod accedit, probabilius non possunt absoluere. 11.

Non est tamen improbabilis contraria sententia. 12.

Excipe, nisi accederet ad aliud Monasterium in fraudem sui Superioris. 13.

Si casus sint reseruati in Monasterio, ad quod accedit, & non in Monasterio, à quo recedit probabilius possunt ab illis absoluere. 14.

Si Confessarius petat à Superiore facultatem absoluendi subditum à reseruatis, & eidem negetur, potest absoluere. 15.

An pro vna vice tantum, an toties, quoties remissiuè. 16.

An, si Confessarius obtinuerit facultatem absoluendi subditum à reseruatis, possit solummodo absoluere à commissis ante facultatem, an verò etiam à commissis post illam. 17.

Si facultas data sit in genere potest etiam absoluere à cõmissis post impetrationem. 18.

Soluitur instantia opposita. 19.

Intellige tamen de commissis ante absolutionem. 20.

Si facultas fuerit petita, & obtenta à pænitente probabilius non extenditur ad commissa post illam. 21.

Si facultas fuerit concessa pro aliquo peccato in specie, & pænitens interim deliquerit in alia specie reseruata Confessarius non potest ab hac noua specie absoluere. 22.

Si facultas fuerit obtenta pro aliqua determinata specie non expresso numero potest Confessarius etiam absoluere à peccatis in tali specie commissis post talem facultatem. 23.

Secus, si fuerit limitata quoad numerum. 24.

An Confessarius, qui facultatem obtinuit pro subdito Superioris possit eadem vti pro se ipso. 25.

Conueniunt communitèr à reseruatis Regularium de iure Ordinario posse absoluere Generales in toto ordine, & Prouinciales in sua Prouincia, & ex delega-

legatione, quæ communitèr eisdem concedi solet, Superiores locales; intellige quoad istos, quando ipsis non competit facultas sibi reseruandi; si etenim habent talem facultatem, & de facto aliquos casus sibi reseruant, possunt de iure Ordinario ab illis absoluere.

1 Ex commissione etiam Superiores locales possunt absoluere

Difficultates, quæ sub hoc titulo veniunt examinandæ, erunt primo, an Vicarius Superioris localis eodem Superiore absente possit à reseruatis absoluere, & facultatem absoluendi ab eisdem alteri Confessario concedere. Secundò, an Confessarij deputati ad audiendas confessiones Regularium alicuius Monasterij ex proprio munere possint ab eisdem absoluere. Tertiò, an ex suppositione, quod possint absoluere subditos illius Monasterij, possint etiam absoluere subditos alterius Monasterij, si reperiantur in suo, vel ad suum accedant. Quartò, an, si Confessarius Monasterij petat facultatem à Superiore absoluendi ipsius subditum à reseruatis, & ei denegetur, possit nihilominus ipsum absoluere, & hoc an pro vna vice tantum, an verò toties quoties. Quintò, an, si Confessarius Monasterij facultatem obtinuerit à Superiore absoluendi Religiosum suum à reseruatis, & interim ipse Religiosus alia peccata reseruata commiserit, possit Confessarius illum absoluere à reseruatis commissis ante impetrationem facultatis, & etiam a commissis post eandem impetrationem. Sextò, an, si Confessarius petat facultatem à Superiore absoluendi eius subditum à reseruatis possit vti facultate sibi concessa pro se ipso. Septimò, quomodo se gerere debeat Superior, si eius subditus, qui in casum reseruatum incidit, ad eundem recurrat pro absolutione, an possit præcisè ipsum absoluere à casu reseruato, & quoad alia peccata non reseruata remittere ad Confessarium Monasterij, an verò teneatur omnia peccata audire, & ab omnibus absoluere, an verò possit præcisè tollere reseruationem, & ipsum remittere ad Confessarium, vt simul absoluatur ab omnibus, & alia similia ex istis emergentia.

2 Articuli examinādi circa titulum.

Ad primum asserendum est, Vicarium Superioris localis absente à Monasterio eodem Superiore posse absoluere Religiosum sui Monasterij à casibus reseruatis, vel facultatem subdelegare Confessario Monasterij ipsum absoluendi. Consentiunt in hoc *Peirinus in priuileg. minimorum tom. 1. Constit. 4. Sixti IV. §. 6. num. 16.*, *Homobonus in exam. Eccles. part. 1. tract. 5. q. 21.*, *Beia part. 4. cas. 37.*, *Naldus in summa verb. Absolutio num. 25.* Ratio ex eo deducitur, quod absente Superiore omnia eius iura in Vicarium regularitèr transferuntur, præcipuè in ordine ad ea, quæ salutē animarum subditorum concernunt, ergo non est, cur non possit subditos à reseruatis absoluere, sicuti potest Superior, quando est præsens, præcipuè cum non expediat subditos detineri diu illaqueatos criminibus reseruatis.

3 Vicarius absente Superiore locali potest Religiosos sui Monasterij absoluere à reseruatis.

Neque obesse potest, si dicatur facultatem etiam Superiori concessam esse delegatam regularitèr loquendo, prout supra innuimus, quod à fortiori intelligendum est de eius Vicario; delegatus autem ex genere suo non potest subdelegare; ex quo sequitur, quod licet Vicarius posset per se ipsum absente Superiore absoluere, non possit tamen alterum subdelegare ad absoluendum; Non, inquam, obesse potest, quia delegatus in omnibus, seu ad vniuersitatem causarum, cuiusmodi est Vicarius, qui absente Superiore subintrat in omnia eius iura, potest in casibus particularibus subdelegare, vt videtur innui *in l. vnica, C. qui pro sua iurisd.*

4 Delegatus ad omnia potest subdelegare.

Limitat tamen hoc dictum *Diana part. 3. tract. 5. resol. 28.* in tribus casibus; primò, quando Superior eadem die est reuersurus; non etenim facultas Vicarij Superioris localis Monasterij est ad instar facultatis, quam habent Vicarij Generales Episcoporum, quia hæc est ordinaria, & est cumulatiua cum illa Episcopi, quam propterea potest exercere siue præsente, siue absente Episcopo, nisi specialitèr ipsi interdicatur; quod non euenit in Vicario Superioris localis, cui non competit hæc facultas, nisi absente Superiore; vnde, cum Superior sit eadem die reuersurus, habetur, ac si non esset absens. Secundò in casu, quo irretitus tali crimine reseruato de industria distulisset confessionem ad illum diem sine sufficienti causa. Tertiò, quando leges Religionis alitèr disponerent.

5 Nonnullæ exceptiones.

Ad secundum mouet difficultatem Homobonus de casibus reseruatis, qui considerans Pænitentiarijs regularitèr competere facultatem absoluendi à peccatis reseruatis, hanc facultatem tribuit etiam Confessarijs in Monasterijs deputatis à Superioribus ad audiendas subditorum confessiones, cum in iure, & præcipuè in Clem. VIII. Constit. dicantur Pænitentiarij. Sed absolutè in hoc non est audiendus, cum facultas, quæ eisdem conceditur sit per modum nudi ministerij in ordine præcisè ad confessiones audiendas, cum non omnes possint audire, nam sicuti non omnes Sacerdotes possunt audire confessiones sæcularium in aliqua Diæcesi, sed illi dumtaxat, qui sunt ab Episcopo approbati, ità, nec omnes Sacerdotes Regulares Monasterij possunt audire confessiones illorum, qui sunt ex Monasterio, sed illi

Reijcitur opinio Homoboni.

6 Confessarij Monasterij non possunt absoluere.

illi dumtaxat, qui sunt deputati à Superioribus, nec ex eo, quod sint ad hoc munus deputati, possunt a reseruatis absoluere, nisi specialitèr hæc facultas eisdem delegetur, sicuti ex eo, quod Sacerdotes sint approbati ab Episcopo, non sequitur, quod possint absoluere à casibus Episcopo reseruatis. Accedit, quod, si eo ipso, quod sunt deputati ad hoc munus, possent à casibus reseruatis absoluere, inanis esset reseruatio facta à Prælatis Regularibus, quandoquidem alij à Deputatis non possunt confessiones subditorum sui Monasterij audire deficiente iurisdictione, & approbatione; vnde, si non essent reseruati Deputatis ad hoc munus, respectu nullorum essent reseruati. Quod, si postea dicantur Pænitentiarij, hoc latè intelligendum est, non strictè, prout importat munus Penitentiariorum deputatorum supra simplices Confessarios ad absoluendum à reseruatis.

Lato modo dicũtur Pænitentiarij.

Ad tertium ex mox dictis patet, quid sit respondendum, si etenim nequeunt subditos sui Monasterij à reseruatis absoluere, multo minus poterunt absoluere subditos alterius Monasterij. Sed quid erit dicendum, si per modum suppositionis data opinione Homoboni possent subditos Monasterij à reseruatis absoluere, an possent etiam subditos alterius Monasterij ad se accedentes absoluere? Desumpta paritate ex ijs, quæ dicta sunt in præcedentibus, quod scilicet, si aduena commiserit aliquod peccatum reseruatum in sua Diæcesi, & accesserit ad hanc, vbi illud peccatum non est reseruatum, possit à Confessario in hac approbato absolui etiã ab illo peccato in sua Diæcesi reseruato, videtur etiam dicendum in præsenti hypothesi, quod Religiosus accedens ad hoc Monasterium, vbi peccatum aliquod respectu deputatorum ad munus Confessariorum in eodem non est reseruatum, possit ab eisdem ab illo absolui. Nihilominus in hoc plura veniunt consideranda; & primò, an eadem peccata intelligantur in omnibus Monasterijs eiusdem ordinis reseruata; an verò diuersa in diuersis. Secundò, ex suppositione, quod sint diuersa in diuersis, an in vtroque Monasterio illa peccata, quibus irretitur Regularis pænitens sint reseruata, ãn verò tantum in Monasterio, in quo deliquit, non in illo, ad quod accedit, an verò tantum in illo, ad quod accedit, nõ in illo, in quo deliquit. Tertiò, an facultas, quæ supponitur competere deputatis in vno Monasterio sit restricta in ordine ad subditos illius Monasterij priuatiuè quoad alios, an verò indefinita, dummodo exerceatur in illo Monasterio. Quibus suppositis

7 Multo minus possunt absoluere subditos alterius Monasterij ad se aduenietes.

8 Ex suppositione, quod possint absoluere suos, an etiã possint absoluere illos alterius Monasterij.

Dico primò, si illa peccata, quibus affectus est aduena ad hoc Monasterium sint æquè in hoc, ac in illo, a quo recedit reseruata, eo quia sint reseruata, vel a Generali in toto ordine, vel a Prouinciali in tota Prouincia, probabilius est, quod Confessarius habens facultatem in hoc Monasterio absoluendi à reseruatis possit etiam ab eisdem absoluere aduenam illum, qui ad se accedit. Rationem ex eo deduco, quod ex vna parte ille aduena, ex quo accessit ad hoc Monasterium pro tempore, quo in illo moratur, subijcitur Superiori illius Monasterij, & in eodem potest recipere Sacramenta; ex alia parte ius Superioris reseruantis per absolutionem factam à Confessario illius Monasterij non læditur, cum omnia Monasteria illi subdantur, & sicuti non læderetur, si à Confessario proprij Monasterij absolueretur, ita, nec intelligi potest lædi ex eo, quod in alio Monasterio æquè sibi subdito absoluatur à Confessario habente ex vi proprij muneris æqualem potestatem cum illa, quam habet Confessarius in proprio Monasterio; Neque obesse potest, si dicatur, quod per hoc confunderentur iura Monasteriorum, & confusiones plurimæ circa iurisdictiones orirentur cum euersione Regularis disciplinæ: Non, inquam, obesse potest, quia hac ratione, nec subditi vnius Diæcesis sæcularis, in qua aliquis casus esset reseruatus posset absolui a Confessario alterius Diæcesis, in qua repęritur, vel negotiorum causa, vel deuotionis, vel fortè etiam recreationis, quod tamen falsum ex præcedenter probatis apparet. Deindè in ijs, quæ sunt iurisdictionis non contentiosæ, sed voluntariæ non apparet, quomodo oriri possint illæ confusiones, de quibus dicitur in instantia.

9 Si illa peccata æquè sint reseruata in vtroq; Monasterio possunt absoluere.

10 Soluitur instantia opposita.

Dico secundò, si casus, quibus infectus est aduena ille Regularis, sint reseruati in Monasterio suo, in quo deliquit, & non in illo, ad quod accedit, probabilius est, quod Confessarius Monasterij, ad quod accedit non possit ipsum absoluere a peccatis reseruatis in Monasterio proprio ipsius aduenæ. Ratio est, quia ex vna parte Confessarius Monasterij, ad quod aduena accedit, licet ex vi proprij muneris habeat facultatem absoluendi à casibus in illo reseruatis, non habet tamen facultatem illimitatam ad absoluendum ab omnibus vbique reseruatis, sed restrictam ad reseruatos in suo; ex alia parte licet subditi sæculares vnius Diæcesis accedentes, seu transeuntes ad aliam possint à Confessarijs Diæcesis, per quam transeunt, & in qua non sunt reseruati, absolui à reseruatis in sua; hoc tamen fallit quoad Regulares,

11 Si casus fuerint reseruati in Monasterio, à quo recedit, & non in illo, ad quod accedit probabilius non, possunt absoluere.

lares, qui, si transeant per aliam iurisdictionem, licet possint ibi absolui à peccatis, non tamen à reseruatis, prout testatur de communi *Diana part. 3. in addit. resol. 4. §. notandum*, & specialiter tradit *Ludouicus de San Iuan in summa q. 9. art. 1. dub. 3.* Fateor tamen valdè probabilem esse etiam contrariam opinionem, quod scilicet possit absolui, & hoc ob præsumptam voluntatem Superioris Monasterij proprij, qui non est præsumendus inuitus, vt peccata grauia sui Religiosi manifestantur alteri Religioso eiusdem ordinis, licet diuersi Monasterij, sicuti est supponendus inuitus, vt manifestentur Sacerdoti sæculari, vel alterius ordinis ob detrimentum bonæ existimationis sui Monasterij; & ex alia parte non debet præsumi, quod proprius Superior velit suum Religiosum diù detineri in illo peccato. Exciperem tamen in casu, quo Religiosus ille accederet ad aliud Monasterium in fraudem proprij Superioris, quia fraus nequit patrocinari auctori, & in casu, quo intra eandem diem esset reuersurus in proprium Monasterium, nam sicuti ex supradictis Vicarius Monasterij absente Superiore non potest absoluere à reseruatis subditum, si Superior eadem die est reuersurus, ità &c.

12 Non est tamen improbabilis cōtraria sententia.

13 Nisi accederet ad aliud Monasteriū in fraudē sui Superioris.

Dico tertiò. Si casus sit reseruatus in Monasterio, ad quod aduena Regularis accedit, & non in Monasterio, à quo pro breui tempore recedit, probabilius est, quod Confessarius Monasterij, ad quod accedit, possit ipsum absoluere ab illo casu. Ratio est, quia supponimus Confessarium habere potestatem ibi absoluendi ab huiusmodi casu, nec Superior huius, nec proprij supponitur ad hoc inuitus; non huius, quia hic Confessarius habet plenam facultatem; non proprij, quia ibi casus iste non est reseruatus; nec officit, quod aduena non sit subditus huius Monasterij; nam quoad hoc constituitur subditus, ex quo se subijcit, & hic reperitur.

14 Si nō sint reseruati in proprio Monasterio possunt absolui.

Ad quartum, quidquid DD. controuertant, an petita per Confessarium à Superiore facultate absoluendi subditum à reseruatis, eique negatâ possit idem Confessarius pænitentem absoluere, dum *Fagundez pracept. 3. lib. 3. c. 9. num. 171.*, *Henriquez lib. 3. c. 13. num. 6.* sustinent posse, *Suarez* verò *de Religione tom. 4. lib. 2. c. 19. num. 30.*, *& alij* negant; quidquid, inquam, sit de hac controuersia; modo non videtur controuertendum posse stante decisione Pauli V. quam refert *Naldus in summa verb. Religiosus num. 44.*, vbi hoc expressè decernit. Difficultas solummodo aliqua oritur circa illa verba posita in hac Paulina declaratione, *Illa vice*, dum ibi dicitur: *Possint nihilominus Cōfessarij illa vice Pœnitentes Regulares etiam non obstante à Superiore negata facultate absoluere*, an scilicet hæc facultas restringatur ad vnā vicem tantum, adeout illa particula stet restrictiuè, & taxatiuè, an verò stet demonstratiuè, & extendi possit ad vlteriores vices, si opus fuerit. *Tamburinus de iur. Abbatum tom. 2. disp. 13. q. 8. num. 3.* sentit stare taxatiuè, & restringi ad vnam dumtaxat vicem. *Alphonsus Leo tract. de offic., & potest. Confess. tom. 2. recollect. 6. nu. 78.* paritate desumpta à Iubilæo, in quo dicitur, quod quis possit ipsum lucrari *pro hac vice*, & tamen iuxta multorum placitum, qui lucratus est in prima hebdomada, potest iterum lucrari in secunda, existimat, quod Regularis, qui renuente Prælato semel consecutus est absolutionem à reseruatis, possit alia vice ipsam consequi.

15 Si Confessarius petat à Superiore facultatē absoluendi subditum à reseruatis, & negetur potest absoluere.

Nonnulli arbitrantur, illam particulam *illa vice*, positam esse per Pontificem ad excludendam potestatem alias absoluendi non petita facultate, quasi, quod per illam iniustam negationem Confessarius acquisierit facultatem toties, quoties absoluendi; non autem ad excludendum, quod, si alias casus euenerit, non possit idem Confessarius iterum petere, & si iterum negetur, absoluere, quod colligunt tum ex eo, quod Pontifex in illa declaratione non apponat particulam taxatiuam *tantum*, vel *dumtaxat*, sed dicat solummodo, quod, si illa vice negetur, pro illa vice possit Confessarius absoluere, per quod non negat, quod, si pro alia vice facultas petatur, & negetur, non possit pro illa etiam vice Confessarius absoluere, tum ex eo, quod, cum Superiores potius se faciles, quam difficiles in concedenda facultate absoluendi à reseruatis debeant se exhibere, nam moraliter loquendo minus periculi sit in concessione, quam in negatione illius, esset nimis onerosa subditis illa restrictio ad vnam solummodo vicem; vnde *Lezana in summa qq. Reg. tom. 3. tit. Casus reseruati Regularium nu. 7.* refert in visitatione Apostolica facta ad instantiam Custodis Fratrum reformat. Sancti Francisci Prouinciæ Romanę die 13. Martij 1601. fuisse declaratum, quod, si casus occurrerit singularis, pro cuius absolutione quicunque Confessarius ex deputatis institerit, debeat Superior prompto animo facultatem huiusmodi concedere; si tamen neget, Sanctissimus Dominus intendit posse Confessarium licitè ab eo casu absoluere, de qua declaratione mentionem facit *Ludouicus à Cruce in expositione Bullæ Cruciatæ disp. 1. c. 3. dub. 3. num. 8.*, nec in ea fit restrictio ad vnam tantum vicem. Quid iam in hoc con-

16 An pro vna vice tantum, an verò toties quoties remissiuè.

concludendum? Tu cogita. Hoc vnum dicerem, & monerem, Superiorem iustè quandoque facultatem illam denegare, præcipuè vbi crimen esset nimis frequens, & perniciosum Conuentui, qua stante negatione vtpotè iusta abstinendum erit ab vlteriori absolutione, & Confessarius, vbi aliud non constet, debet præsumere pro iustitia negationis.

17 An Confessarius habita facultate absoluẽdi subditum possit solum absoluere à cõmissis ante habitam facultatẽ.

Ad quintum asserendum videtur, quod, si Confessarius Regularis facultatem petierit, & obtinuerit à Superiore absoluendi ipsius subditum à casibus reseruatis, possit eundem absoluere, nedum à reseruatis commissis ante obtentam facultatem, sed etiam à commissis post eandem, prout sentiunt *Barbosa de potest. Episcopi part. 2. alleg. 12. num. 9.*, *Alphonsus Leo de offic., & potest. Confes. tom. 2. recollect. 11. num. 183.* Sed in hoc sub varijs distinctionibus ego procedendum existimo; vel etenim facultas petita, & obtenta est de absoluendo illo subdito à reseruatis in genere, & absolutè, hoc est à quibuscunque peccatis reseruatis, quibus ille premitur sine vlla distinctione, vel exceptione, vel est solummodo de aliquo reseruato in particulari, puta de lapsu carnis voluntario. Rursus, si est limitata ad aliquem casum in particulari, vel est limitata solum in specie, vel etiam in numero. Quibus positis distinctionibus

18 Si facultas data sit in genere potest absoluere etiam à cõmissis post impetrationem.

Dico primò. Si facultas petita, & concessa fuerit de absoluendo illo subdito à reseruatis in genere, hoc est à quibuscunque reseruatis, quibus est irretitus, probabilius vigore eiusdem potest ille absolui non solum à commissis ante impetrationem, sed etiam à commissis post eandem, ante tamen positam absolutionem. Iuxta hunc sensum arbitror procedere Barbosam, & Alphonsum Leonem supra allegatos. Rationem ex eo deduco, quod, cum Superior concesserit facultatem illimitatam, nec restrixerit ad speciem, & numerum, & in ordine ad constituendum subditum suum in gratia, censendus est concessisse quoad ea omnia, quæ ipsum possunt in gratia constituere vsque ad complementum confessionis, ergo quoad omnia peccata præcedentia confessionem, cum æquè concessisset illam facultatem, si petita fuisset immediatè ante confessionem, in quo casu pænitens non potuisset nouum peccatum reseruatum committere.

19 Soluitur instantia opposita.

Neque obesse potest, si asseratur, quod facultas Confessarij tota sit ab auctoritate, & voluntate Superioris, voluntas autem Superioris præsumitur esse iuxta petita per Confessarium, & non alitèr; in petitione verò non continentur peccata post eandem commissa, ergo &c. Non, inquam, obesse potest, quia, cum concessio Superioris sit illimitata, & non restricta ad determinatas species, & numerum, supponitur esse quoad indigentiam pænitentis pro tempore, quo est absoluendus, pro quo iam illa peccata sunt contracta, & æquè concessisset facultatem absoluendi immediatè ante confessionem, pro quo tempore essent iam illa peccata commissa, si tunc Confessarius petijsset.

20 Intellige de cõmissis ante absolutionem positam.

Dixi, *ante tamen positam absolutionem*, quia, si post illam peccata reseruata essent de nouo commissa, tunc certè necessaria esset noua concessio, cum præcedens in ipso actu absolutionis esset consummata, & extincta, nec amplius Confessarius posset se ingerere, cum functus fuerit munere sibi commisso arg. textus *in l. Iudex postea quam, ff. de re iudicata*, nec concessio extenditur vltra ea, quæ iam sunt iudicata.

21 Si facultas fuerit petita, & obtenta à pænitẽte probabilius nõ extenditur ad cõmissa post illã.

Sed quid erit dicendum, si non Confessarius petierit à Superiore facultatem absoluendi eius subditum à reseruatis, sed ipse pænitens, qui tamen post obtentam facultatem, vt absoluatur à tali Confessario, noua peccata reseruata commiserit, an tunc vigore illius facultatis obtentæ poterit etiam absolui à nouitèr commissis? Negant *Barbosa, & Alphonsus Leone loc. cit.* apud *Dianam part. 3. tract. 2. resol. 126. vers. notandum est*, vbi tamen nullam rationem adducunt, nec assignant discrimen, quando facultas petita est per Confessarium, ac quando petita est per ipsum pænitentem. Arbitrarer rationem, & discrimen in eo consistere, quod, quando petitur à Confessario intelligitur absolutè concedi, cum non detur per talem concessionem ansa pænitenti iterum delinquendi; quando verò est concessa pænitenti, non intelligitur absolutè concessa, sed restricta ad casus præteritos, ne in confidentiam concessionis occasionem sumat ipse pænitens differendi confessionem, & interim delinquendi.

22 Si facultas obtẽta fuerit pro aliqua specie, & interim pęnitens in alia specie deliquerit nõ potest ab ista absolui.

Dico secundò. Si facultas fuerit petita pro aliquo casu in specie, & obtenta pro illo, & pænitens interim deliquerit in alia specie, quæ etiam sit reseruata, tunc vigore illius facultatis sibi concessæ non poterit Confessarius ab illo peccato in specie diuerso nouitèr commisso absoluere. Ab hoc neminem arbitror dissentiri; quia in illa concessione non veniunt, nisi peccata, quæ continentur sub specie petita, quinimmo etiam si illa peccata diuersæ speciei ab illis, pro quibus petita, & obtenta est facultas, essent commissa ante illam impetrationem non possent vigore eiusdem absolui, cum concessio ad illa non referatur.

Dico tertiò. Si facultas illa fuerit ad instantiam Confessarij concessa pro aliquo peccato in specie nullo expresso numero, seu non limitata ad numerum probabilius poterit Confessarius pænitentem absoluere à commissis intra eandem speciem etiam post obtentam illam facultatem, secus, si facultas fuerit limitata quoad numerum commissum ante eandem. Ratio primæ partis deducitur ex ijs, quæ dicta sunt in probatione primi dicti, quando facultas concessa est absolutè, & illimitatè absoluendi pænitentem à quibuscunque reseruatis, quibus premitur, quod sic euincitur. Ita se habet genus ad omnia sua inferiora contenta sub illo, sicuti se habet species ad sua inferiora, sed; quando facultas concessa est in genere absolutè, & illimitatè, Confessarius potest ea vti etiam in ordine ad peccata post illam commissa in quacunque specie illa sint, ergo etiam, quando concessa est in specie sine vlla limitatione numeri, poterit Confessarius eadem vti etiam in ordine ad peccata commissa post ipsam, quæ sint intra eandem speciem.

23 Facultas concessa pro specie sine numero extenditur etiam ad commissa post illā.

Dixi, *secus, si facultas fuerit limitata quoad numerum commissum ante eandem*. Ratio limitationis est, quia facultas absoluendi dependet totalitèr à voluntate concedentis, qui potest strictè, vel amplè concedere tam quoad species, quam quoad numerum, ergo, cum voluntas concedentis sit limitata quoad numerum, etiam facultas ex eadem proueniens erit quoad eundem numerum limitata, atque ideo non poterit extra illum extendi.

24 Secus, si fuerit limitata quoad numerū.

Ad sextum nonnulli ex diuerso modo, quo Confessarius petit facultatem à Superiore absoluendi ipsius subditum ab omnibus reseruatis, quibus premitur, affirmant, & negant posse eadem vti pro se ipso; sic asserunt, quod, si petens facultatem dicat. *Est vna persona, quæ indiget vestra auctoritate, vt absoluatur à reseruatis, placet ne vobis illam mihi dare*, vtique possit vti illa facultate pro se ipso, quia illa facultas non restringitur potius ad vnum, quam ad alterum, & in generali sermone venit etiam persona loquentis per textum *in l. Paulus respondit, §. fin. ff. de pignor.* Si verò petens dicat. *Rogo te, vt des mihi facultatem absoluendi personam tibi subditam à peccatis, quibus premitur*, non possit vti tali facultate in ordine ad se ipsum, quia ex modo loquendi petitio refertur ad aliam personam; non enim quis potest se ipsum absoluere. Iuxta vtrumque hunc sensum procedunt *Floronus de cas. reseruat. part. 1. c. 3. §. 1. num. 3., & seqq., & alij*. Absolutè crederem posse vti facultate pro se ipso, nisi petitio sub tali forma conciperetur, vt excluderet ipsum petentem, & in hoc conueniunt *Villalobos in summa tom. 1. tract. 9. difficult. 64. num. 4., Alphonsus Leone de offic., & potest. Confes. tom. 2. recollect. 6. num. 151.*, quia non est præsumendum, quod Superior, qui ad instantiam petentis concedit illam facultatem pro persona indefinitè, voluerit excludere ipsum petentem.

25 An Confessarius obtenta facultate pro subdito possit eadem vti pro se ipso.

Ad septimum patebit, quid dicendum in sequenti sectione.

SECTIO IV.

Quomodo se gerere debeat Superior, ad quem recurrit subditus pro absolutione à reseruatis, & quomodo Confessarius.

SVMMARIVM.

Confessarius non habens facultatem absoluendi à reseruatis debet eundem innodatum remittere ad Superiorem, vel petere facultatem ab eodem absoluendi. 1.

Sententia asserens non posse ipsum à non reseruatis absoluere, & pro reseruatis remittere ad Superiorem. 2.

Alia sententia modificata refertur. 3.

Præcisa vrgentissima, & rationabili causa non potest. 4.

Non sufficit integritas ex parte pænitentis. 5.

Respondetur rationibus Laiman. 6.

Existente graui, & rationabili causa potest. 7.

Quænam sit grauis, & rationabilis causa. 8.

Extante hac causa sententia asserens posse Sacerdotem celebrare, & Laicum communicare præmisso solum actu contritionis. 9.

Sententia asserens teneri confiteri non reseruata reticitis reseruatis. 10.

Sententia asserens teneri omnia confiteri, & Confessarium posse absoluere directè à non reseruatis, & indirectè à reseruatis. 11.

Et in hoc casu potest etiam absolui à censuris sub recidentia. 12.

Superior potest Confessario petenti concedere facultatem absoluendi, vel illimitatam, vel limitatam. 13.

Item præscribere modum absoluendi. 14.

Si pænitens nolens Superiori confiteri petat facultatem, vt à suo Confessario absoluatur, & obtineat, vtique potest ab isto absolui. 15.

Si facultas negetur, potest pro illa vice adhuc absolui. 16.

Si Superior velit per se ipsum absoluere secundum aliquos potest absoluere solum à reseruatis, & pænitentem pro non reser-

seruatis ad suum Confessarium remittere. 17.
Hæc sententia reijcitur. 18.
Extante graui, & legitima causa potest. 19.
Nonnulla dubia circa hoc excitata. 20.
Si Superior absoluerit à reseruatis remittendo pro non reseruatis ad inferiorem, vrgente causa vere intelligitur Sacramentalitèr absoluisse. 21.
Pænitens in secunda confessione pro non reseruatis consequitur nouam gratiam. 22.
Satisfit obiecto Nauarri. 23.
Nec tenetur in eadem secunda confessione exprimere peccata reseruata, à quibus fuit absolutus à Superiore. 24.

1 Quid agere debeat Cōfessarius cum pænitente innodato reseruatis.

INcipiendo à primo de modo, quo debet procedere Confessarius cum pænitente, qui ad eum accedit cum peccatis reseruatis, à quibus nequit absoluere, certum est, quod vel ipsum debet ad Superiorem reseruantem remittere, vel ipse Confessarius petere facultatem à Superiore illum absoluendi. Sed, an possit primò ipsum absoluere à non reseruatis, & deinde ipsum remittere ad Superiorem pro reseruatis, dissidium magnum est apud DD. Nonnulli, inter quos *Coninchus de Sacrament. disp. 8. dub. 13. concl. 3. nu. 103.*, *Henriquez lib. 1. num. 70., & lib. 8. num. 80.*, *Bonacina de Sacram. pænit. disp. 5. q. 7. punct. 5. §. 3. num. 5.* vbi alios plures recenset *Lezana in summa qq. Reg. verbo casus reseruati Regul. num. 22.*, *Candidus tom. 1. disq. mor. disq. 3. art. 4.* asserunt sine vrgentissima causa non posse Confessarium inferiorem absoluere à non reseruatis, & remittere pænitentem ad Superiorem pro reseruatis sic exigente iure Diuino, vt confessio fiat integrè, & non dimidietur sine vrgente necessitate.

2 Sentētia asserens non posse à non reseruatis absoluere, & à reseruatis remittere ad Superiorem.

Sentētia asserens posse.

Alij verò, inter quos *Nauarrus de pænit. dist. 5. §. cautus num. 12., & seqq.*, *Caietanus in summa verb. Confessio condit. 10.*, *Emanuel Sà verb. Absolutio num. 24.*, *Valentia tom. 4. disp. 7. q. 11. punct. 1.*, *Sairus de pænit. c. 16. num. 7.*, *& alij plures*, sentiunt Confessarium posse absoluere auditis omnibus etiam reseruatis a non reseruatis, & pænitentem remittere ad Superiorem pro reseruatis; nec in hac hypothesi dici potest de inualiditate ob negationem integritatis confessionis, cum omnia peccata eidem Confessario fuerint exposita; vnde dici potest, quod Confessarius directè absoluat a non reseruatis, & indirectè à reseruatis, & pro absolutione directa pænitentem ad Superiorem remittat.

3 Sentētia Laiman modificata refertur.

Alij tandem, inter quos *Laiman in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. c. 12. num. 11.* sentiunt, quod, si pænitens bona fide accesserit ad Confessarium ordinarium, & inferiorem existimans, se non habere peccata reseruata, vel posse à Confessario inferiori legitimè absolui, tunc possit Confessarius ipsum absoluere, & postea remittere ad Superiorem pro reseruatis, duabus tamen positis conditionibus; prima, si simul cum reseruatis subijciat alia non reseruata confessioni; secunda, vt non sit illud peccatum reseruatum affectum excommunicatione. Rationem pro hac sua opinione adducit *Laiman loc. cit.*, quia, cum pænitens bona fide accesserit, & sit benè dispositus ad absolutionem obtinendam, ægrè ferret, si sine absolutione dimmitteretur, vnde Confessarius posset tuta conscientia se conformare opinioni grauium DD. asserentium, hoc posse præstare, dummodo remittat pænitentem ad Superiorem pro reseruatis. Rationem itidem appositarum duarum conditionum fundat pro prima in eo, quia, si non esset alia peccata non reseruata, nihil esset, supra quod caderet absolutio directa; pro secunda fundat in eo, quod excommunicatus priuatur perceptione Sacramentorum.

4 Sine vrgenti, & graui causa non potest.

Ego probabilius arbitror, præcisa graui necessitate, vel rationabili causa non posse Confessarium inferiorem absoluere pænitentem à non reseruatis, eundemque remittere ad Superiorem pro reseruatis. Ita præter præcitatos DD. pro prima opinione *Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5.*, *Adrianus q. 4. de Confes.*, *Llamas part. 1. meth. c. 7. §. 11.*, *Suarez disp. 37. sect. 2. num. 3.*, *Philiarchus tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 26.*; Hoc videtur colligi primo *ex Concil. Trid. ses. 24. c. 7.* Ibi- *Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pænitentibus persuadere nitantur, vt ad Superiores, & legitimos Iudices pro beneficio absolutionis accedant;* vbi nota illam particulam, *Id vnum*, quæ ad quæcunque alia potestatem restringit. Secundò, quia ad integritatem Sacramentalis confessionis pertinet, vt de omnibus læthalibus fiat accusatio coram legitimo Iudice, qui habeat potestatem absoluendi, qualis non est Confessarius inferior in ordine ad peccata reseruata.

5 Non sufficit integritas ex parte pænitentis.

Hinc respondeo ad ea, quæ pro secunda opinione fuerunt allegata, quod scilicet illa confessio ex parte pænitentis fuerit integra; Dico, inquam, quod præceptum Diuinum integritatis confessionis non solum respicit integritatem eiusdem, sed etiam integritatem absolutionis; eo etenim ordinatum est, vt non remittatur vnum peccatum læthale sine alio, ad quod requiritur nedum integra confessio, sed etiam integra absolutio: Deinde integra confessio debet fieri Iudici competenti, qualis non est in ordine ad reseruata Confessarius inferior.

Ad

6 Respondetur rationibus Laiman.

Ad ea, quæ dicuntur pro tertia ſententia Laiman, aſſerendum eſt, non videri cauſam ſufficientem dimmidiationis confeſſionis, quod pænitens ſit ægrè laturus ſui dimmiſſionem ſine abſolutione, nam hæc eſt conſueta conditio eorum, qui in caſus reſeruatos inciderunt, nec bona fides eiſdem poteſt ſuffragari, quandoquidem hæc non tollit reſeruationem, quæ impedit Confeſſarium, ne poſſit abſoluere; quod, ſi ſupponas, quod ratione bonæ fidei in delinquendo, quatenus ignorauerit caſui illi eſſe annexam reſeruationem eam non contraxiſſe, iam eſſemus extra caſum, cum caſus ille non eſſet reſeruatus; ſed, an verum ſit, quod ratione ignorantiæ excuſetur à reſeruatione, non auderem aſſerere, cum reſeruatio afficiat Confeſſarium.

7 Exiſtente graui, & rationabili cauſa poteſt.

Dixi, *præciſa graui neceſſitate, & rationabili cauſa*, nam hac exiſtente non dubitarem aſſerere, poſſe Confeſſarium auditis omnibus peccatis pænitentis ipſum abſoluere directè à non reſeruatis, & indirectè à reſeruatis impoſito onere eidem pænitenti ſe præſentandi Superiori pro abſolutione directa reſeruatorum, in quo caſu non teneretur pænitens Superiori exponere, niſi reſeruata, cum iam eſſet ab omnibus abſolutus. Neceſſitas autem, ſeu rationabilis cauſa eſt primò, ſi non adſit aditus ad Superiorem reſeruantem, de quo tamen infrà latus habebitur ſermo. Secundò, quando vrget neceſſitas celebrandi, ſeu communicandi, adeout, ſi omitteretur celebratio, ſeu communio, graue ingereretur ſcandalum, & infamia inde ſequeretur, nec tunc adſit, qui habeat facultatem eum abſoluendi, in quo regularitèr DD. conſentiunt *Bonacina de Sacrament. pænit. diſp. 5. q. 7. punct. 5. §. 3. num. 6., Naldus in ſumma verb. Bulla Cænæ num. 62., Portellus de dub. Reg. verb. caſus reſeruati num. 22., Lezana tom. 3. qq. Reg. verb. caſus reſeruati Regul. num. 24.* Ratio eſt, quia lex de vitando ſcandalo, & iactura famæ præfertur cuicunque legi poſitiuæ.

8 Quænam ſit grauis, & rationabilis cauſa.

9 Extante hac cauſa ſententia aſſerens poſſe què communionem ſumere præmiſſo ſolum actu contritionis.

Solum hic oritur difficultas quid in ea hypotheſi vitandi ſcandalum, & propriam infamiam facere teneatur pænitens irretitus caſu, ſeu caſibus reſeruatis? Tres in hoc adinuenio ſententias, de quibus in præcedentibus mentionem fecimus. Prima docet, in ea hypotheſi poſſe præmiſſo dumtaxat actu contritionis, nullaque habita confeſſione irretitum huiuſmodi caſibus celebrare, ſeu communicare, cum in eo caſu conſiderandus ſit, ac ſi tunc non haberet copiam Confeſſarij, à quo poſſit abſolui *Fagundez de præcept. Eccleſ. tract. 1. lib. 3. cap. 12. num. 12., & Nauarrus apud ipſum*. Secunda eſt, quæ docet, poſſe, & teneri pænitentem in ea hypotheſi confiteri peccata non reſeruata reticitis reſeruatis, vt poſtea, quam primum poterit, ea exponat Superiori, & hoc, vt præſtet quantum poteſt, vt licitè recipiat Euchariſtiam; tenetur enim ad eandem præmittere Sacramentalem confeſſionem ex præcepto, quod, ſi non poteſt adimplere in toto, tenetur tamen adimplere in ea parte, qua poteſt. Tertia docet teneri omnia peccata etiam reſeruata exponere, in quo caſu Confeſſarius etiam inferior poteſt directè abſoluere à non reſeruatis, & indirectè à reſeruatis cum onere tamen impoſito pænitenti, vt quam primum poteſt, ſe præſentet Superiori pro abſolutione directa reſeruatorum, quia in tali caſu præſumitur pia Mater Eccleſia conſentire, vt abſoluatur etiam à reſeruatis *Bonacina d. diſp. 5. q. 7. punct. 5. §. 3. nu. 8., Medina de confeſs. q. 22., Suarez diſp. 31. ſect. 3. num. 8., Coninchus diſp. 8. dub. 13. num. 106., Henriquez lib. 6. c. 15. num. 7., Lezana d. tom. 3. verb. caſus reſeruati Regularium num. 24., Naldus in ſumma verb. Bulla Cænæ num. 62.* Hanc tertiam opinionem, vt probabiliorem amplector, quia per eandem ex vna parte ſatisfit præcepto Diuino prémittendi confeſſionem ſumptioni Euchariſtiæ, quando pænitens ſibi conſcius eſt peccatorum læthalium, & item alteri præcepto Diuino de integritate confeſſionis, & ex alia parte eſt rationabilis præſumptio, quod pia Mater Eccleſia annuat in ea hypotheſi tali abſolutioni cum tali onere poſtea ſe præſentandi.

10 Sentẽtia aſſerens teneri confiteri non reſeruata reticitis reſeruatis.

11 Sentẽtia aſſerens teneri omnia confiteri.

12 Et in hoc caſu poteſt etiã abſolui à cenſuris ſub reincidentia.

Quid verò ſentiendum ſit, ſi talis pænitens non ſolum irretitus ſit caſu reſeruato, ſed etiam excommunicatione reſeruata, an tunc poterit? Videtur in hoc dicendum, non poſſe hunc pænitentem abſolui, quia excommunicatio priuat quacunque participatione Sacramentorum. Nihilominus in hoc etiam ſentiendum eſt, poſſe in illo caſu abſolui cum onere, vt poſtea ſe præſentet Superiori, cum primum poterit. In hoc etiam conſentit *Lezana d. tom. 3. ſummæ qq. Regul. verb. caſus reſeruati Regularium num. 24., Bonacina de pænit. Sacram. diſp. 5. q. 7. punct. 5. §. 3. n. 8., Medina de confeſs. q. 22., Suarez diſp. 31. ſect. 3. num. 8.* Hoc expreſſe habetur *in c. eos, qui de ſent. excom. in ſexto*. Ratio eſt, quia, ſicuti ratio ſcandali vitandi, & infamiæ tribuit ius, vt quis poſſit abſolui à caſibus reſeruatis in caſu neceſſitatis celebrandi, vel ſumendi Euchariſtiam ita videtur tribuere ius, vt poſſit abſolui etiam à cenſura excommunicationis; nec obſtat, quod ratione excommunicationis priuetur

tur

tur participatione Sacramentorum, quia talis prohibitio in tali necessitate cessat, quia lex de vitando scandalo, & iactura famæ præfertur cuicunque legi Ecclesiasticæ.

Iam deuenimus ad modum, quem seruare debet Superior, cui casus sunt reseruati, in relaxatione, & absolutione eorundem; in quo considero, an talis relaxatio fieri debeat opera Confessarij, an immediatè per se ipsum. Rursus, si opera Confessarij, an ad instantiam ipsius Confessarij, vel ad instantiam pænitentis.

13 Superior Confessario petenti potest concedere facultatem, vel illimitatã, vel limitatam.

Si facienda est opera Confessarij, & ad instantiam eiusdem, sufficit, quod, quomodocunque ipsi Superiori libuerit, Confessario petenti facultatem concedat, vel plenè, & absolutè de omnibus casibus ipsi reseruatis absoluere nulla facta exceptione, nec distinctione quoad species, & numerum, vel de aliquibus tantum concedendo species, & numerum iuxta petitionem eiusdem Confessarij, & non aliter, nec alio modo. Ratio est, quia, cum reseruatio simplicitèr dependeat ab auctoritate, & voluntate reseruantis, potest idem Superior de eadem pro libertate disponere, &, sicuti poterat reseruare, & non reseruare, ita potest quomodocunque voluerit eandem vel in toto, vel in parte relaxare concedendo facultatem vel simplicitèr, vel secundum aliqua dumtaxat absoluendi. Sed, an possit præscribere modum absoluendi præscribendo certas, & determinatas pænitentias imponendas pænitentibus casibus reseruatis irretitis? Affirmatiuè est respondendum, quia Superior non solum est liber quoad substantiam, sed etiam quoad modum; hocque videtur expresse deduci ex decreto Clementis VIII., quod refert *Naldus in summa verb. casus reseruatus num. 2.*, & in hoc consentit *Ludouicus à Cruce in expositione Bullæ Cruciatæ disp. 1. c. 3. dub. 4.*

14 Itẽ præscribere modum absoluẽdi

15 Si pænitens petat facultatem à Superiore, vt possit absolui à proprio Cõfessario, & obtineat potest ab ipso absolui.

Si facienda est ad instantiam pænitentis, tunc hoc duplicitèr potest contingere; primò, si ipse pænitens nolens confiteri ipsi Superiori extra confessionem petat facultatem à Superiore, vt possit à Confessario ordinario absolui, quam, si concedat, vtique poterit à casibus, quibus est infectus, à suo Confessario, vel ab alio habente facultatem absolui; nec in hoc est aliqua difficultas. Secundò nolente Superiore facultatem concedere, nisi exprimantur peccata in ea specie, vel numero, qua, seu quo est irretitus ipse pænitens, extra confessionem speciem, & numerum exprimat, & petat facultatem, vt ab ijs possit à proprio Confessario absolui; tunc etenim, si concedatur, poterit ab illis ab eodem Confessario absolui, si verò negetur, poterit etiam absolui saltem pro illa vice iuxta superius dicta, & in vtroque casu siue concessionis, siue negationis tenebitur Superior ad sigillum quoad illos casus sibi manifestatos, quia sigillum confessionis non solum obligat quoad ea, quæ in confessione sunt audita, sed etiam quoad illa, quæ audiuntur ratione confessionis *Graffius lib. 1. decis. aur. c. 13. num. 37.*, *Peirinus tom. 2. de Pralat. q. 3. c. 2. num. 15.*

16 Si neget potest pro illa vice adhuc absolui.

17 Sentẽtia docens Superiorem posse absoluere à reseruatis, & remittere pro nõ reseruatis ad inferiorem.

Si tandem facienda est per ipsum Superiorem immediatè, quatenus ipse pænitens velit eidem in confessione se subijcere, vel dignis de causis ipse Superior nolit alteri facultatem concedere ipsum absoluendi, tunc aliqui asserunt, posse Superiorem solummodo audire in Sacramentali confessione reseruata, & pænitentem iniuncta congrua pænitentia ab eisdem absoluere, & quoad reliqua non reseruata ipsum remittere ad suum Confessarium. Sed non libentèr acquiescerem huic opinioni, sicuti eidem non acquiescunt *Laiman lib. 5. tract. 6. c. 12. num. 8. §. verum extra casum*, *Portellus verb. casus reseruatus nu. 21.*, *Lugus de Sacram. pænit. disp. 20. sect. 6.*, & alij plures, quos refert, & sequitur *Bonacina de Sacram. pænit. disp. 5. q. 7. punct. 5. §. 3. num. 1.* Ratio est, quia, cum integritas confessionis sit de iure Diuino, non potest elidi ex simplici voluntate, & tenui incommoditate audientis, vnde *Fagundez in secundo Ecclesiæ præcepto lib. 8. c. 3. n. 16.* non eximit à graui culpa Superiorem, qui sine rationabili causa sic dimmidiat confessionem. Dixi, *sine rationabili causa*, nam, si esset graue impedimentum respectu eiusdem Superioris, ratione cuius non posset sine graui suo damno, & incommodo integrè audire confessionem etiam non reseruatorum, non renuerem concedere, posse Superiorem absoluto pænitente à reseruatis eundem quoad non reseruata remittere ad suum Confessarium pro absolutione, & in hoc conueniunt *Laiman*, *Bonacina*, *Lugus loc. cit.* Ratio est, quia in illa hypothesi grauis, & rationabilis causæ, & necessitatis confessio, quamuis non sit integra materialitèr, intelligitur tamen integra formalitèr excusante ab integritate materiali illa necessitate; vnde tunc Superior directè intelligeretur absoluere à reseruatis, & indirectè à non reseruatis.

18 Hæc sententia reijcitur.

19 Extante graui, & legitima causa potest.

Hic nonnullæ oriuntur difficultates, quarum prima est, an pænitens absolutus in illo casu grauis necessitatis à Superiore à reseruatis non auditis non reseruatis intelligatur Sacramentalitèr absolutus, & recepisse gratiam Sacramentalem. Secunda, an, quando apud inferiorem Confessarium confitetur peccata non reseruata, quæ

20 Nonnulla dubia circa hoc excitata.

quæ non exposuit Superiori nouam gratiam recipiat ab illa, quam recepit in absolutione Superioris a reseruatis. Tertia, an apud Confessarium inferiorem teneatur dumtaxat exponere peccata non reseruata, quæ non exposuit Superiori; an verò teneatur simul cum non reseruatis, quæ non exposuit, exponere etiam reseruata, quæ Superiori iam exposuit.

21 Si Superior absoluerit animo absoluẽdi intelligitur Sacramentalitèr absoluisse

Ad primam asserendum est, intelligi re vera pænitentem Sacramentalitèr absolutum, & gratiam Sacramentalem recepisse, si Superior intenderit re vera absoluere. *Suarez disp. 31. sect. 1. num. 2., Laiman d. lib. 5. tract. 6. c. 12. num. 8. vers. id verò inter DD., Lugus de Sacram. pænit. disp. 20. sect. 6. num. 82., Fagundez in secundo Eccl. præcept. lib. 8. c. 3. num. 7.* quidquid ex aduerso dixerint *Siluester verb. Confessio 1. num. 19., & Nauarrus de pænit. dist. 5. c. consideret num. 19.*, qui, quamuis asserat talem Superioris absolutionem esse Sacramentalem, negat tamen tunc conferre gratiam, quæ solum conferetur, vt ipse asserit, quando à Confessario inferiori absoluitur à non reseruatis, quia existimat perfici vnum tantum Sacramentum. Ratio ex eo deducitur, quod in hac hypothesi ea omnia interueniant, quæ requiruntur ad validam absolutionem Sacramentalem, & ad validum Sacramentum, nempè ex parte pænitentis sufficiens materia, ex parte Superioris debita intentio, & iurisdictio; nec obstat, quod non sit integritas materialis, quia hæc necessaria non est existente legitima, & rationabili causa excusante, vt videre est in pluribus alijs casibus sparsim in his quæstionibus relatis, in quibus sufficit integritas formalis.

Dixi, *si Superior intenderit re vera absoluere*, nam, si intenderit præcisè relaxare reseruationem non posita Sacramentali absolutione, quod vtique efficere potest, tunc certè pænitens non consequeretur effectum gratiæ Sacramentalis, nec posset dici Sacramentalitèr absolutus, vt ex se patet.

22 Pænitens in secunda confessione cõsequitur nouã gratiam.

Ad secundam dicendum est supposita Sacramentali absolutione Superioris à reseruatis exponendo peccata non reseruata Confessario ordinario, & ab eodem recipiendo absolutionem nouam recipere gratiam. Consentiunt in hoc *Suarez disp. 31. sect. 1. num. 9., Bonacina de Sacram. pænit. disp. 5. q. 7. punct. 5. §. 3. num. 3.* Ratio est, quia in hoc interuenit nouum Sacramentum, cum interueniat noua materia proxima, nempè nouus dolor vel continuatus, & noua, & distincta confessio; nec obstat, quod illa peccata iam intelligantur Sacramentalitèr remissa per absolutionem Superioris. Non obstat, inquam, quia, quantumuis sint reuera remissa, ex quo tamen debent ex præcepto subijci confessioni, debent subijci cum dolore, qui est noua materia proxima, cui propterea debet correspõdere nouus effectus, & sicuti, si quis iteraret confessionem præcedentium peccatorum iam ritè remissorum, consequeretur nouum effectum gratiæ; ita &c. Nec in hoc audendus est *Nauarrus loc. cit.*, dum dicit ex absolutione impertita per Superiorem quoad peccata reseruata, & ex absolutione data per Confessarium inferiorem quoad non reseruata constitui vnum dumtaxat Sacramentum, adeoque nonnisi vnum effectum gratiæ produci. Non, inquam, audiendus est, quia, cum interueniat noua materia saltem proxima, & noua forma non est, cur non interueniat duplex, seu nouum Sacramentum, cui correspondere debet nouus effectus.

23 Satisfit obiecto Nauarri.

Ad tertiam asserendum est, non esse ex necessitate in noua confessione apud Cõfessarium inferiorem exprimere cum peccatis non reseruatis etiam reseruata iam exposita Superiori, à quo habita est absolutio *Suarez disp. 31. sect. 1. num. 10., Vasquez q. 91. art. 3. dub. 10. nu. 3., Coninchus disp. 8. dub. 12. num. 80., Zerola in praxi de pænit. c. 13. q. 15.* quidquid ex aduerso dixerint *Henriquez lib. 5. c. 4. num. 4., & lib. 6. c. 12., Reginaldus lib. 8. n. 90.* volentes requiri ex præcepto Diuino confessionem integrè fieri apud eundem Confessarium. Ratio ex eo deducitur, quia iam illa peccata reseruata sunt ritè, & legitimè exposita clauibus, & de eisdem recepta valida absolutio, ergo non est, cur iterum sint clauibus subijcienda, cum nemo per se loquendo obligari possit, vt idem peccatum bis confiteatur, quando validè illud semel confessus est ex reg. quam tradit *Nauarrus in c. placuit n. 112. dist. 6. de pænit.* Confirmatur primò, quia iterata confessio illorum peccatorum reseruatorum non est necessaria ad obtinendam remissionem illorum, cum iam intelligantur remissa, nec in ordine, vt expressè clauibus subijciantur, cum iam fuerint illis validè subiecta, ergo nulla est ratio, ob quam debeant iterum subijci; Neque dicas, subijcienda esse ad integrandam confessionem, cum fuerit dimmidiata apud Superiorem, & ad effectum, vt Confessarius inferior possit prudens iudicium efformare de statu eiusdem pænitentis. Contrà enim impugnaberis, quia confessio est integranda quoad peccata, quæ non fuerunt exposita, nec remissa, non quoad ea, quæ iam fuerunt per legitimam confessionem præcedentem remissa, secus essent iterandæ omnes confessiones præcedentes. Item Confessarius

24 Nec tenetur in secunda confessione aperire peccata, à quibus fuit absolutus à Superiore.

Rationes pro hac resolutione.

sarius debet efformare iudicium de statu pænitentis quoad peccata, quibus est infectus actu, non quibus fuit infectus, sed liberatus seruato debito modo. Confirmatur secundò, si quis confessus fuerit sua peccata læthalia, & alicuius ex istis in illa confessione fuerit inculpabilitèr oblitus, tenetur postea illius, cum recordabitur, confessionem habere, nec tamen in posteriori confessione tenetur ad integrandam illam confiteri priora, quæ iam confessus est, & de quibus absolutionem obtinuit, vt in præcedentibus probauimus, ergo etiam qui confessus est peccata sua reseruata Superiori, & ob rationabilem causam excusantem non confessus est non reseruata, tenebitur postea ista confiteri, nec tamen in ista confessione ad eandem integrandam tenebitur reseruata iam absoluta repetere. Consequentia probatur, quia æqualis est vis necessitatis ad excusandum ab integritate materiali confessionis, ac obliuionis inculpabilis, sed, quando aliquod peccatum omissum est ex obliuione inculpabili, non est necesse, quod in confessione subsequenti, quando illud memoriæ occurrit, peccata præcedentèr ritè confessa repetantur, ergo nec, quando peccata omissa ex necessitate in præcedenti confessione sunt cessante necessitate confessione subijcienda, erit necesse, quod reseruata præcedentèr ritè confessa repetantur.

SECTIO V.

An extante impedimento adeundi Superiorem reseruantem peccata reseruata possint ab inferiori Confessario absolui, & quomodo.

SVMMARIVM.

Si seruus in fraudem Domini deliquerit, vt ab eo discederet, non teneretur Dominus ei permittere discessum, quamuis graue damnum ipsi non immineret. 39.
Teneretur tamen Dominus permittere, si excessus serui esset enormis. 40.
Idem dicendum est de filijs familias, si eorum delicta sint ex atrocioribus, & scandalosis. 41.
Quinam ratione iuris beneficij excusentur à tali profectione, vt absoluantur. 42.
An aliæ causæ sint sufficientes, remittitur iudicio Episcopi. 43.
An Episcopus ratione impedimenti absoluens à casibus Papalibus teneatur imponere onus pænitenti se præsentandi Pontifici cessante impedimento. 44.
Si impedimentum sit perpetuum non tenetur illud onus imponere. 45.
Quando est temporaneum regularitèr tenetur. 46.
Non tenetur, quando delictum commissum est ab impuberi durante impubertate. 47.
Etiam si tempore absolutionis factus esset pubes. 48.
Si extante impedimento perpetuo delinquens fuerit ab illo per miraculum liberatus, non tenetur adire Pontificem. 49.
Si casus non habeat annexam excommunicationem Papalem potest ab Episcopo absolui non imposito tali onere. 50.
Regularitèr Episcopus in alijs, vbi impedimentum non est perpetuum, tenetur onus tale imponere exacto etiam iuramento de se præsentando. 51.
An Episcopus possit absoluere à Papalibus eum, qui ratione impedimenti non potest adire personalitèr Pontificem, potest tamen adire per literas, vel per Procuratorem. 52.
Sententia Bonacinæ asserentis, tunc non posse absolui ab Episcopo. 53.
Sententia aliorum volentium tunc posse absolui. 54.
Auctor se refert ad communem praxim. 55.
Quid sentiendum sit, si adiri non possit Pontifex, possit tamen adiri Legatus à latere. 56.
Sententia negans posse absoluere, & eius rationes. 57.
Sententia affirmans, & eius rationes. 58.
Si casus sint specialitèr reseruati Summo Pontifici, & eius Legato Episcopus non potest absoluere. 59.
Si sint simplicitèr reseruati Pontifici, tunc potest Episcopus absoluere. 60.

LAtam satis materiam hic titulus continet, quam per integrum volumen prosequitur Ioannes Angelus Bossius inscriptum *disceptationes morales de iurisdictione Episcoporum, & aliorum inferiorum absoluendi à reseruatis*. Breuiori nos, qua poterimus, methodo complectemur omnia, singula per singula dubia, & eorum respectiuè resolutiones discutiendo, & definiendo.

1 Extante impedimento adeundi Pontificẽ, an possit Episcopus absoluere.

Dubium primum. An extante legitimo impedimento adeundi Romanum Pontificem pro absolutione, quando casus sunt eidem Pontifici reseruati, possit Episcopus ab eisdem absoluere in quocunque genere illi sint.

2 Sentẽtia docens posse absoluere à graui percussione Clerici, non ab alijs.

Nonnulli, inter quos *Abbas in c. quamuis de sent. excommun.* arbitrantur Episcopum in data hypothesi legitimi impedimenti posse quidem absoluere ab excommunicatione reseruata Pontifici ob grauem, & enormem Clerici percussionem, non tamen ab alijs casibus, seu censuris Papalibus, & fundamentum desumunt ex eod. textu *in c. quamuis de sent. excommunicationis*, vbi conceditur quidem facultas absoluendi à prima, non autem à cæteris; cum autem casus omnes sint Pontifici reseruati, & concessio fiat solùmodo quoad casum percussionis Clerici, reliqui videntur in suo esse permanere. Nihilominus

3 Probabile est posse etiam ab alijs absoluere

Respondeo, in data hypothesi, nedum Episcopum posse absoluere ab excommunicatione ob Clerici percussionem, sed etiam ab alijs censuris Pontifici reseruatis. *Nauarrus in man. c. 23. num. 89. vers. cæterum, Vgolinus de censur. tab. 1. c. 4. §. 5. num. 13., & de censuris reseruat. in Bulla Cænæ in explicatione eiusdem Bullæ vers. nisi in mortis articulo, §. 4. vers. quoad primum, Suarez de pænit. disp. 30. sect. 3.*, & alij plures quos citat, & sequitur *Ioannes Angelus Bossius loc. cit. discept. 1. dub. 1. n. 3.*

4 Quoad percussionem Clerici euincitur ex c. quãuis de sent. excom.

Quod possit absoluere ab excommunicatione canonis, *si quis suadente* contracta ob grauem Clerici percussionem habetur expressè *in d. c. quamuis de sent. excommunicationis*, vbi enumeratis casibus iusti, & legitimi impedimenti hæc facultas expressè conceditur; Neque obstare potest, quod postea emanauerint plurimæ Pontificum constitutiones, quibus specialitèr hic casus grauis percussionis Clerici reseruatur Pontifici exclusa quacunque inferiorum facultate, quibus videtur derogatum *d. c. quamuis de sent. excommun.* Non, inquam, obstare potest, quia huiusmodi constitutiones, quæ dicuntur postea emanatæ, restringunt quidem potestatem absoluendi ab huiusmodi censura secundum se, & considerata re secundum sui naturam, non autem, quando est legitimum impedimentum adeundi Pontificem; cui est specialitèr reseruata; non enim præsumendus est Pontifex irretitum velit cum graui animæ eius discrimine eum, qui ipsum adire nequit; & hinc desumo argumen-

5 Sanctiones subsequentes non attingunt casum legitimi impedimenti.

gumentum efficax ad probandum facultatem hanc concessam Episcopis absoluendi ab excommunicatione contracta ob grauem Clerici percusionem regularitèr extendi ad alios omnes casus Papales, quod

Euincitur etiam quoad absolutionem ab alijs casibus.

Sic efformo. Strictior est reseruatio excommunicationis contractæ ob grauem Clerici percussionem, quam aliarum censurarum Papalium regularitèr loquendo, quod colligitur, tum ex eo, quod eius relaxatio difficilius tollitur; tum ex eo, quod crebriùs repetitur, ergo, si huius relaxatio Episcopis conceditur existente legitimo impedimento adeundi Pontificem, concedi etiam præsumenda est eodem existente in ordine ad alias censuras, & casus Pontifici reseruatos. Confirmatur, quia eadem ratio concessionis vrget in ordine ad absolutionem censurarum Pontifici reseruatarum, quæ viget in ordine ad absolutionem ab excommunicatione lata ob Clerici percussionem; hæc siquidem est, ne ex dilatione absolutionis subsit irretitus tali censura probabili periculo damnationis æternæ *arg. c. fin. de pænit.*, *& remissione in sexto*. Confirmatur secundò, quia, licet *in d. c. quamuis de sent. excommun.* videatur hæc facultas restringi ad excommunicationem propter percussionem Clerici, in alijs tamen textibus iuris canonici extenditur etiam ad alios casus Papales, vt videre est *in c. eos de sent. excommunicationis in sexto*, vbi locutio est generalis.

6 Referuntur nonnullæ exceptiones ad prædicta.

Dixi, *regularitèr loquendo*, propter nonnullos, inter quos *Sanchez lib. 2. summæ c. 13. num. 37.* excipientes à tali regula casum hæresis siue notoriæ, siue occultæ, eo quia in generali concessione hæc non veniat ob strictissimam eius reseruationem; item propter nonnullos alios, inter quos *Siluester verb. Absolutio 1. num. 10. in fin.*, *& verb. excommunicatio 8. num. 9.* excipientes à tali regula omnes casus, in quibus in reseruatione dicitur, quod nullus absoluere possit, nisi in mortis articulo, qui ea ratione mouentur, quia in dictorum casuum reseruationibus solum articulus mortis excipitur, ergo extra talem articulum nulli licebit ab illis absoluere; item propter *Bonacinam tom. 3. de censuris in Bulla Cænæ contentis disp. 1. q. 22. punct. 2. num. 23.* volentem per se loquendo excipi à tali regula omnes casus in Bulla Cænæ Sedi Apostolicæ reseruatos, tum propter rationem Siluestri mox adductam, tum quia experientia, & consuetudine receptum est; item propter *Vgolinum de censuris in Bulla Cænæ reseruatis part. 3. c. 2. §. 4. num. 2. in fin.* volentem non posse amplius Episcopos absoluere sic impeditos à casibus Bullæ Cænæ propter decretum Sacræ Congregationis de mandato Clementis VIII. die 9. mensis Ianuarij 1601., quod refert de verbo ad verbum. Sed etiam in his casibus existente legitimo impedimento non dubitarem posse Episcopum absoluere sub onere tamen imposito pænitenti, si illud impedimentum cessaret, se præsentandi Pontifici, prout sentiunt *Suarez de pænit. disp. 30. sect. 3. num. 9.*, *Homobonus part. 4. resp. mor. resp. 21. super censuras*, *Auila part. 2. c. 7. disp. 1. dub. 6. concl. 3. vers. quarto nota*. Ratio horum omnium ea est, quia ratio, ob quam conceditur facultas absoluendi in alijs casibus non recensitis ab his auctoribus, militat etiam pro recensitis ab ipsis, ea etenim est, quia non est præsumendum, quod pia Mater Ecclesia, seu Pontifices eiusdem Rectores pro diuturno tempore, si impedimentum sit diuturnum, vel vsque ad mortem, si sit perpetuum, claudere velint viscera misericordiæ, & sinere cum tanto salutis æternæ discrimine filium, qui aberrauit, & ab errore resilit in eo miseriarum statu, in quo priuatur Diuinorum participatione, & consuetis Ecclesiæ suffragijs, quæ ratio æquè militat pro omnibus casibus Pontifici reseruatis.

7 Probabilitèr etiã in ijs potest Episcopus absoluere sub onere tamen cessante impedimento se præsentandi Papæ.

8 Soluuntur rationes exceptionum contrariarum.

Nec obstant ex aduerso opposita; Non primum de crimine hæresis, nam, quamuis verissimum sit, quod in generali concessione hæc non veniat ob strictissimam reseruationem, hoc tamen intelligendum est, quando illa generalis concessio est per modum indulti, seu priuilegij extra ius commune, secus, quando per modum generalis facultatis iure communi concessæ, ac existente impedimento adeundi reseruantem; atque hac responsione vtitur *Coaruuias in c. alma Mater §. 11. num. 15. vers. non oberit*. Non secundum Siluestri, quia, licet excipiatur dumtaxat articulus mortis, nihilominus non excluduntur alij casus necessitatis, seu legitimi impedimenti, & licet reseruatio sit concepta absolutè, & facultas limitatiuè ad articulum mortis per particulam, *nisi*, quæ ex genere suo est exclusiua cuiuscunque alterius casus; attamen hæc particula exceptiua, *Nisi*, vel accipienda est solum in ordine ad simplices Confessarios, quibus nullo iure competit absoluere, nisi in articulo mortis, non in ordine ad Episcopos, qui, quamuis secundum se non possint etiam absoluere, nisi in articulo mortis à Papalibus, extante tamen necessitate, seu legitimo impedimento ex benigna iuris, & Pontificum dispositione vsu etiam hoc confirmante absoluunt, & quidem congruè hoc inductum est, ne fideles diutino tempore opportuno remedio destituantur. Deinde concessionibus in corpore iuris in-

 sertis

sertis non derogatur, nisi fiat eorum expressa mentio in literis derogatorijs; in sanctionibus autem Pontificijs subsequentibus, licet dicatur, nisi in articulo mortis, non fit tamen expressa derogatio concessionum, quæ sunt in corpore iuris *in d. c. quamuis de sent. excomm., & c. de his eod. tit., & c. eos, qui eod. tit. in sexto*. Non tertium à Bonacina adductum, quia ex mox dictis confutatum remanet. Ad illud, quod subdit de vsu recepto, dicendum est falsò allegare talem vsum, cum potius de contrario constet. Deinde, cum *Bonacina* asserat *tom. 3. de censur. in Bulla Cœna contentis disp. 1. q. 22. punct. 2. num. 23.* posse Episcopum per accidens absoluere extante impedimento, quando irretitus casibus Papæ reseruatis necessitatem habet celebrandi, vel communicandi ad euitandam infamiam, quæ inde oriri posset, non video, cur hoc idem dicere non debeat, quando imminet periculum animæ existente impedimento perpetuo, vel diuturno. Non quartum ab Vgolino adductum, quod scilicet hæc facultas Episcopis concessa sit reuocata per decretum Sacræ Congregationis sub Clem. VIII., quia illud decretum respicit solum Confessarios inferiores siue Sæculares, siue Regulares, ne scilicet possint extra Urbem intra Italiam ab huiusmodi casibus absoluere; cæterum per illud non est dimminuta facultas Episcopis concessa, sed potius confirmata.

Decretũ Sacræ Cõgregationis sub Clement. VIII. non officit.

Dubium II. An facultas absoluendi huiusmodi impeditos sit restricta in ordine ad Episcopos, an verò ad alios extendatur, & vbi restricta sit ad Episcopos, quinam veniãt nomine Episcoporum quoad hunc effectum.

9 An hæc facultas absoluẽdi stante impedimento competat solis Episcopis

Quoad primum ratio dubitandi ex eo consurgit, quod habetur in *d. c. quamuis de sent. excommunicationis*, vbi recensitis impedimentis, quæ resistere possunt accessui ad Romanum Pontificem facultas conceditur indefinitè absoluendi non restrictiuè ad Episcopos, vt legenti textum fit manifestum. Nihilominus sentiendum est, hanc facultatem esse restrictam ad Episcopos in sua cuiusque Diæcesi. *Glossa in c. de cætero verb. Diæcesano de sent. excommun., Vgolinus de cens. tab. 1. c. 4. §. 5. num. 14., Sbrozius de Vic. lib. 2. c. 180., Sanchez lib. 2. summæ c. 13. num. 36. in fin., Bonacina de cens. in communi disp. 1. quæst. 3. punct. 2. quæsit. 3.* Ratio est, quia, quantumuis *in d. c. quamuis*, non fiat restrictio ad Episcopum, fit tamen in præced. *c. ea noscitur, & c. de cætero, & c. de Monialibus eodem tit.* iuxta quorum dispositionem intelligendus est textus *in eod. c. quamuis*, quamuis hic indefinitè loquatur. Hoc idem euincitur *ex Concil. Trident. sess. 14. c. 7.*, vbi extra mortis articulum dicitur in ordine ad reseruatos nullam in Confessarijs inferioribus adesse facultatem absoluendi, & ex decreto Sacræ Congregationis sub Clement. VIII. vbi in strictioribus terminis extra mortis articulum hæc facultas Confessarijs inferioribus denegatur. Ibi- *nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in articulo mortis*.

10 Restringitur ad Episcopos in sua cuiusq; Diæcesi.

Sed quid erit dicendum, si facilis non adesset aditus ad Episcopum, vel nonnisi post longam, & diutinam moram, vt si innodatus huiusmodi casibus, diutina, vel perpetua infirmitate in lecto detineretur, nec posset Episcopum conuocare, nisi cum magna admiratione, vel scandalo, & periculo se ipsum infamandi, vel Episcopus diu, & longè abesset, an tunc posset iste à proprio Sacerdote, vel ab alio approbato absolui. *Henriquez lib. 6. c. 9. n. 7., Duardus in Bullam Cœnæ lib. 3. §. 2. q. 8. num. 53. vers. quod verum*, sentiunt in hac hypothesi posse absolui à proprio Sacerdote, vel ab alio approbato, & hoc probant primo per textum *in c. Nuper de sent. excommun.* vbi sic legitur. *Verum, si difficile sit ex aliqua iusta causa, quod ad ipsum excommunicatorem absoluendus accedat, concedimus indulgendo, vt præstita iuxta formam Ecclesiæ cautione, quod excommunicationis mandato parebit à suo absoluetur Episcopo, vel proprio Sacerdote*, quod idem habetur *in c. eos, qui de sent. excomm.* Accedit etiam pro hac sententia ratio, quam superius adduximus ad probandum Episcopum posse absoluere à Papalibus existente legitimo impedimento personalitèr adeundi Pontificem, ne scilicet sic innodatus detineatur in eisdem cum magno suæ salutis discrimine, quæ ratio militat etiam extante difficultate, seu morali impotentia adeundi Episcopum pro huiusmodi absolutione.

11 Sentẽtia docens, quod, si non pateat aditus ad Episcopũ, possit absolui à proprio Sacerdote præstita cautione.

Ioannes Angelus Bossius in discept. mor. discept. 1. dub. 11. num. 71. relata prius præcedenti sententia, eaque probata, quam appellat probabilem, statuit postea tutiorem, & securiorem esse contrariam sententiam asserentem extra mortis articulum non posse inferiorem Episcopo absoluere, eo quia est magis conformis Concilio Trident., & decreto Sacræ Congregationis sub Clement. VIII., & ibi respondet omnibus allegatis pro contraria sententia.

12 Sentẽtia docens inferiores non posse absoluere, nisi in mortis articulo.

Ego autem arbitror, quod præcipuè in primo casu de diutina, seu perpetua infirmitate pænitentis, ratione cuius non possit personalitèr adire Episcopum, nec ipsum conuocare sine scandalo, & sui infamia, nec alius adsit modus, quo possit absolui, possit proprius Sacerdotes, vel alius approbatus ipsum absoluere, quia non

13 Non extante alio modo posset à proprio Sacerdote absolui.

non est præsumendum, quod Ecclesia in eo statu velit ipsum relinquere tanto tempore in periculo damnationis æternæ. Dixi, *nec alius adsit modus, quo possit absolui sine scandalo*; nam, si non posset personalitèr per se ipsum adire, posit tamen adire per Procuratorem, vel per ipsum Confessarium, vel per literas, an tunc teneretur per eosdem adire; dicam infra in seqq. dubijs; Si verò non posit adire Episcopum, possit tamen adire eius Vicarium, vel alium habentem ab eodem facultatem absoluendi ab huiusmodi casibus; tunc absolutè crederem non posse à simplici Sacerdote absolui, sed teneri eosdem adire, quia tunc per eorum absolutionem cessaret periculum damnationis æternæ, nec pænitens esset in illa necessitate constitutus.

14 Si non posset adire Episcopum, posset tamen adire alium habentē facultatē nō posset à proprio Sacerdote absolui.

Quoad secundum nomine Episcopi quoad præsentem effectum intelligo primo Episcopum proprium illius Diæcesis, in qua habitat ipse pænitens, non alium quemcunque; non etenim hæc facultas conceditur præcisè ratione dignitatis, sed potissimum ratione iurisdictionis, quam non habet Episcopus, nisi in sua Diæcesi respectu suorum subditorum, vel quasi subditorum, vt dicam infra; Propter eandem rationem Episcopus tantum titularis, quamuis consecratus non potest ab huiusmodi casibus absoluere, cum non habeat nec Diæcesim, nec subditos, vt benè notat *Ioannes Angelus Bossius de tripl. Iubil. priuil. sect. 1. cas. 10. §. 10. num. 200., & sect. 3. cas. 2. §. 3. num. 57.* Secundò intelligo Episcopum confirmatum, non præcisè electum, seu postulatum; nam ante confirmationem nondum habet subditos, nec Diæcesim actu, prout notauit idem *Bossius eod. tract. de triplici Iub. priuil. sect. 3. cas. 2. §. 3. num. 58.*, non tamen ad hoc requiritur, quod sit consecratus, cum sufficiat, quod sit confirmatus *Idem Bossius locis quibus supra.*

15 Episcopus, qui in casu impedimēti potest absoluere, est Episcopus illius Diæcesis, in qua pænitens degit.

16 Nō sufficit, quod sit electus, sed debet esse cōfirmatus.

An verò nomine Episcopi veniat Capitulum sede vacante, seu Vicarius ab eodem electus, & Prælati habentes Diæcesim, & iurisdictionem Episcopalem. Affirmatiuè respondendum existimo, quidquid ex aduerso senserit *Siluester verb. absolutio 4. num. 5.* Ratio est, quia huiusmodi potestas non est affixa dignitati, sed iurisdictioni Episcopali, prout tradunt *Henriquez in summa lib. 6. c. 9. num. 7. lit. N. in glos., Ioannes Angelus Bossius de trip. Iubilæi priuilegio sect. 1. cas. 10. §. 10. n. 207.*; vnde etiam mox diximus, quod Episcopus etiam non consecratus possit sic absoluere, & tamen ante consecrationem non habet propriè dignitatem Episcopalem, cum hæc fundetur in caracthere, qui solum per consecrationem imprimitur.

17 Etiā Vicarius capitularis in his casibus potest absoluere.

An item nomine Episcopi veniat eius Vicarius Generalis ex vi præcisè muneris eidem collati, negant magis communitèr *Sbrozius de Vicar. lib. 2. c. 180., Panormitanus in c. de cætero de sent. excommun., Siluester verb. Absolutio 4. num. 5., Vgolinus de cens. tab. 1. c. 4. §. 5. num. 14, Henriquez lib. 6. c. 9. num. 7. in Glos. lit. N. in fine*, moti ex textu *in c. cum in generali de offic. Vicarij in sexto, & c. 2. de pænit., & remis. in sexto*, quod etiam videtur deduci *ex c. de cætero, & c. ea noscitur, & c. de Monialibus de sent. excommun.* Contrarium sustinent, quod scilicet hæc facultas ex vi muneris eidem generalitèr collati competat Vicarijs Generalibus sustinent *Duardus in Bullam Cænæ lib. 3. §. 2. q. 9. nu. 13., Ioannes Angelus Bossius descept. mor. descept. 1. dub. 8. n. 47.*, quam opinionem ego quoque satis probabilem iudico. Ratio est, quia hæc potestas absoluendi sic impeditos respectu Episcoporum ordinaria est, cum ipsis competat ex sacris canonibus, & ex generali concessione inserta in corpore iuris, ergo, & eadem competit eorum Vicarijs Generalibus, qui habent eandem iurisdictionem ordinariam cum eisdem Episcopis, cum quibus constituunt vnum, & idem Tribunal in iurisdictionalibus; Neque obesse potest, si dicatur, hanc facultatem non competere Vicarijs Generalibus, nisi specialitèr ad hoc munus ab Episcopo deputentur, ergo eisdem non competit ex vi proprij muneris, & ex generali concessione. Antecedens probatur *ex Concil. Trident. sess. 24. art. 6.*, vbi loquens de casibus Papæ reseruatis hæc habet. *Et in quibuscunque casibus occultis etiam sedi Apostolicæ reseruatis delinquentes quoscunque sibi subditos in Diæcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialitèr deputandum in foro conscientiæ gratis absoluere &c.* ex quibus videtur rectè deduci, quod, si Vicarij Generales ex vi proprij muneris sine speciali deputatione nequeunt à casibus Papalibus occultis absoluere, ita nequeant etiam absoluere ab eisdem siue speciali mandato, quantumuis fuerint manifesti, existente impedimento adeundi Romanum Pontificem; Non, inquam, obesse potest, quia ex hac dispositione Concilij potius arguitur, quod competat hæc facultas Vicarijs Generalibus, quam quod eadem destituantur, quandoquidem exceptio in casu aliquo firmat regulam in alijs omnibus non exceptis, cum etenim huiusmodi casus sint diuersi, ab vno ad alterum non congruè fit illatio; Neque obstat, quod casus sint ijdem posita solummodo diuersitate occulti, & manifesti,

18 An veniant etiam Vicarij Generales Episcoporū.

19 Probabilis est sententia, quod veniant.

sti,

sti, & si Vicarij non possunt, quando sunt occulti, multo minus poterunt, quando sunt manifesti; Non obstat, inquam, quia licet differentia sit solummodo in esse occulto, & manifesto, interuenit tamen specialis ratio, quando absolutio impendenda est ex impedimento legitimo adeundi Pontificem, cui casus manifestus est reseruatus, nam sicuti, quando est articulus mortis facultas extenditur ad quoscunque Confessarios, ita, quando est necessitas ad euitandum animæ periculum, facultas extendi debet vtpotè fauorabilis ad omnes, qui gaudent iurisdictione ordinaria Episcopali.

20 Soluuntur obiecta contrariæ sententiæ.

Ex hac eadem ratione soluitur argumentum deductum *ex c. cum in generali de offic. Vicarij in sexto, & in c. 2. de pænit., & remissione item in sexto*; cum etenim in primo textu sit sermo solummodo de facultate conferendi beneficia, quæ specialitèr reseruatur Episcopo, non potest ex eadem fieri illatio ad alià non expressa; in secundo verò dicitur solummodo, quod, si subdito sit concessa facultas sibi eligendi Confessarium, non possit hic ab eodem absolui a casibus Episcopo reseruatis, qui textus facere non potest ad rem præsentem, in qua supponitur Vicarius habere facultatem generalem, & ordinariam cum Episcopo.

21 Probabilius veniũt Generales, & Prouinciales ordinum quoad suos subditos.

An item nomine Episcopi veniant Generales, & Prouinciales Religionum in ordine ad suos subditos; affirmandum est, prout affirmant *Siluester verb. Absolutio 4. num. 5., Ioannes Angelus Bossius de tripl. Iubil. priuil. sect. 1. cas. 10. §. 10. num. 220., & in discept. mor. discept. 1. dub. 8. num. 48.* Ratio est, quia in ordine ad suos subditos habent iurisdictionem Episcopalem, & quasi propriam Diœcesim distinctam à Diœcesi Episcopi.

An tandem quoad hunc effectum nomine Episcopi veniat Pænitentiarius Cathedralis electus ad formam *Concil. Trid. sess. 24. de reform. c. 8.* Non controuerto in præsenti, an eo ipso, quo quis constitutus est Pænitentiarius iuxta formam Concilij, qui scilicet sit Magister, vel Doctor, vel licentiatus in Theologia, vel iure canonico, & habeat ætatis suæ annos quadraginta cum vnione præbendæ, habeat hic facultatem ex vi proprij muneris absoluendi subditos illius Diœcesis à casibus Episcopo reseruatis, in quo valdè dissident DD. in duas clases diuisi, vt videre est apud *Ioannem Angelum Bossium discept. mor. discept. 1. dub. 9. à num. 49. ad 52.*; sed supposito, quod hanc facultatem habeat, vt eidem tribuunt *Marcus Antonius Cucus lib. 5. c. 4. num. 224, Capeauilla de cas. reser. part. 1. c. 3. q. 1. difficult. 2., & alij*, quæro, an etiam ex vi eiusdem muneris possit absoluere a casibus Papalibus, quando eisdem innodatus habet legitimum impedimentum adeundi Romanum Pontificem. Affirmat *Ioannes Angelus Bossius discept. mor. discept. 1. dub. 9. num. 52.*, quia in hac hypothesi legitimi impedimenti casus illi, quantumuis secundum se Papales, fiunt Episcopales; quoad casus autem Episcopales Pænitentiarius habens conditiones a Tridentino requisitas potest absoluere. Nihilominus arbitrarer, sine speciali Episcopi concessione non posse. In hunc meum sensum consentire tenentur quotquot sustinent ex vi proprij officij non competere Pænitentiarijs facultatem absoluendi à casibus Episcopalibus *Nauarrus cons. 20. de pænit., & remis. in secunda edit., Garzias de benef. part. 5. c. 4. num. 115., Gauantus in man. verb. Pænitentiarius n. 22., Augustinus Barbosa de potest. Episcopi part. 3. alleg. 52. num. 17.* Sed dato etiam, quod ex proprio munere posset ab Episcopalibus absoluere, probatur ex eodem munere non posse absoluere à Papalibus existente impedimento adeundi Romanum Pontificem. Licet hæc potestas dicatur Episcopo ordinaria, cum ipsi competat à iure, denegari tamen non potest, quin competat ex speciali quodam iure *ex c. de cætero, & c. ea noscitur de sent. excom.*, & non per se, sed tantum per accidens; quæ autem ex speciali iure, & non per se, sed tantum per accidens competunt Episcopis quoad iura Papalia, non intelliguntur alijs competere ex vi muneris, quo funguntur in ordine tantum ad Episcopalia, nisi eisdem specialitèr concedantur, ergo &c.

22 Pænitentiarijs cathedraliũ ex vi proprij muneris non competit hæc potestas.

23 Recensétur iusta, & legitima impedimẽta.

Dubium III. Quodnam dicatur iustum, & legitimam impedimentum adeundi Romanum Pontificem, vt irretitus casu Papali possit à proprio Episcopo absolui. In textu *in c. quamuis de sententia excommun.* hæc habentur. *Nisi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, aut inopia, puerili, vel senili ætate, fragilitate sexus, seu alia corporis impotentia, seu alio impedimento canonico retrahatur &c. vel nisi iuris beneficio à labore huiusmodi excusetur.*

24 Articulus mortis.

Ex his habes primo, articulum mortis esse legitimum impedimentum, ratione cuius non solum ab Episcopo, sed à quocunque alio Sacerdote potest constitutus in illo reseruato, ordine, de quo supra absolui, nec in hoc est ambigendum.

25 Infirmitas grauis, & qualis.

Secundò, infirmitatem etiam tribuere sufficientem causam excusantem, ratione cuius infirmus potest à proprio Episcopo absolui. Sed difficultas est solummodo, qualis debeat esse hæc infirmitas ad legitimè excusandum. In vniuersum dicendum est, illam dici sufficientem, quæ est perpetua,

tua, vel diutina, & talis, vt ex itinere timeatur, vel mortis acceleratio, vel morbi augmentatio *Nauarrus c. 27. num.* 88., *Siluester verb. Absolutio 4. num. 3. vers. mulieres, & seqq., Barbosa tom. 2. collect. ad c. ea noscitur num. 4. de sententia excom.*, & in hoc standum videtur consilio, & iudicio Medicorum *Rolandus à Valle cons. 22. num. 20. ad fin. lib. 3., Farinacius in praxi crimin. part. 2. q. 76. num. 90., & alij*; in particulari laborantes febre tertiana vel quartana, vel podagra videntur habere legitimum impedimentum *Sairus lib. 3. Thesauri c. 28. n. 24., Suarez tom. 5. disp. 2. sect. 1. num. 63., & 66.*

26 Inimicitia ex qua timeatur capitis periculũ.

Tertiò inimicitiam inducere impedimentum colligitur *ex c. de cætero, & c. quamuis de sent. excomm.* Sed qualis debeat esse hæc inimicitia; communitèr asserunt illam esse, ex qua capitis imminet periculum *Nauarrus in man. c. 27. num.* 88., *Belloeus disp. Cler. part. 1. tit. de fauore Cler. canon. §. 3. num. 13., & 19.* Casus autem, in quibus potest præsumi grauis inimicitia, & ex qua timeri possit mortis periculum enumerant *Hieronymus Gigas in tract. de crimine læs. Maiest. lib. 2. quomodo, & per quos crim. læs. Maiest. probetur q. 2., Menochius de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 37. n. 26., & seqq., Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 12. tit. 5. num. 14., Ioannes Angelus Bossius discept. mor. discept. 1. dub. 13. à num. 132. ad num. 134.* quos vos consulite.

27 Inopia, & qualis.

Quartò inopiam inducere iustum impedimentum colligitur *ex d. c. quamuis de sententia excomm.* Sed quæ inopia ad hoc requiratur, dicendum est, illam requiri, qua stante non possit irretitus casibus Papalibus Romam adire sine graui sui, & suorum præiudicio, & non nisi cum maximo discrimine suæ vitæ, decoris proprij status; hinc in particulari dicuntur habere legitimum impedimentum paupertatis primo illi, qui quidem non viuunt mendicando ostiatim, sed ex proprio artificio, & laboribus, prout notant *Abbas in c. ea noscitur num. 5. de sent. excomm., Barbosa de potest. Episc. alleg. 41. num. 23., & seqq., & tom. 2. collect. in d. c. ea noscitur num. 7. de sent. excomm.*, & ratio est, quia non tenetur mendicando cum verecundia victum sibi quærere; Nec obstat textus *in d. c. ea noscitur*, vbi hæc habentur. *Alios autem siue pauperes, siue diuites sedi Apostolicæ, vel legato eius, vt beneficium absolutionis obtineant, necesse est præsentari.*

28 In hoc in ordine ad diuersas paupertates diuersa statuuntur.

Non, inquam, obstat, quia ille textus intelligendus est de illis pauperibus, qui sine magno sui status detrimento Romam ire possunt, vt notat *Glosa ibid. verbo Pauperes, Nauarrus d. c. 27. num. 88., & seqq., Sairus lib. 3. c. 28., Ioannes Angelus Bossius discept. mor. discept. 1. dub. 13. num. 115.*, vbi quod, qui solitus est mendicare, si aliàs fortis, & robustus sit non excusetur Romam ire, quia non cadit à proprio statu. Secundò, qui, quamuis habeant congruam sustentationem, attento tamen proprio statu, & dignitate non possunt cum illa iter suscipere, nisi grauitèr decidant à proprio statu, & constituantur in tali deterioratione, vt postea teneantur vitam miserimam ducere *Bartolus in l. 1. num. 35. C. de sacros. Eccl., Mascardus de probat. concl. 1154. num. 27.* Tertiò illi, qui tenentur alere vxorem, & familiam, & hoc non præstant, nisi labore, & artificio proprio, nec aliud habent, quo illos alere possint *Nauarrus in man. c. 27. n. 89., & seqq., Sairus lib. 3. c. 28., & alij*. Quartò illi, qui habent multas filias nubiles, quibus dotem dare debent, quam dare non possent, si iter illud susciperent *Surdus de alim. tit. 1. q. 93. num. 33.* In vniuersum, quæ paupertas sufficiens sit ad excusandum, remittendum est iuditio Episcopi, vel alterius viri prudentis *ad not. per Menochium de arbitr. cas. 65., & de præsumpt. lib. 6. q. 25., Surdum de alim. tit. 7. q. 9. num. 10., Gonzalez ad reg. 8. Cancel. glos. 2. num. 43.*

29 Puerilis, & senilis ætas.

Quintò puerilem, & senilem ætatem excusare habetur clarè in *d. c. quamuis, & c. ea noscitur de sent. excomm.* Loquendo de pueris post adeptum vsum rationis, & ante acquisitam pubertatem, quæ in masculis est quarto decimo, & in fæminis duodecimo suæ ætatis anno, vt alibi ostendimus, contendunt nonnulli, inter quos *Emanuel Sà verb. censura num. 2., Molina tom. 4. de iust. tract. 3. disp. 51. num. 8., Fagundez præcept. 2. lib. 1. c. 3. num. 11.*, quod, quamuis sint capaces peccati, non tamen subdantur legibus pænalibus Ecclesiæ quoad censuras, & reseruationes, eo quod Ecclesia indulgens quodamodo ætati, in qua non supponitur perfectum iudicium, non intelligatur eos ad has pænas obligare; secundum quam opinionem non potest esse locus controuersiæ, an deobligentur ab onere adeundi Romanum Pontificem pro absolutione; cum etenim non contrahant nec censuram, nec reseruationem, non est, cur teneantur adire. Quia tamen communius sustinent pueros post adeptum vsum rationis ante pubertatem posse ligari censuris, & reseruationibus, vt signantèr *Coninchus de Sacram., & cens. tom. 2. disp. 13. num. 45., Suarez de cens. disp. 5. sect. 1. num. 17., Siluester verb. Absolutio IV. num. 3. vers. quintus est, Nauarrus c. 27. num.* 88. ideo hac sententia supposita controuertitur, an ratione ætatis possint ab Episcopo absolui; qua

30 Pueri ante acquisitam pubertatem excusantur.

in

in controuersia sentio vtique posse, prout expressè dicitur *in c. fin. de sent. excomm.*, & congrua quidem ratione hoc decernitur, quia ratione minoritatis ætatis pænæ sunt minuendæ, prout ex communi tradit *Farinacius in tract. crimin. q. 15. num. 49. vers. limita secundo*, & hoc non solum perseuerante impubertate, sed etiam acquisita pubertate, si delictum fuerit in impubertate cõmissum per Glosam *in l. sicut, & ibi scribentes, C. de legit. hæredibus, & d. c. fin. de sententia excomm.*, quia quoad pænas attendendum est tempus delicti, non tempus punitionis *Duennas reg. 259., Molina tom. 4. de iust. discept. 36. num. 6., & alij magis communitèr*.

31 Acquisita pubertate, si timeatur ex itinere periculum animę, & corporis excusantur.

Sed, an iuuenes post acquisitam pubertatem contrahentes casum Papæ reseruatum ratione iuuentutis excusari possint ab onere adeundi Romanum Pontificem, & possint absolui à proprio Episcopo. In hoc ego distinguendum existimo, vel etenim ex illa itineratione potest rationabilitèr timeri de aliquo periculo animæ, vel corporis, vel peruersionis in moribus, vel non potest de illo rationabilitèr timeri; si primum, sentio iustè posse excusari, & à proprio Episcopo absolui *Siluester verb. Absolutio 4. num. 3. vers. quintus decimus, Suarez disp. 22. sect. 1. num. 67.*, vbi alios plures allegat. *Bonacina de excomm. disp. 2. q. 4. punct. 5. num. 12.* Si secundum, sentio non excusari, sed teneri Romanum Pontificem adire pro absolutione *Bonacina loc. cit.*, & alij communitèr, qui solum excipiunt, quando itineratio esset periculosa animæ, corpori, & moribus. Ratio primæ partis est, quia non est præsumendum, quod Ecclesia velit obligare cum tanto incommodo, seu pericolo animæ, corporis, & morum peruersionis; lex etenim reseruationis debet esse ad ædificationem, non ad destructionem, & quod ad emendationem inductum est, non debet trahi ad peruersionem.

32 Secus, si nullum timeatur periculū.

33 Senes etiam excusantur.

Loquendo iam de senibus, non est hæsitandum, quin excusentur, vt colligitur tàm *ex d. c. quamuis*, quàm *ex d. c. ea noscitur de sententia excommun.*, & tradunt *Barbosa collect. ad d. c. ea noscitur num. 3., & de potest. Episc. part. 2. alleg. 41. num. 27., Bonacina de excomm. disp. 2. q. 4. punct. 5. n. 15., & alij communitèr*. Ratio est, quia senectus ipsa computatur pro perpetua infirmitate *Monteleon. in tract. de priuil. senect. c. 5., Thomas Actius in tract. de infirmis c. 19., Farinacius in tract. crim. part. 3. q. 92. num. 22.*, nec releuat, quod videantur fortes, & robusti, nam in senibus vires facilè deficiunt, & sunt veluti folia arborum autumnalia, quæ facilè à ventis circunferuntur. Si autem quæratur quinam sint senes, qui excusantur, & qua ætate censendi sint tales, dicam hoc iudicio Episcopi, vel prudentis viri remittendum esse. Consulite in hoc *Ioannem Angelum Bossium de tripilici Iubil. priuil. sect. 4. cas. 22. §. 6. à num. 27. ad 111.*

34 Etiam fragilitas sexus excusat.

Sextò, fragilitatem sexus excusare ab itinere ad Romanum Pontificem, & conferre auctoritatem Episcopo absoluendi, etiam euincitur *ex d. c. quamuis, & c. ea noscitur, & c. de Monialibus, & c. mulieres de sententia excommun.*, & tradunt *Siluester verb. Absolutio 4. num. 3. vers. mulieres, August. Barbosa de potest. Episcopi part. 2. alleg. 41. num. 30., Suarez tom. 5. disp. 2. sect. 1. num. 63., Alterius tom. 1. lib. 5. disp. 22. c. 2. q. 2.*, & alij communitèr. Ratio deducitur non solum ex sexus fragilitate, quam considerant allegata iura, sed etiam ob pericula, quibus exponuntur, & decentiam fæmineæ conditionis, hæcque verificantur, etiam si fæminæ, quæ sic deliquerunt, sint diuites, sui iuris, & fortes, quia semper viget fragilitas sexus, & honestas status; nam textus allegati loquuntur simplicitèr non distinguentes inter diuites, & pauperes, fortes, vel debiles, nuptas, & viduas. Ex quibus à fortiori euincitur, quod excusentur Moniales claustrales, quia præter fragilitatem sexus habent clausuram perpetuam, vt euincitur *ex d. c. de Monialibus de sent. excommun.*

35 Etiam corporis impotẽtia.

Septimò, corporis impotentiam excusare a tali itinere, & conferre potestatem Episcopo absoluendi liquet *ex cit. c. quamuis, & c. ea noscitur*, vt si sint membris destituti, cuiusmodi sunt claudi, cæci, atracti, debiles, qui absque periculo, vel absque magno, & notabili incommodo nequeunt iter suscipere, perspicitur clarè ex allegatis textibus *in c. quamuis, & c. ea noscitur*, & tradunt *Ioannes Angelus Bossius de tripl. Iubil. priuil. sect. 4. cas. 22. §. 6. num. 115., & seqq., Siluester verb. Absolutio 4. nu. 3., & seqq., Nauarrus c. 27. n. 89., & seqq., Sairus lib. 3. Thesauri c. 28. n. 32.* Ad hoc caput reduci possunt delitiosi, de quibus est sermo *in c. mulieres de sententia excomm.* isti autem sunt nobiles, & magnæ potentiæ viri, & ita delicati, vt rationabilitèr timeri possit de sanitatis periculo, si longum iter assumerent. De his tamen aduertendum est, quod nequeant ab Episcopo absolui, nisi prius consulatur Romanus Pontifex de eorum statu, & ab eo quid agendum sit, statuatur. Hoc expressè habetur *in d. c. mulieres de sententia excomm.* Ad hoc etiam caput reduci possent carcerati, si carceratio debeat esse diutina, vel perpetua, hæc etenim habetur pro impotentia corporis extrinseca;

36 Quinam veniant nomine corporis impotẽtium.

No-

Nomine autem carceratorum veniunt non solum illi, qui detinentur in vinculis, sed etiam illi, qui à vinculis absoluti habent domum propriam pro carcere, vel palatium Prætorium, vel totam Ciuitatem sub præcepto ab illis non exeundi sub grauibus pœnis, vel etiam illi, qui sunt dimissi a carceribus sub fideiussione comparendi toties, quoties fuerint vocati; item illi, qui in pœnam delictorum suorum sunt deportati in aliquem locum, à quo nequeant discedere. Hæc omnia colligo ex *Ioanne Angelo Bossio discept. mor. discept. 1. dub. 13. à num. 94. ad 102., & de tripl. Iubil. priuil. sect. 4. c. 22. §. 6. à n. 71. ad 75.*

37 Ratione subiectionis excusantur filij familias, & serui propriè dicti.

Octauò, subiectionem alterius potestati excusare ab illo itinere, ità vt innodatus casu Papali possit absolui à proprio Episcopo etiam liquet *ex d. c. quamuis de sent. excomm.*; hæc etenim continetur sub verbo Canonici impedimenti relati *in d. c. quamuis*. Ratione eiusdem excusantur filij familias, & serui propriè accepti, si eorum Patres, & Domini resistant per textum *in c. mulieres, & c. relatum de sent. excomm.*, & in hoc consentiunt *Nauarrus in man. c. 27. num. 88., Augustinus Barbosa de potest. Episcopi allegat. 41. nu. 29., & alij*; cum etenim non sint sui iuris, sed sub aliena potestate, legitimè reluctante eius, sub cuius dominio sunt, voluntate, impediuntur; quod, si supponas, quod allegando causam de facili possent consequi consensum Patrum, & Dominorum; tunc dicerem, quod tenerentur illum exigere allegando causam aliquam, non tamen illam, vt absoluantur à casu Papali, quia non tenentur propriam famam prodere, quando delictum non esset notorium; verum tamen est, quod, si esset occultum, posset ab Episcopo absolui, vt supra probatum est. Dixi, *filij familias*, quatenus sunt sub patria potestate, nam, si essent emancipati à Patre, certè tenerentur adire Romanum Pontificem, cum non haberent excusationem subiectionis; ab illa etenim eximuntur per emancipationem. Procedunt etiam quæ diximus de filio familia non solum, quando impubes est, sed etiam quando maior est effectus, quia causa excusans ex capite, de quo loquimur, non est debilitas, sed subiectio, quæ æquè est in maiori, ac in minori, quando vterque est sub patria potestate. Dixi, *serui propriè accepti*, quatenus sunt sub dominio, & potestate Dominorum, nam famuli, & alij, qui deseruiunt recepta mercede, ex hoc capite non excusantur; possunt tamen ex alio capite excusari, nempè ratione paupertatis, vt si tali afficiantur, vt iter habere non possint, nisi emendicando ostiatim.

38 Intellige, si Pater, & Dominus resistant.

Hic tamen duo aduertenda sunt *ex d. c. relatum de sent. excomm.* Primum est, quod, quamuis Domini possent compelli, quando eis graue damnum ex profectione seruorum ad Romanam curiam non emergere posset, ad permittendum eandem profectionem, excusarentur tamen à tali permissione, si serui in fraudem Dominorum delictum, seu delicta reseruata Papæ commisissent, ad effectum scilicet, vt se subtraherent pro illo tempore à Dominorum subiectione; nam in ea hypothesi possent ab Episcopo absolui, qui tamen teneretur vltra pœnas congruas delictis alias iniungere in recompensationem laboris itineris, quem cæteroqui tenerentur subire, prout expressè habetur *in d. c. relatum*, & ex eodem colligunt *Hostiensis ibidem, & Astensis in summa part. 2. lib. 7. tit. 23. arg. 3. §. vndecimus, Sairus lib. 3. thesauri c. 28., Ioannes Angelus Bossius discept. mor. discept. 1. dub. 13. nu. 124.*; nec solum excusaretur Dominus à tali permissione, quando seruus deliquit in fraudem ipsius, sed etiam, quando ex tali profectione serui graue damnum Domino oriri deberet, vt *ex d. c. relatum* manifestè colligitur. Secundum est, quod, si excessus serui esset valdè grauis, & enormis, & graue scandalum ingessisset, absolutè mittendus esset pro absolutione ad Romanam curiam nihilo releuante, quod in fraudem Domini deliquerit, vel quod eius absentia esset valdè damnosa Domino, prout expressè habetur *in eodem c. relatum* Ibi- *dummodo non sit ita grauis, & enormis excessus, vt propter vitandum scandalum, & tollendum exemplum, huiusmodi serui ad seruum seruorum Dei venire debeant absoluendi*, & ratio ea est, quia ità exigit bonum publicum, quod præualere debet bono priuato Dominorum, vt scilicet euertantur à Republica scandala, & exempla exormiorum criminum per exemplarem illam coercitionem missionis ad Romanam curiam, & punitionis per Pontificem iniungendæ.

39 Non tenetur Dominus permittere seruo discessũ, si in eius fraudem deliquerit.

40 Teneretur tamẽ permittere, si excessus serui esset enormis.

Hoc idem, quod modo dictum est de seruis delinquentibus in fraudem Dominorum, & quorum profectio esset grauitèr noxia eisdem Dominis, dicendum est de filijs familias; ita tamen, vt, si illorum delictum esset valdè enorme, & scandalosum, compellendi sint Romanam curiam adire; & hoc non solum ex paritate rationis, sed etiam, quia de ijs est expressus textus *in c. cum illorum de sententia excomm.* Aduerte hic tamen tam in ordine ad seruum, quam ad filium familias, quod in casibus, quibus deliquerint in fraudem Patrum, & Dominorum, & eorum prof-

41 Idem intellige de filijs familias, si eorũ delicta sint ex atrocioribus, & plenis scandalo.

fectio ad Romanam curiam deberet esse valdè noxia Dominis, & Patribus, si tamen compellendi essent ad adeundum Romanum Pontificem ob atrocitatem delicti, non sufficeret disiunctiuè atrocitas delicti, & scandalum ex eodem inductum, sed vtrumque requireretur copulatiuè, vt optimè notarunt *Suarez disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 86., *Ioannes Angelus Bossius discept. mor. discept.* 1. *dub.* 13. *num.* 129., cum Pontifex videatur vtrumque requirere, &, cum agatur de pœnalibus, ad eadem incurrenda requiritur omnis qualitas enunciata.

Nonò, iuris beneficium etiam excusare à susceptione talis itineris habetur *ex dicto c. quamuis de sententia excomm.* Sub hoc nomine beneficij iuris, seu gaudentium eodem intelligo eos, qui curam habent animarum, quæ ex eorum absentia graue damnum paterentur, nisi aliundè illis consuleretur, prout notant *Nauarrus in man. c.* 27. *num.* 89. *vers. ad tertium*, *Grassius lib.* 1. *decis. aur. c.* 13. *num.* 69., *Augustinus Barbosa tom.* 2. *collect. in decretales c. de cætero num.* 4. *de sent. excom.* Item eos, qui curam, & gubernium habent Ciuitatis, vel Prouinciæ, cuiusmodi sunt Principes, Præsides, & Gubernatores, quando nonnisi cum graui detrimento, vel cōmuni, vel priuato diu abesse nequeunt, vel nequeunt iter suscipere, nisi cum periculo propriæ infamiæ, vel scandali, vt notant *Suarez d. disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 66., *Sairus d. c.* 28. *num.* 22., *Ioannes Angelus Bossius discept. mor. discept.* 1. *dub.* 13. *num.* 135. Item eos, qui curam habent familiæ, &, si discederent Romam profecturi pro absolutione, relinquerent vxorem, filios, & filias sine regimine, & in magnis temporalibus necessitatibus, & multo magis, si relinquere deberent cum periculo animæ, & morum peruersionis *Nauarrus in man. c.* 27. *n.* 89., *Laiman Theol. mor. lib.* 1. *tract.* 5. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 3., *Suarez d. disp.* 22. *sect.* 1. *num.* 65., & *alij*.

42 Quinam ratione iuris beneficij excusentur à tali profectione.

Tandem, omnes illas causas excusare, quæ iudicio Episcopi, vel alterius prudentis viri sufficientes iudicantur ad eximendum ab onere illius profectionis, vel quia profectio ipsa esset cum periculo animæ, vel corporis, vel famæ, & honoris, vel bonorum fortunæ.

43 In alijs Episcopus diiudicet.

44 An Episcopus teneatur imponere onus se præsētādi cessante impedimēto.

Dubium IV. An, & quando Episcopus, vel alius inferior habens potestatem absoluit à casibus Papalibus ratione impotentiæ, seu canonici impedimenti teneatur imponere onus absoluto, se præsentandi Romano Pontifici, cum primum poterit, & an ipse absolutus teneatur se præsentare, & sub qua pœna, seu onere.

In hoc conueniunt communitèr, quod, quando impedimentum est ex genere suo perpetuum, non sit hoc impedimento irretito iniungendum præceptum se præsentandi Pontifici, cui casus ille est reseruatus, nam, cum causa impediens illum excuset ab adeundo, tunc cum absoluitur ab Episcopo, perpetuitas eiusdem causæ excusat à semper adeundo, & inutilitèr iniungeretur præceptum, quod nunquam posset adimpleri. Hac de causa non est iniungendum præceptum se præsentandi senibus, nec Monialibus, nec mulieribus, nec claudis, nec cæcis, & ijs omnibus, quorum impedimentum est perpetuum, & in hoc communitèr consentiunt.

45 Si impedimentū sit perpetuum nō tenetur tale onus imponere.

Quando verò impedimentum est temporaneum, tunc regularitèr hoc præceptum se præsentandi est iniungendum, quod pœnitens tenetur acceptare, & exequi *Siluester verb. Absolutio* 1. *num.* 8., *eodem verbo Absolutio* 3. *nu.* 16., *Nauarrus c.* 27. *num.* 113., *Vgolinus de censur. Papæ reseruatis part.* 3. *c.* 2. §. 1. *num.* 1., *Sanchez in summa lib.* 2. *c.* 13. *num.* 24., *Vasquez de pœnit. q.* 91. *art.* 3. *dub.* 8. *num.* 6., *Bonacina de excom. disp.* 2. *q.* 4. *punct.* 5. *num.* 17. Hoc manifestè euincitur *ex c. de cætero*, *ex c. quod de his*, & *ex c. quamuis de sent. excom.*, & *ex c. eos, qui eod. tit. in sexto*, & *ex Clem. si quis suadente*, §. *cæterum de pœnit.*

46 Quando est tēporaneum regulariter tenetur.

Dixi, *regularitèr*, non etenim negauerim in aliquibus casibus etiam impedimenti temporalis non esse ex necessitate iniungendum huiusmodi præceptum; & primò, quando casus Pontifici reseruatus contractus est ab impuberi durante impubertate, quantumuis absolutio posita fuerit post acquisitam pubertatem, vt tradunt *Panormitanus in c. vlt. de sent. excommun.*, *Ioannes Angelus Bossius discept. mor. discept.* 1. *dub.* 13. *num.* 107., *Sairus lib.* 3. *c.* 28. *num.* 20. Ratio est, quia in hac hypothesi facultas, quæ Episcopo conceditur absoluendi pueros, qui deliquerunt in impubertate, siue absolutio fiat perseuerante impubertate, siue acquisita pubertate, non est ratione impedimenti Romam adeundi, sed ratione minoris ætatis, in qua fuit commissum delictum, Ibi-*Cum propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus*, ratione cuius à Pontifice conceditur facultas absolutè absoluendi. Quod si dicas, quod, quamuis puberes regularitèr, si commiserint delictum acquisita iam pubertate excusentur ab onere Romanam curiam adeundi propter periculum corporis, animæ, & morum, vt asserit *Angelus verbo Excommunicatio* 5. *n.* 56. attamen eisdem iniungendum sit onus se præsentandi, cum absque morali periculo corporis, animæ, & morum poterunt,

47 Excipe, quando casus est contractus ab impuberi.

48 Etiam si tempore absolutionis factus esset pubes.

ac

ac proinde idem sit asserendum de impuberibus, cum facti fuerint puberes; statim impugnaberis, quia non militat eadem ratio, quandoquidem, cum in puberibus lapsis in excessu acquisita iam pubertate non consideretur ille defectus considerationis, qui consideratur in impuberibus, ideo quoad istos iura temperant rigorem, non quoad illos.

49 Liberatus ab impedimento perpetuo per miraculum non tenetur adire.

Secundò, quando extante per se impedimento perpetuo quis per miraculum, non viribus naturæ ab eodem liberatur; tunc etenim absolutus illo durante, & liberatus ab illo per miraculum non tenebitur se præsentare Superiori, cui casus erat reseruatus; miraculum etenim ipsum demit quodcunque onus, & cessare facit quamcunque positiuam dispositionem, & res consideratur, ac si non esset ablatum impedimentum, & miraculum, quod soluit impedimentum, non obligat ad ea, quæ non obligant extante impedimento, cum sit extra cursum naturalem.

50 Si casus non habeat annexam excommunicationem potest absolui sine tali onere.

Tertiò, in casu, quo darentur casus Papales, sicuti plerique admittunt, qui non haberent annexam excommunicationem, tunc etenim, si eisdem innodatus in articulo mortis absolueretur à simplici Confessario, vel ab Episcopo ratione impedimenti etiam non perpetui, non teneretur cessante impedimento se præsentare Romano Pontifici *Grassius lib. 1. decis. c. 13. num. 68.*, *Nauarrus in man. c. 26. num. 26.*, *Augustinus Barbosa de potest. Episc. part. 2. alleg. 25. num. 8.*, *Suarez de pœnit. disp. 30. sect. 3. nu. 6.*, *Alterius tom. 1. de cens. lib. 1. disp. 6. c. 7.*, *Laiman lib. 1. tract. 5. p. 2. c. 6. num. 4.* Hoc patet ex ijs, quæ docuimus in præcedentibus de discrimine, quod intercedit inter absolutionem à peccatis, & absolutionem à censuris.

51 Regulariter in alijs tenetur exacta cautione tale onus imponere.

In casibus igitur, in quibus ratione impedimenti temporalis obligatur pænitens post obtentam absolutionem ab Episcopo ad se præsentandum Pontifici cessante impedimento, tenetur Episcopus, vel alius habens potestatem iniungere tale onus, & exigere iuramentum de se præsentando, quam primum poterit cessante impedimento, vt clarè euincitur *ex c. de cætero, ex c. quod de his de sententia excomm., & ex c. eos, qui de sententia excomm. in sexto*, & pænitens ipse tenetur præceptum illud adimplere, & exequi, cæteroqui reincideret in eandem excommunicationem, vt clarè deducitur ex allegatis textibus.

52 Quid dicendum, quando potest adire per literas.

Dubium V. An innodatus casu Papali, si personalitèr ratione impedimenti Canonici nequeat Romam adire, possit tamen adire per Procuratorem, vel per Epistolam omisso Procuratore, & Epistola possit petere absolutionem ab Episcopo, ab eoque validè absolui.

53 Sententia Bonacinæ asserentis, tunc non posse absolui ab Episcopo.

Negat *Bonacina de cens. disp. 1. q. 3. punct. 2. num. 4. vers. Ego verò existimo*, posse ab Episcopo absolui, sed teneri saltem per literam à Romana sede exigere absolutionem, seu facultatem, vt ab inferiori absoluatur. Aliud fundamentum huius suæ opinionis non adducit, nisi præsumptæ voluntatis Romani Pontificis, qui non censetur indulgere, vt Episcopus possit a casibus ipsi reseruatis absoluere, nisi in casu, quo ipse Pontifex non possit adiri; quando autem ad ipsum facilis patet aditus per Procuratorem, vel per literam dici non potest, quod non possit adiri. In huius confirmationem adducit paritatem de ijs, qui canonico impedimento tenentur, ne inter se contrahant matrimonium, qui quamuis personalitèr nequeant Romanum Pontificem adire pro dispensatione, tenentur per Procuratorem, vel per literam adire.

54 Sententia aliorum volentiū tunc posse absolui.

Communius tamen sentiunt in casu legitimi impedimenti adeundi personalitèr, posse per Episcopum absolui seruatis debitis cautionibus, nec teneri per Procuratorem, vel per literas adire, posse tamen, si velit *Nauarrus in man. c. 27. n. 90.*, *Vgolinus de casib. Bullæ part. 3. c. 2. §. 4. n. 1. vers. item locum, & de censur. tab. 1. c. 4. §. 5. num. 13. in fin.*, *Sanchez lib. 2. summæ c. 13. num. 14.*, *Augustinus Barbosa tom. 4. collect. in Decretum part. 2. caus. 17. q. 4.*, *& alij plures*, quos citat, & sequitur *Ioannes Angelus Bossius discept. mor. discept. 1. dub. 3. num. 23.* Ratio est, quia omnia allegata iura *in c. de cætero, c. mulieres, c. de Monialibus de sent. excom., & c. eos, qui eod. tit. in sexto, & Clem. si quis suadente, §. cæterum de pænit.* existente impedimento canonico tribuunt facultatem simplicitèr Episcopo absoluendi, nec aliquem exigunt recursum per Procuratorem, vel per literas, ergo Episcopus poterit iustè vti tali facultate, nec tenebitur exigere huiusmodi accessum, vel per literas, vel per Procuratorem; quod enim lex non exigit, nec ipse tenetur exigere. Quod, si dicas, vsu receptum esse, vt recursus fiat ad sacram Pænitentiariam per literas, & ab eadem expectetur facultas absolutionis, qui recursus de facili non haberetur, si huiusmodi casus possent per Episcopum absolui; statim impugnaberis, quia non obstante facultate Episcopis concessa absoluendi à casibus Papalibus existente canonico impedimento in Pænitentibus irretitis huiusmodi casibus valdè vtilis est recursus ad sacram Pænitentiariam, quia per illam obtinetur absolutio, seu facultas absoluendi absolutè, qua posita non viget amplius onus se præsentandi ad Roma-

manam ſedem, quod onus adhuc vigeret, ſi abſolutio impenderetur ab Epiſcopo ex facultate ipſi conceſſa per allegata iura canonica.

55 Auctor remiſſiuè ſe habet.

Quid in hoc ſentiendum ſit, tu cogita. Hoc vnum certum eſt, quod praxis obtinuit, vt ad ſacram Pænitentiariam recurratur.

56 An Epiſcopus poſſit abſoluere patente aditu ad Legatum

Dubium VI. An, ſi adiri non poſſit Romanus Pontifex pro abſolutione caſuum ipſi reſeruatorum, poſſit tamen adiri eius Legatus à latere, poſſit nihilominus Epiſcopus ſuum ſubditum ab eiſdem abſoluere.

Negant abſolutè, Epiſcopum in hac hypotheſi poſſe abſoluere, & aſſerunt pro abſolutione adeundum eſſe Legatum *Nauarrus in man. c. 27. num. 89.*, *Sanchez in ſumma lib. 2. c. 13. num. 11.*, *Bonacina de cenſur. diſp. 1. q. 3. punct. 3. num. 4. verſ. rurſus addit.*, *Coninchus de cenſ. diſp. 14. dub. 16. nu. 241.*, *Filliutius tom. 1. tract. 7. c. 10. num. 289.*

57 Sentẽtia negans poſſe abſoluere.

Ratio huius ſententiæ negatiuæ eſt, quia conceſſio facta Epiſcopis abſoluendi ab huiuſmodi caſibus non eſt abſoluta, ſed dumtaxat propter neceſſitatem; hæc autem neceſſitas non vrget, quando adiri poteſt Legatus Pontificis. Accedit, quod in allegatis iuribus *in c. ea noſcitur, & in c. quamuis de ſententia excommun.* Pontifex abſolutè aſſerit, quod in huiuſmodi caſibus adeundus ſit ipſe Pontifex, vel eius Legatus, ergo patente aditu ad Legatum Epiſcopus non poterit in hoc ſe ingerere. Propter has rationes nonnulli etiam aſſerunt, qnod, ſi non poſſit adiri Pontifex, vel eius Legatus, poſſit tamen adiri alius habens priuilegium, adhuc Epiſcopus non poſſit ſe ingerere, ſed adeundus ſit hic priuilegiatus.

58 Sentẽtia affirmãs, & eius rationes.

Affirmant verò, poſſe Epiſcopum abſoluere ab huiuſmodi caſibus, quantumuis poſſit adiri Legatus Papæ *Henriquez lib. 6. ſummæ c. 10. num. 1. lit. D.*, *Laiman lib. 1. tract. 5. p. 2. c. 6. num. 6.* hancque affirmatiuam opinionem valdè probabilem exiſtimat *Ioannes Angelus Boſſius diſcept. mor. diſcept. 1. dub. 5. num. 26. verſ. ad caput autem.* Rationes plures ad hanc ſententiam comprobandam adducunt, quæ tamen in hanc coincidunt, nempè, quod Epiſcopus poſt Papam eſt Paſtor ordinarius, & proprius, ergo impedito acceſſu ad Papam recurſus eſt habendus ad ipſum Epiſcopum, nec alius in hoc ex neceſſitate requirendus, cum tunc Epiſcopus abſolueret poteſtate ordinaria ſibi reſtituta, quæ fuerat ſublata per reſeruationem.

Media via in hoc procedendum eſſe exiſtimo; vel etenim caſus, circa quos impendenda eſt abſolutio, ſunt ſpecialitèr reſeruati Pontifici, & eius Legato, quatenus ipſi ſpecialitèr, & expreſsè conceſſa eſt facultas abſoluendi, vt ſpecialitèr eſt reſeruata, & reſpectiuè conceſſa quoad percuſsionem grauem, & enormem Clerici; vel ſunt præcisè reſeruati Romano Pontifici, nec eius abſolutio ſpecialitèr eſt conceſsa Legato.

59 Si caſus ſint ſpecialitèr reſeruati Pontifici, & eius Legato Epiſcopus non poteſt abſoluere.

In ordine ad primos ſentio, non poſse Epiſcopum abſoluere, quando facilis patet aditus ad Legatum Pontificis. In ordine ad ſecundos ſentio, Epiſcopum poſse ſuos ſubditos abſoluere. Quoad primam partem videntur conſentire *Molina tom. 4. de iuſt. tract. 3. diſp. 58. num. 5.*, *Duardus ad Bullam Cænæ lib. 3. §. 2. quæſt. 8. n. 56.* Quoad ſecundam conſentiunt omnes pro ſententia affirmante allegati. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod Pontifex *in d. c. ea noſcitur, & c. quamuis de ſententia excomm.* facultatem tribuens Epiſcopis abſoluendi loquitur exiſtente impedimento canonico reſpectu pænitentis adeundi Romanum Pontificem, & ſpecialitèr de excommunicatione contracta ob grauem Clerici percuſsionem, vt legenti ſit manifeſtum, & tamen Pontifex ibi vult, quod adiri debeat pro abſolutione Legatus, & ſolum, quod Epiſcopus poſsit abſoluere, quando nec Pontifex, nec Legatus adiri poteſt, ergo ex mente Pontificis non poteſt Epiſcopus abſoluere, quando patet aditus ad Legatum.

60 Si ſint ſimplicitèr reſeruati Pontifici poteſt abſoluere.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quod facultas abſoluendi vtpotè fauorabilis eſt extendenda, & reſtrictio eiuſdem vtpotè odioſa, minuenda, ergo facultas Epiſcopi ad illa poteſt extendi, ad quæ non eſt ſpecialis, ſpecifica, & expreſsa reſtrictio; ſed in iure reſtrictio expreſsa, & ſpecifica eſt dumtaxat quoad caſus Papales ex enormi, vel graui Clericorum percuſsione, propter quam vult recurrendum eſse, vel ad eundem Pontificem, ſi poteſt, vel, ſi non poteſt, ad eius Legatum, ergo reſtrictio non eſt intelligenda quoad alios caſus non expreſsos.

SEC-

SECTIO VI.

An Parochus, alijque Confessarij expositi possint absoluere à casibus Episcopalibus extra mortis articulum, si non sit facilis aditus ad Episcopum.

SVMMARIVM.

Sententia asserens, nec per Parochum, nec per alios Confessarios inferiores posse extra mortis articulum absolui à casibus Episcopo reseruatis. 1.
Fundamentum huius opinionis desumptum ex Concil. Trident. 2.
Item ex decreto Sacræ Congregationis. 3.
Sententia docens posse absolui imposito onere se præsentandi Episcopo, & recepta cautione. 4.
Iura, quibus innititur hæc sententia. 5.
Exponitur textus in c. nuper de sententia excomm. 6.
Stante moderno more, quo constituuntur Vicarij Generales, & Pænitentiarij Cathedralium vix possunt Parochi ex hoc capite absoluere. 7.
Non valet argumentum ab impedito adire Romanum Pontificem valente tamen adire eius Legatum, ac de impedito adire Episcopum, non tamen eius Vicarium, & quarè. 8.
Data suppositione, quod non posset esse aditus, nisi post longum tempus ad Episcopum, vel ad habentem facultatem absoluendi, vtique posset proprius Confessarius illum absoluere sub onere &c. 9.
Quomodo illa absolutio quoad reseruata possit dici indirecta. 10.
Discrimen, quod in hoc intercedit inter absolutionem à censuris reseruatis, & à peccatis reseruatis. 11.

PLura hac de re diximus sparsim in præcedentibus; nunc de eadem ex professo agendum, circa quam supponimus adesse sufficiens impedimentum adeundi Episcopum in irretito casibus Episcopalibus.

1 Sentētia docēns nec Parochum, nec alios inferiores extra mortis articulū posse absoluere.

Duas circa præsentem titulum opiniones extremè oppositas adinuenio. Prima est *Suarez de pænit. disp. 30. sect. 3. num. 12., Alterij de cens. tom. 1. lib. 1. disp. 6. c. 6. vers. si quis postulet, Filliutij tom. 1. tract. 7. c. 10. nu.* 189. asserentium nec inferiores Confessarios, nec Parochum posse extra mortis articulum absoluere à casibus Episcopis reseruatis, quamuis non sit facilis aditus ad ipsos. Rationes plures pro hoc asserto adducunt; primò, quia non militat dispositio *c. ea noscitur, & c. quamuis de sent. excomm.* quoad casus Episcopo reseruatos in ordine ad Parochos, aliosque Sacerdotes approbatos, quæ militat quoad casus Papales in ordine ad Episcopos; siquidem ex pluribus causis est difficilior aditus ad Romanum Pontificem, ac sit ad proprium Episcopum; tum quia non fuit necesse, vt Pontifices in allegatis textibus æquè disponerent de casibus sibi reseruatis, ac de reseruatis Prælatis inferioribus, cum isti per statuta, & leges particulares possent disponere.

2 Innititur dispositioni Cōcilij Tridentini.

Secundò, quia *Concilium Tridentinum sess. 14. c. 7.* solum facultatem concedit Confessarijs inferioribus, alijsque Sacerdotibus absoluendi in articulo mortis, extra quem nullam potestatem in istis agnoscit, ibi. *Extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pænitentibus persuadere nitantur, vt ad Superiores, & legitimos Iudices pro beneficio absolutionis accedant*, quæ exceptio non fit in casibus Papalibus, cum de his sit in iure communi prouisum; ex quibus duo infero; primum, quod extra mortis articulum quocunque alio impedimento existente non possint simplices inferiores Confessarij absoluere. Secundum, quod in ordine ad istos casus particulares non fuerit per legem communem Pontificiam dispositum, adeoque non veniant sub illa dispositione *c. ea noscitur, & c. quamuis de sent. excomm.*

3 Item decreto Sacræ Congregationis.

Tertiò, quia decretum Sacræ Congregationis sub Clemente VIII. emanatum sub die 9. mensis Ianuarij 1601. expressè disponit in hæc verba, *vt in nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo sine noua, & speciali licentia Suæ Sanctitatis Confessarijs Saecularibus, siue Regularibus per vniuersam Italiam extra vrbem degentibus liceat absoluere à casibus reseruatis in eodem decreto expressis*, inter quos etiam enumerantur casus Episcopis reseruati, quod decretum Vrbanus VIII., seu Sacra Congregatio iussu eiusdem extendit etiam extra Italiam, ergo &c.

4 Sentētia docens posse absolui imposito onere, & recepta cautione.

Secunda docet, posse in ea hypothesi Parochum, & alios Confessarios expositos absoluere pænitentes imposito tamen eisdem onere, & recepta cautione se præsentandi Episcopo, cum primum poterunt. Hanc sententiam amplectuntur *Henriquez lib. 6. summæ c. 15. num. 3. lit. I. in glosa in fine*, vbi alios plures allegat, & tanquam probabilem admittunt *Suarez de pænit. disp. 30. sect. 3. num. 12., & seqq., Alterius disp. 6. c. 6. vers. si quis postulet allegati à Ioanne Angelo Bossio discept. mor. discept. 1. dub. 11. num. 69.* Rationes etiam plures pro hac sententia adducunt. Prima est, quia

quia ratio, cui innituntur textus *in c. de cætero,& in c. ea noscitur de sent. excommun.* æquè probat, posse Parochos, aliosque Confessarios inferiores expositos absoluere à casibus Episcopalibus extante difficultate Episcopum adeundi, ac posse Episcopos absoluere à Papalibus extante impedimento canonico Papam adeundi, ergo eadem dispositio intelligenda est pro vtroque casu. Antecedens probatur, quia ratio illorum textuum in ordine ad casus Papales est, ne diù differatur absolutio cum periculo animarum, quæ sunt irretitæ casibus Papalibus, quæ ratio etiam militat in ordine ad Episcopales.

5 Iura quibus innititur hæc sententia

Secunda est, quia, quamuis textus *in d. c. de cætero, & c. ea noscitur* sumpti secundum corticem literæ videantur solum comprehendere Papales in ordine ad Episcopos, alij tamen textus, qui loquuntur de hac materia, apti sunt ad æquè comprehendendos Episcopales in ordine ad Parochum, aliosque Confessarios inferiores, ac Papales in ordine ad Episcopos, vt præcipuè videre est *in c. eos, qui de sent. excomm. in sexto*, vbi tam in titulo, quam in corpore sermo non est restrictus ad absolutionem Episcopi in ordine ad Papales, sed extensus ad absolutionem inferiorum in ordine ad casus reseruatos Superioribus quibuscunque. Ibi enim dicitur, *cum ad illum, à quo alias fuerant absoluendi*, quæ particula, *illum*, apta est æquè ad significandum Pontificem, ac Episcopum, aliumque inferiorem Superiorem.

6 Exponitur textus *in c. nuper de sent. excom.*

Tertia deducitur *ex c. Nuper de sent. excomm.*, vbi existente legitimo impedimento conceditur facultas Parocho absoluendi etiam à Papalibus. Ibi- *Verum si difficilis sit ex aliqua iusta causa, quod ad ipsum excommunicatorem absoluendus accedat, concedimus indulgendo, vt præstita iuxta formam Ecclesiæ cautione, quod excommunicatoris mandato parebit, à suo absoluatur Episcopo, vel proprio Sacerdote*, vbi duo nota; primum, quod non est sermo restrictè ad excommunicationem Papalem, sed ampliatiuè ad quemcunque excommunicatorem; secundum, quod æquè, existente difficultate accedendi ad excommunicatorem, tribuitur facultas Episcopo, ac proprio Sacerdoti; vnde sic potest argui; vel dispositio huius textus refertur solum ad casus Papales, vel ampliatur ad Episcopales; si primum dicatur; cum proprio Sacerdoti tribuatur existente impedimento facultas absoluendi a Papalibus, intelligi etiam debet tributa absoluendi ab Episcopalibus; quod etenim concessum est quoad maius, intelligitur etiam concessum quoad minus; Si secundum dicatur; habetur intentum pro hac secunda opinione, quod scilicet Parochus existente difficultate adeundi Episcopum possit absoluere ab Episcopalibus. Quid iam in hac controuersia concludendum?

Conclusio I. Stante moderno, & consueto ordine, quo reguntur Ecclesiæ, secundum quem per Episcopos ad gubernium Diæcesis in temporalibus, & spiritualibus constituuntur Vicarij Generales, & in catedralibus Pænitentiarij, vix potest considerari difficilis aditus ad Episcopum, ac propterea vix potest esse facultas ex hoc capite respectu Parochi, & Confessariorum expositorum absoluendi ab Episcopalibus, qui propterea regularitèr loquendo iuxta præscriptum *Tridentini d. sess. 14. c. 7.*, & decretum Clementis VIII. nequeunt absoluere.

7 Modo, si non potest adiri Episcopus potest adiri eius Vicarius, seu Pænitentiarius.

Ratio est, quia dato etiam, quod sit difficilis accessus ad Episcopum, non potest tamen esse difficilis ad eius Vicarium Generalem, & ad Pænitentiarium maiorem, in quibus residet potestas absoluendi; nec est necesse pro huiusmodi absolutione adire ipsam Episcopi personam; nam, sicuti absolutus ratione impedimenti ab inferiori, nempè ab Episcopo quoad casus Papales, & ex præcepto eidem iniuncto obligatus se præsentare Pontifici, vel sedi Apostolicę non est necesse, vt absolutionē petat ab ipso Summo Pontifice, sed sufficit, quod habeat à summo Pænitentiario, vt tradunt *Crassus de effect. Cler. effect. 9. n. 184.*, *Ioannes Angelus Bossius discept. mor. discept. 1. dub. 14. num. 153.*, ita, qui absoluendus est ab Episcopo ratione reseruationis per eundem sibi factæ, non est necesse, quod absolutionem ab eodem petat, sed potest ab eius Vicario petere, vel à maiori Pænitentiario in illa Diæcesi; vnde, cum ad istos possit facilis esse aditus, non est, cur possit Parochus, vel alius expositus Confessarius sibi assumere hanc facultatem absoluendi eisdem denegatam per Concil. Trident., & decretum Clementis VIII.

Dices ex supradictis, Impeditus personalitèr adire Romanum Pontificem, & potens adire ipsius Nuntium, si excipias casum excommunicationis contractæ ob grauem Clerici percussionem, seu alias, si quæ sunt, quarum absolutio specificè, & expresè reseruetur Pontifici, vel eius nuntio, non tenetur sic impeditus adire nuntium, sed potest ab Episcopo proprio absolui, ergo etiam ob difficilem accessum impeditus personalitèr adire Episcopum, quantumuis possit adire eius Vicarium, vel Pænitentiarium maiorem, non tenebitur hos adire, sed poterit à proprio Parocho, vel alio Confessario absolui. Sed contra primò, quia Episcopi, & eius Vicarij Generalis est vnum, & idem Tribunal,

8 Soluitur argumētum ab impedito adire Pōtificem, valente tamen adire eius Vicariū.

nal, eandemque habent potestatem ordinariam, vnde recursus siue ad vnum, siue ad alterum semper præsumitur esse ad eundem, nec pænitens potens adire Vicarium potest habere causam excusationis illum adeundi, cum perinde sit, ac si adiret Episcopum, quod non militat in ordine ad recursum ad Nuntium, qui ex vno capite non constituit idem Tribunal cum Pontifice, ex alio in casibus, qui non sunt eidem specificè reseruati, non habet maiorem potestatem, ac habeat Episcopus. Secundò, quia in iure per textus *in d. c. de cætero, & c. ea noscitur*, existente impedimento adeundi Pontificem potestas, quæ erat impedita ratione reseruationis, relaxatur eidem Episcopo, quæ potestas non relaxatur Paroco, nec alijs Confessarijs expositis, & inferioribus, vnde ab vno ad alterum non valet argumentum.

9 Non existente opportunitate adeundi habentē facultatē potest Parochus absoluere.

Conclusio II. Data suppositione, quod in aliquibus casibus non esset absolutè, seù nonnisi cum magna difficultate aditus (quod vix potest esse, vt asserebam) ad Episcopum, nec ad eius Vicarium, seu alium habentem potestatem absoluendi à casibus Episcopalibus, nec aditus ad eosdem posset aperiri, nisi post multum temporis, vtique posset Parochus, vel alius Confessarius expositus pænitentem absoluere, facto tamen eidem præcepto, & recepta cautione de se præsentando, cum primum poterit. Iuxta hunc sensum sic limitatum arbitror præcisè procedere DD. allegatos pro secunda sententia.

Ratio ex ijs deducitur, quæ supra dicebamus, scilicet non esse præsumendum, quod Ecclesia velit suum subditum paratum parere mandatis eiusdem, & resipiscentem à proprijs excessibus detinere tanto tempore in periculo damnationis æternæ, cum per ipsum non stet, quominus pareat &c. Nec in hac hypothesi videntur habere locum decreta Concilij Tridentini, & Sacræ Congregationis sub Clemente VIII., quandoquidem, vt notat *Henriquez lib. 6. c. 10. num. 4. lit. D. in Glosa*, huiusmodi decreta procedunt solummodo quoad absolutionem directam, hoc est sine onere comparendi coram Superiore, & ex proprio iure, non autem quoad indirectam, hoc est cum onere se præsentandi, & ex tacita commissione propter necessitatem, quia ex vno capite sic consulitur periculo pænitentis, nec contemnitur voluntas Superioris reseruantis; vnde quoad hoc notant *Suarez de pænit. disp. 30. sect. 3. num. 12., Alterius de censur. lib. 1. disp. 6. c. 6. vers. si quis postulet*, quod Episcopi, & alij Prælati in suis statutis quoad huiusmodi reseruationes consueuerint adiungere, vt quoties

Rationes pro hoc asserto.

fuerit difficilis accessus ad ipsos, obtineri possit aliquo modo absolutio ab alijs, ne nimirum pænitentia differatur.

Hic duplex oritur difficultas. Prima est, quomodo intelligenda sit hæc absolutio indirecta. Secunda, quando casus Episcopales non habent annexam excommunicationem, quomodo hæc, quæ dicuntur de hac absolutione indirecta, compati possint cum ijs, quæ dicta sunt in præcedentibus de discrimine inter absolutionem à censuris, & absolutionem à peccatis, quod scilicet quoad primam sit onus comparendi sub pæna reicidentiæ, non sic quoad secundam.

In ordine ad primam. Nunnulli, quos allegat *Ioannes Angelus Bossius discept. mor. discept. 1. dub. 11. num. 71.* relatè *ad n. 66.* existimant hanc absolutionem indirectam esse similem illi, qua peccata læthalia in confessione ex obliuione omissa remittuntur cum alijs ritè confessis remanente obligatione illa confitendi, cum primum in memoriam venerint, vt directè absoluantur, adeout absolutio directè cadat super non reseruata, indirectè verò super reseruata. Alij verò, inter quos *Henriquez in summa lib. 6. c. 15. num. 3. lit. I. in glosa in fine, & c. 10. num. 4. in litera Y., & seqq. in textu, & glos., Vasquez de pænit. q. 91. art. 3. dub. 8. num. 10.* sentiunt hanc absolutionem ex vi iurisdictionis cadere etiam super reseruata, quod probant ex eo, quod, si pænitens haberet solum reseruata, & Episcopus non posset sine graui incommodo, & sine longa mora adiri, posset ab illis absolui; vocant tamen illam absolutionem indirectam, quia iure ordinario non competit inferiori, sed ex tacita commissione, & post absolutionem obtentam remanet pænitenti onus se præsentandi Superiori. Huic secundæ sententiæ libentèr adhæreo, cui tamen obsistere potest id, quod pro secunda difficultate proposuimus, quod mox soluo.

10 Quomodo illa absolutio quoad reseruata possit dici indirecta.

In ordine ad secundam retento discrimine, quod intercedit inter absolutionem à censuris, & absolutionem à peccatis dico, quod, quando quis est absolutus à peccatis præcisè reseruatis non habentibus annexam excommunicationem ex iniuncto sibi ab absoluente onere se præsentandi Superiori, cui peccata illa sunt reseruata, non teneatur se præsentare ad effectum, vt ab illis absoluatur quoad culpam, sed vt eidem Superiori exhibeatur debitus honor, vigor disciplinæ Ecclesiasticæ seruetur, & vt recipiatur ab eodem congrua medicina; Quod, si dixeris, hoc idem euenire in absolutione ab excommunicatione reseruata, quandoquidem ab ea absolutus à Confessario inferiori cum onere

11 Discrimē inter censuras reseruatas, & peccata.

se

se præsentandi Superiori, cui erat reseruata, non ideo se præsentaret, vt ab eadem absolueretur, sed solum, vt eius obsequatur mandatis, & congruam ab eo recipiat pænitentiam; statim impugnaberis, quia, cum censura sit pæna merè Ecclesiastica, & ab imponentis dependens voluntate, potest ita statui, vt, quamuis semel absoluta sub præcepto, si hoc non adimpleatur, redeat, quod non verificatur in ordine ad peccata, quæ, cum dependeant à voluntate peccantis, si semel absoluta fuerint, non redeunt, & per non adimplementum præcepti peccatum quidem inobedientiæ committitur, non tamen eadem peccata reuiuiscunt.

SECTIO VII.

Quisnam possit absoluere à Censuris.

SVMMARIVM.

Habens facultatem absoluendi à casibus Papalibus habet etiam facultatem absoluendi à censuris Papæ reseruatis. 1.
Articuli examinandi circa titulum. 2.
Ab excommunicatione minori modo non potest absoluere simplex Sacerdos. 3.
Potest tamen Confessarius approbatus. 4.
Ab excommunicatione maiori non reseruata, si sit à iure, potest non solum Episcopus, sed etiam proprius Sacerdos absoluere. 5.
Idem sentiendum est, si sit ab homine per modum generalis præcepti. 6.
Explicatur textus in c. nuper de sent. excomm. 7.
Ab excommunicatione specialitèr lata ab homine non potest absolui, nisi ab eo, qui eam tulit, vel ab eius Superiore. 8.
A censuris Episcopalibus, seu ab Episcopo reseruatis nequeunt Regulares absoluere. 9.
Qui possunt absoluere ab excommunicatione, possunt absoluere ab alijs censuris iuxta casus, quibus possunt ab eadem excommunicatione absoluere. 10.
Secundum aliquos habens facultatem absoluendi ab excommunicatione potest inuitum absoluere, si facultas sit concessa in gratiam Confessarij, secus, si in gratiam pænitentis. 11.
Si habeat facultatem absolutam absoluendi etiam extra Sacramentum, potest inuitum absoluere cessante contumacia. 12.
Secus, si habeat limitatam in Sacramento pænitentiæ. 13.
In articulo mortis potest simplex Sacerdos absoluere. 14.
Sententia docens Diaconum, & quemlibet Clericum posse in articulo mortis à censuris absoluere. 15.
Sententia docens etiam Laicum baptizatum. 16.
Sententia asserens, quod, quamuis præcedens sententia de Laico subsistat, suffragia tamen Ecclesiæ eidem non prosint, nisi post mortem iterum absoluatur à Sacerdote. 17.
Sententia docens, nec Laicos, nec Diaconos posse absoluere. 18.
Præfertur hæc vltima sententia. 19.
Explicatur textus in c. Sanctorum dist. 4. de consecr. 20.
Quid exigere debeat Confessarius inferior à pænitente, quem absoluit, vel in articulo mortis, vel alio canonico impedimento à censuris. 21.
Debet exigere cautionem, si potest. 22.
Si absoluit sine cautione ex ignorantia, vel obliuione tenet absolutio. 23.
Tenetur tamen pænitens cessante impedimento se præsentare Superiori. 24.
Sententia docens, quod, si Sacerdoti facta fuerit facultas absoluendi à casu reseruato cum clausula satisfacta parte, vel præstito iuramento, *& ipse absoluerit sine illis conditionibus, non sit valida absolutio.* 25.
Sententia asserens esse validam. 26.
Probabilius non est valida. 27.
Soluuntur rationes contrariæ sententiæ. 28.
Confessarius ex iure ordinario absoluens à censuris sine satisfactione partis, seu præcepto de satisfaciendo grauitèr peccaret. 29.

1 Casus Papales non sunt reseruati, nisi ratione censuræ.

MVlta promiscuè simul cum peccatis reseruatis attigimus in præcedentibus; nunc singillatim, & ex professo quoad censuras titulus venit examinandus, & quidem in ordine ad censuras Papales vix aliquid prædictis superaddendum videtur, cum etenim nulli casus intelligantur reseruati Papæ, nisi propter excommunicationem, seu, nisi habeant excommunicationem annexam, quicunque habent facultatem absoluendi à casibus Papalibus, habent etiam facultatem ab excommunicatione, propter quam sunt Papæ reseruati, absoluendi. Quoad censuras, quæ non sunt Papales, seu Papæ reseruatas hæc in vniuersum erunt examinanda. Primò, quinam possint absoluere ab excommunicatione minori. Secundò, quinam à maiori, quæ non sit reseruata. Tertiò, an possint Regulares à censuris Episcopalibus absoluere. Quartò, quinam possint ab alijs censuris ab excômunicatione absoluere. Quintò, quinã possint ab eisdem in articulo mortis constitutum absoluere. Sextò, an possit absolutio à censuris impendi contra inuitum, seu nolentem, & alia ex his emanantia.

2 Dubia examinanda circa titulum.

In ordine ad primum modo difficultas ver-

versatur in eo, quod per decretum Sacræ Congregationis emanatum sub die 12. Februarij 1679. circa communionem quotidianam, in quo inter cætera sic præcipitur. *Non permittant, vt venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, seu ordinario*, videtur etiam Sacerdoti non approbato sublata facultas absoluendi ab excommunicatione minori; cum etenim non possit à venialibus absoluere, nec videtur posse absoluere à censura, quæ ob eadem contracta est; vnde in hoc videtur excusandus *Hurtadus de excommun. disp. 16. difficult. 2. num. 10.*, qui, cum scripserit ante præfatum decretum, dixit, quod simplex Sacerdos possit absoluere ab excommunicatione minori, cum sufficiat, quod possit absoluere à peccato veniali, ob quod contracta est. Quamobrem stante præfato decreto, & iure ordinario, secundum quod facultas absoluendi à censuris regularitèr, nisi Confessarijs conceditur, sentio, non posse simplicem Sacerdotem, nedum Diaconum absoluere a tali minori excommunicatione; posse tamen secundum se Confessarium approbatum absoluere, nisi aliud obsistat.

3 Ab excõmunicatione minori modo non potest simplex Sacerdos absoluere

4 Potest tamen Cõfessarius approbatus.

In ordine ad secundum aduertendum est, excommunicationem illam, quæ dicitur non esse reseruata, vel posse esse à iure, vel ab homine; Rursus, si ab homine, vel generalitèr per modum præcepti generalis, vt si dicatur. *Quicunque tale crimen commiserit, incidat in excommunicationem*, vel singularitèr, & nominatim contra aliquem, vel aliquos. Si sit à iure potest Episcopus proprius ab ea absoluere *D. Thomas in addit. ad tertiam part. q. 21., & 24.*, & clarè deducitur *ex c. nuper de verb. in secundo casu de sententia excomm.*, quinimmo, & simplex Sacerdos per eundem textum *in c. Nuper* Ibi- *& à proprio Sacerdote*, & ibidem redditur ratio. *Quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi specialitèr non retinuit eo ipso concessisse videtur facultatem alys relaxandi*, vbi nota illam particulam, *Alys*, quæ non restringitur ad Episcopum, sed ad alios extenditur, quod latius, & apertius explicat textus, dum dicit *à suo Episcopo, vel à proprio Sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere*; nec illa particula, *vel à proprio Sacerdote* restringit facultatem ad solum Parochum, quamuis hic videatur venire nomine proprij Sacerdotis; non, inquam, restringit, quia nomine proprij Sacerdotis venit quicunque Confessarius habens facultatem siue ordinariam, siue delegatam absoluendi. Deinde illa particula apposita est secundum tenorem iuris antiqui, secundum quod facultas absoluendi regularitèr proprijs Parochis concedebatur; cum autem processu temporum hæc facultas saltem per viam delegationis sit alijs extensa, non est, cur, & isti non debeant comprehendi sub dispositione illius textus.

5 Ab excõmunicatione maiori à iure non reseruata potest proprius Sacerdos absoluere

Si sit ab homine generalitèr per modum præcepti generalis, idem dicendum est, quod mox dictum fuit de absolutione à iure *Cornerus in tertia part. tract. 5. disp. 11. dub. 3.*, *Præpositus in tertia parte q. 1. dub. 13. num. 90.* Ratio est, quia hæc excommunicatio æquiparatur excommunicationi latæ à iure, quod videtur considerasse textus *in d. c. nuper de sent. excommun.*, dum dixit, *quamuis enim, & tunc non Iudicis, sed iuris sententia excommunicato*; Neque dicas, in hac parte textus *in c. nuper* vbi dicitur, *non Iudicis, sed iuris sententia excommunicato*, esse sermonem tantum de excommunicatione minori contracta per participationem cum excommunicato nõ in crimine criminoso, sed solum *in oratione, vel osculo, aut orando secum, aut etiam comedendo*, per quam participationem solum contrahitur excommunicatio minor, ergo ex hoc textu non benè arguitur, quod à simplici Sacerdote possit absolui excommunicatio maior lata generalitèr ab homine, quantumuis non reseruata; Contra enim impugnaberis, quia, quantumuis ibi sit solummodo sermo de excommunicatione minori contracta per illam participationem in illis actionibus, quia tamen ratio per eundem textum adducta militat etiam quoad maiorem, quando non est reseruata. Ibi- *quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem a ys relaxandi*, ideo non est, cur non debeat etiam extendi ad maiorem, quando conditor legis sibi eam non retinuit.

6 Idem intellige, si sit ab homine per modum generalis præcepti.

7 Soluitur argumẽtum deductum *ex c. Nuper de sent. excom.*

Si sit lata ab homine specialitèr contra personam nominatim, non potest, nisi ab eo absolui, a quo lata est, vel ab eius Superiore. In hoc communitèr consentiunt, & ratio consideratur in eodem textu *c. Nuper de sententia excomm.*, quia, cum ratione criminis in eum videatur delinquere, qui damnauit, ab eodem, vel eius Superiore debet absolui. Accedit, quod de facili illuderetur auctoritas excommunicatoris, si eius sententia nominatim lata posset à quocunque eludi, seu per absolutionem auferri; vnde etiam in iure sancitum est, vt sententiæ non reuocentur, nisi ab auctore sententiæ, vel eius Superiore.

8 A sententia lata specialitèr ab homine nõ potest, nisi ille, qui illam tulit, vel eius Superior absoluere

In ordine ad tertium maxima est controuersia inter DD. maximè post emanatum decretum Sacræ Congregationis sub Clemente VIII., in quo sub grauibus pænis interdicitur potissimum Regularibus ab-

absoluere à casibus Episcopalibus, quo stante decreto nonnulli, inter quos *Megala in prima part. lib. 1. c. 3. num. 10. apud Dianam part. 3. tract. 2. resol. 13.* asserunt, quod non obstante eodem decreto possunt Regulares virtute suorum priuilegiorum absoluere à censuris Episcopis reseruatis, quia decretum illud loquitur de casibus reseruatis; nomine autem casuum non veniunt censuræ, cum hæ non sint casus, sed pænæ casuum; à diuersis autem non fit illatio per textum *in l. Papinianus, ff. de minor. c. ad audientiam de decim.* Alij verò, inter quos *Marullus tom. 1. disp. 1. c. 2. distinct. 4. num. 575. apud* eundem *Dianam loc. cit.* sentiunt absolutè non posse Regulares ab excommunicationibus Episcopalibus absoluere, existimans sub prohibitione casuum reseruatorum venire etiam censuras reseruatas. Sed dubitandum non est, quinimmo certo affirmandum, non posse; cum etenim hæc controuersia maximè agitaretur inter DD. tempore Pauli V., illaque ad eundem Pontificem delata esset per Sacram Congregationem iussu, & de mandato eiusdem edita fuit declaratio sub die 7. Ianuarij 1617. quod sub prohibitione casuum reseruatorum veniunt etiam censuræ reseruatæ, adeoque non possent Regulares ab illis absoluere, ac proinde cum hac sententia negatiua transeunt *Laurentius de Peirinis tom. 1. priuileg. Minim. in constit. 1. Iulij II. §. 32. num. 63., Erasmus Chokier in tract. de iurisdict. Ord. in exempt. part. 4. q. 56., Barbosa de offic. Parochi c. 19. num. vlt.*

9 A censuris Episcopalibus nequeunt inferiores, & etiã Regulares absoluere.

In ordine ad quartum sentiendum est, quod in ijs casibus, quibus Confessarius, vel ex officio, vel ex priuilegio, vel ex delegatione potest absoluere ab excommunicatione, possit absoluere ab alijs censuris seruata proportione, & in ijs statibus, quibus est excommunicatio, à qua potest absoluere; vnde, si sint à iure, vel ab homine generalitèr possint à quocunque Sacerdote Confessario absolui, si non sint reseruatæ, si autem sint ab homine specialitèr non possint absolui, nisi ab ipso, vel eius Superiore.

10 Facultas quoad absolutionem ab excõmunicatione extenditur seruata proportione ad alias censuras.

In ordine ad quintum *Faber in 4. dist. 25. q. 1. disp. 4. c. 8. nu. 216.* apud *Dianam part. 5. tract. 9. resol. 10. §. nota*, sentit, quod, si facultas sit Confessario concessa in gratiam eiusdem Confessarij, possit excommunicatum inuitum absoluere, secus autem, si facultas sit eidem concessa in gratiam pænitentis, vt in Iubilæo, & in Bulla Cruciatæ addita ratione, quod vsus priuilegij dependeat à voluntate eius, cui fuit illud priuilegium concessum. Communior sententia, quam sustinent *Suarez de cens. disp. 7. sect. 7. nu. 5., Filliutius c. 10. q. 6. n. 325., Auila secunda part. c. 7. dub. 2., Coninchus disp. 14. dub. 16. num. 224., Reginaldus lib. 9. num. 36., Alterius lib. 4. disp. 6. c. 2.*, & quibus adhærendum existimo, docet inuitum sublata contumacia, propter quam ligabatur censura, posse absolui, si Confessarius habeat facultatem absolutam absoluendi etiam extra Sacramentum pænitentiæ, secus, si limitatam in Sacramento pænitentiæ. Ratio est, quia cum censura sit pæna merè Ecclesiastica dependens solum à voluntate illam imponentis, sicuti Ecclesia, quæ illam imponit, potuit illam imponere non consentiente eo, in quem fertur, ità illam potest dissoluere eo etiam dissentiente. Dixi, *sublata contumacia*, nam regularitèr ea perseuerante æquum non est, vt ab illa dissoluatur; Non negauerim tamen, quod quandoque Iudex possit inuitum absoluere, quando scilicet euidentèr nosceret excommunicationem non prodesse, & esse potius venenum, quam medicinam, nam excommunicatio debet esse in ædificationem, non in destructionem, & in hoc consentit *Faber loc. mox cit.* hocque intelligendum est, siue excommunicatio sit lata ab homine, ità vt ab eodem, qui illam tulit, possit inuitus absolui interueniente periculo deteriorationis potius in pænitente, quam emendationis, siue lata sit à iure, dummodo cesset scandalum, contemptus censuræ, & ex signis dignoscatur excommunicatio potius obesse, quam prodesse *Diana part. 5. tract. 9. resol. 10.* Dixi, si habeat potestatem absolutam absoluendi, non limitatam in Sacramento pænitentiæ, nam, si haberet solum limitatam in Sacramento vtique non posset inuitum absoluere, vt ex se patet *Suarez, & Filliutius loc. cit.*

11 An, & quomodo inuitus possit absolui ab excõmunicatione

12 Si habeat facultatẽ absolutã absoluẽdi etiam extra Sacramentum potest absoluere

13 Secus, si limitatã in Sacramento.

In ordine ad sextum non est dubitandum, Confessarium approbatum, quinimmò quemlibet simplicem Sacerdotem posse in articulo mortis absoluere à quibuscunque censuris, cum hoc expressè statutum sit à *Concil. Trident. sess. 14. c. 7.*, & de hoc latè egimus in præcedentibus. Difficultas solùmodo est in præsenti, an Diaconus, an Clericus, an etiã Laicus in illo mortis articulo possit à censuris absoluere. In hoc magnam video inter DD. controuersiam, & varios dicendi modos. *Præpositus in tertia parte q. 1. dub. 14. nu. 97., Henriquez lib. 6. c. 9. num. 3., Siluester verb. Absolutio 1. num. 8. ad fin.* sentiunt deficiente Sacerdote, nedum Diaconum, sed etiam alios quoscunque Clericos in illo articulo posse absoluere præcipuè ab excommunicatione, & interdicto personali *Philippus della Crux, Norte de Confessores tract. 1. §. primo*, & ex antiquioribus, *Siluester verb.*

14 In articulo mortis potest simplex Sacerdos absoluere

15 Sentẽtia docens Diaconũ, & quemlibet Ecclesiasticũ posse absoluere in articulo mortis.

Abso-

Absolutio 1. *num.* 8. *ad fin.*, *Angelus verb. absolutio* 3. *num.* 39. sustinent etiam Laicum posse in illo mortis articulo absoluere a censuris, qui supposito, quod simplex Clericus, vt præfert prædicta sententia, possit in eo casu absoluere, inferunt, quod etiam id possit Laicus baptizatus, cum parem cum illo habeat potestatem; addunt etiam quod Laicus baptizatus sit capax saltem ex commissione Summi Pontificis potestatis ab illis absoluendi; ex quo inferunt, præsumendum esse, quod Pontifex in illo casu extremæ necessitatis eidem actu conferat talem potestatem, cum ex hac concessione nullum sequatur inconueniens, & maximum bonum morituro, nimirum suffragiorum participatio, & beneficium Ecclesiasticæ sepulturæ, & hoc videtur exigere Christiana charitas, quæ maximè vigere præsumenda est in Romano Pontifice, cui demandata est cura de omnibus ouibus, ne pereant. *Trullench in Bullam Cruciatæ lib.* 1. §. 7. *c.* 2. *dub.* 5. *n.* 7., quamuis asserat, quod præcedens opinio asserens etiam Laicum posse in illo articulo à censuris absoluere subsistat, asserit tamen, quod Ecclesiæ suffragia eidem non prodessent, vnde expediret, quod post mortem noua eidem absolutio a Sacerdote impenderetur, & in hoc videtur etiam consentire *Diana part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 77. *in fine*. Suarez *tom.* 5. *disp.* 7. *sect.* 7. *n.* 6., *Auila secunda part. c.* 7. *disp.* 1. *dub.* 1., *Sanchez in summa lib.* 2. *c.* 13. *num.* 13., *Filliutius tract.* 11. *c.* 10. *q.* 1., & alij magis communitèr sentiunt, nedum Laicos non posse absoluere in articulo mortis à censuris, sed nec Clericos, nec Diaconos. Rationem ex eo adducunt, quod nullus ex illis potest à peccatis absoluere, & absolutio à censuris in illo statu impenditur à Sacerdote, quia absolutio hæc à censuris debet præcedere absolutionem a peccatis. Secundò, quia hæc potestas nemini præter Sacerdotem inuenitur concessa; immò *Concil. Trident. sess.* 14. *c.* 7. hanc facultatem in solis Sacerdotibus agnouit; Ibi- *atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pænitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt extra quem articulum Sacerdotes &c.* Tertiò, quia non est illa necessitas absoluendi à censuris in illo articulo, quæ est absoluendi à peccatis, cum absolutio à censuris non sit necessaria ad salutem, sicuti est necessaria absolutio à peccatis. Quid iam in hac sententiarum varietate sentiendum?

16 Senтētia docens etiā Laicum baptizatum id posse præstare.

17 Sententia docens, quod quāuis absolutio Laici teneat non prosit tamen quoad suffragia.

18 Sententia docēs nec Diaconos posse absoluere.

Probabilius arbitror, de via ordinaria alios a Sacerdotibus non posse existentem in articulo mortis absoluere a censuris, adeoque nec Diaconos, nec Clericos, & multo minus Laicos. In hanc sententiam præter præcitatos pro vltima opinione propendent *Paludanus in quarto q.* 1. *art.* 2., *Sotus in quarto dist.* 18. *q.* 4. *art.* 4., *Nauarrus in man. c.* 26. *num.* 26., *& de pænit. c.* 1. *num.* 84. *dist.* 6., *Coaruuias in c. alma mater part.* 1. §. 11. *n.* 9. Præter rationes allegatas pro vltima sententia hæc est, quia dato etiam quod facultas absoluendi a censuris posit ex Romani Pontificis auctoritate conferri Clericis, & item Laicis nullibi tamen legitur fuisse saltem generatim concessa, cum maximè pertineat ad eiusdem excommunicationis æstimationem, vt eius non ab alio, quam à Presbytero absolutio impendatur; ex alio capite non est necessaria ad salutem absolutio censuræ, sicuti est absolutio à peccatis, ergo non extante necessitate, nec consuetudine conferendi talem facultatem non est dicendum, quod illa sit collata. Antecedens quoad primam partem, quod scilicet non sit actu collata, deducitur ex eo, quod nullibi constet de tali collatione, quinimmo ex praxi vbique recepta liquet, quod talis absolutio non impendatur ab alio, quam à Sacerdote. Quod, si afferatur textus *in c. Sanctorum dist.* 4. *de consecrat.* vbi, cum quis fidelis pænitens tamen veheretur naui cum infidelibus, & vnus ex infidelibus motus Spiritus Sancti gratia ab eodem fideli petijsset, & obtinuisset baptisma, fidelis postea ab eodem sic baptizato, cum immineret periculum Naufragij, petijt, & obtinuit reconciliationem, commendata fuit illa reconciliatio; ex quo sequitur, quod etiam à Laico reconciliatio haberi posit. Si, inquam, hic textus afferatur, quidquid sit de veritate historiæ, de qua etiam dubitat D. Augustinus, qui eandem refert, dico, illam non fuisse veram reconciliationem, nec absolutionem a censuris, & multo minus à peccatis, sed meram deprecationem ad Deum, vt illum pænitentem sibi reconciliaret. Antecedens item quoad secundam partem, si euincitur, quia quantumuis nullus superueniret Sacerdos, & ille constitutus in articulo mortis moreretur, poset etiam mortuus absolui, vt gauderet suffragijs Ecclesiæ, & beneficio Ecclesiasticæ sepulturæ.

19 Præfertur hæc vltima sententia.

20 Quomodo intelligendus sit textus *in c. Sanctorum dist.* 4. *de consecr.*

Pro coronide eorum, quæ dicta sunt sub hoc titulo, remanet hic explicandum, quid exigere debeat à pænitente Sacerdos, quando illum absoluit, vel in articulo mortis, vel in casu alterius necessitatis à censuris Superiori reseruatis. Dicendum est teneri, si potest, exigere iuramentum, vt absolutus cessante periculo mortis, vel sublato alio legitimo impedimento se præsentet Superiori, cui censuræ sunt reseruatæ, & imponere præceptum satisfaciendi

21 Confessarius inferior absoluens à censuris existente impedimēto tenetur cautionē, & qualē exigere.

ciendi parti læsæ *Suarez tom. 5. disp. 7. sect. 8. num. 25., Vasquez tract. de excom. dub. 18. n. 6., Henriquez lib. 6. c. 10. n. 11., Coninchus disp. 14. dub. 16. num. 235.* Expresse hoc deducitur ex textu *in c. de cætero, & in c. quod de his de sent. excommun., & c. eos, qui eod. tit. in sexto, & ex Clem. si quis suadente, §. cæterum de pœnit.*

22 Intellige, si potest.

Dixi, *si potest*; nam, si constitutus in articulo mortis esset sensibus quasi destitutus, tunc cessaret hoc onus in Confessario exigendi talem cautionem, & posset eundem absolutè a censuris absoluere *Sairus lib. 3. c. 25. num. 4., Nauarrus in man. c. 27. num. 47., Sanchez in summa lib. 2. c. 13. num. 34.* propter impossibilitatem pœnitentis illam cautionem exhibendi. Sed an in hoc casu, quo propter talem impotentiam penitens esset absolutus sine tali cautione, si hic restitueretur sanitati, teneretur se præsentare Superiori, cui sunt censuræ reseruatæ; sentiendum est, vtique teneri se præsentare *Sanchez in summa c. 13. n. 30., Duardus in Bul. Cenæ q. 10. num. 15.* Ratio est, quia impossibilitas ex parte pœnitentis pro tempore absolutionis licet ipsum eximat pro tali tempore impossibilitatis, non deobligat tamen ipsum cessante eadem ab eis, quæ a iure præcipiuntur.

23 Si absoluit sine cautione ex ignorantia tenet absolutio.

Sed quid erit dicendum, si quis fuerit absolutus à censuris reseruatis pro tempore canonici impedimenti, & quo poterat præstare cautionem, ad quam non fuerit obligatus à Confessario propter ignorantiam, seu obliuionem, an tunc teneat absolutio præstita, & an sic absolutus cessante impedimento teneatur se Superiori præsentare. Quoad primum sentiendum est absolutionem illam tenere *Henriquez lib. 6. c. 10. num. 11., Sanchez in summa c. 13. nu. 35., Laiman lib. 1. tract. 5. part. 2. c. 6. num. 8.* Ratio est, quia non est præsumendum, quod Ecclesia in illo statu velit, quod absolutio quoad valorem pendeat a negligentia, & obliuione Confessarij arg. eorum quæ habentur *in c. Venerabilibus, §. sanè de sententia excommunicationis in sexto.* Quoad secundum sentiendum

24 Tenetur tamen pœnitens se præsẽtare Superiori.

est, pœnitentem adhuc teneri se præsentare, *Sanchez, & Durandus loc. cit.*, & in fortioribus terminis deducitur ex ijs, quæ dicta sunt de absoluto pro tempore, quo ob defectum sensuum non poterat exhibere cautionem; si etenim non obstante ea impotentia, ob quam non est iniunctum eidem illud onus, tenetur cessante illa impotentia se præsentare, non est, cur non teneatur se præsentare, quando illud onus non est ipsi iniunctum ex ignorantia, vel obliuione Confessarij, sicuti enim non deobligat ipsum impotentia præcedens, ita, nec deobligat ignorantia, seu obliuio Confessarij, & sicuti, si Confessarius vel ex ignorantia, vel ex obliuione non imponeret pænitenti onus restitutionis, quando ad hanc tenetur, non eximitur pænitens ab onere eiusdem, ita quantumuis &c.

Excitat hic controuersiam quoad primum punctum precedentis dubij, quo mox dictum est, validam esse absolutionem à censuris, quando non est requisita cautio à pænitente per Confessarium ex obliuione, seu ignorantia *Laiman d. lib. 1. tract. 5. part. 2. c. 6. num. 8. vers. quid, si verò in delegatione*, an, si fuerit delegata potestas in casu particulari absoluendi à censura alicui Confessario sub his terminis *Committimus tibi facultatem absoluendi ab excommunicatione satisfacta parte, aut præstito iuramento*, & Commissarius absoluerit non satisfacta parte, nec exacto iuramento, teneat talis absolutio. Plerique, inter quos *Caietanus verb. Absolutio, Armilla eodem verb. num. 48., Suarez de censur. disp. 6. sect. 3. num. 42.* asserunt, non fore validam talem absolutionem eo, quia per illas particulas positas in delegatione satisfacta parte, aut præstito iuramento arbitrantur limitatam esse facultatem, ita vt non subsistet, nisi purificatis illis conditionibus. Ex aduerso *Auila part. 2. c. 7. disp. 3. num. 9.* vbi alios plures allegat, sentit subsistere talem absolutionem, cui etiam videtur adhærere *Laiman loc. cit.* Rationem huius dicti desumunt ex eo, quod habet *Glosa in Clem. 1. de officio deleg.*, nempè quod, si in delegatione facta sit expressio rei, quæ iuri communi inest, non censeatur inducta noua forma, sed dumtaxat expressum id, quod de iure communi seruandum est; de iure autem communi requiritur, vt ante absolutionem à censura, imponatur partis satisfactio, aut iuramentum, quæ tamen, si omittantur, iuxta superius dicta non irritant absolutionem a censuris, ergo neque irritabunt, si in delegatione posita fuerit illa expressio. Quid iam in hac controuersia concludendum? Probabilius arbitror, absolutionem illam non tenere. Rationem ex eo deduco, quia illa particula *satisfacta parte, aut præstito iuramento*, æquiualet huic sensui, *si parti satisfecerit, aut iuramentum præstiterit*; ablatiuus etenim absolutus facit conditionem per textum *in l. à testatore, ff. de condit., & demonst.*, non subsistit autem actus non adimpletis conditionibus, sub quibus demandatur; Neque obstant ea, quæ pro aduersa parte dicebantur, quandoquidem, ne inanis, & frustranea sit illa expressio in delegatione apposita, debet quid magis operari, ac ope-

25 Sentẽtia docens non esse validam absolutionem datã non impletis conditionibus positis in concessione facultatis.

26 Sententia asserẽs esse validam.

27 Probabilius non est valida.

28 Soluuntur rationes contrariæ sẽtentiæ.

operetur dispositio iuris communis, adeoque importat conditionem, dum ius commune importat solummodo instructionem; illa limitat potestatem, hæc solum importat præceptum; illa est ex potestate, & voluntate delegantis, quæ est limitanda ad normam verborum, quibus exprimitur, ista est de iure communi, quod non est præsumendum quoad valorem limitare potestatem ex ignorantia, & obliuione Confessarij; atque ideo inualidam esse absolutionem impertitam à delegato non seruata illa forma præscripta à delegante, & validam esse illam, quæ data est per Confessarium habentem potestatem ordinariam non præstita illa satisfactione, seu cautione per iuramentum satisfaciendi præter allegatos DD. pro prima sententia statuunt *Siluester verb. Absolutio III. num. 3., Nauarrus in man. c. 27. n. 37., Naldus in summa verb. Absolutio à censuris. num. 15., Lezana in summa qq. Reg. tom. 3. verb. absolutio num. 9.*

29 Confessarius ex iure ordinario absoluens sine onere satisfaciendi parti grauitèr peccaret.

Non negauerim tamen, quod, si Confessarius ex iure ordinario absoluerit pænitentem in casu articuli mortis, vel alio casu necessitatis non satisfacta parte, vel non recepto iuramento de satisfaciendo, grauitèr peccauit, nisi omiserit ex obliuione, vel ignorantia inculpabili, quæ vix potest considerari, vt notant *Henriquez lib. 13. c. 28., Bonacina de cens. disp. 1. q. 3. punct. 9. num. 1.* Ratio est, quia transgrederetur præceptum Ecclesiæ in re graui, tum quia peccaret contra præceptum charitatis non procurando compensationem damni proximo illati, quinimmo multi concedunt peccare etiam contra iustitiam, cum teneatur ex officio, prout notat *Bonacina* non solum *loc. cit.*, sed etiam *de restitutione q. 2. punct. 11., & de pænit. disp. 5. q. 7. punct. 4. §. 2. num. 22.*

SECTIO VIII.

De pænis contra absoluentes à casibus reseruatis sine debita facultate.

SUMMARIUM.

Absoluentes sine debita facultate grauitèr peccant, & inualidè absoluunt. 1.
Referuntur pænæ impositæ à Sacra Congregatione sub Clemente VIII. 2.
Moderatio huiusmodi pænarum facta ab eadem Sacra Congregatione. 3.
Casus, qui comprehenduntur in tali moderatione. 4.
Quoad hos casus cessant priuilegia. 5.
Absoluentes ab huiusmodi casibus non sub prætextu priuilegiorum secundum aliquos non, contrahunt pænas. 6.
Secundum alios contrahunt. 7.
Auctor remissiuè in hoc se habet. 8.
Absoluens in prædictis casibus sub spe ratihabitionis grauitèr peccat. 9.
An verò contrahat pænas, remissiuè. 10.
Præsumentes absoluere à prædictis casibus contrahunt pænas. 11.
Probabile est, quod Regulares absoluentes à casibus suis Prælatis reseruatis non contrahant has pænas. 12.

1 Absoluẽtes sine facultate illicitè, & inualidè absoluũt.

PRocedit titulus de absoluentibus extra articulum mortis, & extra casus necessitatis, aliosque in iure expressos, extra quos nullam supponuntur habere facultatem, quos propterea grauissimè peccare contra præceptum Superioris reseruantis, nec validè impendere absolutionem ex defectu iurisdictionis certissimum est. Vltra grauem noxam, & nullitatem absolutionis alias grauissimas pænas contrahunt sic absoluentes ex decreto Sacræ Congregationis sub Clemente VIII. quod decretum simul cum pænis in eo contentis refert de verbo ad verbum *Quaranta in summa Bullarij verbo casus reseruati*; quarum prima est excommunicatio latæ sententiæ, tam contra Regulares, quam contra Sæculares; Secunda priuatio officiorum, seu dignitatum, si quæ, vel quas obtinent. Tertia inhabilitatis audiendi confessiones, quæ tamen postea sublata est per eandem Sacram Congregationem, vt ex eius declaratione anni 1602. relata *per eundem Quarantam loc. cit. vers. cum autem.* Quarta inhabilitatis ad quæcunque officia, Prælaturas, beneficia imposterum obtinenda, quas pænas reseruat Romano Pontifici adeout à nemine valeant absolui, auferri, aut dispensari, nisi in articulo mortis.

2 Numerantur pænæ illatæ contra sic absoluẽtes.

3 Moderatio harũ pęnarum facta ab eadem Sacra Congregatione.

Antequam deueniamus ad difficultates, quæ circa has pænas emergere possunt, placet singillatim ea referre, quæ eadem Sacra Congregatio in declarationem præcedentis decreti editi sub die 9. mensis Ianuarij 1601. statuit anno sequenti 1602. die 26. Nouembris in hunc, qui sequitur, modum. Ipsum decretum ita moderatur, & declarat videlicet sub eiusdem prohibitione illos tantum imposterum comprehendi casus, qui in Bulla Cœnæ Domini legi consueta continentur; ac præterea violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis constitutionis felic. recordationis Gregorij XIV., quæ incipit *cum alias nonnulli*; violationis clausuræ Monialium ad malum finem, Prouocantium, & pugnantium in duello iuxta decretum Sacri Concilij Trident., & Const. fel. record. Gregorij XIV. incipient.

4 Casus, qui comprehenduntur in tali moderatione.

ad

ad tollendum inijcientium violentas manus in Clericos iuxta *can. si quis suadente 17. q. 4.* ac iuris dispositionem; Simoniæ realis scientèr contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis; item omnes casus, quos ordinarij locorum sibi reseruarunt, vel imposterum reseruabunt; In quibus omnibus iam enumeratis casibus dumtaxat, & sublata etiam pæna inhabilitatis audiendi confessiones eadem Sacra Congregatio vult, & mandat, dictum decretum in sua firmitate, & pristino robore permanere; ac præterea declarat eos quidem Sacerdotes tam sæculares, quam Regulares, qui aliquo ex priuilegijs, indultis, & facultatibus in supradicto decreto expressis suffulti fuerint, posse iuxta eorum priuilegia, indulta, & facultates vsu ante dictum decretum receptas, & quę sub alijs reuocationibus non comprehenduntur, tantum, & non aliàs absoluere à casibus in præsenti declaratione non comprehensis, alijs verò Sacerdotibus huiusmodi priuilegia non habentibus, nihil de nouo concedi &c. Hæc Sacra Congregatio.

5 Quoad hos casus cessant priuilegia.

Ex quibus habes casus, à quibus non possunt absoluere Confessarij, quantumuis habeant aliquod priuilegium. Habes secundò, quod Priuilegiati in alijs casibus exceptis enumeratis in hoc secundo decreto declaratiuo posse absoluere; non priuilegiati verò nihil de nouo acquirant. Habes tertiò, vt supra innuebamus, sublatam esse inhabilitatem contra transgredientes ad audiendas imposterum confessiones.

Iam redeamus ad difficultates circa pęnas, quę impositæ sunt contra absoluentes sine auctoritate à casibus comprehensis in huiusmodi decreto. Prima est, an absoluētes ab huiusmodi casibus non prætextu priuilegiorum, sed vel ex ignorantia culpabili, vel ex libertate contrahant huiusmodi excommunicationem, & alias pænas. Secunda, an easdem contrahant, qui absoluunt sub spe ratihabitionis. Tertia, an contrahant, qui non à peccatis reseruatis Episcopis, sed à censuris. Quarta, an Regulares absoluentes a casibus Prælatis suis Regularibus reseruatis incurrant huiusmodi pænas.

6 Absoluētes à casibus in hoc decreto cōtentis nō sub prætextu priuilegiorū secundū aliquos non contrahunt pænas.

Conclusio I. Confessarij absoluentes siue Regulares sint, siue Sæculares à casibus in prædicto decreto Sacræ Congregationis iuxta moderationem eiusdem sub die 26. Nouembris 1602. comprehensis non prætextu priuilegiorum, quamuis grauissimè peccent, nec validam constituant Sacramentalem confessionem, non tamen secundum aliquos contrahunt pænas in eodem decreto cōtentas; secundum alios contrahunt. Quod non contrahant tradit *Gambarupta de reser. c. 3. num. 12.* Quod verò contrahant tradit *Floronus de reseruat. p. 1. c. 5. §. 4.* Prima pars ex se patet, quia faciunt contra prohibitionem Ecclesiæ, &, cum careant in ordine ad illos casus iurisdictione, inualidè impendunt absolutionem.

Probatur iam secunda pars à Gambarupta, quia pænalia non sunt extendenda, sed strictè sumenda iuxta verborum formam, qua imponuntur, vt sunt vulgatissima iura; sed forma, qua imponuntur huiusmodi pænæ, est expressa, si absolutio impendatur sub prætextu priuilegiorum, Ibi- *Qui prætextu priuilegiorum, Indultorum &c.* ergo, si impendatur sine tali prætextu, huiusmodi pænæ non contrahentur.

7 Secundū alios contrahunt.

Probatur tertia pars à Florono ex eo, quod mens Sacræ Congregationis in eo decreto fuerit directa ad tollendam potestatem cuicunque Confessario inferiori absoluendi à casibus reseruatis in eodem contentis, &, si apposuit clausulam illam *sub prætextu priuilegiorum*, hoc non fuit ad restringendas pænas ad casum, quo sub eorum prætextu absolutio impenderetur, sed quia potior causa transgressionis præsumi poterat ex prætextu ipsorum; Sed ad hæc respondet Gambarupta, quod Sacra Congregatio considerans, vt in ratione contraria præfertur, quod transgressio potissimum euenire poterat ex causa eorundem priuilegiorum, eandem eliminare voluit, & propterea dixit *sub prætextu priuilegiorum*; sciebat enim, quod antecedentèr huiusmodi casus vigore eorundem absoluebantur, quam facultatem sic absoluendi abrogare voluit. Hanc suam mentem clarius explicare volens eadem Sacra Congregatio in secundo decreto edito sub die 26. Nouembris 1602., dum contenderetur, quod primum editum sub die 9. mensis Ianuarij 1601. non sufficientèr derogaret priuilegijs Regularium, subdidit in hunc, qui sequitur modum. *Cæterum quis Sacerdotum Sæcularium, aut Regularium sub prætextu, quod per dictum primum decretum non fuerit sufficientèr eorum specialibus priuilegijs derogatum eidem decreto sic, vt præfertur, declarato contrauenire audeat, Sanctitas Sua &c.* & hic expressis, latis, & prægnantibus clausulis reuocat quoad hoc omnia priuilegia; Ex quibus clarissimè conijcitur, Sacram Congregationem intendisse euertere hæc priuilegia, sub quorum prætextu prouenire poterat facilitas ab huiusmodi casibus absoluendi. Quid in hoc concludendum? Oraculum Sacræ Congregationis est requirendum.

8 Resolutio remissiua.

Con-

Conclusio II. Absoluentes à casibus in præfato decreto Sacræ Congregationis sub Clemente VIII. contentis sub spe ratihabitionis grauitèr quidem peccant, an verò contrahunt pænas in eodem decreto comprehensas remissiuè.

Ratio primæ partis, quia ad validè absoluendum requiritur actualis iurisdictio, nec sufficit in spe futura, ergo, si sub tali spe præcisè quis absoluerit, inualidè absoluisse censendus est, adeoque grauem noxam contraxisse, vtpotè, qui inualidum constituit Sacramentum.

9 Absoluēs in prædictis casibus sub spe ratihabitionis grauitèr peccat.

Ratio secundæ partis est, quia ex vna parte allegatæ pænæ comminatæ, & impositæ videntur contra absoluentes sub prætextu priuilegiorum, & contra præsumentes, & audentes. Ibi- *Ne absolutionis beneficium de cætero impendere audeat, & præsumat*, sed qui absoluunt sub spe ratihabitionis, non absoluunt sub prætextu priuilegiorum; nec propriè præsumunt, vt ex se patet, qui enim ab alio sperant ratum habendum suum actum, illum non exercent ex præsumptione facultatis sibi competentis, nec propriè dicitur præsumere, qui non propria, sed aliena fretus auctoritate, vel vera, vel præsumpta operatur; Ex alia, cum requiratur iurisdictio pro tēpore absolutionis, & hæc non sit, tunc non videtur ius aliquod conferre. In hoc tu cognita.

10 An verò cōtrahat pænas remissiuè.

Conclusio III. Præsumentes absoluere ex vi priuilegiorum à censuris Episcopis reseruatis verè contrahunt omnes pænas in dicto decreto Sacræ Congregationis sub Clemente VIII. contentas. Non diù immorandum in probatione huius conclusionis, cum de ea egerimus supra *sect. 7. in resolutione tertij dubij*, vbi contra *Megalam prima part. lib. 1. c. 3. num. 10.* asserentem nomine casuum Episcopis reseruatorum non venire censuras eisdem reseruatas statuimus, & has venire, vt definitum est per Sacram Congregationem sub *Paulo V. sub die 7. Ianuarij 1617.*

11 Præsumentes absoluere in dictis casibus contrahant pænas.

Conclusio IV. Probabilius est Confessarios Regulares absoluentes à casibus Prælatis suis Regularibus reseruatis eorum subditos Regulares non contrahere pęnas in decreto Sacræ Congregationis sub Clemente VIII. contentas *Floronus de reseruat. part. 1. c. 5. §. 4., Homobonus tract. 5. de art. cir. exam. Conf. de iurisd. c. 4. q. 22. vers. secus verò, si ignoraret.*

12 Probabile est, quod Regulares absoluentes à reseruatis suorum Prælatorum non contrahant has pænas.

Ratio est, quia decretum illud Sacræ Congregationis loquitur tantum de casibus Summo Pontifici, vel locorum ordinarijs reseruatis, ergo non est facienda extensio ad casus per Prælatos Regulares in Religionibus reseruatos; Neque dicas, quod, cum Sacra Congregatio in illo decreto loquatur sub terminis generalibus Ordinariorum comprehendat etiam casus à Prælatis Regularibus reseruatos, cum isti respectu suorum subditorum, & Monasteriorum habeant potestatem ordinariam priuatiuè quoad Episcopos, quinimmo proprium territorium consistens in Monasterijs, & sicuti alij Prælati inferiores Episcopis habentes iurisdictionem in locis sibi subditis priuatiuè quoad Episcopos continentur nomine ordinariorum quoad hunc effectum, ne Confessarij inferiores possint absoluere à casibus ipsis reseruatis, vt ingenuè fatetur ipse *Homobonus loc. cit.* ità non est, cur, & Prælati Regulares non debeant contineri nomine ordinariorum quoad hunc effectum, cum habeant omnes qualitates, & prærogatiuas in ordine ad suos, quas habent Prælati inferiores Episcopis in ordine ad suos subditos. Contra enim impugnaberis, quia, vt benè notat *Fillintius tom. 1. tract. 8. c. 10.* quandò in Constitutionibus Pontificum, vel decretis Sacræ Congregationis dicitur *ordinarius*, eique adiungitur *loci, seu locorum*, tunc non possit interpretari nomine ordinarij Prælatus Regularis; in prędicto autem decreto dicitur: *Quos ordinarij locorum*; nec obstat, quod Monasteria eisdem subdita possint dici eorum loca, & propterea dici possint ordinarij locorum, quia secundum communem acceptionem nomine ordinarij loci, seu locorum veniunt soli Episcopi, & illi, qui habent iurisdictionem Episcopalem in territorio proprio priuatiuè quoad alios, vnde solum impropriè Pręlati Regulares dici possunt ordinarij locorum; vbi autem est sermo de pęnalibus verba sumenda sunt secundum propriam, & communitèr receptam significationem, & propterea nonnisi sub eisdem propriè sumptis intelligenda est dispositio pęnalis.

SECTIO IX.

Quid agere debeat Confessarius, qui absoluit à casu, à quo non poterat absoluere.

SVMMARIVM.

Dissidium circa hoc in Concilio Bassiliensi, 1.
Si Confessarius potest credere, quod pænitens non sit ęgrè laturus, quod alloquatur de confessis, debet facultatem petere de ijs alloquendi, & si annuat, debet monere de peccato absoluto sine facultate, & remittere ad Superiorem. 2.
Magis tamen expediret, vt ipse Confessarius

rius peteret facultatem à Superiore absoluendi, & deinde monere pænitentem, vt illud peccatum iterum subijciat, vel pæniteat de confessis in præcedenti confessione, & absoluere. 3.

Si pænitens non det facultatem alloquendi de confessis, debet ipsum Deo commendare, & non alloqui. 4.

INcidentèr de hoc casu me egisse memini in præcedentibus; nunc aliqua, sed breuitèr ex professo. Doctores plures inter quos *Medina C. de confessione q. 35.*, *Sotus in quarto dist. 18. q. 4. art. 6.* referunt in Concilio Bassiliensi circa hoc fuisse grauem controuersiam, quæ tamen ex diuersitate opinionum non fuit resoluta.

1 Dissidiū circa hoc in Concilio Bassiliensi.

Cum eodem *Soto*, *Medina loc. cit.*, *Victoria de Sacrament. num. 187.*, *D. Antonino tertia part. tit. 17. c. 12.*, *Philiarcho lib. 2. de pænit. Sacram. c. 26.*, *Homobono tract. 5. de exam. Ecclesiast. c. 4. q. 24.* placet rem dirimere sub distinctione; vel etenim Confessarius, qui absoluit, potest rationabilitèr credere, quod pænitens non sit ægrè laturus, quod ipse de peccatis in præcedenti confessione alloquatur, & quod non sit sumpturus scandalum, vel iustè potest timere de displicentia, & de scandalo; Si non potest timere, quinimmo rationabilitèr arbitrari, quod non sit laturus cum displicentia, & scandalo, debet ab eodem petere facultatem alloquendi de auditis in confessione; quod, si talem facultatem concedat, debet eidem dicere, quod ex inaduertentia, vel ex obliuione ipsum absoluit à tali, vel tali peccato, à quo non poterat absoluere propter reseruationem, & sic illum pro absolutione eiusdem remittere ad Superiorem, cui peccatum illud est reseruatum. Congruentius tamen foret, quod ipse Confessarius a Superiore peteret præuiè facultatem absoluendi pænitentem à tali peccato, quo casu, vel posset dicere eidem pænitenti, vt præcedentem confessionem iteret, vel si hoc fuerit eidem pænitenti onerosum, posset dicere, vt confiteatur in generali peccata, quæ in præcedenti confessione exposuit, & specialitèr, si qua noua ab illa confessione commisit, & tunc absoluere ab omnibus, & etiam ab illo, quod est reseruatum. Si verò pænitens facultatem alloquendi non concedat; tunc debet eum relinquere, & Christo Domino supremo Sacerdoti commendare; nam tunc Confessarius fecit, quod potuit, & culpa omissionis commissa à Sacerdote in præcedenti confessione transfunditur in ipsum pænitentem, qui noluit acquiescere consilio, & monitioni Confessarij, nec propriæ saluti consulere.

2 Si Confessarius speret pænitentem non esse ægrè laturum debet ipsum monere, vt adeat Superiorem pro tali peccato.

3 Congruū tamen esset, vt ipse à Superiore facultatē peteret, & absolueret.

Si verò timeat pænitentem ægrè laturum illud colloquium, vel scandalum indè secuturum, nihilque profuturum; tunc debet ipsum Domino commendare; non enim est effundendus sermo, vbi non est auditus.

4 Si sciret pænitentem esse ægrè laturū debet Deo cōmendare.

SECTIO X.

An in dubio reseruationis casus possit Confessarius inferior absoluere ab illo.

SVMMARIVM.

Dubium vel potest esse ex parte pænitentis, vel ex parte Confessarij, vel ex parte actus. 1.

Rursus aliud suspensiuum, aliud opinatiuum. 2.

In dubio suspensiuo de reseruatione Confessarius simplex non potest ab illo absoluere. 3.

In dubijs, quæ concernunt salutem animæ tutior pars est eligenda. 4.

Soluuntur nonnullæ rationes oppositæ. 5.

In dubio etiam merè opinatiuo Confessarius debet abstinere ab absolutione. 6.

HOc dubium oriri potest, vel ex parte pænitentis, vel ex parte Confessarij, vel ex parte actus; ex parte pænitentis, quatenus dubitet, an actum commiserit, cui annexa est reseruatio, vel actum compleuerit, qui non est reseruatus, nisi fuerit completus; ex parte Confessarij, quatenus sciat peccatum, de quo agitur, esse reseruatum, dubitet tamen se facultatem habere absoluendi à reseruatis; ex parte actus, quatenus dubitetur, an ille sit, nec ne reseruatus vel in se, vel in illa qualitate, in qua est exercitus. Rursus hoc dubium ex quocunque capite oriatur, vel potest esse suspensiuum, vel merè opinatiuum; suspensiuum ex alibi dictis est, in quo dubitans in neutram partem inclinat, sed quasi hæret in æquilibrio; merè opinatiuum est, quod ex vtraque parte probabilibus rationibus inclinat, sed dubitans inclinat, vel in vnam, vel in alteram partem. His suppositis sit

1 Dubium aliud ex parte pænitentis, aliud ex parte Cōfessarij, aliud ex parte actus.

2 *Aliud suspensiuum, aliud opinatiuum.*

Conclusio I. Si dubium sit suspensiuum siue se teneat ex parte pænitentis, siue ex parte Confessarij, siue ex parte actus, Confessarius nequit ab illo peccato absoluere. In hoc communitèr consentiunt, & si sit sermo de casibus Pontifici in Bulla Cænæ reseruatis, clarè liquet ex decreto *Sacræ Congregationis sub Clemente VIII. edito die 9. Ianuarij 1601.* relato per extensum à *Quaranta in summa Bullarij verb. casus reseruati post num. 13.* Ibi: *ab vllo ex casibus claræ, vel*

3 In dubio suspensiuo de reseruatione nō potest Confessarius absoluere.

vel dubiè in Bulla Cænæ Domini legi soluta &c., & fit extensio ad alios casus eidem Pontifici reseruatos, & impostèrum reseruandos, & etiam ad reseruatos Episcopis, eisdemque reseruandos, sed postea eadem Sacra Congregatio sub die 26. Nouembris 1602. moderans præcitatum decretum anni præcedentis 1601. restrixit reseruationem ad casus Bullæ Cænæ, & ad alios sex ibi expressos, & ad casus Episcopis specialitèr reseruatos; vnde in istis reseruatio intelligitur vigere, quando sunt dubij, in hoc enim per secundum decretum anni 1602. Sacra Congregatio nihil innouauit, sed in suo robore reliquit.

Quoad alios ex eo euincitur, quod, sicuti ex alibi dictis ipse pænitens peccata illa suspensiuè dubia tenetur exponere clauibus non obstante illa dubietate, quia tenetur in ijs, quæ animæ salutem concernunt, sequi tutiorem partem, ita, & Confessarius in similibus dubijs circa reseruationem tenetur ab absolutione desistere, & pænitentem remittere ad Superiorem, quia sic tutius operaretur; Neque obesse potest, si dicatur, quod Confessarius approbatus sit in possessione suæ iurisdictionis, & quod in dubijs melior sit conditio possidentis potissimum in odiosis, qualis est reseruatio, in quibus facienda est restrictio, non admittenda ampliatio; Non, inquam, obesse potest, quia in dubijs, quæ concernunt salutem animarum Confessarius non debet se exponere periculo inualidè absoluendi, cum possit esse, quod in illo casu careat iurisdictione requisita ad validitatem absolutionis; & iuxta hunc sensum procedunt *Suarez tom. 4. disp. 26. sect. 6.*, *Reginaldus lib. 1. num. 102.*, qui procedunt, quando Confessarius dubitat de sua iurisdictione in ordine ad ministrandum Sacramentum pænitentiæ simplicitèr, qui tamen trahi possunt ad casum, quo dubitat de iurisdictione in ordine ad reseruata, cum videatur par ratio; nam in vtroque casu se exponit periculo inualidè absoluendi ex defectu iurisdictionis.

4 In dubijs, quæ concernunt salutem animæ tutior pars debet eligi.

Neque dicas, disparem esse rationem in casu dubij de iurisdictione in ordine ad absolutionem simplicitèr, ac in casu dubij in ordine ad absolutionem quoad peccata reseruata; tum quia in primo casu, cum sit dubium de iurisdictione simplicitèr, dubitans non est in possessione iurisdictionis; in secundo autem casu dubitans solùm de iurisdictione in ordine ad casus reseruatos est in possessione iurisdictionis simplicitèr, quam non potest tollere dubium; tum quia in primo casu dubium potest vigere; in secundo autem nequaquam potest vigere, quia reseruatio vtpotè odiosa intelligenda est de casu omnino completo, certo, & non deficiente in aliqua qualitate, quale non est peccatum dubium, seu potestas dubia; contra enim impugnaberis, quia, sicuti in primo casu non est in possessione iurisdictionis simplicitèr, ita in secundo casu non est in possessione eiusdem quoad peccata reseruata, tum quia ratio fundamentalis, ob quam in primo casu non potest absoluere, est, ne se exponat periculo inualidè absoluendi, quod etiam militat in secundo, vt ex se patet. Ad illud, quod subditur, dicendum est, instantiam extrahere rem à statu quæstionis, supponit enim ratione dubietatis casum non esse reseruatum, cum non habeat omnes qualitates, quæ requiruntur ad reseruationem. Quarè, cum supponamus dubium versari in eo, an sint omnes qualitates, & conditiones requisitæ, an aliqua deficiat, & an illud peccatum, cui est annexa reseruatio, commissum fuerit, an verò non fuerit commissum, ideo dicimus, ne Confessarius se exponat periculo inualidæ absolutionis, teneri ab eadem abstinere, sicuti ipse pænitens tenetur peccata propriè, & suspensiuè dubia clauibus exponere.

5 Soluuntur nonnullæ rationes oppositæ.

Conclusio II. Si dubium fuerit merè opinatiuum adhuc Confessarius tenetur abstinere ab eiusdem absolutione, quidquid ex aduerso dixerint *Lessius lib. 2. de iust. c. 29. dub. 8.*, & alij plures apud *Bonacinam de pænit. Sacrament. disp. 5. quæst. 7. punct. 5. §. 4. num. 4. vers. dixi in propositione*, qui tamen scripserunt, antequam Innocentius XI. damnaret propositionem de qua mox subdo.

6 In dubio etiam merè opinatiuo simplex Confessarius debet abstinere ab absolutione.

Probatur ex declaratione eiusdem Innocentij XI., qui in generali Congregatione Sanctæ Romanæ Inquisitionis habita sub die 2. Martij 1679. damnauit propositionem illam, quæ est in ordine prima, qua dicebatur *non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem relicta tutiori, nisi id vetet lex, conuentio, aut periculum grauis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum non est vtendum in collatione baptismi, ordinis Sacerdotalis*; Non est autem hæsitandum, quod tutius sit in dubio abstinere ab absolutione, & remittere pænitentem ad Superiorem, quam ipsum absoluere cum periculo inualiditatis. Quamobrem stante tali damnatione in obsequium, & obedientiam Pontificis damnantis ab hac sententia non recedendum existimo.

ARTICVLVS XX.

Quæ vitare teneatur Confessarius in actuali ministerio Confessionis, & quænam agere.

SVMMARIVM.

In ijs, quæ concernunt peccata carnis, cautè admodum procedat. 1.
Non debet inquirere ea, quæ non pertinent ad Sacramentum, & multo minus complices in delicto. 2.
Ne diù se detineat cum scrupulosis. 3.
Cognito impedimento inter coniuges, qui bona fide contraxerunt, ne illud detegat, sed relinquat in bona fide, si nouerit manifestationem non profuturam. 4.
Non facilè absoluat consuetudinarios, vbi non est spes emendationis. 5.
Ne absoluat, qui est in proxima occasione peccandi, quam potest, & non vult dimittere. 6.
In magno concursu, ne dimmidiet confessiones. 7.
Ne absoluat, quos nouerit ignorare culpabilitèr mysteria principaliora fidei. 8.
Tenetur pænitentes coadiuuare. 9.
Tenetur item beneuole pænitentes excipere, & quomodo cum ipsis se gerere debeat. 10.

Documenta plurima sub hoc titulo præscribuntur Confessario ad validè, & licitè Sacramentum pænitentiæ administrandum. Primò monendum censeo, quod in ijs, quæ peccata carnis concernunt, cautè admodum procedat, ita vt sobriè inquirat species peccatorum, & circunstantias mutantes species, & caueat ab interrogationibus superfluis, ne inconsultè malitiam ingerat in pænitentem, & doceat, quæ non pertinent ad rem, & excitare possint ad vlteriorem malitiam; hæc præcipuè obseruare tenentur quoad fæminas, & adolescentulos, ne discant, quæ ignorant, & ne, vbi capere debent documenta salutis, hauriant incitamenta iniquitatis.

1 Cautè procedat in venereis.

Secundum monendum censeo, ne inquirat ea, quæ non pertinent ad Sacramenti substantiam, & perfectionem; & multo minus ea, quæ cedere possunt in detrimentum alterius famæ, & honoris, & sic non inuestigare complicem in delicto, nam, sicuti ipse pænitens tenetur ipsum non depromere, quando potest exponere peccatum in sua specie; ità multo minus potest Confessarius ipsum inquirere, quando peccatum est manifestatum in specie, & secundum circunstantias mutantes speciem.

2 Non inquirat, quæ necessaria non sunt.

Tertiò, ne diutius se detineat in interrogationibus cum scrupulosis, cum potius istæ conferrent ad augendos scrupulos, quam ad statum pænitentis dignoscendum, & potius obuoluerent laqueos, quam dissoluerent. Caueat item, ne cum rudibus, & ignaris alta quæque, & ignota disquirat, ne ingerat malitiam, vbi esse non potest, cum confessio debeat esse ad salutem, & conferre motiua emendationis, non perditionis.

3 Non se detineat in crebris interrogationibus cum scrupulosis.

Quartò caueat, vbi ex confessione cognouerit per vnum facta adesse impedimentum inter coniuges, quod impedimentum a neutro eorum est cognitum, ne illud manifestet, si cognouerit ex manifestatione remedium non secuturum per impetrationem dispensationis, sed potius scandala, & subsecuturos actus fornicarios, sed eos in bona fide relinquat, cum tunc fornicationes non sequantur, nisi materialitèr, quæ non erunt peccaminosæ vtpotè exercitæ sine cognitione impedimenti, sed cum bona fide, quod sint inter coniuges vtrosque credentes inter se esse verum coniugium.

4 Si nouerit impedimentū inter coniuges ab eisdem non cognitum ne illud detegat.

Quintò caueat, ne absoluat peccatores consuetudinarios, qui crebro peccant contra legem Dei, naturæ, & Ecclesiæ, si nulla appareat spes emendationis, quandoquidem hoc vetitum est per Innocentium XI., qui in generali Congregatione Sanctæ Romanæ Inquisitionis habita sub die 2. Martij 1679. damnauit propositionem illam, quæ est sub *num.* 60. qua dicebatur. *Pænitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, & Ecclesiæ, & si emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.*

5 Ne facilè absoluat consuetudinarios, sed differat absolutionem.

Sextò caueat ne absoluat, qui in proxima occasione est peccandi, quam potest, & non vult omittere, quinimmò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit non excusante, quod illa occasio multam conferat vtilitatem, vt definiuit idem Innocentius XI. in damnatione propositionum sub *num.* 61., & 62.

6 Ne absoluat, qui est in proxima occasione peccandi, & non vult illā dimittere.

Septimò caueat, ne in magna populi confluentia ratione solemnitatis concurrentis ad confessionem Sacramentalem ipsos dimmidiatè audiat, & absoluat, sed debet ipsos singillatim integrè audire, & nonnisi integrè confessos absoluere, & dimittere, cum solummodo sit permissum dimmidiare, quando periculum est, quod superueniente morte pænitens non possit perficere confessionem ante absolutionem. Hoc etiam euincitur ex declaratione eiusdem Innocentij XI., qui dam-

7 Ne in magno concursu dimmidiet confessiones.

damnauit propositionem sub *num.* 59. positam *Licet Sacramentalitèr absoluere dimmidiatè tantum confessos ratione magni concursus pænitentium, qualis v.g. potest contingere in die magna alicuius festiuitatis, seu Indulgentiæ.*

8 Ne absoluat quos nouerit ignorare culpabiliter mysteria fidei.

Octauò caueat ne absoluat quos nouerint culpabilitèr ignorare misteria fidei, & præcipuè illud Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Christi Domini, hoc præcipiente eodem Innocentio XI., qui damnauit propositionem sexagesimam quartam, qua dicebatur. *Absolutionis capax est homo, quantumuis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Iesu Christi.*

9 Tenetur coadiuuare pænitentem per congruas interrogationes.

Ex aduerso tenetur Confessarius coadiuuare pænitentem per congruas interrogationes ad complendam, quantum fieri potest, confessionem, cum nouerit pænitentem indigere, persuasiones ad integrè propallanda peccata secundum suas species, numerum, & circunstantias mutantes speciem, per propositiones salubrium motiuorum ad excitandum ad dolorem, & execrationem peccatorum, & propositum de cætero non peccandi iuxta conditiones personarum; nam aliquas expedit excitare ad Dei amorem ex infinita eius bonitate, alias ad timorem ex iustitia eiusdem punitiua eas terrendo per minas inferni eisdem parati, nisi resipiscant, & æternitatis malorum eisdem imminentium.

10 Tenetur etiam beneuole pænitentes excipere.

Tenetur item beneuolè suscipere pænitentem, paratum se exhibere ad ipsum benignè audiendum, & onus secum portandum, compatientem eius miserijs se præbere, non edere signa admirationis, abhominationis, si quid graue, aut enorme audierit, ne pænitens pauore, pudore, aut alia perturbatione affectus desistat à confessione, aut non plenè eandem perficiat, sed, si quid obiurgandum nouerit, habita integrè confessione grauitatem, & fæditatem peccatorum exponat, quibus se contaminauit, compescat congruis obiurgationibus, subijciat pænas inferni, quibus se subiecerat, & quæ paratæ erunt, si iterum deliquerit; ita tamen se gerere debet, vt ipsum non conijciat in desperationem, sed proponendo mala æterna imminentia simul exhibeat infinitam Dei misericordiam paratam peccata dimittere, si peccator de eisdem ex corde ingemuerit.

ARTICVLVS XXI.

De Confessarijs sollicitantibus ad turpia in confessione.

SVMMARIVM.

Referuntur constitutiones Pontificum contra sollicitantes. 1.
Ostenditur enormitas delicti. 2.
Quinam veniant nomine sollicitantium. 3.
Sacerdos simulans se Confessarium, cum talis non sit, sollicitans in confessione fæminas, seu adolescentulos ad turpia ex vi constitutionis Gregorij XV. est denuntiandus. 4.
An in terminis Bullæ Pij IV., & Pauli V. sit denuntiandus remissiuè. 5.
Rationes, ob quas est denuntiandus vigore constitutionis Gregorij XV. 6.
Laicus se simulans Confessarium, & in confessione sollicitans non subiacet dispositioni harum constitutionum. 7.
Pœnæ non sunt extendendæ. 8.
Est tamen denuntiandus Inquisitoribus tanquam suspectus de hæresi. 9.
Episcopus sollicitans est denuntiandus Inquisitoribus. 10.
Nequeunt tamen Inquisitores contra illum procedere, nec testes assumere. 11.
Tenentur tamen rem ad Pontificem deferre. 12.
Fæminæ sollicitantes Confessarium in Confessione probabilius non sunt denuntiandæ. 13.
Si Confessarius fæminæ sollicitanti consenserit, non videtur denuntiandus. 14.

1 Referuntur constitutiones Pontificum contra sollicitantes.

INter cætera, quæ tenentur Confessarij in confessionibus vitare, est sollicitatio ad turpia, quæ adeo execrabilis est, vt compulerit plures ex Summis Pontificibus, signantèr Pium IV. in Bulla 4. Incip. *cum sicut nuper* Paulum V. in Bulla *Dilecte Fili* edita die 16. Septembris 1608., & Gregorium XV. in Bulla Incipiente *Vniuersi Dominici Gregis* ad edendas grauissimas mox allegatas constitutiones, & arcendos a tam nefario crimine delinquentes sub grauissimis pænis, etiam eosdem subijciendo tanquam suspectos de hæresi Inquisitoribus hæreticæ prauitatis; & quidem quid enormius, quam Tribunal iudicij emendatiui constituere tribunal vlterioris iniquitatis? Ministrum salutis fieri Architypum perditionis? Sacramentum ipsum reconciliationis efficere sentinam diuinæ indignationis? asilum remissionis facere cathedram abhominabilium vitiorum? Contra hoc abhominabile crimen relatiuè ad præfatas Pontifi-

2 Ostenditur enormitas delicti.

cum constitutiones agemus in præsenti, tam in ordine ad sollicitantes, quam ad personas sollicitatas, quæ denuntiare tenentur, quam ad crimen, in quo fit sollicitatio, & onus ipsius denuntiationis, & ad pænas contra sollecitantes comminatas. In quo, vt clarius, & distinctius procedamus, placet per singulares sectiones procedere.

SECTIO I.

Quinam comprehendantur tanquam sollicitantes denuntiandi in præfatis constitutionibus.

SOllicitare quamuis diuersimodè accipiatur à DD., prout tamen pertinet ad præsens institutum, idem est, ac prouocare, seu allicere, seu precibus rogare, aut inuitare ad turpia, siue hoc fiat verbis expressis, siue nutibus, siue aliqua actione ad hoc inducente. Hoc supposito sub hoc titulo quoad sollicitantes plura inquirimus; & primò, an nomine sollicitantium quoad hunc effectum denuntiationis veniant solummodo Confessarij approbati ad confessiones audiendas, an verò etiam Sacerdotes non approbati ad hoc munus, si se exponant temerè confessionibus audiendis. Secundò, an etiam veniant Laici, si se simulent Confessarios, seque exponant, & sollicitent. Tertiò, an veniant etiam Episcopi, adeout, si sollicitent, debeant Inquisitoribus hæreticæ prauitatis denunciari. Quartò, an fæminæ, si Confessarios sollicitauerint, sint denuntiandæ.

3 Quinam veniant nomine sollicitantium.

Conclusio I. Sacerdos carens iurisdictione, & simulans eandem se habere stante Constitutione Gregorij XV. est denuntiandus, si in confessione sollicitet fæminam, seu adolescentem ad turpia *Diana part. 1. tract. 4. resol. 17., & part. 4. tract. 5. resol. 8., Acugna tract. de confess. sollicit. q. 14. n. 4., Sanctius in select. disp. 11. n. 39., Ioannes Angelus Bossius in append. ad tract. de tripl. Iub. priuil. dub. 9.*

4 Sacerdos, qui non est Confessarius sollicitans est denũtiandus.

Dixi, *stante Constit. Gregorij XV.* nam, an locum etiam habeat conclusio in terminis Bullæ Pij IV., & Pauli V. dissidium est inter DD. *Ioannes Angelus Bossius loc. cit.* considerata re in triplici casu, nempè, quando tam Confessarius, quam pænitens sunt in bona fide existimantes adesse iurisdictionem, & quando fæmina solum est in bona fide, & Confessarius in mala, & quando in vtroque est scientia de defectu iurisdictionis, sed fæmina eidem confitetur peccata reseruata, ad quorum absolutionem Confessarius non habet facultatem sub spe, quod hic facultatem accipiat à Superiore ipsam absoluendi ab huiusmodi reseruatis, asserit, quod in primo, & tertio casu Confessarius sollicitans fæminam sit denuntiandus, non sic in secundo. Rationem ex eo desumere arbitror Bossium, quia in primo, & tertio casu Sacerdos audiens confessionem exercet illud munus tanquam Confessarius approbatus, qui propterea debet subire omnia onera Confessarij. Alij, inter quos *Freitas in addit. ad Achunam q. 14. num. 13.* existimat in omnibus tribus allegatis casibus Confessarium sollicitantem subiacere dispositionibus pænalibus Pij IV., & Pauli V., eo quod sic sollicitans est Sacerdos, habet potestatem absoluendi saltem à venialibus, & in articulo mortis, à quibuscunque, quod etiam sensisse videtur *Castrus Palaus tract. 4. disp. 9. punct. 9. num. 1.* Alij tandem senserunt in nullo ex tribus allegatis casibus Sacerdotem sic sollicitantem in terminis Bullæ Pij IV., & Pauli V. subiacere dispositioni pænali, vt denuntiari debeat, quia illorum Bullæ loquuntur de Sacerdotibus curam animarum habentibus, & ad munus audiendi Confessiones deputatis. Sed, quidquid sit de hac controuersia quoad dispositionem aliorum Pontificum; quod in terminis Constitutionis Gregorianæ comprehendatur Sacerdos in quocunque ex tribus recensitis casibus sic.

5 An in terminis Bullæ Pij IV., & Pauli V. sit denũtiandus remissiuè.

Probatur, quia Gregorius XV. in allegata sua Constit. loquitur de Sacerdotibus, qui sub prætextu confessionum sollicitant; hic autem, de quo loquimur, verè Sacerdos supponitur, & sollicitat prætextu confessionis, & dum confessionem audit, vel ante, vel immediatè post, ergo non est, cur non debeat comprehendi sub dispositione Constitutionis eiusdem Gregorij; Neque dicas, Gregorium XV. non solum exigere, seu loqui de Sacerdote, sed de eodem, prout est ad Sacras Confessiones deputatus, vt legenti est manifestum; non potest autem dici, quod hic Sacerdos, de quo loquimur, sit ad hoc munus deputatus, cum careat iurisdictione; contra enim impugnaberis, quia licet idem Pontifex referens Prædecessorum suorũ in hac materia dispositiones dicat, *vt aliquis Sacerdos ad sacras audiendas confessiones deputatus*, attamen, dum ipse disponit, loquitur vniuersalitèr de omnibus Sacerdotibus sine illa qualitate. Ibi- *quod omnes, & singuli Sacerdotes &c.* vnde non est, cur dispositio non debeat intelligi de Sacerdotibus in tota sua generalitate, cum isti etiam habeant potestatem ordinis, & capaces sint iurisdictionis, de qua potest præsumi &c.

6 Rationes, ob quas est denũtiandus ex vi Bullæ Gregorij XV.

Con-

7 Laicus se simulans Confessarium, & sollicitās non subiacet his Constitutionibus.

Conclusio II. Laicus se simulans Confessarium, & in confessione sollicitans ad turpia non comprehenditur sub dispositione harum Pontificiarum Constitutionum. *Rodericus Acuna tract. de confess. sollicit. q. 13. num. 1., & seqq., Ioannes Angelus Bossius in append. ad tract. de tripl. Iubil. Priuileg. dub. 10.*, vbi alios plures allegat.

In probatione huius conclusionis non diu immorandum videtur, cum denegari non possit huiusmodi constitutiones vtpotè pænales odiosas esse, nam, licet fauorem contineant, quatenus referuntur ad puritatem seruandam in illo sacrosancto ministerio, quia tamen continent pænas, pro odiosis computantur, cæteroqui nullæ leges essent odiosæ, cum omnes ad fauorem, & bonum Reipublicæ ordinentur; ergo sumendæ sunt secundum verborum formam, qua concipiuntur; verba autem, quibus cōcipiuntur, comprehendunt dumtaxat Sacerdotes, quorum nomine non veniunt Clerici non Sacerdotes, & multo minus Laici; Neque dicas, Laicos sub specie Sacerdotis audiētes cōfessiones reputari pro Sacerdotibus, & grauius delinquere sollicitando, ac delinquat verus Sacerdos, quandoquidem grauiorem irrogat Sacramento iniuriam, & irreuerentiam, vt ex se est manifestū; contra enim impugnaberis, quia pænæ, quæ irrogantur contra veros Sacerdotes, non extenduntur ad fictos, nec ex maiori grauitate delicti, quando non sunt qualitates à iure requisitæ, facienda est extensio pænarum; nam iura respiciunt ad id, quod regularitèr potest euenire, non ad id, quod raro, & per accidens euenit.

8 Pænæ nō sunt extendendæ.

9 Est tamē denuntiandus tanquam suspectus de hæresi.

Sed, an huiusmodi Laicus, quamuis non comprehendatur sub dispositione huiusmodi Constitutionum, sit tamen per fæminam sollicitatam denuntiandus Inquisitoribus hæreticæ prauitatis tanquam suspectus de hæresi ob vsurpatum ministerium, quod solis Sacerdotibus competit. Cum limitatione respondent *Rodriquez qq. Reg. tom. 2. q. 28. art. 2., Rodericus Acuna d. q. 13. num. 10.*, quod scilicet sint denuntiandi, si simul audiant confessionem, & impertiantur absolutionem, quod deducunt ex Bulla Pij IV., & Gregorij XIII. Incip. *Officij nostri partes* edita die 6. Augusti 1574. Ibi- *Confessiones audire, & absolutionem impertiri ausi fuerint*; vbi, vt vides, vtraque qualitas requiritur. Sed illa limitatio, vt scilicet etiam absolutionem impertiatur, non videtur modo requiri stante Constit. *Clement. VIII. Incip. Alias edita die 1. Decembris 1601.*, quæ subdit correctioni Inquisitorum eos, qui absque Presbyteratu audent confessiones audire, nec ibi requirit qualitatem, quod absolutionem impertiti fuerint.

10 Episcopus sollicitans est denuntiandus Inquisitoribus.

Conclusio III. Si Episcopi in confessione fæminas sollicitauerint ad turpia, probabilius est, per fæminas sollicitatas denuntiandos esse Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, qui tamen nequeunt contra illos procedere, nec dicta testium assumere, sed rem ad Summum Pontificem deferre, ab eoque expectare, quid agendum. *Rodericus Acuna q. 12. num. 5., & seqq., Farinacius de hæresi q. 186. §. 5. num. 113., Isidorus Mosconius de Maiest. milit. Eccles. lib. 1. p. 1. c. 11. de Inquisit.*

Quod sit denuntiandus Episcopus sollicitans ex eo euincitur, quod secus illius crimen remaneret reconditum, nec subiacere posset correctioni, cum fæminæ nequeant Pontificem adire pro denuntiatione. Quod verò Inquisitores nequeant contra illos procedere, manifestè euincitur *ex c. Inquisitores de hæret. in sexto*, vbi hæc expresse habentur. *Inquisitores hæreticæ prauitatis ab Apostolica Sede, vel alio, seu alijs cuiuslibet deputati de huiusmodi crimine inquirere contra Episcopos nequeunt, aut eius prætextu procedere contra eos*, & iuxta hunc sensum procedunt *Emericus in direct. Inquisitorum part. 3. q. 2., Decianus in tract. Crimin. lib. 5. cap. 21. nu. 5., & c. 23. nu. 2.*

11 Nequeūt tamen Inquisitores procedere.

12 Tenētur tamen ad Pontificem deferre.

Quod teneantur postea Inquisitores rem ad Pontificem deferre, habetur *ex d. c. Inquisitores de hæret. in sexto*. Ibi- *Si tamen Inquisitores ipsi Episcopos, aut alios Superiores Prælatos sciuerint, vel inuenerint circa crimen hæreseos commisisse, aut eos de hoc diffamatos existere, vel suspectos, id tenebuntur Sedi Apostolicæ nuntiare*. Verum tamen est, quod ex Constit. Pij V. concessum est Congregationi Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis procedere nedum contra Episcopos, & Archiepiscopos, sed etiam contra Patriarchas, & Cardinales suspectos de hæresi; ex quo deducitur, quod hæc facultas non competat alijs inferioribus Inquisitoribus, nisi hoc specialitèr à Sede Apostolica eisdem committatur.

13 Fæminæ sollicitātes Confessarium non sunt denuntiandæ.

Conclusio IV. Fæminæ in Confessione sollicitantes Confessarios ad turpia probabilius non sunt ab eisdem Confessarijs, nec ab alijs, qui hoc nouerint, denuntiandæ Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, *Rodericus Acuna in tract. Confes. sol. q. 11. num. 4.*, & ibi *Freitas in addit. num. 24., Riccius in prax. part. 3. resol. 67. nu. 1., Sanctius in select. disp. 11. num. 24., Bonacina de onere, & oblig. denuntiandi disp. 6. n. 17.*

Rationes pro asserto.

Ratio ex eo deducitur, quod in allegatis Constitutionibus sermo est de Sacerdotibus sollicitantibus pænitentes ad turpia, vt legenti sit manifestum, qui ex sua praui-

prauitate, tam enormitèr delinquunt ad illorum audaciam, & temeritatem comprimendam, ergo non ſunt extendendæ contra pænitentes ſollicitantes Confeſſarios ad turpia, cum pænalia non ſint extendenda vltra expreſſa *arg. textus in c. ſtatutum de elect., & l. cum quidam, ff. de lib., & poſth.*

Probatur ſecundò, quia leges pænales potiſsimum reſpiciunt ea, quæ crebrò, & vt plurimum, non quæ raro, & per accidens eueniunt; vix autem, ſeu ſaltem raro accidit, quod fæminæ ſint adeo peruicatis frontis, vt audeant Confeſſarios prouocare ad turpia.

Sed quid erit ſentiendum, ſi Confeſſarius à fæmina pænitente in confeſsione ſollicitatus conſenſum præſtiterit, & vigore illius ſollicitationis turpem, & obſcænum aliquem actum cum ipſa commiſerit, an tunc erit denuntiandus, & an tunc ipſe teneatur fæminam ſollicitantem denuntiare. Arbitror, nec ipſum Confeſſarium eſſe denuntiandum, nec ipſum teneri denuntiare fæminam, quæ ſollicitauit. In hoc conſentiunt DD. omnes allegati in concluſione. Ratio primæ partis eſt, quia ipſe Confeſſarius non poteſt dici ſollicitator, nec conſenſus per ipſum præſtitus fæminæ ſollicitanti ipſum conſtituit reum ſollicitationis actiuæ, ſed reum paſsiuæ culpabilis; pænæ autem irrogatę contra ſollicitatorem actiuum non extenduntur ad paſsiuum; nec obſtare poteſt, ſi dicatur Confeſſarium, quantumuis prouocatum à fæmina pænitente, & conſentientem comprehendi ſub Conſtitutione per illa verba Gregoriana, *aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſeu tractatus habuerint*; Non, inquam, obſtare poteſt; nam omiſsis ijs, de quibus latè agit contra Trimarchum *Ioannes Angelus Boſſius diſcep. moralium diſcep. 5. defenſ. 4. per totum*, referens illa verba ad alium ſenſum, nempè, quando verba illa, ſeu tractatus cum pænitente ſunt relata, ſeu relati ad effectum, vt fæmina pænitens proſtituat ipſi Confeſſario propriam filiam, dico illa verba, ſeu tractatus intelligenda, ſeu intelligendos eſſe, quando ortum habuerunt ab ipſo Confeſſario, quod colligitur ex contextu verborum, nam Gregorius XV. dicit denuntiandos eſſe illos Confeſſarios, *qui pænitentes ſollicitare, aut prouocare tentauerint, aut cum eis*, hoc eſt pænitentibus *illicitos, aut inhoneſtos ſermones, ſeu tractatus habuerint*; ly autem, *cum eis*, cum ſit ſermo continuatus, habet connexionem cum præcedentibus, quæ indicant tentamentum factum à Confeſſario, & propterea important ſermonem inductum in origine ab eodem. Hinc hanc ſententiam præter præcitatos DD. ſuſtinent etiam *Sanctarellus tract. de hæreſi c. 46. n. 2., Sanctius in ſelect. diſp. 11. num. 25., Homobonus de exam. Eccl. tom. 2. tract. 11. c. 12. q. 26., Bonacina d. diſp. 6. punct. 3. num. 17.* hancque etiam probabilem, & tutam exiſtimat *Diana part. 1. tract. 4. reſol. 11. circa fin.*

14 Si Confeſſarius feminæ ſollicitati conſenſerit non eſt denũtiandus.

Ratio ſecundæ partis ex ſuperius dictis deducitur, quia ſcilicet allegatæ Conſtitutiones non loquuntur de fæminis ſollicitantibus, ſed de Confeſſarijs ad eorum audaciam infringendam.

SECTIO II.

De Pænitentibus ſollicitatis in ordine ad onus denuntiationis.

SVMMARIVM.

Quinam veniant nomine ſollicitatorum. 1.
Moniales quantumuis clauſtrales ſollicitatæ à Confeſſario tenentur ipſum denuntiare. 2.
Quomodo facienda ſit huiuſmodi denuntiatio. 3.
Adoleſcentes ſollicitati ad turpia à Confeſſario tenentur illum denuntiare. 4.
Deducitur ex Conſtitutione Gregorij XV. 5.
Perſonæ ſollicitatæ tenentur denuntiare, quamuis illis ex denuntiatione immineat damnum graue. 6.
Vix timeri poſſunt huiuſmodi damna. 7.
Præceptum cauendi damna Religionis eſt quodamodo naturale. 8.
Si Pænitentes ſollicitentur non in confeſſione, ſed in alijs Sacramentis non tenentur Confeſſarium denuntiare ex vi Conſtitutionum Pontificiarum. 9.
An teneantur ex alio iure remiſſiuè. 10.
Sollicitatus in confeſsione non ad venerea, ſed ad alia peccata non tenetur ex vi dictarum Conſtitutionum denuntiare ſollicitantem. 11.
Eliditur dictum Freitæ, eiuſque diſtinctio. 12.
Non ſolum maſculus, & fæmina ſollicitati tenentur denuntiare ſollicitantem, ſed alij etiam, qui nouerint ſollicitationem factam. 13.
Nec probabilitèr excuſatur ex eo, quod nouerit ſub ſigillo naturali. 14.

QVamuis regularitèr omnes ſollicitati videantur ex vi potiſsimum Conſtitutionis Gregorianæ obligati ad denuntiandos Confeſſarios, qui in confeſsione ipſos ſollicitarunt; attamen oriri poteſt controuerſia, an perſonæ aliquæ ex conditione proprij ſtatus eximantur ab hoc onere; & primo dubitari poteſt, an moniales clauſtrales, quibus licitum non

1 Quinam veniant nomine ſollicitatorum.

non est è claustris exire eximantur ab hoc onere, & si non eximantur, quomodo se gerere debeant in huiusmodi denuntiatione. Secundò, an adolescentes masculi, qui fuerunt per Confessarios allecti ad crimen nefandum cum ipsis perpetrandum, vel ad alios actus turpes, & inhonestos, ad hoc onus teneantur. Tertiò, an teneantur siue masculi, siue fæminæ ad denuntiandum, quando ex denuntiatione illis imminet graue periculum damni, vel in vita, vel in fama, vel in bonis fortunæ. Quartò, an teneantur denuntiare sollicitantes, quando non in Sacramento pænitentiæ, sed in alijs sollicitantur ad turpia. Quintò, an teneantur, quando in confessione ad alia crimina à turpibus, & à carnalibus alliciuntur, & prouocantur.

Conclusio I. Moniales, quantumuis claustrales, sollicitatæ à Confessarijs ad turpia tenentur ipsos denuntiare. In hoc arbitror communitèr DD. conuenire stante Constitutione Gregorij XV.

2 Moniales quãtumuis claustrales tenentur Confessarium sollicitantē denuntiare.

Ratio deducitur ex dispositione eiusdem Gregorij, qui generalitèr omnes obligat sine aliqua exceptione, dum præcipit Confessarijs, vt teneantur admonere pænitentes de huiusmodi obligatione, quos nouerint fuisse sollicitatos; nomine autem sollicitatorum intelligit personas in quocunque genere, & statu reperiantur. Ibi *qui personas, quacunque illæ sint, ad inhonesta inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda*.

Neque obesse potest, si dicatur, quod cum moniales detineantur in claustris, è quibus nequeunt egredi, vix possint sine scandalo, & specie infamiæ adimplere hoc onus denuntiationis, nam, si vocent ad se Inquisitores, ingerent suspicionem alicuius enormis delicti; si denuntient per literas, periculum aderit manifestationis; si per nuntium; pluribus, quam par sit, manifestabitur delictum, ergo ipsæ ab hoc onere manifestationis ratione propriæ conditionis deobligantur. Non, inquam, obesse potest; primò, quia his omnibus occurri potest, vel per literas obsignatas, vt tradidit *Portellus de dub. Reg. verb. sollicitare num. 21.*, *Lazarus de blasph. q. 12. nu. 64.* vel per secretam monitionem Inquisitoribus, qui per deputationem Confessarij monasterij ad recipiendam illam denuntiationem poterunt prædictis periculis infamiæ occurrere, vt notauit *Carena part. 2. de confess. sollicit. tit. 6. §. 20. num. 115.* Secundò dici potest cum *Bonacina de legib. disp. 2. q. 8. punct. 2. num. 5., & seqq., & de onere, & oblig. denunt. disp. 6. punct. 3. num. 11. in resp. 2. ad obiect. secundum,* quod quando etiam vigeret aliquod periculum

3 Quomodo faciẽda sit huiusmodi denuntiatio.

quoad enuntiata in instantia, bonum tamen Religionis, quod resultat, seu resultabit ex illa denuntiatione, debeat præualere illis priuatis incommodis pænitentis.

Conclusio II. Masculi etiam à Confessarijs sollicitati ad turpia, puta adolescentes ad crimen nefandum, vel ad alios actus inhonestos, tenentur eosdem Confessarios denuntiare Inquisitoribus hæreticæ prauitatis stante potissimum Constitutione Gregorij XV. Dixi, *stante potissimum Constitutione Gregorij XV.*, quia ante illam maximè controuertebatur, an in Constitutionibus aliorum Pontificem masculi comprehenderentur, cum de illis in eisdem nulla fieret mentio, & signantèr de illorum comprehensione dubitabat *Paramus de orig. Inquis. lib. 3. q. 10. num. 92.* Conclusionem nostram sustinent communitèr DD. in hac materia scribentes *Rodericus Acuna in tract. de sollicit. q. 6.*, *Rodriquez tom. 1. qq. Reg. q. 59. art. 4.*, *Sanctarellus in tract. de hæresi c. 45.*, *Graffius cons. 1. de cognat. spirit. num. 45.*, *Bonacina loc. cit. num. 16.*, *Diana tom. 1. tract. 4. resol. 12. in fin.*, *Naldus in addit. ad summam verb. confessio num. 31.*, *Venerus in exam. Episcop. lib. 5. c. 17. num. 19.*

4 Adolescẽtes sollicitati ad turpia tenentur Confessarium sollicitantē denuntiare.

Expressè deducitur ex verbis eiusdem Constitutionis Gregorianæ. Ibi *qui personas, quacunque illæ sint, ad inhonesta inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda;* ly autem, *quacunque illæ sint*, additum personis importat vtrumque sexum; & iure quidem meritò hic Pontifex expressè abstulit ambiguitatem, quæ antecedentèr aderat, quia deterior, & abhominabilior est sollicitatio quoad masculos, quã quoad fæminas.

5 Deducitur ex Constitutione Gregorij XV.

Conclusio III. Pænitentes, siue fuerint masculi, siue fæminæ sollicitati, siue sollicitatæ à Confessarijs ad turpia tenentur eosdem denuntiare, quantumuis ex illa denuntiatione illis immineat periculum damni, siue in vita, siue in bonis famæ, siue in bonis fortunæ. *Bonacina de onere, & oblig. denuntiandi disp. 6. punct. 3. num. 11. in respons. 2. ad obiect. 2.* quidquid ex aduerso dixerint *Rodericus Acuna tract. de confess. sollic. q. 19.*, *Lezana tom. 1. qq. Reg. c. 19. num. 34.*

6 Tenẽtur denuntiare quãuis ex denuntiatione illis immineat graue damnum.

Ratio est, quia vix timeri possunt rationabilitèr huiusmodi pericula; cum in Tribunalibus Sanctissimæ Inquisitionis cautè admodum procedatur, nec nominentur denuntiatores, nec testes. Deinde dato etiam, quod aliquod periculum immineret denuntianti, bonum tamen Religionis debet præualere damnis priuatarum personarum.

7 Vix timeri possunt huiusmodi damna.

Neque dicas, præceptum denuntiationis

nis est positiuum humanum, cum antecedentèr ad Pontificum Constitutiones non vrgeret; præcepta autem positiua humana non intelliguntur obligare cum tot incommodis; contra enim impugnaberis primò, quia, vt mox dicebamus, vix possunt considerari grauia illa incommoda. Secundò, quia, quamuis præceptum illud denuntiationis quoad pænas sit positiuum, & humanum, quoad onus tamen videtur naturale, quandoquidem vnusquisque ex iure quodam innato tenetur Religionis iura tueri per media apta, & congrua; & sicuti ex lege charitatis tenetur quisque obuiare damnis proximi, ità ex lege Religionis tenetur iura eiusdem defendere. Tertiò, quia, vt asserit *Bonacina loc. cit.* præcepta etiam humana, quandoque obligant cum graui incommodo, quando ità exigit bonum communitatis, & Religionis.

8 Præceptum cauendi damna Religionis est naturale.

Conclusio IV. Si pænitentes sollicitentur non in Sacramento pænitentiæ, sed dum alia Sacramenta ministrantur, non tenentur Confessarium, qui sollicitauit, denuntiare, quantum est ex vi Constitutionum Pontificiarum. Consentiunt *Rodericus Acuna tract. de confess. sollicit. q. 16. num. 4.*, *Sanctarellus in tract. de hæresi c. 46. num. 5.*, *Bonacina de oner., & oblig. denunt. disp. 6. punct. 3. num. 14.*, *Sanctius in select. disp. 11. num. 42.*, *Diana part. 4. tract. 15. resol. 16.*

9 Sollicitatus in alijs Sacramentis non tenetur denuntiare.

Ratio est, quia Pontifices in præfatis suis Constitutionibus loquuntur præcisè de sollicitantibus in confessione, vel prætextu, & occasione confessionis, ergo ex vi Constitutionem Pontificiarum non oritur obligatio denuntiandi Confessarios, qui in administratione aliorum Sacramentorum sollicitarunt, cum dici non possint sollicitasse in confessione, seu prætextu, & occasione illius; & congruentiori quidem ratione Pontifices præscripserunt potius denuntiationem sollicitationis factæ in confessione, & occasione illius, quam in alijs Sacramentis, quia in illa, cum pænitens explicet prauos animi sui motus, Confessarius ex illa explicatione sumit occasionem facilius eius animum tentandi ad turpia, quod non ità facilè euenit in administratione aliorum Sacramentorum, ac proinde Pontifices ad coercendam eorundem Confessariorum audaciam occurrere volentes illi occasioni facilius delinquendi in hoc genere, pænas illas, & onus statuerunt.

Quātum est ex vi Constitutionū Pontificiarum.

Dixi, *ex vi harum Pontificiarum Constitutionum*, nam vtrum teneantur ex alijs dispositionibus siue iuris nuturalis, siue Diuini, siue Canonici, alibi videbitur; Hoc vnum hic addo, quod certè non teneantur, maximè, si obligatio oriretur ex iure naturali, quoad pænas, cum solum contraherent grauem culpam non denuntiando, cum aliæ pænæ a iure naturali non sint indictæ.

10 An teneantur alio iure.

Conclusio V. Si pænitentes sollicitentur à Confessario in confessione, vel prætextu, seu occasione confessionis non ad venerea, seu turpia in hoc genere, sed ad alia peccata non tenentur ex vi harum Constitutionum ad denuntiandum eundem Confessarium. *Peirinus tom. 2. priuileg. minim. in Constit. IV. Gregorij XV. n. 7.*, *Sanctarellus in tract. de hæresi c. 44. n. 19.*, *Venerus de exam. Episcop. lib. 5. c. 17. n. 18.*, *Sanctius in Select. disp. 11. num. 23.*, *Bonacina de onere, & oblig. denunt. disp. 6. punct. 3. num. 13.*

11 Sollicitatus ad alia peccata à venereis nō tenetur denuntiare sollicitantē.

Ratio ex eo deducitur, quia Pontifices loquuntur præcisè de prouocantibus ad venerea, & inhonesta, vnde extra illa non videtur fieri posse iustè extensio per textum *in c. in pænis de reg. iur. in sexto*. Neque dicas, hic non fieri extensionem stante præcipuè Constitutione Gregorij XV., qui comprehendit etiam casum prouocationis ad alia peccata extra venerea, & inhonesta, dum dicit, *aut, qui inhonestos, & illicitos sermones, & tractatus habuerint*, vbi nota, quod post particulam *inhonestos* addit illam, *illicitos*, quæ vtpotè posterius posita ampliat dispositionem vltra enuntiata in prima, nempè, *inhonestos*, adeoque extenditur etiam ad alia peccata ab inhonestis; contra enim impugnaberis, quia illa particula, *illicitos*, vltimo loco posita potest quoquo modo dici ampliatiua, sed in eodem genere, & ordine, quatenus amplexatur saltem expressius omnes actus in materia venerea, quos non ita genericè, & clarè explicat illa prior particula, *inhonestos*.

Dices cum *Freita in addit. ad tract. de confess. sollic. q. 8. num. 17.*, quod, quamuis Confessarius sollicitans ad alia peccata extra venerea, & inhonesta, non contraheret pænas in dictis Constitutionibus contentas, quando non arriperet occasionem sollicitandi ex peccatis a pænitente tunc subiectis, contraheret tamen, si ex illis tunc subiectis talem occasionem desumeret, quia tunc esset suspectus de fide. Sed contra, quia quoad hunc effectum gratis confingitur illa Freitæ distinctio; cum Pontifices loquantur solummodo de prouocantibus ad venerea, nec restringant, quando Confessarius sumit ex peccatis confessis occasionem sollicitandi; vnde, vel illud peccatum, ad quod sollicitat Confessarius in confessione, est comprehensum in præfatis Constitutionibus, vel non est comprehensum; si est compre-

12 Eliditur dictum Freitæ eiusque distinctio

hen-

hensum, siue ex illo tunc confesso, vel non confesso sollicitet Confessarius, semper contrahit pænas in illis comminatas, cum semper verificetur, quod sollicitet ad prohibita, & comprehensa in illis iuribus vetantibus sub illis pænis; Si non est comprehensum; siue illud fuerit tunc confessum, siue non, non contrahet pænas, cum contra sollicitationem ad idem pænæ cōminatæ non extendantur. Cæterum, si valeret ratio Freitæ, si pænitens non confiteretur peccata inhonesta, cum illa non comiserit, & Confessarius illum prouocaret in confessione ad turpia, euaderet pænas sollicitantium, quod quis diceret?

13 Etiā alij à sollicitatis conscij sollicitationis tenentur denuntiare.

Conclusio VI. Si alius a fæmina, vel puero sollicitatis nouerit Confessarium fæminam, vel puerum in confessione sollicitasse, tenetur illum Inquisitoribus denuntiare *Freitas in addit. ad tract. de confes. sollic. q. 21. num. 26., Diana part. 1. tract. 4. resol. 24., & part. 9. tract. 8. resol. 46., Fagundez part. 2. lib. 4. c. 3. num. 31.*

Ex generali regula.

Hæc conclusio non videtur fundari in Constitutionibus prefatorum Pontificum, cum istæ præcisè statuant, & *mandent omnibus Confessarijs, vt suos pænitentes, quos nouerint fuisse ab alijs sollicitatos moneant de obligatione denuntiandi*, nec verbum faciant de alijs à sollicitatis, sed in generali regula, secundum quam vnusquisque tenetur denuntiare, quos nouerit esse hæreticos, & etiam suspectos de hæresi, & licet hæc, quæ dicuntur de regula generali denuntiandi hereticos, videantur procedere dumtaxat de hæretico formali, extendit tamen *Diana part. 1. tract. 4. resol. 24.*, & cum eo *Freitas loc. cit.* ad suspectos de hæresi propter sollicitationem ad turpia.

14 Probabiliter etiā tenetur quamuis nouerit delictum sub onere sigilli naturalis.

Sed, an hæc, quæ dicta sunt, procedant etiam, quando quis nouit fæminam fuisse sollicitatam à Confessario sub sigillo secreti naturalis? Negat *Fagundez de præcept. Eccl. t. 2. lib. 4. c. 3. num. 31.*, ea motus ratione, quod obseruantia illius secreti sit de iure naturali, denuntiatio verò tantum de iure positiuo, quod debet cedere naturali. Nihilominus *Diana, & Freitas loc. cit.* asserunt, non obstante secreto naturali teneri denuntiare, cum obseruantia secreti vergeret in maximum communitatis, & Religionis damnum; cum compertum fuerit aliquando Confessarium per decem annos, & vltra perditè perseuerasse in sollicitatione cum varijs fæminis, eo quod à nullā per illud tempus fuerit denuntiatus. Quamobrem *Farinacius de hæresi q. 197. §. 2. n. 50., Penna in direct. part. 2. comm. 18., Suarez in tract. de fide disp. 20. sect. 4. num. 17., Sanctarellus in tract. de hæresi c. 9. num. 10.* loquentes de hæresi statuerunt, denuntiationem faciendam esse, quantumuis fuerit promissum secretum sub iuramento per textum *in c. Quintauallis, & c. tua nos de iure iur.*

SECTIO III.

Quale debeat esse delictum sollicitationis, vt oriatur obligatio denuntiandi.

SUMMARIUM.

Si Confessarius absoluta pænitente, eaque dimissa eius domum adiuerit, eamque sollicitauerit non est denuntiandus. 18.

Si Confessarius audita adolescentis confessione, quem pluries nouit fuisse sodomiticè cognitum, in proprium cubiculum duxerit sub prætextu dandi singrapham confessionis, ibique ipsum sollicitauerit, est denuntiandus, & puniendus. 19.

Quibusnam actibus dici possit Confessarius sollicitare. 20.

Si Confessarius in confessione fæminam somno correptam, vel parocismo osculatus fuerit, vel luxuriosè contractauerit, est denuntiandus. 21.

An ex diuturnitate temporis, quo Confessarius sollicitauit, cesset obligatio ipsum denuntiandi ex suppositione emendationis, sententia negatiua refertur. 22.

Sententia affirmatiua præfertur. 23.

Non est ex necessitate præmittenda correctio. 24.

Si Confessarius diceret, vel in confessione, vel immediate post illam, si essem sæcularis, acciperem te in vxorem, probabilius esset denuntiandus. 25.

EX dictis in præcedenti iam patet non cadere sub dispositione præcitatarum Constitutionem sollicitationem factam in confessione de rebus non venereis, nec de rebus venereis in administratione aliorum Sacramentorum. Titulus igitur procedit de sollicitatione in genere venereo in actu, seu prætextu, & occasione confessionis, vnde hic examinandum remanet, qualis circa venerea debeat esse huiusmodi sollicitatio, vt comprehendatur sub onere denuntiationis, & sub pænis in prædictis Constitutionibus comprehensis. Vt clarius in hac re procedam, difficultates per varia dubia proponam, & per suas respectiuè responsiones diluam.

Dubitatur primò, an, si alius per personam Confessarij sollicitaret in confessione fæminam ad inhonesta cum ipso perpatranda, esset denuntiandus, & subiret pænas in præfatis Constitutionibus comminatas.

1 Si Confessarius nomine alterius sollicitet hic alter non est denuntiandus.

Respondeo primò, ille, cuius nomine, vel de cuius commissione, seu suasione, Confessarius fæminam sollicitat, quamuis grauissimè peccet, non subit tamen pænas illarum Constitutionum, nec est denuutiandus. *Freitas in addit. ad tract. de confess. sollicit. q. 17. nu. 14., Diana part. 1. tract. 4. resol. 22.* Ratio ex eo deducitur, quod præfatæ Constitutiones loquuntur de Confessarijs sollicitantibus, ille autem, cuius nomine fit sollicitatio, non est Confessarius; vnde etiam diximus in præcedentibus, quod, si Laicus simulans se esse Confessorem sollicitaret fæminam, non contraheret has pænas, ergo multo minus, si sollicitaret per alium, nempè per Confessarium. Secundò hoc euincitur ex generali regula censurarum, secundum quam pænæ ipsarum iniunctæ contra facientes non extenduntur contra mandantes, & consulentes *Tabiena verb. Excommunicatio 5. cas. 49. num. 5., Nauarrus in man. c. 27. num. 1., Suarez de cens. disp. 4. sect. 3. num. 5.*, & alij communitèr; in hac autem hypothesi illa persona non sollicitat, sed mandat &c.

2 Regulæ iuris in pænalibus non extendũtur ad casus fictos.

Neque hic locum habere possunt vulgatæ regulæ, quod, qui per alium facit per se ipsum facere videatur *c. Qui per alium de reg. iuris in sexto*, & dicatur facere, qui iubet aliquid facere per textum *in l. manumissiones, ff. de iust., & iur.* Non, inquam, habent hic locum, quandoquidem, cum versamur in pœnalibus, leges sunt intelligendæ in sensu vero, & reali, non in ficto, & metaphorico; id autem, quod dicitur in allegatis regulis procedunt tantum in sensu ficto, & metaphorico, & proinde hic locum non habent.

3 Confessarius sollicitás nomine alterius est denuntiandus.

Respondeo secundò. Confessarius ipse, qui nomine alterius, seu pro alio sollicitat, verè contrahit illas pænas, & est denuntiandus. In hoc consentiunt *Naldus in addit. ad summam verb. Confessio num. 31., Sanctius in select. disp. 11. num. 41., Bonacina de onere, & obligat. denunt. disp. 6. punct. 3. num. 19.*, & alij communitèr. Expresè deducitur ex Constitutione Gregorij XV. Ibi- *Qui personas quæcunque illæ sint ad inhonesta siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpatranda.* Rursus, *aut cum illis illicitos, & inhonestos sermones, aut tractatus habuerint;* qui autem prouocat ad inhonesta etiam cum alijs patranda, vtique illicitos, & inhonestos sermones cum prouocato habet, vt ex se patet.

Dubitatur secundò. An interpres adhibitus in confessione ad explicanda peccata pænitentis, si eundem pænitentem prouocet, seu alliciat ad inhonesta, subdatur pænis, & sit denuntiandus. Cum interpres medius hæreat inter pænitentem, & Confessarium vtpotè, qui dicta pænitentis ad Confessarium defert, & dicta Confessarij ad pænitentem, videtur saltem, quatenus partes Confessarij sustinet, contrahere pænas, si sollicitet potissimum, cum æquè, ac Confessarius teneatur ad sigillum. Nihilominus

Respondeo, interpretem, si, dum munus exercet in confessione, sollicitet ad inhonesta pænitentem, non subire pænas sollicitantium, nec esse denuntiandum *Diana part. 4. tract. 5. resol. 9., & part. 9. tract. 9. resol.*

resol. 32. §. nota verò. Ratio est, quia, vel talis interpres est Laicus, & simplex Clericus, vel est Sacerdos; Si Laicus, vel Clericus, quantumuis fungeretur munere Sacerdotis, quem simularet, per superius dicta non contraheret huiusmodi pænas, nec esset denuntiandus, quantumuis ex alio capite esset grauitèr corripiendus, ergo multo minus contrahet, dum non exercet munus Confessarij, sed meri interpretis; Si Sacerdos; adhuc non esset subijciendus huiusmodi pænis, quia, tunc non fungitur munere Confessarij, sed potius munus pænitentis, cum pro ipso peccata eidem Confessario deferat; nec obstant ea, quæ dicebantur pro contraria parte, quod scilicet etiam agat partes Sacerdotis, dum illius dicta defert ad pænitentem; Non, obstant, inquam, quia in illo munere se habet, vt merus Picca, & organum, quod exercere quilibet potest.

4 Interpres sollicitās, dum munus exercet in cōfessione non est denuntiandus.

Dubitatur tertiò, an esset denuntiandus Confessarius, qui in actu confessionis, vel immediatè ante, vel post peteret à pænitente, vt sibi commodaret domum, vt in eam induceret meretricem ad fornicandum. Videtur affirmare *Diana part. 4. tract. 5. resol. 45.*, ea motus ratione, quod in Constitutione Gregoriana dicatur, *qui personas, quæcunque illæ sint, ad inhonesta siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpatranda*; Sed hæc verba non videntur euincere intentum Dianæ, quandoquidem referuntur ad personam sollicitatam, vt ipsa, vel cum ipso Confessario, vel cum alia persona inhonesta perpatret, non ad aliam personam, quæ non sollicitatur in confessione, vt supponitur, vt inhonesta perpatret cum ipso Confessario. Fortius videretur euinci intentum eiusdem Dianæ ex alijs verbis Constitutionis Gregorianæ *Aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, aut tractatus habuerint*; supponitur enim Confessarius habere illicitos, & inhonestos sermones ex eo, quod petat domum ad meretricandum, & etiam inhonestos tractatus in petitione domus ad illum inhonestum finem.

5 Confessarius, qui in cōfessione, vel immediatè post petit à pænitente domū ad fornicandum cum meretrice secundū aliquos est denūtiandus.

Ego cum distinctione responderem; vel etenim Confessarius peteret domum à Pænitente non exprimens prauum finem, ob quem petit, quamuis pænitens posset suspicari de prauitate finis; vel peteret determinatè ad inducendam in eandem fæminam ad meretricandum; si primum supponatur; non subijcerem eundem Confessarium huiusmodi pænis, nec obligarem pænitentem ad eum denuntiandum. Ratio est, quia in hac hypothesi, nec est prouocatio ad inhonesta, nec sermones, nec tractatus illiciti, & inhonesti; vt per se patet, nec releuat illa suspicio prauitatis finis, quam potest concipere pænitens, quandoquidem illa, nec inducit prouocationem, nec sermones, nec tractatus illicitos, & inhonestos, &, quantumuis illa suspicio non esset remota a vero, quinimmo in veritate fundata, non propterea fundaret onus denunciandi in pænitente, nec onus subeundi pænas in Confessario petente illam domum, quandoquidem pænæ non debentur ob actus merè internos. Si secundum supponatur, quod scilicet petierit expressè, & determinatè ad inducendā fæminam ad meretricandum; tunc crederem, posse habere verum opinionem Dianæ (quamuis non careat magna difficultate) propter illicitos, & inhonestos sermones, qui in illa petitione continentur.

6 Si præcisè peteret domum non expresso fine non esset denuntiandus.

7 Si peteret expresso illo prauo fine videtur denuntiandus.

Dubitatur quartò, an, si Confessarius in confessione fæminæ verba proferret, quæ æquè referri possent, vel ad finem alliciendi, & prouocandi ad inhonesta, vel ad alium finem esset denuntiandus. Hoc eueniret in casu, quo Confessarius in actu confessionis, siue immediatè ante, vel immediatè post laudaret fæminam de pulchritudine, venustate, & corporis elegantia, & similibus.

Respondeo, resolutionem huius dubij petendam, seu desumendam esse à circunstantijs, & modo loquendi; Si etenim diceret *Nefas est, quod tu, cum sis pulchra, & facie decora, prostituas alijs à marito pulchritudinem tuam*, certè non subiret pænas iuris, nec esset denuntiandus, cum verba illa non referantur ad ipsam sollicitandam, sed potius ad remouendam à sui prostitutione, vt ex se patet. Si diceret *Pulchra es, & decora*, addendo verba, quæ ad sui amorem allicerent, puta *cor meum, anima mea*, tunc certè non eximerem à pænis, nec pænitentem ab onere denuntiationis, quia verba illa ex genere suo sunt amatoria, & istis assolent fæminæ allici ad amorem inhonestum, vt rectè obseruat *Bonacina de onere, & obligatione denuntiandi disp. 6. punct. 3. num. 5.*; si tandem præcisè audita confessione, vel ante, vel post ipsam laudaret de pulchritudine, & venustate, nec aliud siue in verbis, siue in modo, siue in nutibus adderet, quibus conijceretur animus proferentis ad alliciendum ad inhonesta; tunc *Bonacina loc. cit. vers. in dubio autem*, arbitratur pro animo sollicitandi, adeoque sic laudantem teneri pænis iuris, & esse denuntiandum, quia ex genere suo talibus laudibus alliciuntur fæminæ, in quam etiam opinionem propendent *Carena de S. Officio part. 2. de Confessar. sollicit. tit. 6. num. 37.*, *Sanctarellus de hæresi c. 44. num. 9. vers. dico sexto*: Alij tamen contrarium arbitran-

8 Laudans in confessione, vel immediatè post fæminam de pulchritudine, an sit denuntiandus resolutio multiplex.

trantur, eo quia laudatio illa pulchritudinis, & venustatis secundum se non est sollicitatio ad turpia, nec continet aliquid inhonestum, & illicitum, nec potest dici, quod coniungatur cum fine prauo proferentis, quia de illo fine, cum sit actus merè internus, nec coniungatur cum actu externo indicante illum finem, non constat, & propterea verba illa secundum se sumpta sunt indifferentia, vt referantur, vel ad finem turpem, vel ad alium finem, nec trahenda ad malum, cum possint ex mente proferentis habere, vel bonum, vel finem saltem indifferentem, cum quisque præsumatur bonus, nisi contrarium probetur. Quid in hoc sentiendum? Videant alij. Crederem tamen, quod, si hic denuntiaretur, mitius esset cum ipso agendum propter incertitudinem finis, & indifferentiam sermonis.

9 Sollicitās in confessione ad leuia secundum Castro Palaum non est denuntiandus.

Dubitatur quintò, an, si Confessarius pænitentem in confessione, vel immediatè ante, vel post illam sollicitaret ad actus solummodo venialitèr inhonestos, & illicitos esset denuntiandus, & subiret pænas iuris.

Negat *Castrus Palaus part. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 3.* eo quod æquum non est, quod pro sollicitatione ad leuia compellatur sustinere pænam ad sacrum Tribunal, quod redolet quandam speciem infamiæ, alijsque grauibus pænis subesse; esset enim pæna improportionata delicto. Supponit hæc opinio in materia venerea dari paruitatem excusantem à grauitate delicti, quod, an verum sit, non de facili admitterem.

10 Secundū veritatē est denūtiandus.

Contraria tamen sententia affirmatiua tutior est, & sustinenda, quam sustinent *Peirinus ad priuileg. minim. tom. 3. c. 11. n. 6., per totum, Ioannes Angelus Bossius de Iubil. in append. de Confess. sollic. à num. 50. ad 55., Carena part. 2. de Confess. sollicit. tit. 6. n. 37. vers. verum ego censeo, Sanctius in select. disp. 2. num. 22.* Ratio non solum ex eo deducitur, quod secundum opinionem DD. sanius sentientium in materia venerea non datur paruitas materiæ, vt etiam præter præcitatos firmarunt *Freitas ad Rodericum Acuna de Confessar. sollic. q. 7. num. 33., Diana part. 3. tract. 5. resol. 1.*; sed etiam, quia dato etiam, nunquam tamen concesso, quod in genere luxuriæ daretur paruitas materiæ, quamuis sic sollicitans ad leuia grauitèr non peccaret contra virtutem castitatis, grauitèr tamen peccaret contra virtutem Religionis, dum abuteretur Sacramento ad prauum finem, ex quo grauiora possent procedere, nisi ille abusus comprimeretur per pænas.

11 Confessarius, qui in confessione cæpit sollicitare, sed destitit, nec tunc impendit absolutionem est denūtiandus.

Dubitatur sextò, an, si Confessarius per inhonesta verba incæperit sollecitare fæminam pænitentem ad copulam, quæ eidem consenserit, sed post illa verba statim desistat, nec tunc Confessarius impendat absolutionem, sed differat tum complementum sollicitationis, tum absolutionem, denuntiandus sit, & puniendus pęnis iuris tanquam sollicitator.

Respondeo, vtique denuntiandum esse, & puniendum *Diana part. 4. tract. 5. resol. 4.* Stante Constitutione Gregorij XV. vix quoad hanc responsionem remanet locus ambigendi, quandoquidem in ea comprehenduntur quotquot illicitos, & inhonestos sermones, & tractatus habuerint; denegari autem non potest, quin in illa sollicitatione inhonesti intercesserint sermones, & tractatus. Accedit, quod, si Confessarium post sollicitationem immediatè pæniteat sollicitationis factæ, non excusatur à pænis sollicitantium, prout tradunt *Sanctarellus de hæresi c. 44. num. 18. concl. 13., Graffius de casib. reseru. lib. 1. c. 12. de confess. sollicit. num. 39., Trimarcha de confess. abutente disp. 12. sect. 1.* nam sollicitatio iam intelligitur facta, ergo etiam, si Confessarius post inhonesta verba destiterit differens ad aliud tempus executionem operis, ad quod sollicitauit, & etiam absolutionem, non eximetur à pænis Confessoribus sollicitantibus comminatis.

12 Confessarius sedēs in confessionali sollicitās fæminā ad se accedentē non confessionis causa, sed alterius negotij secundū aliquos non est denuntiandus.

Dubitatur septimò, an, si fæmina accedat ad Confessarium sedentem in confessionali non ad effectum, vt sua peccata confiteatur; sed ad effectum alicuius negotij pertractandi, & ibi à Confessario sollicitetur ad turpia, teneatur ipsum denuntiare, & Confessarius subiaceat pænis iuris.

Negatiuè respondent aliqui ea ducti ratione, quod tunc Confessarius non sollicitet pænitentem ad turpia, sed aliam personam independentèr à ministerio Sacramenti; atque ità signantèr sentiunt *Giptius de cas. reseru. c. 14. num. 7., Rodericus Acuna tract. de confess. sollic. q. 14. n. 1.* Nihilominus

Respondeo, quod quamuis in terminis Constitutionis Pij IV., & Pauli V. non esset denuntiandus, nec subiret pænas contra sollicitantes comminatas, in terminis tamen Constitutionis Gregorianæ easdem pænas subiret, & esset denuntiandus *Diana part. 1. tract. 4. resol. 18.* Expressè deducitur ex verbis eiusdem Constitutionis. Ibi- *Siue extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocunque, vbi Sacramentales confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo.* Hinc etiam deduces, quod, si fæmina accederet ad Confessarium in Confessionario existentem, vt ipsum moneret, quod die sequenti

13 Re tamē vera est denuntiandus.

cupe-

cuperet suam habere confessionem Sacramentalem, & ea occasione sollicitaretur ad turpia à Confessario, teneretur ipsum denuntiare propter dispositionem Gregorij XV. in allegatis verbis; Neque obesse potest, si dicatur, quod Gregorius XV. non comprehendit sollicitationem factam in confessionario, nisi cum facta fuerit simulata confessione. Ibi- *Simulando ibi confessionem audire*, vt notat *Sanctius in select. disp.* 11. *num.* 19., quando autem fæmina accedit aliud negotium pertractatura, aut monitura Confessarium de futura in extera die confessione, non potest dici, quod tunc simuletur confessio; Non, inquam, obesse potest, quia illa verba, *simulando ibi confessionem audire*, non referuntur ad sollicitationem factam in confessionario, sed in alijs locis, in quibus ex electione Confessarij quandoque audiuntur confessiones, quæ loca secundum se sunt indifferentia pro quocunque munere; in his enim requiritur simulatio confessionis, vt fiat determinatio, quæ limitatio non videtur requiri quoad confessionarium, cum hoc ex se sit determinatum ad hoc munus.

14 Est denūtiandus Confessarius, qui ante, vel post sollicitat.

Dubitatur octauò, an esset denuntiandus Confessarius, qui ante, vel post confessionem sollicitaret pænitentem ad turpia.

Quoad hanc dubitationem non est hæsitandum de onere denuntiationis, cum hoc expresè habeatur ex verbis Bullæ Gregorianæ. Ibi- *in actu Sacramentalis confessionis, siue ante, vel post immediatè*. Difficultas solummodo viget in explicando, quando dici possit, quod immediatè post confessionem sollicitauerit quoad hunc effectum oneris denuntiandi, pro quo plura dico.

Primò, quod, quamuis in terminis Constitutionum Clementis VIII., & Pauli V. esset maxima controuersia inter DD., an sollicitatio facta ante, vel post confessionem esset denuntianda, cum in eisdem Constitutionibus habeantur hæc verba. *In actu audiendi confessiones, vel dum eorum audiunt confessiones*, propter quæ verba *Fagundez de praecept. Eccles. tract.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. *num.* 31. eximit pænitentem extra actum confessionis sollicitatum ab onere denuntiandi, cui tamen alij resistentes, inter quos *Ortiz in summa c.* 24. *num.* 11., *Megala in prima part. lib.* 1. *c.* 5. *num.* 32., *Rodriquez in qq. Reg. tom.* 2. *q.* 27. *art.* 2., & 3. asserunt etiam stantibus prædictis Constitutionibus Confessarium ante, vel post sollicitantem esse denuntiandum, quia paria sunt aliquid fieri in actu confessionis, vel paulo ante, vel post, per ea, quæ notat *Tiraquel de retract. conuent. part.* 2. §. 1. *glosa* 4., & 5. *num.* 25.; Nihilominus attenta Constitutione Gregorij XV. in eadem hic casus expresè continetur, vnde secundum eandem est diudicandus.

15 Euincitur ex Constitutione Gregorij XV.

16 Fæmina confessa, & pro aliquo tēpore in Ecclesia cōmorata, si in recessu sollicitetur à Cōfessario, an teneatur denūtiare remissiuè.

Secundò, quod, si pænitens recepta peccatorum suorum absolutione à confessionario recesserit, & per aliquod temporis in Ecclesia permanserit, quo orauerit, vel sacram Sinaxim acceperit, & dum recedit, superueniatur à Confessario, & sollicitetur, non teneatur ipsum denuntiare, quia hæc sollicitatio non est continuata moralitèr cum ipsa confessione, & in hoc consensisse testatur multos viros doctos *Diana part.* 4. *tract.* 5. *resol.* 7., nec obstat, si dicatur hanc sollicitationem factam esse prætextu, vel occasione confessionis, adeoque comprehendi sub præfata Bulla; non obstat, inquam, quia requiritur, quod prætextus, & occasio confessionis sit proximus, vt notat *Sousa in opusc. num.* 10.; hic autem, seu hæc in præsenti hypothesi est remotus, vel remota, nec hæc sollicitatio dici potest *immediatè post*, cum multum temporis præcesserit. Quamuis tamen hæc dixerim, me submitto tamen censuræ Sancrosanctæ Ecclesiæ.

17 Si Confessarius post absolutionē tradiderit pænitenti cartā amatoriā postea, legēdam est denunciandus.

Tertiò, si Confessarius finita confessione, vel ante, vel immediatè post absolutionem tradiderit pænitenti chartam postea legendam, quæ contineat verba amatoria, & prouocatoria ad turpia, vtique sit denuntiandus, *Sanctius in select. disp.* 11. *num.* 31., quidquid ex aduerso dixerit *Castrus Palaus tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 9. *punct.* 4. *num.* 2. Ratio est, quia quantum est ex parte Confessarij, tunc incipit sollicitatio, quæ originem habet à tempore confessionis, & est facta occasione confessionis, ergo non est, cur Confessarius non debeat subiacere &c. Neque audiendus est *Castrus Palaus loc. cit.* asserens tunc non incipere sollicitationem, sed tantum dari causam sollicitationi, quæ solum tunc incipit, quando charta legitur; Non, inquam, audiendus est, quia, quantum est ex parte Confessarij, in præsentatione chartæ incipit sollicitatio, quæ vigore eiusdem chartæ perseuerat vsque ad lecturam eiusdem faciendæ per fæminam, & ipsa charta tunc data continet sollicitationem, non dat præcisè causam sollicitationi.

18 Si post cōfessionem accesserit ad domū pænitentis eamq; sollicitauerit non est denūtiandus

Quartò, si Confessarius audita pænitentis confessione, eaque absoluta ad domum eiusdem pænitentis accesserit, eamque sollicitauerit ad turpia, non est denuntiandus, quia tunc non est sollicitatio in confessione, nec ante, nec post immediatè, quod, si dicatur fieri occasione confessionis, quatenus Confessarius ex confessione præhabita, qua nouit pænitentem

facilè

facilè indulgere, & copiam sui facere, arripuit occasionem ipsam adeundi, & sollicitandi; statim dicam, illam occasionem esse nimis remotam, nec inducere obligationem denuntiandi, cæteroqui elapso quocunque tempore Confessarius sollitans teneretur legibus, & pænis iuris, quod non intendit Pontifex, dum restringit sollicitationem ad tempus, vel immediatè ante, vel immediatè post Confessionem; atque ideo hanc nostram sententiam sustinet *Scortia in Bull. Tontificum epit. 77. theor.* 197. Ex quibus etiam inferre licet, quod, si Confessarius audita confessione miserit literas amatorias, & prouocatorias, vel lenones ad domum pænitentis ad ipsam prouocandam ad inhonesta cum ipso perpatranda, non sit denuntiandus propter eandem, quinimmo fortiorem rationem *Rodericus Acuna tract. de confess. sollic. q. 5. num.* 15.

19 Post confessioné ducens adolescétem in propriá cellam, ibique sollicitás est denúciandus.

Dubitatur nono, an, si Confessarius audita adolescentis confessione, in qua exposuit se pluries fuisse sodomiticè cognitum, ipsum immediatè duceret in propriam cellam sub prætextu dandi eidem chyrographum confessionis, & ipsum sollicitaret ad turpia, esset per eundem adolescentem denuntiandus?

Respondeo, vtique esse denuntiandum *Sousa lib. 1. c. 34. num. 39., Diana part. 4. tract. 5. resol.* 77. Ratio est manifesta, quia hæc actio est continuata cum confessione, & fit occasione proxima confessionis, & sub prætextu complementi extrinseci eiusdem confessionis. Dixi, *extrinseci*, quatenus ordinatur illa inductio adolescentis in propriam cellam ad probationem confessionis per eum habitæ.

Dubitatur decimo, per quosnam actus præcisis verbis Confessarius intelligatur sollicitare ad turpia ad effectum, vt sit denuntiandus.

20 Quibusná actibus dici possit Confessarius sollicitare.

Respondeo, denuntiandum esse, si pænitentem in confessionali osculetur, siue sit fæmina, siue masculus adolescens, si manus, vel aliam partem corporis eiusdem atractet, si oculis obscęnis, ac alijs nutibus ipsum ad libidinem prouocet. In hoc omnes conueniunt, & signantèr *Bonacina de onere, & oblig. denunt. disp. 6. punct. 3. n. 3.* Ratio est, quia in casu de osculis, & tactibus non solum est sollicitatio, sed etiam turpitudo in ipsius actibus, &, si sub pænis damnatur ipsa prouocatio ad huiusmodi actus, a fortiori sub eisdem damnantur ipsi actus. Quoad oculorum ictus, & nutus in illis ex modo, quo fiunt, apparet sollicitatio.

Difficultas solummodo esse potest, an, si fæmina in actu confessionis fuerit somno correpta, vel graui parocismo affecta, ratione cuius fuerit quasi sensibus destituta, & tunc Confessarius eandem osculatus fuerit, vel luxuriosè atrectauerit, cognita tunc ab adstantibus illa turpi atrectatione, vel ab eadem pęnitente, postquam in se redierit, sit idem Confessarius denuntiandus, & subeat pęnas iuris. *Seraphinus Freitas apud Rodericum Acuna q. 9. num.* 10. sentit, non esse denuntiandum, eo quia fortè, cum pęnitens tunc non sit capax sensus, nec sit capax sollicitationis. Verum probabilius credo cum *Bonacina loc. cit., & Graffio cons. 6. de pænit., & remiss.*, & denuntiandum esse, & subire pęnas iuris, quia denegari non potest, quin abutatur Sacramento in illis luxuriosis actionibus, quę secundum se turpes sunt, & inhonestę, & exercitę pro illo tempore à iure vetito sub illis pęnis; Nec obstat, quod tunc pęnitens sit impos sensuum, & quasi incapax sollicitationis, quandoquidem iura potissimum respiciunt actiones Confessarij, contra quem latę sunt pęnę; vnde etiam si pęnitens firmitèr, & expressè resisteret actioni sollicitantis, adhuc ille subiret pęnas, ità &c.

21 Si fæminam correptam somno, vel parocismo osculatus fuerit est denunciandus.

Dubitatur XI. An, si Confessarius ex diuturnitate temporis, quo sollicitauit, supponatur emendatus, sit nihilominus denuntiandus. Plures apud *Mascardum de probat. concl. 600. num. 14., & apud Farinacium in praxi q. 13. num. 26.* existimant criminosum quemcunque spacio trium annorum pręsumi emendatum, & eodem spacio quamcunque actionem criminosam quoad pęnas pręscribi; ex quo *Seraphinus de Freitas apud Ludouicum Acuna q. 3. n. 32.* deducit, quod, si Confessarius sit emendatus, vel tali spacio, vel alitèr, non sit denuntiandus, nec subeat pęnas iuris, & rationem ex eo deducit, quod denuntiatio fiat ad finem emendationis quęrendę, supposita autem emendatione, quę est finis denuntiationis, cessare debet & onus eiusdem. Nihilominus

22 An post diutinum tempus à sollicitatione sit onus denuntiandi.

Sentétia negatiua.

Respondeo, adhuc denuntiandum esse *Bonacina d. disp. 6. punct. 3. num. 9. vers. hac limitatio, Castrus Palaus in suo opere mor. §. 10. num. 1., Carena de Sancto Offic. part. 2. de confess. sollicit. tit. 6. §. 20. num. 128., & seqq.* Ratio ex eo deducitur, quia hoc onus denuntiationis non solum inductum est ad finem emendationis, sed etiam ad finem exemplaris punitionis, vt alij deterreantur ab hoc crimine perpatrando; hic autem finis adhuc viget etiam supposita emendatione. Hinc plures docent, quod, si Confessarium pręmissis verbis sollicitatorijs immediatè pęniteat sollicitationis, sit adhuc denuntiandus *Sanctarellus de hæresi c. 44. num. 18., Bonacina de onere, & oblig. denunt. disp. 6. punct. 3. n. 4. in fine,* & non

23 Sentétia affirmatiua præfertur.

& non alia ratione, niſi, quia iam ſollicitatio facta eſt, &, quod iam factum eſt, pro infecto haberi nequit, & commiſſo delicto, cum denuntiatio non ſolum ordinetur ad emendationem, ſed etiam ad exemplarem punitionem ita exigente conditione delicti, hinc eſt, quod non ſit omittenda perſeuerante fine principali, ad quem eius onus inductum eſt.

Hinc etiam alij docent, & quidem non incongruè, quod ad hanc denuntiationem non ſit præmittenda correctio *Rodericus Acuna tract. de confeſs. ſollic. q. 18. num. 11., & ibi Freitas in addit., Henriquez in ſumma lib. 6. c. 17. num. 4. ſub lit. E., Ludouicus à Paramo de orig. Sanctæ Inquiſit. lib. 3. c. 10. num. 4., Turrianus in ſuis ſelect. diſp. part. 1. diſp. 30. in cenſur. prop. cent. 2. dub. 24.*, quod non ſolum euincitur ex ratione ſuperius adducta, quod delictum intelligitur iam conſummatum, quod propterea eſt exemplaritèr puniendum, ſed etiam, quia licet in denuntiationibus Euangelicis ſit præmittenda correctio fraterna, non in iudicialibus, quæ tendunt ad punitionem, & exemplum aliorum.

24 Nec eſt præmittenda correctio.

25 Caſus particularis refertur, & diluitur.

Dubitatur XII. An eſſet denuntiandus Confeſſarius, ſi in actu confeſſionis, vel ante, vel poſt immediatè diceret pænitenti. *Si ego eſſem ſæcularis, acciperem te in vxorem.*

Reſpondeo, vtique denuntiandum eſſe *Diana part. 9. tract. 9. reſol. 32.* Ratio eſt, quia denegari non poteſt, quin illa verba vehementèr alliciant, & prouocent.

SECTIO IV.

De onere Confeſſarium ſollicitantem manifeſtandi.

SVMMARIVM.

Verba Gregorij XV. imponentis onus denuntiandi. 1.

Tenentur Confeſſarij ſub læthali monere pænitentes, quos nouerint ſollicitatos de onere denuntiandi Confeſſarium, qui ſollicitauit. 2.

Onus denuntiationis directè oritur ex lege Pontificia, executiuè ex edictis Inquiſitorum. 3.

Regularitèr loquendo tenetur Confeſſarius non abſoluere pænitentem, niſi prius denuntiet. 4.

In aliquibus caſibus poteſt abſoluere ante denuntiationem. 5.

Confeſſarij non monentes de tali onere ſubduntur correctioni Inquiſitorum. 6.

Ante Conſtitutiones Pij IV., & Pauli V. ſoli Epiſcopi procedebant contra ſollicitantes. 7.

Poſt Conſtitutionem Gregorij XV. æquè procedunt Epiſcopi, & Inquiſitores ſiue vnitim, ſiue ſeparatim. 8.

IN Conſtitutione Gregorij XV. hæc expreſsè habentur. *Mandantes omnibus Confeſſarijs, vt ſuos pænitentes, quos nouerint fuiſſe ab alijs ſollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi ſollicitantes, ſeu, vt præfertur, tractantes Inquiſitoribus, ſeu locorum ordinarijs prædictis. Quod, ſi hoc officium prætermiſerint, vel pænitentes docuerint, non teneri ad denuntiandos Confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes, vt ſupra, ijdem locorum ordinarij, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant.*

1 Refertur onus impoſitum à Gregorio XV.

Ex his plura inſurgunt ſub hoc titulo examinanda. Primum eſt, an Confeſſarius teneatur ſub læthali monere pænitentem ſollicitatum de onere denuntiandi, & an pænitens ſub eodem onere teneatur denuntiare. Secundum, vnde oriatur obligatio denuntiandi in pænitente ſollicitato. Tertium, an teneatur Confeſſarius non abſoluere pænitentem ſollicitatum, donec ſollicitantem denuntiauerit. Quartum, quibus pęnis ſit mulctandus Confeſſarius, qui culpabilitèr omiſit monere pænitentem de tali onere denuntiandi, vel docuerit non eſſe onus denuntiandi.

2 Tenētur Confeſſarij ſub graui monere pænitētes ſollicitatos de onere denuntiandi.

Concluſio I. Tenetur Confeſſarius ſub læthali monere pænitentem in caſibus, quibus tenetur, monere de onere denuntiandi, & pænitens ſub eodem onere denuntiare *Rodericus Acuna tract. de confeſ. ſollicit. q. 20. num. 4., & q. 21. num. 6., Henriquez lib. 6. c. 22. num. 6. ad fin., Emañuel Rodriquez in ſumma c. 207. num. 1., Sanctarellus de hæreſi c. 46. num. 10.*

Ratio primæ partis deſumitur, tum ex modo ſub quo imponitur hoc onus, ex materia, in quam tendit, ex fine, quem reſpicit; ex modo. Ibi- *Mandantes*, qui certè non importat merum conſilium, ſed abſolutum præceptum; ex materia, quæ certè eſt res grauis, eiuſque omiſſio eſſet maximè noxia, & Religioni præiudicialis; ex fine, qui eſt ad euertendum malum maximè iniurioſum Sacramento, Eccleſiæ exoſum, & Religioni maximè pernicioſum, ergo non eſt, cur ſub graui non teneatur Confeſſarius monere de tali onere. Confirmatur ex grauibus pænis, quæ comminantur aduerſus Confeſſarios non admonentes, de quibus erit ſermo infra.

Ratio ſecundæ partis eſt, quia ad finem à Pontifice intentum inane eſſet onus impoſitum Confeſſarijs monendi pænitentes de onere denuntiandi, ſi iſti non tenerentur ſub eodem onere denuntiare; ideo enim

Et pænitentes tenentur exequi.

enim Pontifex præcipit talem denuntiationem, vt Confessarius in hoc genere delinquens emendetur, coerceatur per pænas salutares, & alijs præbeat exemplum non delinquendi, sed hic finis vix sortiretur effectum, si pęnitens sub graui non coarctaretur ad denuntiandum, ergo &c. Confirmatur, quia regularitèr Inquisitores per sua edicta pręcipiunt talem denuntiationem sub pæna excommunicationis, quod non possent iustè præstare, si non esset onus denuntiandi sub graui; Neque obesse potest, si dicatur Gregorium XV. in allegata sua Constit. non mandare, vt Confessarij præcipiant pænitentibus denuntiationem, sed tantum, vt moneant; monere autem est consilij, non præcepti; Non, inquam, obesse potest, quia monitio de opere supererogationis est quidem consilium, & obligat dumtaxat ex consilio; monitio verò de opere pręcepto habet vim pręcepti, & sub pręcepto; denuntiatio autem cadit sub pręcepto, cum Pontifex dicat, vt moneant de onere denuntiationis, vbi per consequens pręsupponitur onus ad monitionē.

3 Onus denũtiandi prouenit ex lege Pontificum.

Conclusio II. Onus denuntiationis directè oritur ex Bullis Pontificum, & Inquisitores per sua edicta solum per pęnam excommunicationis compellunt ad executionem, & obseruantiam talis oneris. *Sanctarellus de hæresi c.46. num.* 10., *Bonacina de onere, & oblig. denunt. disp.6. punct. 3. num.* 10., *Bellochius de casib. reseru. part.2. q.9. num.* 205., *Carena part. 2. de confess. sollicit. tit.6.§.21. num.* 120. quidquid ex aduerso dixerint *Fagundez in secundo præcept. Ecclesiæ lib.4. c.3. num.*31., *Portellus de dub. Reg. in verb. sollicitare num.* 16., *& alij*, volentes huiusmodi onus oriri solummodo ex edictis Inquisit.

Coactiuè ex edictis Inquisitorum.

Ratio primę partis deducitur ex dictis in probatione secundę partis pręcedentis conclusionis, vbi ex mandato facto per Pontificem Confessarijs monendi pęnitentes de tali onere, deduximus obligationem in pęnitentibus denuntiandi.

Ratio secundę partis est, quia edicta Inquisitorum supponunt legem conditam, non ponunt; ipsi etenim non sunt conditores legum, sed executores, ergo, quia non sunt conditores, non possunt legem constituere obligantem ad opus, sicuti non possunt constituere legem, quæ obligent ad deferenda, seu denuntianda alia delicta, quę non sint per leges Pontificum, Conciliorum, vel Sacrę Congregationis sancita, vt deferantur; quia tamen sunt executores, possunt per media opportuna, & congrua compellere ad illarum obseruantiam, ergo onus denuntiationis ortum habet à Bullis Pontificum, non ab Inquisitorum edictis.

4 Non debet prius Confessarius absoluere sollicitatum, quã denuntiet sollicitantē.

Conclusio III. Regularitèr loquendo tenetur Confessarius non absoluere pęnitentem sollicitatum, nisi prius, vel Episcopo, vel Inquisitoribus hęreticę prauitatis denuntiet sollicitantem. Consentit *Auila de censuris part.2. c.7. dub.7. in fine.*

Quamuis hęc conclusio non videatur expressè deduci ex verbis Bullę Gregorij XV., nec aliorum Pontificum, cum solum mandent Confessarijs, vt moneant suos pęnitentes de hoc onere denuntiandi, euincitur tamen ex Inquisitorum edictis, qui, cum sint constituti per Romanos Pontifices Iudices in huiusmodi causis, & executores legum Pontificiarum, iustè eisdem intelligitur atributa potestas omnibus modis, & formis curandi, ne hoc delictum impunitum remaneat, vt deferatur, & occludatur quęcunque via, qua pęnitentes possint omittere denuntiationem; Nec arbitrandum est, teneri solum non absoluere pęnitentes sollicitatos, quando ob neglectum edictorum Inquisitorum contraxerint excommunicationem ab ijsdem comminatam, sed etiam antecedentèr ad eandem contractam, quatenus non sit elapsus terminus grauatorius, vt notat idem *Auila loc. cit.* Non, inquam, arbitrandum est, quia non ideo præcisè interdicta intelligitur absolutio, quia pænitens contraxerit excommunicationem comminatam ab ijsdem Inquisitoribus, sed ne prætextu, quod iam fuerint absoluti à peccatis, negligant eandem denuntiationem; hic autem finis æquè viget, siue pænitens iam contraxerit excommunicationem ob neglectum denuntiationis intra terminum grauatorium, siue non contraxerit.

Euincitur ex edicto Inquisitorum.

5 In aliquibus casibus, & quibus potest absoluere ante denuntiationem.

Dixi, *regularitèr loquendo*; Non etenim negauerim, in aliquibus casibus habita firma promissione posse Confessarium ante denuntiationem absoluere pænitentem; sic in particulari docet *Zanardus in director. Theol. part.2. præcept.2. c.11. in fine*, quod, si pænitens sit timoratæ conscientiæ, & promittat, quam primum denuntiare vrgente necessitate communionis, possit ante talem denuntiationem absolui. Idem docent in similibus casibus *Emanuel Rodriquez in summa tom.2. c.34. num.6.*, *Peirinus in priuil. minimor. tom.1. Constit. V. Gregorij XV. §.9. num.24.*, *Sanctarellus de hæresi c.9. dub. vnico num.16. in fin.*

6 Confessarij non monentes subduntur correctioni Inquisitorũ.

Conclusio IV. Confessarij non admonentes pænitentes sollicitatos de obligatione denuntiandi, quinimmo docentes eos non teneri ad denuntiandum, subduntur correctioni Inquisitorum, a quibus pro qualitate culpæ grauitèr sunt puniendi; pænæ autem eisdem infligendæ sunt arbi-

arbitrariæ eisdem Inquisitoribus, quæ debent regulari iuxta maiorem, vel minorem grauitatem culpæ *Sousa in affo-rismis Inquisitorum lib. 1. c. 34. num. 73., Carena de Sancto Offic. part. 2. de confess. sollicit. tit. 6. §. 20. num. 117.*

Expressè deducitur ex verb. Constit. Gregorianæ. Ibi- *Quod, si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denuntiandos Confessarios sollicitantes, seu tractantes vtsupra iidem locorum ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non desinant.* Cum autem ibi pænæ contra Confessarios sic delinquentes non decernantur, arbitrariæ intelliguntur Inquisitoribus, qui attenta maiori, vel minori grauitate delicti, qualitate personarum, & circunstantiarum, quid magis in Domino expedire iudicauerint, debent decernere. Monerem tamen, grauius esse puniendos Confessarios, qui docuerint pænitentes non obligari ad denuntiandum, quam illos, qui præcisè non monuerint de obligatione, quandoquidem isti negatiuè se habent, illi positiuè impediunt, & obsistunt denuntiationi.

Euincitur ex Bulla Gregorij XV.

Pro complemento eorum, quæ pertinere possunt ad hoc onus denuntiationis in pænitente sollicitato, remanet hic inquirendum, an hæc denuntiatio debeat fieri Inquisitoribus priuatiuè quoad alios, an vero fieri æquè possit eisdem, ac locorum Episcopis, seu ordinarijs? Ante Constitutionem Gregorij XV: maximè controuertebatur, an hæc denuntiatio fieri posset Episcopis. Vt clarius in hoc procedamus, placet altiorem indaginem habere. Ante Constitutiones Pij IV., & Pauli V. tradit *Ludouicus à Paramo de Origine Sanctæ Inquis. lib. 3. q. 10. num. 92.*, quod soli Episcopi cognoscebant de hoc crimine, nullatenus Inquisitores, vnde pro illis temporibus consueuerant Episcopi hunc casum sibi reseruare, vt testatur *Grassius de cas. reseru. lib. 2. c. 12. num. 8.* Post dictas vero Constitutiones Pij IV., & Pauli V. aliqui asserebant solos Inquisitores in hac causa cognoscere priuatiuè quoad Episcopos, de qua te *Rodericus Acuna tract. de confess. sollic. q. 2., & ibi late Freitas in addit.*, alij asserebant post easdem Episcopos per se solos non potuisse super hoc crimine cognoscere, sed simul cum Inquisitoribus eo modo, quo simul cognoscunt in cæteris causis hæresis, & in hoc consentiebant *Sanctarellus de hæresi c. 44. dub. 5. num. 1., Rodericus Acuna de confess. sollic. q. 2.*; alij vero dicebant post dictas Constitutiones hanc cognitionem ad solos Inquisitores pertinere. Quidquid sit de hoc, modo per Constitut. Gregorij XV. certum est, æquè Episcopos, ac Inquisitores, posse super hoc delicto cognoscere, cum manifestè eluceat ex verbis eiusdem Constitutionis. Ibi- *Moneant de obligatione denuntiandi &c. Inquisitoribus, seu locorum ordinarijs.* Rursus- *ijdem locorum ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant.*

7 Ante Bullas Pij IV., & Pauli V. soli Episcopi procedebant.

8 Modo æquè procedunt Episcopi, & Inquisitores.

Sed hic alia suboritur difficultas, an Episcopi solum cum Inquisitoribus possint procedere, & Inquisitores solum cum Episcopis, an vero possit vterque separatim agere. In hoc immorandum non est, cum expressè hanc difficultatem ipse Pontifex dirimat. Ibi- *Omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, dominiorum, & locorum vniuersi orbis Christiani in suis quemque Diæcesibus, & territorijs per has nostras literas etiam priuatè quoad alios omnes specialitèr, ac perpetuo Iudices delegamus, vt super his contra prædictos simul, vel separatim in omnibus, prout in causis fidei &c.*

Siue vnitim, siue separatim.

SECTIO V.

De probationibus requisitis ad punitionem huius criminis.

SVMMARIVM.

Dispositio Gregorij XV. circa has probationes. 1.

Admittuntur testes singulares concurrentibus præsumptionibus, & indicijs. 2.

An isti sufficiant ad pœnam ordinariam remissiuè. 3.

Admittuntur etiam in hoc iudicio fæminæ. 4.

Denuntiationes fæminarum malæ famæ sunt recipiendæ, non tamen illis fidendum: 5.

Quid tunc agere debeat Inquisitor. 6.

Considerare debet, an illa fæmina sponte comparuerit, an compulsa à Confessario. 7.

Alia consideranda. Ibid.

Duæ fæminæ malæ famæ secundum aliquos faciunt sufficientem probationem ad capturam, & torturam. 8.

Secundum alios non faciunt. 9.

Si ipsæ fæminæ consenserint sollicitationi secundum aliquos non sunt admittendæ. 10.

Secundum alios admittuntur. 11.

Vna fæmina quantumuis honesta non facit sufficientem probationem ad capturam, & ad torturam. 12.

Etiam si concurrerent alia indicia, nam tunc esset consulenda Sacra Congregatio: 13.

AD punitionem criminis præter accusationem, vel denuntiationem requiruntur eiusdem probationes, quæ,

1 Dispositio Gregorij XV. quoad has probationes.

& quales in hoc genere requirantur, id est, quod venit in præsenti titulo discutiendum; circa quod Gregorius XV. in allegata sua Constit. hæc expresè habet *Dantes etiam facultatem Vener. Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ generalibus Inquisitoribus, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei tam perniciosum ob probationum defectum impunitū remaneat, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus concurrentibus præsumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi, & Curiæ sæculari, vt præfertur, Reum tradendum esse iudicandi.*

2 Admittuntur testes singulares concurrentibus indicijs.

Ex his habetur primò, in hoc iudicio admitti etiam testes singulares ad inducendam aliquam probationem delicti concurrentibus præsumptionibus, & indicijs simul comprobantibus *Ludouicus à Paramo de orig. Sanctæ Inquisitionis lib. 4. qu. 10. num. 140.*, *Sanctarellus de hæresi c. 44. dub. vnico concl. 3. num. 4.*, *Aloysius Riccius in suis varijs resol. parte secunda resol. 440.*, *Rodericus Acuna tract. de confess. sollic. q. 22. num. 8.* Expresè deducitur ex verbis mox allegatis Constitutionis Gregorianæ, vbi etiam adducitur ratio, quia scilicet hoc delictum, cum fiat in confessione inter Confessarium, & pænitentem, difficilis est probationis, & Religionis bono conuenit, ne remaneat impunitum. Sed, an testes singulares siue singularitate obstatiua, siue diuersificatiua; siue adminiculatiua simul cum præsumptionibus sufficiant in aliquo determinato casu ad effectum, vt Reus puniatur pæna ordinaria, remittitur arbitrio Supremi Tribunalis Sanctissimæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis, vt ex præfata Constitutione Gregoriana.

3 An sufficiat ad pænam ordinariam remissiuè.

4 Admittuntur etiam in hoc iudicio fæminæ.

Habetur secundò, saltem deductiuè admitti testimonium fæminarum in hoc iudicio; licèt enim in allegatis verbis non fiat expressa mentio fæminarum, cum dicatur solum *testibus etiam singularibus*, ex quo tamen ibi dicitur, quod delictum hoc sit difficilis probationis, ne impunitum remaneat, deducitur, quod etiam fæminæ admittantur, cum regularitèr sine illis haberi nequeat probatio, quandoquidem sollicitatio fit solum inter sollicitantem, & sollicitatam nullis alijs interuenientibus, atque ideo eas admittendas probat *Ludouicus Paramus de origine Sanctissimæ Inquisitionis q. 10. num. 134.*, vbi alios plures allegat. Ratio est, quia in criminibus atrocibus, vbi aliter veritas haberi nequit, admittuntur etiam fæminæ, vt probant *Farinacius de hæresi q. 188. n. 76.*, *& alij ab eodem allegati*; denegari autem non potest, quin hoc crimen sit atrox.

Sed circa has fæminas, an faciant probationem, plures hic insurgunt rationes dubitandi, quas mox propono, & diluo.

5 Denuntiationes fæminarum malæ famæ sūt recipiēdæ non tamen illis fidendū.

Prima est, an fæminæ malæ famæ sint admittendæ ad denuntiandum, & faciant probationem. In hoc respondendum existimo, earum denuntiationes recipiendas esse, non tamen eisdem fidendum, sed cautè per Inquisitores in hoc procedendum, ne ex dicto vnius, vel alterius fæminæ turpis, & infamis in discrimen ponatur bona fama Sacerdotis, & Confessarij, vt notat *Molfesius in summa part. 1. tract. 7. c. 24. num. 38.* Quarè Inquisitor recepta denuntiatione fæminæ talis conditionis non debet vlterius procedere, sed expectare, si aliæ superueniant, vel inditia inducentia probabilem credulitatem de expositis; debet item extraiudicialitèr inquirere qualitates Confessarij denuntiati, an scilicet sit deditus peccatis carnalibus, nam extante hac qualitate ex præsumptione inde desumpta faciliùs potest contra ipsum procedi, vt notat *Ludouicus Paramus de orig. Sanctæ Inquisit. q. 10. n. 165.* Item considerare, an fæminæ illæ malæ famæ, & conditionis ex se comparuerint, & spontè ad denuntiandum, an vero compulsæ à Confessario, qui noluerit easdem absoluere, nisi prius denuntiarent; maiorem etenim facit probationem, si fuerint sic coactæ, quandoquidem tunc non est præsumptio, quod aliorum suasione denuntient, sed, vt pareant mandatis Confessarij ad exonerationem propriæ conscientiæ, prout notauit *Zanardus in summa Diuinorum præceptorum tom. 2. c. 111. de testibus vers. primo, quod & vers. secundum, quod hæ mulieres*; Item, an hæc fæmina malæ famæ, & conditionis adhuc perseueret in iniquitatibus suis, vel cum aliquo concubinario, nam tunc parum ei credendum est, quin potius præsumendum est, quod denuntiet ex aliorum suasione, quam ob exonerationem propriæ conscientię, cum in peccato perseueret. Item considerare, an fæmina denuntiet adducendo indicia, quæ de facili probari possint, & inducant præsumptionem de sollicitatione, vt si deponat, quod fuerit sollicitata, & in probationem adducat, quod in confessione, vel immediatè post voluerit ipsi facere donum, vel tentauerit eam deosculari, vel manum ponere ad eius mamillas, quæ omnia fuerint ab aliquibus visa, & isti de veritate expositorum deposuerint; tunc enim contra eundem magnam facerent præsumptionem, vt notat *Zanardus loc. cit. vers. septimum quæritur.*

6 Quid agere tunc debeat Inquisitor.

7 Considerare debet, an illa fęmina spontè cōparuerit, an cōpulsa à Confessario.

Alia in hoc consideranda.

Secunda est, an duæ fæminæ malæ famæ, & conditionis deponentes de sollicitatione Confessarij faciant sufficientem

pro-

Duæ fæminę malæ famæ secundū aliquos faciunt sufficientem probationē ad capturam.

probationem ad capturam eiusdem, & ad torturam. Nulla facta distinctione, an illæ duæ fæminę sint honestę, vel inhonestæ vitæ, affirmat *Paramus de orig. Sanctæ Inquisit. lib. 3. q. 10. num. 158., & seqq.* facere sufficientem probationem eo, quod ex textu Euangelico in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum. Sed probabilius est, non sufficere, vt sustinent *Sanctarellus de hæres. c. 44. dub. vnico n. 6., Genuensis in praxi Neopol. c. 66. in nou., & c. 81. in antiq., Bonacina de oner., & oblig. denunt. disp. 6. puncti 3. num. 26., Sanctius in select. disp. 11. num. 46.* Ratio est, quia in eodem casu non debent plura singularia admitti per textum *in l. 1. C. de dot. promis., Tiraquel in l. si vnquam, C. de reuoc. donat. verb. donat. largitus num. 167.*, quia duo exorbitantia in vna; & eadem re minus sunt toleranda *Baldus tom. 2. cons. 275. n. 9. vers. porro, Capzou. de iur. famin. decad. 4. pos. 20. num. 20.*; In hoc autem casu plura singularia interuenirent primo, quod interuenirent testes singulares; secundò, quod admitterentur fęminę; Tertiò, quod fæminæ inhonestæ vitæ, vt supponitur.

9 Secundū alios, & quidem congruētius non faciunt.

Tertia est, an, si fæminæ, quæ denuntiant Confessarium, qui sollicitauit, sint admittendæ, si ipsæ consenserint sollicitationi, videtur prima frontè negandum, quia alleganti turpitudinem suam non est credendum ex vulgatis iuribus, præcipuè contra tertium, & socius criminis ad probandum socij delictum non admittitur saltem quoad probationem eiusdem delicti, prout latè probat *Farinacius in tract. de hæresi q. 188. num. 83.* Nihilominus, quantum est ex hoc capite, fæminas non reprobandas existimo; primò, quia vix cæteroqui posset de delicto apparere, propter quam rationem admittuntur personæ sollicitatæ, & coguntur denuntiare per allegatas Pontificum Constitutiones; secundò, quia, vbi veritas aliundè haberi non potest, in criminibus atrocibus admittitur socius criminis *Abbas c. 1. de confess. col. penult. vers. secundo membro, Gomez var. resol. lib. 3. c. 12. num. 18. vers. immo, quod talis, Sanchez in opusc. mor. lib. 6. c. 5. dub. 15. num. 3.*; tertiò, quia consensus præstitus sollicitationi per eandem fæminam quoad effectum fidei eidem præstandæ in hoc iudicio eidem non potest officere, quandoquidem, nec ipsa tenetur hanc qualitatem proprij consensus in denuntiatione exprimere, nec talis qualitas in denuntiatione est recipienda, prout habetur ex decret. Sacrę Congregationis die 25. Iulij 1624. ad Archiepiscopum Mediolan., quod de verb. ad verbum refert *Barula in lit. Apostolicis impressis post suos flores direct.*, & etiam *Carena de Sancto Offic. part. 2. de confess. sollicit. tit. 6. §. 10. num. 57.*

10 Si ipsæ fæminæ consenserint sollicitationi secundū aliquos, non sunt admittendæ.

11 Secundū alios admittuntur.

Quarta est, an, si vna honesta femina denuntiet Confessarium de sollicitatione sibi per eundem facta, faciat probationem sufficientem ad capturam, & torturam. Negatiuè respondendum est, prout quoad capturam negant *Royas de hæret. part. 2. num. 32., & Carena de Sancto Offic. part. 2. de confess. sollic. tit. 6. §. 12. num. 62.*, & alij per ipsum allegati; quoad torturam *Farinacius de delict. carn. q. 137. num. 32., Campaulis in diuers. iur. can. rub. 11. c. 32. n. 6.* Ratio primę partis ex eo deducitur, quod vna fęmina, quantumuis honesta, si ipsa sit denuntiatrix, non facit semiplenam probationem, quinimmo vna fęmina, quamuis sit bonę famę, si adhiberetur, vt testis ob imbecillitatem sexus non faceret hanc probationem, ergo multo minus, si concurreret, vt denuntiatrix, quia regulariter denuntiatores, & accusatores illam non inducunt. Hoc euincitur ex literis Sacræ supremæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis datis Vicario Generali Archiepiscopi Ianuensis, quas refert de verb. ad verbum *Carena part. 2. de confess. sollic. tit. 6. §. 12. num. 62. vers. & hac omnia.*

12 Vna fæmina, quātumuis honesta non facit sufficientem probationem ad capturā.

Sed quid erit dicendum, si simul cum denuntiatione dictæ fæminæ honestæ concurrerent alia adminicula, seu inditia comprobantia ipsius dictum, puta, si ipsa fæmina sit bonæ, & honestæ famæ, & Confessarius malæ famæ, & constaret, quod in confessione exhibuerit eidem fæminæ donaria, vel immediatè post confessionem, an tunc Inquisitor posset ipsum Confessarium carceribus emancipare. Crederem in hac hypothesi etiam non posse Inquisitorem ex se illum carcerare, sed teneri consulere Sacram Sancti Officij Congregationem Romanam, quod non solum colligo ex dictis litteris Sacræ Congregationis relatis à *Carena loc. cit.* Ibi- *Questa Sacra Congregatione ordina, che per il detto d'vna sola Donna V. S. non faci constituire, ò carcerare il preteso Reo senza darne prima quà auiso con la relatione della qualità della Donna del Denuntiante, e Reo denuntiato*, sed etiam ex Constitutione præfata Gregorij XV. Ibi- *Dantes facultatem Ven. Fratribus nostris S. Rom. Eccl. Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus &c. testibus etiam singularibus concurrentibus præsumptionibus, & indicijs, & alijs admininiculis delictum probatum esse arbitrio suo iudicandi;* Dum autem hæc facultas specialitèr conceditur illi supremo Tribunali non est extendenda ad alios inferiores.

13 Concurrentibus alijs indicijs consulenda est Sacra Congregatio.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod mox dicebamus, quod scilicet deueniri

niri nequeat ad capturam, nisi præcedente semiplena probatione, ergo, nisi eadem præcedente poterit deueniri ad torturam, quæ est quid grauius, &, si vna fæmina non inducit sufficientem probationem ad capturam, multo minus ad torturam.

SECTIO VI.

De pænis infligendis Confessarijs sollicitantibus.

SVMMARIVM.

Recensentur pænæ illatæ à Gregorio XV. 1.
Non omnes omnibus æqualitèr imponendæ. 2.
Quando tortura sit infligenda. 3.
Pro crimine leui non est infligenda etiam ad veritatem eruendam. 4.
Pro crimine graui, si inditia sint sufficientia, est reus torquendus. 5.
Euacuatis in tortura inditijs liber est dimmittendus. 6.
Quid agendum sit, si confessus fuerit protulisse verba importantia sollicitationem, negauerit tamen, se protulisse cum ea intentione. 7.
Conuictus, & confessus de sollicitatione torquendus est super intentione. 8.
An, & quando sit perpetuo suspendendus à confessionibus audiendis. 9.

1 Pænæ illatæ à Gregorio XV.

IN eadem Constitutione Gregorij XV. hæc expresè habentur. *Quos in aliquo ex huiusmodi nefarijs excessibus culpabiles reperierint, in eos pro criminum qualitate, & circunstantijs suspensionem ab executione ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, necnon vocis actiuæ, & passiuæ, si Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum absque vlla spe gratiæ, aliasque pænas decernant, eos quoque, si pro delicti enormitate grauioris pænas meruerint, debita præcedente degradatione curiæ sæculari puniendos tradant.*

2 Non omnes omnibus æqualitèr imponēdæ.

Circa huiusmodi pænas hic recensitas aduerte, non omnes omnibus delinquentibus in hoc genere æquè esse imponendas, sed pro qualitate delicti, pro probationibus magis, vel minus concludentibus, modo ex illis maiores, modo minores imponi, & si delictum sit leue, illis relictis possunt imponi leuiores extra illas recensitas, puta ieiunia, orationes, & similia. Circa has autem, vbi de grauioribus agendum est, re delata secundum suas circunstantias ad supremum Romanæ Inquisitionis Tribunal expectanda est eius definitiua sententia, eaque executioni mandanda.

3 Quando tortura sit infligenda.

Sed, quia in huiusmodi delictis supposita semiplena probatione expedit Reum torqueri pro eruenda veritate, vel quando etiam plenè conuictus est, & confessus pro exquirenda eius intentione, ideo placet nonnulla de huiusmodi tortura in ordine ad huiusmodi effectus peragere, cum hæc etiam inter pænas possit connumerari, sed quia hæc potius spectat ad forum iudiciale, quam ad Sacramentale, breuibus me expedio.

4 Pro crimine leui non est infligenda.

Dico igitur primò, quod pro crimine leui non danda sit tortura ad veritatem eruendam, quia non grauior esse debet pæna pro probatione, ac sit pæna pro delicto. Secundò, quod etiam, si delictum esset graue, & sint inditia sufficientia ad torturam, vtique reus suspectus possit illa torqueri, & si in tortura persistat, & nihil fateatur, tunc, si indicia omnia fuerint euacuata, tunc liber sit dimmittendus, si vero non fuerint plenè euacuata, sit quidem coercendus, sed pæna aliqua arbitraria, sed leuiori.

5 Pro crimine graui est torquendus.

6 Euacuatis in tortura inditijs est dimmittendus.

7 Quid agendum sit, si confessus fuerit se protulisse verba importātia sollicitationē, negauerit autem se habuisse intentionem de illa.

Tertiò, quod, si Reus fateatur verba se protulisse importantia sollicitationem directè, negaret tamen se habuisse intentionem sollicitandi, tunc videndum erit, an verba illa directè, & secundum se importent sollicitationem, an vero solummodo eandem importent indirectè, eo quia sint quodamodo dubia, & possint ad alium finem a sollicitatione referri. Iuxta primum sensum iam videtur sufficientèr confessus, & propterea puniendus, nec tunc ad veritatem eruendam est tortura afficiendus super hac intentione, vt notat *Molfesius tract. 7. c. 24. num. 42.*; quia ex vna parte verba ipsa, cum sint interni affectus notæ, satis indicant intentionem, nec indigent explicatione; ex alia, cum Fiscus in illis habeat fundatam intentionem, non debet exponi periculo ius acquisitum deperdendi, si Reus torturam sine confessione sustineret. Iuxta secundum sensum crederem posse torqueri super intentione, & si in tortura persistat, & sit bonæ famæ, liberum dimmittendum esse; si verò sit malæ famæ, etiam si torturam sustineat, sit saltem ad tempus suspendendus à confessionibus saltem mulierum *Genuensis in praxi Neapolitana c. 81.* vbi dicit ita obseruatum fuisse in Curia Archiepiscopali Neapoli.

8 Confessus de sollicitatione torquendus est super intentione.

Dico vlterius, quod, si Confessarius fuerit conuictus, & confessus de sollicitatione, sit torquendus super intentione, an crediderit, licitum esse abuti Sacramento pænitentiæ ad hunc finem, hocque seruat communis praxis Sacræ Inquisitionis, & tradunt *Canterius in suis qq. Crimin. rub. de hæret. c. 1. num. 69., Genuensis in praxi Neapol. c. 84. in antiq., & 69. in nouiss. num. 8.*

Cum

1. Cum autem inter cæteras pænas infligendas Confessarijs sollicitantibus numeretur suspensio ab audiendis confessionibus, quæ regularitèr, & ferè semper imponitur contra sic delinquentes, vt in eo, in quo peccarunt, puniantur, considerandum modo est, an hæc pæna debeat esse perpetua, an verò dumtaxat temporalis; pro quo dico iuxta maiorem, vel minorem grauitatem delicti, iuxta maiorem, vel minorem probationem eiusdem resoluendum esse pro perpetuitate, vel temporaneitate eiusdem; si etenim delictum fuerit leue, vel constet dumtaxat leuibus indicijs, ità vt nec conuictus, nec confessus fuerit, poterit hæc pæna limitari ad tempus, vel ad arbitrium imponentis; si verò fuerit graue, & fuerit conuictus, vel confessus, vel vehementia vrgeant indicia, erit in perpetuum suspendendus. Hæc omnia colligo ex *Carena de Sancto Officio part. 2. de confess. sollic. tract. 6. §. 18. per totum.*

9 An, & quando perpetuò sit suspēdendus à confessionibus audiendis.

ARTICVLVS XXII.

De oneribus consequentibus in Confessario ad confessionem, & signantèr de sigillo Sacramentali.

SVMMARIVM.

Sigillum consideratur in ordine ad plures respectus. 1.
A quo desumatur ethimologia huius nominis. 2.
Sigillum Sacramentale de iure naturæ inductum est. 3.
Item de iure Diuino. 4.
Item sub pænis inductum est à iure canonico. 5.
Sacerdos violans hoc sigillum non solum peccat contra Religionem, sed etiam quodamodo contra iustitiam. 6.

SIgillum Sacramentale in ordine ad plura potest considerari, vel in ordine ad ius, per quod imponitur, vel in ordine ad personas, quibus imponitur, vel in ordine ad res, ad quas cælandas imponitur, vel in ordine ad locutiones, quibus possit violari, vel in ordine ad pænas, sub quibus imponitur. Hæc omnia, & singula veniunt sub præsenti titulo examinanda, quem tamen maioris claritatis, & distinctionis gratia in plures sectiones diuidemus, in quibus singula singillatim.

1 Sigillum plures habet respectus.

SECTIO I.

Quo iure teneatur Confessarius ad sigillum Sacramentale.

SIgillum Sacramentale ex ipsa vi nominis significat obligationem, quæ in Confessario ex vi Sacramenti consurgit, non manifestandi ea, quæ ex pænitentis confessione ad eum fuerunt delata; sicuti enim per sigillum materiale signantur ea, quæ in literis scripta sunt, ita vt nequeant ab alijs legi, ita per hoc sigillum Sacramentale os Confessarij clauditur, vt nequeat illud aperire ad recondita, quæ ad ipsum fuerunt delata, manifestanda. Fortassis etiam secundum aliquam significationem per confessionem dicitur peccata subijci clauibus, quia in scrinio pectoris Confessarij ità debent occludi, vt nequeant ab illo extrahi. Hoc sigillum induci æquissimum fuit, cum etenim vnicuique inditum sit, suam famam non prodere, & quæ eidem officere possunt intra conscientiæ latebras detinere, facilè arcerentur homines à suorum peccatorum confessione, si in secreto auris Confessarij recondita possent pro libertate manifestari.

2 A quo desumatur ethimologia huius nominis, & quid importet.

Hinc primò hoc sigillum de iure naturæ inductum non est dubitandum, prout expressè statuunt *Menochius de arbit. lib. 2. centur. 5. cas. 414.*, *Nauarrus c. cum Sacerdos de pænit. dist. 6. num. 33.*, *Vasquez de pænit. q. 93. art. 4. dub. 1. num. 9.*, & alij communitèr, quod tum ex eo euincitur, quod natura dictante non est alijs faciendum, quod quisque sibi fieri non vellet, nemo autem vellet, quod suum secretum, ex quo aliqua infamiæ nota eidem posset inuri, manifestaretur; tum ex eo, quod, si quis extra casum confessionis aliquod secretum, & sub secreto alteri cōmitteret, hic teneretur illud de lege naturæ seruare, cum secus amicitia, societas, & commercia inter homines collaberentur, ergo multo magis eadem natura suadente in casu confessionis secretum panditum Sacerdoti erit seruandum; tum ex eo, quod eadem natura dictante tenetur vnusquisque ab alterius infamia cauere, ergo, & non propallare secretum, ex quo talis infamia possit prouenire.

3 De iure naturæ inductū est.

Secundò hoc sigillum inductum esse de iure Diuino ex eo euincitur, quod, licet nullo textu scripto expressè comprobetur, euincitur tamen ex expressa, continuata, & constanti traditione ab Apostolis ad hæc vsque tempora; ex alibi autem dictis traditiones tantam vim habent, ac sacræ paginæ, si inuiolabilitèr, vt tales sint ab Eccle-

4 Item de iure Diuino.

Euincitur ex communi recepta traditione.

Ecclesia receptæ, & semper seruatę; vndè Apostolus secunda ad Thesal. 2., ait *Itaque Fratres custodite traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolas nostras*, & secunda ad Thimoth. 2. *Tu ergo fili, quæ à me per multos testes audisti, commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere*; & *Concil. Trid. sess. 6. cap. 1.*, docet, quod, qui traditiones contempserit, tum ad fidem, tum ad mores attinentes tanquam à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia conseruatas, anathema sit. Hoc idem euincitur ex facto Christi Domini, quod nostra instructio est, qui noluit pandere peccatum Iudæ, ex quo textus *in c. 2. de offic. Iud. deleg.* deducit secreta hominum crimina non esse manifestanda.

5 Item à iure canonico sub pænis.

Tertiò hoc sigillum iustè inductum esse etiam sub pænis grauibus de iurè Canonico, vt expressè colligitur *ex cap. Sacerdos de pænit. distinct. 6.*, & *cap. omnis vtriusque de pænit.* & *remiss.*, & in hoc consentiunt omnes tam Theologi, quam Canonistæ.

6 Violans hoc sigillū peccat contra Religionem, & contra iustitiam.

Ex quibus omnibus fas est deducere, grauitèr, & enormitèr peccare Confessarium, qui peccatum in confessione cognitum detegit, idemque sigillum violat, & non solum contra Religionem peccato sacrilegij, vtpotè, qui iniuriam infert Sacramento reddens ipsum maximè fidelibus exosum, sed etiam quodamodo contra iustitiam, vt probat *Bonacina de pænit. Sacrament. disp. 5. quæst. 7. sect. 5. punct. 1. num. 1.*; & hoc graue, & enorme peccatum non solum contraheret Confessarius manifestando peccatum lęthale; sed etiam veniale, nam, licet per manifestationem istius non grauis inureretur infamia pænitenti, grauis tamen irrogaretur iniuria Sacramento, quod benè obseruarunt *Suarez de pænit. disp. 33. sect. 1. num. 12.*, & *sect. 3. num. 2.*, *Sotus in quarto distinct. 14. quæst. 4. art. 5.*, *Hieronymus Onuphrius de sig. sect. 5. quæst. 1. vers. notandum secundo*.

SECTIO II.

Quinam obligentur ad hoc sigillum seruandum.

SUMMARIUM.

Confessarij sine dubio tenentur ad hoc sigillum. 1.
Etiam simplex Sacerdos non approbatus. 2.
Quoad Clericos inferiores, & Laicos, qui se simularunt Confessarios, dissidium inter DD. 3.
Sigillum, vt obliget, non est necesse, quod oriatur à Sacramento valido. 4.
Sufficit, vt confessio fiat à pænitente cum animo Sacramentalitèr recipiendi absolutionem. 5.
Hinc Clerici inferiores Sacerdote, & Laici tenentur ad sigillum Sacramentale. 6.
Confitens Laico, vt Laico ex errore arbitrans confessionem apud illum habitam esse validam obligat ipsum ad sigillum. 7.
Item illi, qui ex aliquo fine admitterentur cum Confessario ad audienda peccata. 8.
Habita confessione publica tempore naufragij, & pestis audientes tenentur ad sigillum. 9.
Item casu audientes peccata alicuius, dum confitetur. 10.
Item interpres adhibitus in confessione. 11.
Superior, à quo Confessarius petit facultatem absoluendi à reseruatis, si tunc casu nouit delinquentem, tenetur ad sigillum. 12.
Sententia docens Doctorem, quem Confessarius consulit super peccatum pænitentis, si cognouerit pænitentem, teneri ad sigillum. 13.
Sententia docens non teneri quoad Sacramentale. 14.
Præfertur prima sententia. 15.
Inueniens chartam, in qua sunt descripta peccata personæ cognitæ secundum aliquos tenetur ad sigillum. 16.
Tenetur solum ad sigillum naturale, non ad Sacramentale. 17.

1 Confessarij tenentur ad hoc sigillum.

NOn est hæsitandum, Confessarium ipsum teneri ad huiusmodi sigillum, quandoquidem principalitèr ipsi præcipitur, & pænæ comminatæ ipsum potissimum afficiunt; sed, an teneatur etiam Confessarius fictus, puta simplex Sacerdos non approbatus, vel fortè etiam Clericus; & etiam Laicus, si se fingeret Confessarium? Quoad Sacerdotem non approbatum non dubitarem teneri, quandoquidem habet ordinis potestatem, & in multorum sententia saltem ante decretum Sacræ Congregationis de communione quotidiana sub die 12. Februarij 1679., etiam iurisdictionis quoad venialia, & quoad omnia in articulo mortis. Quoad alios videntur dissidere DD. *Ochogauia de Sacram. tract. 3. de sigillo quæst. 2. num. 4.*, & alij sentiunt vtique teneri, quia pænitens eisdem subijcit peccata animo, & intentione efficiendi Sacramentum. *Toletus verò lib. 3. cap. 16. num. 15. relatus à Diana part. 5. tract. 11. resol. 25.*, & alij asserere videntur, teneri quidem ad sigillum naturale, non autem ad Sacramentale, quia non cognoscerent ex confessione Sacramentali.

2 Etiam simplex Sacerdos non approbatus.

3 Quoad alios dissidium inter DD.

Pro solutione huius controuersiæ, & aliorum casuum, qui in similibus cadere possunt sub dissidio, sciendum est, quod quantum ad effectum obligandi ad non manifestandum

4 Vt sigillum tanquam Sacramentale obliget non est necesse, vt oriatur à Sacramēto valido.

manifestandum sub sigillo Sacramentali non est necesse, quod oriatur ex Sacramento valido, sed sufficit, quod oriatur intuitu, & cum intentione recipiendi Sacramentalitèr absolutionem, seu animo efficiendi Sacramentum saltem ex parte pænitentis, & quod confessio fiat modo Sacramentali. Ratio est, quia sigillum inductum est fauore, & gratia pænitentis, & propterea satis est, quod iste intendat in illa actione Sacramentum, & ponat, quæ ex sui parte requiruntur ad illud, secus esset in potestate Confessarij se ab illo onere eximere subtrahendo intentionem absoluendi. Dicitur autem Sacramentale quoad hunc effectum, quia per pænitentem, quantum est ex parte ipsius, fit confessio Sacramentalis.

5 Sufficit, quod cōfessio fiat à pænitente intentione Sacramētali.

Hinc respondeo, quoad omnes recensitos casus de Clerico non initiato Sacerdotio, & Laico se fingentibus Confessarios teneri quoad audita in illa confessione non solum sub sigillo naturali; sed etiam sub Sacramentali, prout etiam præter præcitatos firmat *Hurtadus de Sacrament. disp. 12. difficult. 3.*, cui etiam videtur adhærere *Diana dict. part. 5. tract. 11. resol. 13.* Ratio ex mox prænotatis deducitur, quia illud sigillum oritur ex confessione Sacramentali, quantum est ex parte pęnitentis, in cuius fauorem inductum est, ergo Confessarius ad illud seruandum obligatur.

6 Clerici, & Laici recipientes fictè confessionem tenentur ad sigillū.

Sed quid erit dicendum, si pænitens confiteretur Laico, vt Laico ex errore tamen existimans in absentia Sacerdotis Confessarij se posse illi confiteri, & ab illo absolutionem recipere. Item quid sentiendum, si simul cum Confessario alius adhiberetur, vel Sacerdos, vel Laicus ad maiorem erubescentiam, & confusionem pænitentis, an tunc iste alius adhibitus cum Confessario teneretur ad sigillum Sacramentale. Quoad primum vix videtur posse casus contingere, cum nullus supponatur ità rudis, vt possit credere confessionem apud Laicum habitam posse subsistere. Dato tamen huiusmodi casu arbitrarer, teneri ad sigillum Sacramentale, quia quantum est ex intentione pænitentis illa confessio esset Sacramentalis, nec illam haberet, si non intenderet posse validè absolui. Quoad secundum etiam sentio, alium adhibitum simul cum Confessario teneri ad sigillum Sacramentale *Fagundez part. 2. lib. 6. cap. 6. num. 5.* Ratio est, quia notitiam habet ex confessione Sacramentali, &, sicuti, vt infra dicemus, si quis casu audierit peccatum aliquod pænitentis, dum actu confiteretur, teneretur ad sigillum, ità &c. *Malderus c. 9.*

7 Laicus, cui ex errore quis confiteretur, tenetur ad sigillū.

8 Item illi, qui ex aliqua causa admitterētur cum Confessario ad audiendam confessionem.

Ex his plura possunt deduci; primò, quod, si quis vrgente naufragio, vel tempore pestis peccata sua Confessario exponeret alijs extantibus, tenerentur hi adstantes sigillum Sacramentale seruare *Fagundez part. 2. lib. 6. cap. 5. num. 1.*, *Diana part. 5. tract. 11. resol. 23.*, quia notitia ad eos peruenit ex confessione Sacramentalitèr facta. Secundò, quod, si quis casu, vel fortè etiam malitiosè aliquod peccatum pænitentis, dum confiteretur, audierit, teneatur illud sub sigillo Sacramentali cælare propter eandem rationem notitiæ habitæ ex Sacramentali confessione. Tertiò, quod interpres adhibitus ad manifestanda Confessario peccata pænitentis ignorantis idioma teneatur eadem peccata sub sigillo Sacramentali obtegere *Vasquez de pænit. qu. 93. art. 4. dub. 2. n. 2.*, *Reginaldus lib. 3. num. 26.*, *Suarez disp. 33. sect. 4.*, *Onuphrius de sigillo sect. 3. quæst. vnica dub. 2. vers. respondeo omninò.*

9 Audiētes confessionem publicam tempore pestis tenentur.

10 Item audientes casu peccata, dum confitentur.

11 Item interpres.

Vlteriùs ad tale sigillum seruandum tenentur Superiores, ad quos recurrit Confessarius pro facultate absoluendi à casibus reseruatis, si casu eisdem innotuerit persona, quæ sic deliquit *Nauarrus cap. Sacerdos de pænit. distinct. 6. num. 105.*, *Coninchus disp. 9. dub. 3. num. 50.* Ratio ex eo deducitur, quod Superiores, quibus casus sunt reseruati, in hac parte vices gerunt Confessarij, cum quodammodo exerceant iurisdictionem in ordine ad pænitentium absolutionem, & quandoque ipsi imponunt, seu designant pænitentiam salutarem per eosdem pænitentes exercendam. Dixi, *si casu eisdem innotuerit persona, quæ sic deliquit*, nam, sicuti ipse Confessarius non debet aperire personam delinquentis, ità Superior debet abstinere à nimia inquisitione, per quam possit venire in cognitionem eiusdem.

12 Superior, qui ex facultate à se petita absoluendi à reseruatis nouit delinquentem tenetur.

Ex hac eadem ratione videtur dicendum, quod ille, quem consulit Confessarius circa aliquod dubium emergens è confessione pænitentis, si fortè in eiusdem cognitionem deueniat, teneatur sigillum Sacramentale seruare, quia, vt notat *Suarez d. disp. 33. sect. 4. num. 6.*, sic consultus participat actum clauium quoad scientiam supplens defectum Confessarij. Addit in huius confirmationem *Bonacina de Sacrament. disp. 5. quæst. 6. sect. 5. punct. 3. num. 4.*, quod peccata audita in confessione ad quemcunque transeant, transeant semper cum onere sigilli Sacramentalis eo modo, quo res alteri hypothecata semper transit cum onere hypothecę. Contrariam tamen sententiam sustinent alij, inter quos *Vasquez in tertia part. tom. 4. quæst. 93. art. 4. dub. 2. nu. 10.*, *Onuphrius opusc. de sigillo sect. 3. quæst. vnica dub. 6. §. sequitur primò, & alij*, quos citat, & sequitur *Diana part. 2. tract. 15. resol. 14.* propè

13 Doctor consultus à Confessario super aliquo delicto, si ex illo nouerit delinquētem tenetur secundum aliquos ad sigillum.

14 Secundū alios non tenetur.

propè medium, qui rationem ex eo deducunt, quod ille, quem Confessarius minus doctus cōsulit pro directione, præsumitur habere illam notitiam ab ipso pęnitente non in confessione, sed extra illam; ex quo enim ipse Confessarius minus doctus cōsulit doctiorem ex facultate pęnitentis, perindè est, ac si ipse pęnitens ipsum consuleret, & sic illam notitiam haberet à pęnitente, nec in confessione, nec ex confessione, & sic licet teneatur ex sigillo naturali, non tamen tenetur ex Sacramentali. In hoc adhęrendum arbitror primę opinioni asserenti consiliarium teneri ad secretum sub sigillo Sacramentali; Nec obstant, quę pro secunda sententia afferebantur; quandoquidem etiam si ipse pęnitens per se ipsum immediatè, antequam accederet ad confessionem, consuleret virum doctum circa peccata sua in ordine ad confessionem, teneretur hic ad sigillum Sacramentale, vt tradunt *Fagundez part. 2. lib. 6. cap. 6. num. 23., Medina lib. 1. cap. 14. §. 36.*, quia, licet illa notitia non habeatur in confessione, nec ex confessione, habetur tamen per ordinem ad illam, & vir ille doctus quoquo modo participat vsum clauium per directionem, quam subministrat pęnitenti supplendo quodammodo defectum Confessarij, &, sicuti per contrarię sententię assertores dicitur, quod Confessarius minus doctus consulens doctiorem vices gerit pęnitentis, quatenus per Confessarium id prętat, quod ipse prętare deberet, ità ego dico, quod, si pęnitens consulat virum doctum pro directione suę conscientię in ordine ad confessionem habendam vices quodammodo gerit eiusdem Confessarij, dum quęrit supplementum eius, quod prętare deberet ipse Confessarius. Si igitur ipse pęnitens per se immediatè consulens virum doctum obligat ipsum ad sigillum Sacramentale; ita Confessarius minus doctus consulens doctiorem ex commissione pęnitentis, qui per aduersarios dicitur consulere nomine eiusdem pęnitentis, obligabit &c.

15 Secundū veritatē tenetur.

Rationes pro hac sententia

16 Inuentor chartę in qua sunt descripta peccata personæ cognitæ tenetur secundū aliquos ad sigillū.

Remanet hic pro complemento huius sectionis inquirendum, an, si quis inueniret chartam, in qua descripta essent peccata alicuius personę, quam ex caractheribus determinatè agnosceret, teneretur sub sigillo Sacramentali illa non reuelarę? *Fagundez part. 2. lib. 6. cap. 5. n. 16.*, affirmat teneri ad sigillum Sacramentale seruandum, pro quo considerat, an illa charta esset directa ad consiliarium pro directione, an verò esset exarata pro memoria peccatorum, &, an tunc essent illa peccata iam confessa, vel nondum confessa, & sic asserit, quod, si esset directa ad consiliarum pro consilio, & directione obliget, quia ipse consiliarius assumitur tanquam persona necessaria ad confessionem; si exarata pro memoria, & illa peccata nondum fuerint confessa, & tunc asserit, illam chartam haberi pro confessione incohata; si verò iam fuerint confessa, & tunc asserit illa peccata esse affecta confessione, & transire cum illo onere.

17 Tenetur solum ad sigillum naturale non Sacramentale.

Verum probabilius ego crederem, inuentorem illius chartæ teneri quidem ad sigillum naturale, non autem ad Sacramentale. In hoc consentit *Bonacina de Pœnit. Sacrament. disp. 5. quæst. 6. sect. 5. punct. 3. num. 7.*, vbi allegat *Nauarrum in manual. cap. 18. num. 34.*, & alios plures. Ratio est, quia ex quocunque fine illa charta fuerit scripta, notitia illius non peruenit ad inuentorem, nec in confessione, nec ex confessione, nec per ordinem ad confessionem, nec ipse inuentor debet considerare ad quem finem fuerit exarata. Verum tamen est, quod, cum illa charta contineat arcana, quæ ex genere suo exigunt cælari, sic exigente naturali charitate teneatur inuentor ex sigillo naturali ea non propallare, quinimmò cognito, quod peccata contineat, debeat ab illius lectione cauere *Nauarrus cap. Sacerdos de pœnitent. distinct. 6. nu. 113., Reginaldus lib. 3. n. 34., Coninchus disp. 9. dub. 3. num. 50.*

SECTIO III.

Quęnam sint, quæ cadunt sub sigillo Sacramentali.

SVMMARIVM.

Peccata, siue læthalia, siue venialia item circunstantiæ, & ea, quæ sunt necessaria ad explicanda peccata cadunt sub sigillum. 1.

Peccata læthalia, nec in genere possunt detegi. 2.

Si pænitens in confessione detegerit complicem, Confessarius non potest illum detegere. 3.

Etiam defectus naturales, & qui possunt ingerere aliquod dedecus cogniti in confessione cadunt sub sigillo. 4.

Confessarius nequit manifestare pænitentiam, quam pænitenti iniunxit, si sit grauis. 5.

Sententia docens Confessarium frangere sigillum, si manifestet crimen graue assuetum committi in aliqua Communitate cognitum in confessionibus. 6.

Si loquatur de crimine in aliqua magna Ciuitate committi solito grauitèr peccaret, non tamen frangeret sigillum Sacramentale. 7.

Si

Si de crimine frequenti, & à pluribus committi solito in aliquo paruo pago vtique frangeret. 8.

Secus, si de crimine frequentèr committi solito ab vno, vel altero in tali pago. 9.

Quid sentiendum sit, si manifestet delictum committi solitum in aliquo Monasterio. 10.

Confessarius conscius ex confessione insidiarum, quæ alteri parantur ad mortem, nec alitèr haberi possit notitia de eisdem, si moneat de eisdem, constituitur reus fracti sigilli. 11.

Ipse Confessarius, si ex confessione nouit sibi paratas insidias ad mortem, quas vitare non posset sine euidenti suspicione manifestatæ confessionis, nequit, vti tali scientia ad mortem vitandam. 12.

Nec omittere sacrum, si ex confessione nouit vinum, quod debet consecrare, esse veneno mixtum, si ex illa omissione certò cognosceretur detectio confessionis. 13.

Confessarius interrogatus à Iudice sub pæna mortis de crimine ipsi in confessione manifestato debet potius mori, quam detegere. 14.

1 Peccata, circumstantiæ, & necessaria ad exprimēda peccata cadunt sub sigillum.

CErtum est, peccata confessa, siue læthalia sint, siue venialia cadere sub sigillo Sacramentali, item circunstantias, & ea omnia, quæ necessaria sunt ad explicanda peccata. Hoc tamen quoad peccata aduertendum, quod, si fuerint læthalia, nec in specie, nec in indiuiduo, nec in genere sunt reuelanda, siquidem ex illorum reuelatione quomodocunque facta consurgeret aliqua nota in pænitente, ratione cuius onus confessionis ipsi, alijsque exosum redderetur; vndè nequit Confessarius dicere. Titius mihi confessus est peccata læthalia; si verò fuerint venialia, vtique nequeant in specie, nec in indiuiduo, nec in numero manifestari, benè tamen in genere, cum certum sit, nullum posse absolui, nisi saltem venialibus sit irretitus.

2 Peccata læthalia, nec in genere possunt detegi.

3 Etiam complex delicti cognitus in confessione cadit sub eodem.

Certum item est, quod, si pænitens ex imprudentia in confessione manifestauerit complicem in suo delicto, teneatur Confessarius ex sigillo Sacramentali eundem complicem non manifestare non solum, quia hoc potest esse exosum pænitenti, sed etiam, quia vt plurimum ex reuelatione complicis potest deduci efficax præsumptio peccati pænitentis, prout notant *Malderus de sigillo c. 18., Diana part. 3. tract. 4. resol.* 111. Hoc etiam ampliatur in casu, quo pænitens ad manifestandum suum peccatum exponeret in confessione alias personas, quamuis earum manifestatio non esset necessaria, tunc etenim illas personas teneretur Confessarius sub sigillo Sacramentali non manifestare, argumento eorum, quæ tradunt *Suarez tom. 4. disp. 33. sect. 3. n. 5., Malderus tract. de sigillo c. 18., Reginaldus lib. 3. cap. 4. num. 39.*; nempè omnia, quæ pænitens occasione sui peccati exponendi clauibus exponit, cadere sub sigillo, quantumuis non essent necessario exponenda.

4 Etiam defectus naturales cogniti in confessione.

Certum item est, quod Confessarius, qui nouit ex confessione pænitentis defectus naturales, & quandoque etiam morales, qui secundum se peccaminosi non sunt, possunt tamen aliquod dedecus eidem pænitenti ingerere, teneatur sub sigillo Sacramentali non reuelare. *Hurtadus de Sacrament. disp. 12. diffic. 3., Homobonus de exam. Eccl. tract. 5. cap. 20. quæst. 111. vers. secundo dico.* Dixi *defectus naturales*, quales sunt defectus natalium, & procreatio ex infami familia. Dixi, *quandoque etiam morales*, cuiusmodi est zelotopia, & scrupulorum agitatio &c. Ratio est, quia horum manifestatio est iniuriosa pænitenti, & reddit confessionem eidem pænitenti grauem, & odiosam, cum per se, vel saltem per accidens directè, vel indirectè afferat verecundiam, & confusionem ingerat.

5 Etiam pænitentia grauis imposita cadit.

Certum item est, quod Confessarius nequeat propallare pænitentiam, quam pænitenti imposuit, si sit grauis, & possit inducere probabile iudicium grauium delictorum; sicuti enim non potest grauia delicta etiam in genere manifestare, ita nequit manifestare grauem pænitentiam, quam iniunxit, ex qua grauitas delictorum confessorum saltem in genere possit dignosci, atque ita sentiunt *Granadus in secunda secundæ controu. 7. tract. 11. disp. 6. num. 5., Diana part. 5. tract. 11. resol. 31.*

6 Sententia docens frangere sigillum Confessarium, qui manifestaret delictum consuetū fieri in aliqua Communitate.

Dubij iuris est primò, an cadat sub sigillum Sacramentale delictum, quod crebrò, & frequentèr in aliqua Communitate committitur, quod nouerit Confessarius ex confessionibus illius Communitatis, quodque manifestatum vergere possit, in dedecus illius Communitatis, vt, si dicat. In tali Ciuitate crebrò committitur crimen sodomiæ. In tali pago, seu Villa crebrò peccatum furti. In tali Religiosorum Cœnobio frequens est crimen fornicationis. Vasquez loquens de manifestatione peccatorum, quæ crebrò committuntur in aliqua Ciuitate; quæque ex genere suo inferunt dedecus *in tertiam partem D. Thomæ tom. 4. qu. 93. art. 4. dub. 3. n. 3.* asserit, Confessarium sic manifestantem, frangere sigillum Sacramentale, & per consequens teneri sub eodem sigillo illud non manifestare. Hoc idem in fortioribus terminis de peccato committi solito in aliquo paruo Oppido, seu Villa, & in aliquo Monasterio Regularium docent *Fil-*

liutius in qq. mor. tom. 1. tract. 7. c. 11. q. 3. num. 322., *Suarez in tertiam part. D. Thomæ tom. 4. disp. 33. sect. 3. num. 8.*, *Conincbus de Sacram. disp. 9. dub. 1. num. 16.*, qui fortè ea mouentur ratione, quia talis manifestatio resultat in maximum dedecus, & infamiam illius Communitatis, exosam reddit confessionem, & retrahit ab illius frequentia. Ex aduerso asserunt non frangi huiusmodi sigillum per talem manifestationem *Onuphrius in opusc. de sigillo sect. 4. q. 4. §. sequitur vltimo*, *Siluius in addit. ad tertiam partem q. 11. art. 3. quæstiunc. 2. ad primum*.

7 Manifestans graue crimē solitum cōmitti in aliqua magna populatione nō frangeret sigillum.

Ego autem plura quoad hoc dico; Primò, quod, si loquatur de crimine, quod crebrò committitur in aliqua Ciuitate, vt si dixerit, in tali Ciuitate, vt ex confessionibus ego habeo, crebrò committitur tale peccatum, non constituatur Reus fracti sigilli, quamuis grauitèr peccet; In hoc consentiunt DD. pro secunda sententia allegati, & vlterius *Nauarrus in man. c. 7. num. 16.*, *Viualdus in candelabro tract. de sigil. num. 26.*, *Henriquez in summa lib. 6. c. 21. num. 6.* Ratio ex eo deducitur, quod per talem manifestationem nulli determinatè, nec etiam præsumptiuè videtur inferri iniuria, cum ex tot, & tantis, quibus constat Ciuitas, non possint coniectari infecti illo crimine, & licet per illam videatur quoquo modo lædi communitas, hoc quidem importat grauem noxam in manifestante, non tamen fractionem sigilli, quod solummodo inductum est, ne manifestetur delinquens, quod non euenit in præsenti hypothesi, & in hoc etiam consentit *Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 6. sect. 5. punct. 4. num. 3.*

8 Secus, si de crimine frequenti, & à pluribus committi solito in paruo pago.

Dico secundò, si loquatur de crimine frequenti, quod cognouit ex confessionibus ibi receptis, in aliqua parua Villa cōmitti solito a pluribus, vt si dicat. In tali Villa, in qua ego audio, seu audiui Sacramentales confessiones frequens à pluribus tale crimen committitur, probabile est, quod constituatur Reus fracti sigilli, secus, si dicat ab vno, vel altero frequentèr committi, & iuxta hunc sensum præcisè arbitror procedere *Onuphrium opusc. de sigillo sect. 4. q. 4. §. sequitur vlt.*, *Filliutium in qq. mor. tom. 1. tract. 7. c. 11. q. 3. num. 322.*, *Suarez in tertiam partem tom. 4. disp. 33. sect. 3. num. 8.*, *Bonacinam de Sacram. disp. 5. q. 6. sect. 5. punct. 4. num. 3.* Ratio primæ partis est, quia per manifestationem plurium in genere in paruo loco degentium facilis potest induci suspicio de aliquibus delinquentibus in particulari, potissimum cum de eisdem ex eorum moribus possit esse aliundè non bona existimatio, qua existente, cum plures intelligantur ibi delinquere, possunt isti non bonæ famæ non irrationabilitèr computari inter delinquentes. Ratio secundæ partis est, quia per manifestationem vnius, vel alterius in genere delinquentis ex pluribus constituentibus aliquam Communitatem non tribuitur sufficiens fundamentum suspicandi de aliquo in particulari, vnde etiam sine aliqua synderesi violationis sigilli Confessarius in aliquo paruo pago, vel Villa recipiens illius loci confessiones facultatem petit à Superiore absoluendi vnum, vel alterum innominatum ab aliquo casu reseruato. Limitarem tamen in casu, quo in illa parua Villa suspicio percrebuerit, quod talis, vel talis in tali genere deliquerit; si etenim tunc Confessarius dixerit, aliquem in tali genere deliquisse, certè non eximeretur a culpa fracti sigilli, cum per talem assertionem firmet opinionem antecedentèr de determinata persona conceptam.

9 Secus, si de crimine committi solito ab vno, vel altero.

Dico tertiò, si Communitas Religiosorum sit ampla, seu Monasterium constituatur ex magno numero eorundem, & Confessarius, qui recipit, seù recepit confessiones Sacramentales eorum dixerit, quod tale delictum crebrò à pluribus committatur, vix eximetur à culpa fracti sigilli, secus, si dixerit committi ab vno, vel altero, dummodo non extent circunstantiæ, quæ coniunctæ cum illo dicto Confessarij de facili inducant cognitionem, vel suspicionem probabilem delinquentis. Si vero Communitas sit parua, & paucis constituatur Religiosis, vix eximi posse videtur ab huiusmodi culpa. Ratio in vniuersum ea est, quia in primo casu de manifestatione plurium, & plurium delinquentium in tali genere in illo Monasterio potest induci facilis suspicio de aliquo illorum in particulari; in secundo verò de vno tantum, vel altero delinquente, incongruè talis suspicio induceretur; in tertio tandem, si ità sit paruus numerus, vt possit induci suspicio de vno, cum alij fortè sint notæ probitatis, ex se patet, quod ipse induceret per suum dictum illam suspicionem, ac propterea constitueretur Reus. Limitandum tamen est hoc dictum iuxta limitationes positas in præcedenti.

10 Quid sentiendum sit, si manifestet delictum cōmitti solitū in aliquo Monasterio.

11 Confessarius conscius insidiarū ex confessione, quæ alteri parantur ad mortē, si illū moneat fit Reus fracti sigilli.

Dubij item iuris est, an, si Confessarius ex confessione alicuius nouerit alteri parari insidias ad mortem in aliquo determinato loco, per quem ex aliqua necessitate debet pertransire, & moneat ipsum, ne per talem locum pertranseat, constituatur Reus fracti sigilli. Hoc potissimum contingeret in casu, quo nullus alius conscius esset illarum insidiarum, nisi ipse Confessarius ex confessione, vnde, si ille, contra quem paratæ fuerint, per illum locum

locum non pertransiret, cum illac cæteroqui esset ex necessitate transiturus, posset pænitens, qui illas manifestauit, iustè concipere, quod Confessarius ex cognitione habita in confessione illas manifestauerit. Sentiendum arbitror in hac hypothesi talis restrictionis facti non posse Confessarium monere illum, contra quem paratæ sunt insidiæ, & si moneat, constitui Reum fracti sigilli *Turrianus de pænit. disp. 33. dub. 5.*, *Diana part. 5. tract. 11. resol. 1. in fin.*, *& 46.*, *& part. 11. tract. 8. resol. 50.* Ratio est, qua reuelatio secreti sub sigillo Sacramentali seruandi est ab intrinseco mala, & omni iure naturali, & Diuino prohibita, vt supra probatum est, ergo nulla ratione potest cohonestari, nec sub motiuo alterius damni, quantumuis in vita vitandi; sed in hac hypothesi fieret reuelatio secreti &c. vtpotè, quæ habita est ex confessione, nec aliundè haberi poterat, ergo &c.

12 **Ipse Cōfessarius nequit vti scientia cōfessionis ad vitandā propriā mortem cum læsione sigilli.**

Amplia primo hoc etiam procedere, quantumuis notitia illa ex confessione habita esset de insidijs contra ipsum Confessarium paratis, nam ipse non posset ad ipsas vitandas subterfugere, quin per illum locum pertransiret, quando notitia illa ità esset ex confessione, vt illam aliundè habere non posset. Hoc exemplificat *Diana part. 5. tract. 11. resol. 46. §. ex quibus*, in Confessario iter agente cum alijs, qui, si ex confessione vnius ex illis nosceret, sibi paratas esse insidias in ingressu siluæ, per quam ex necessitate finis, ad quem assumunt illud iter, transire debent, non posset retrocedere, & non ingredi illam siluam, ne ex illa retrocessione, & non ingressu reuelaret notitiam habitam in confessione.

13 **Nec potest omittere sacrum ex cognitione habita in confessione, quod vinum sit veneno infectū.**

Amplia secundò, quod, si Sacerdos ex confessione nosceret in vino, in quo debet consecrare, mixtum esse venenum, nec posset aut sacrum omittere, aut vinum illud commutare, nisi induceret suspicionem reuelatæ confessionis, non posset sacrum omittere, nec aliud vinum inquirere, sed teneretur consecrare, & sumere, vt tradit *Diana loc. cit. §. secundo*, propter allatam rationem.

Dubij item iuris est, an, si Iudex iniquè sub iuramento interroget Confessarium de delicto sibi in confessione manifestato, quando responsionem subterfugere non potest, nisi cum graui suo detrimento ob atroces minas sibi à Iudice comminatas possit iurare sibi in confessione delictum illud non fuisse manifestatum ad seruandum secretum Sacramentalis confessionis. In hac hypothesi *Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 5.* absolutè sentit, non posse iurare se illud crimen in confessione nō audiuisse, cū in nullo vnquam casu etiam ad vitandam mortem liceat mentiri, & multo minus peierare. Quamobrem, cum in hoc casu versetur inter duo, nempè inter iuramentum, quod est ab intrinseco malum, & obligationem sigilli, cuius violatio etiam est talis, vbi neutrum posit euadere iuxta hanc Soti sententiam debet potius mori, quam contra vnum, vel alterum delinquere. *Graffius* vero *part. 1. lib. 1. c. 23. n. 3.*, cui adhæret *Diana part. 3. tract. 6. resol. 30. vers. sexto*, sentit posse respondere, se nescire, & iurare se etiam non audiuisse, subintelligendo tanquam purum hominem, cum illud munus Confessarij exerceat, vt Deus, seu tanquam minister Dei. Sed, an hæc secunda opinio modo subsistat stantibus duabus propositionibus damnatis ab Innocentio XI. die 2. Martij anno 1679., altera sub numero 26. qua dicebatur. *Si quis vel solus, vel coram alijs, siue interrogatus, siue propria spontè, siue quocunque alio fine iuret se non fecisse aliquid, quod fecit, intelligendo intra se aliquid alud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quoduis alud additum verum, reuera non mentitur, nec est periurus.* Altera sub num. 27. qua dicebatur. *Causa iusta vtendi his amphibologijs est quoties id necessarium est, aut vtile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.* An, inquam, his stantibus hæc opinio subsistat, videant alij. Nobis sufficit dicere, si alia non suppetat via effugiendi responsionem sine periurio, vel sine manifestatione secreti Sacramentalis debet potius mori, quam vel peierare, vel sigillum Sacramentale frangere.

14 **Confessarius interrogatus à Iudice sub pæna mortis de crimine in confessione cognito debet potius mori, quam detegere.**

SECTIO IV.

Per quasnam locutiones violari posit sigillum Sacramentale.

SVMMARIVM.

Exponitur casus particularis. 1.
Dicens se absoluisse pænitentem ab excommunicatione publicè contracta est Reus fracti sigilli. 2.
Dicens, non absolui Franciscum, *non reddita causa vix eximi potest à culpa fracti sigilli.* 3.
Quid, si dixerit non absoluisse ob impedimentum, quod superuenit remissiuè. 4.
Si dixerit se absoluisse à multis, & grauibus peccatis in linea venialium est Reus. 5.

Contigit quandoque, vt quædam fæminæ nobiles captæ curiositate videndi quoddam Religiosorum Monasterium in illud ingresſæ fuerint pro tempore, quo illi egreſsi fuerant, vt ex more interessent cuidam ſolemni proceſsioni, remanente vno, vel altero Religioſo ad custodiam eiuſdem, cumque controuerteretur, an illæ fæminæ contraxiſſent, nec ne excommunicationem, vt ſe eximerent à quacunque ſynderesi eiuſdem contractæ accesserunt ad quendam Regularem, à quo fuerunt abſolutæ; Innoteſcente hoc Ordinario loci, qui potiſsimum contendebat de contracta cenſura petijt à Regulari illo, qua auctoritate abſoluerit, qui reſpondit, ſe abſoluiſſe,& iustè potuiſſe abſoluere. Non diſputamus modo, an potuerit, nec ne abſoluere; ſed ſolum quærimus, an per illam reſponſionem, qua dixit, ſe abſoluiſſe, factus fuerit Reus fracti ſigilli.

1 Exponitur caſus particularis.

Interrogatus ego ſuper hunc caſum tunc reſpondi, & nunc etiam reſpondeo, verè fuiſſe Reum fracti ſigilli Sacramentalis. Rationem ex eo deduco, quia denegari non poteſt, quin manifeſtauerit peccatum in confeſsione cognitum, &, ſi communitèr dicunt, quod Confeſſarius dicens *abſolui talem à peccatis lethalibus* violat ſigillum confeſsionis ita non eſt, cur dicendum non ſit, violare tale ſigillum, qui diceret *Abſolui talem ab excommunicatione &c.* Deinde, ſi, vt de communi teſtatur *Tannerus tom. 4. diſp. 6. q. 9. dub. 6. num.* 127. Reus eſt violati ſigilli, qui dicit *abſolui peccatorem publicum, qui mihi confeſſus eſt ſuum peccatum*, non video, cur non ſit Reus, qui diceret *Abſolui ab excommunicatione eum, qui publicam contraxit excommunicationem.*

2 Dicens ſe abſoluiſſe à cenſura publicè contracta eſt Reus fracti ſigilli.

Neque obeſſe poteſt, ſi dicatur, quod, cum illa excommunicatio ſit publica, Confeſſarius non dicatur illam detegere, ſi dicat, ſe ab illa abſoluiſſe, cum iam illa ſit nota, ſed tantum detegere actum confeſsionis, qui eſt pænitenti laudabilis, nec confeſsionem illi reddit odioſam; Hoc argumento in ſimilibus vtitur *Medina C. de confeſs. q. de ijs, quæ à Confeſſario celanda ſunt*. Non, inquam, obeſſe poteſt, quia licet dici non poſsit odioſa pænitenti, eſt tamen contra virtutem Religionis, quæ nullo modo patitur, vt peccata in confeſsione cognita detegantur; vnde ſtatuunt, quod Confeſſarius ſic loquens ſit violator ſigilli *Sotus in quarto diſt. 18. q. 4. art. 5.*, *Vaſquez in tertiam part. tom. 4. q. 93. art. 4. dub. 5.*, *Diana part. 5. tract. 11. reſol. 6.*, qui loquuntur in conſimilibus terminis.

Talis manifeſtatio eſt cõtra Religionem.

Ad præſentem titulum pertinet modo conſiderare primo, an ſit fractor ſigilli Confeſſarius, qui diceret *Non abſolui Franciſcum*. Pro quo aduerto, an Confeſſarius dicat præcisè ſe non abſoluiſſe, an verò etiam addat cauſam, ob quam non abſoluerit, & ſi dixerit cauſam, ob quam non abſoluit, an hæc cauſa ingeret, vel ingerere poſsit aliquam ſuſpicionem mali ſtatus pænitentis, an verò quamcumque huiuſmodi ſuſpicionem euacuet. Si dixit præcisè, *non abſolui Franciſcum*, vix ipſum eximerem à culpa fracti ſigilli *Granadus in tertiam partem contr. 7. tract. 11. diſp. 6. num. 2.* Ratio eſt, quia, cum Franciſcus ad ipſum acceſſerit pro confeſsione ex eo, quod fuerit dimiſſus ſine abſolutione, ex ore Confeſſarij vehemens inducitur ſuſpicio, quod ideo fuerit dimiſſus, vel quod non fuerit diſpoſitus, vel quod habuerit grauem aliquam culpam, ob quam non potuerit abſolui, quod certè cedit in maximum dedecus ipſius pænitentis, ergo Confeſſarius hæc aſſerens conſtituitur Reus fracti ſigilli, vtpotè qui ex occaſione confeſsionis graue intulit dedecus eidem Franciſco.

3 Dicens præcisè non abſolui Franciſcum eſt Reus.

Si verò addidit cauſam, ob quam non abſoluit dicens. Non abſolui, quia ſuperuenit impedimentum, ob quod confeſsionem non perfecit, vel ſimpliciter, quia non perfecit confeſsionem; tunc iuxta primum dictum aſſerit *Fagundez part. 2. lib. 6. c. 5. num. 9.*, quod verè frangat ſigillum, quia malam opinionem generat de ſtatu pænitentis, cum ſuſpicari poſsit, quod conſcientiam habeat varijs, multiſque criminibus implicatam, quod non improbabile iudico, niſi fortè conſtet, Franciſcum tunc habere confeſsionem generalem ſuorum peccatorum. Iuxta ſecundum *Suarez in tertiam part. tom. 4. diſp. 33. ſect. 6.* ſentit non frangere ſigillum. Sed non libentèr acquieſcerem, quia etiam in hoc caſu poteſt deſumi occaſio ſuſpicandi, quod pænitens ſit implicatus multis, & grauibus peccatis, vel pleriſque venialibus extraordinarijs. In hoc tamen tu cogita.

4 Quid ſi dixerit non abſoluiſſe ob impedimentũ quod ſuperuenit remiſſiuè.

Secundò pertinet ad hunc titulum conſiderare, an Confeſſarius ſigillum frangeret, ſi diceret, Franciſcum ſibi confeſſum fuiſſe multa, & multa peccata venialia, vt etiam venialia grauia. Dicere præcisè, quod confeſſus fuerit peccata venialia non importat fractionem ſigilli, quia certum eſt, & omnibus notum, quod dari nequeat abſolutio, quin ſaltem venialia exponantur. Sed dicere, quod multa, & multa venialia confeſſus fuerit, & venialia grauia certè importat huiuſmodi fractionem *Hurtadus diſp. 12. diffic. 4.*, *Malderus de ſigillo c. 12.*, *Diana part. 5. tract. 11. reſol.*

5 Dicens ſe abſoluiſſet à pluribus, & grauibus venialibus eſt Reus.

resol. 49. Ratio est, quia multitudo, & grauitas huiusmodi peccatorum venialium manifestata inducit aliquod dedecus in pænitente, & non est per se nota, nec deducibilis ex eo, quod fuerit absolutus, cum potuerit absolui, quantumuis non habuerit tot venialia, & non ità grauia.

SECTIO V.

De Pænis contra violatores sigilli Sacramentalis.

SUMMARIUM.

Pænæ constitutæ in c. omnis vtriusque sexus de pænit., & remiss. *depositionis à Sacerdotali officio, & detrusionis in arctum Monasterium*. 1.
Item pæna peregrinationis perpetuæ in c. Sacerdos de pænit. distinct. 7. *refertur*. 2.
Articuli examinandi circa has pænas. 3.
Hæ pænæ non extenduntur vltra Confessarios reuelantes. 4.
Alij sunt puniendi pæna extraordinaria. 5.
Hæ pænæ non sunt latæ sententiæ, sed ferendæ. 6.
Pæna perpetuæ, & ignominiosæ peregrinationis est mutata in detrusionem in arctum Monasterium. 7.
Non est imposita pæna irregularitatis. 8.
Non sunt temperandæ pænæ ex eo, quod peccata reuelata sint venialia. 9.

GRauitèr peccare sic violantes sigillum Sacramentale, & non solum contra virtutem Religionis, sed etiam contra iustitiam, clarè liquet ex dictis in præcedentibus. Ad grauitatem culpæ consequi debet, & grauitas pænæ, de qua modo disserendum est.

1 Pænæ cōstitutæ in c. omnis vtriusq; sexus de pænit., & remiss.

In *c. omnis vtriusque sexus de pænit., & remis.* hæc præcisè habentur. *Caueat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem, sed, si prudentiori consilio indiguerit, illud absque vlla expressione personæ cautè requirat, quoniam, qui peccatum in pænitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non solum à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum perpetuam pænitentiam in arctum Monasterium detrudendum.* Aliàs *in c. Sacerdos de pænit. dist. 6.* erat imposita pæna, *vt deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat*, sed postea pæna perpetuæ, & ignominiosæ peregrinationis conuersa est in detrusionem in arctum Monasterium.

2 Pæna peregrinationis perpetuę.

Circa huiusmodi pænas plura contingunt in præsenti dubitari, & primò, an huiusmodi pænæ afficiant solummodo ipsos Confessarios reuelantes, an vero etiam alios, qui supra dicti sunt teneri ad sigillum. Secundò, an huiusmodi pænæ sint latæ sententiæ, an solummodo ferendæ. Tertiò, an pæna detrusionis in arctum Monasterium modo sit in vsu, an vero in aliam consuetudine commutatam. Quartò, an sit alia pæna iniuncta vltra modo recensitas. Quintò, an contra Confessarios reuelantes semper sint eodem modo iniungendæ.

3 Articuli examināndi circa has pænas.

In ordine ad primum asserendum est, huiusmodi pænas non extendendas esse vltra Confessarios reuelantes, cæteros autem arbitrio Iudicis puniendos *Menochius de arbitr. lib. 2. cent. 5. cas. 414., Reginaldus lib. 3. num. 27., Onuphrius de sig. sect. 1. q. 3. concl. vnica, & sect. 5. q. 2. concl. vnica, Coninchus disp. 9. dub. 4. ad fin.* Ratio est, quia pænæ vtpotè odiosæ non sunt extendendæ vltra verborum formam, qua concipiuntur; in allegatis autem textibus *in c. omnis vtriusque sexus, & in c. Sacerdos*, sermo est præcisè de Sacerdotibus Confessarijs reuelantibus, ergo &c. Quod autem alij sint puniendi per Iudicem pæna extraordinaria, ex eo euincitur, quod hoc delictum etiam in alijs est enorme, & vtique punibile.

4 Hæ pænę non extenduntur vltra Confessarios reuelantes.

5 Alij sunt puniendi pæna extraordinaria.

In ordine ad secundum dicendum est, huiusmodi pænas non esse latæ sententiæ, sed ferendæ. Consentiunt *Homobonus de exam. Eccles. tract. 5. de art. circ. exam. ad confess. de sigil. c. 19. q. 108. vers. ad secundam quæstionem, Coninchus disp. 9. num. 70., Onuphrius de sigil. sect. 5. q. 2.* Hoc colligitur ex verbis textus, quibus huiusmodi pænæ imponuntur. Ibi- *deponendum decernimus, & in arctum Monasterium ad agendam perpetuam pænitentiam detrudendum*, quæ verba important sententiam ferendam; nec, vt notat *Homobonus loc. cit.*, tenetur quis se ipsum prodere.

6 Non sunt latæ sententiæ, sed ferendæ.

In ordine ad tertium dicendum esse pænam perpetuæ, & ignominiosæ peregrinationis commutatam fuisse in detrusionem in arctum Monasterium, & congrua quidem ratione, vt notat *Bonacina de pænit. Sacramento disp. 5. q. 6. sect. 5. punct. 1. n. 3.* ne Sacerdotes cum dedecore status Ecclesiastici emendicare cogantur; quinimmo ex consuetudine recepta detrusio in arctum Monasterium mutata est in perpetuum carcerem, vt obseruant communitèr Moderni in hac materia scribentes.

7 Pęna perpetuæ peregrinationis est mutata in perpetuum carcerē.

In ordine ad quartum asserendum est, pænam irregularitatis, quam contra reuelantes apponit *Maiolus lib. 5. c. 19.* non esse

8 Pæna irregularitatis nos viget.

esse adstruendam, cum nullibi de eadem constet, *Onuphrius de sigil. sect. 5. quæst. vlt. concl. vnica*, *Filliutius tract. 7. c. 11. q. 8. num. 338.*

9 Non sunt leniendæ pænæ ex eo, quod reuelatio sit de venialibus.

In ordine ad vltimum asserendum est, non esse temperandas huiusmodi pænas ex eo, quod reuelatio sit tantum de venialibus, cum in hoc non detur paruitas materiæ *Suarez in tertiam part. tom. 4. disp. 33. sect. 1. num. 12.*, *Sotus in quarto distinct. 14. quæst. 4. art. 5.*, *Nauarrus c. Sacerdos de pœnit. distinct. 6. num. 36.* semper enim violatur sigillum, & fit grauis iniuria Sacramento. Temperandas tamen arbitrarer ad arbitrium Iudicis ex maiori, vel minori probabilitate, quod ex verbis à Confessario prolatis sit facta, vel non facta reuelatio.

SECTIO VI.

An Confessarius vti possit scientia confessionis ad internum regimen.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa titulum. 1.
Non licet extra confessionem vti scientia confessionis, quotiescunque ex tali vsu potest esse suspicio confessionis detectæ. 2.
Resoluuntur omnes articuli in principio propositi. 3.

1 Articuli examinandi circa titulum.

EX resolutione huius dubij in hac sectione excitati plura resolui possunt dubia, in quibus controuerti potest, an per vsum talis scientiæ sigillum confessionis frangatur; primò, an, si Confessarius, ad quem spectat collatio beneficij, ex sola confessione nouerit indignum, & illum digno prætulerit, incidat in suspensionem latam *in c. cum in cunctis de elect.*; Secundò, an, si ex sola confessione nouerit aliquem esse excommunicatum publicè, & nominatim denuntiatum, eundem teneatur vitare sub pœnis contra communicantes cum excommunicatis denuntiatis comminatis. Tertiò, an, si Superior nouerit dumtaxat ex confessione, aliqua delicta grauia committi in Monasterio, possit vigilantior, & attentior fieri ad illis occurrendum; & his similia.

2 Non licet extra cōfessionē vti scientia eiusdē quando ex tali vsu est periculū suspicionis de cōfessione detecta.

In vniuersum dicendum est, non licere extra confessionem vti scientia confessionis ad aliquid agendum, vel omittendum, quotiescunque ex tali vsu potest adesse rationabile fundamentum suspicionis, quod talis vsus sit ex notitia habita in confessione *Suarez in tertia part. tom. 4. disp. 33. sect. 1., & 7.*, *Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 16. num. 3.*, *Vasquez in tertiam partem tom. 4. q. 93. art. 4. dub. 5.*, *Onuphrius de sigillo sect. 2. quæst. 2. dub. 2. vers. sequitur vlt.*, *& alij communitèr*. Deducitur ex generali regula, secundum quam in nullo casu licitum est, cognita in confessione detegere, & etiam *ex d. cap. omnis vtriusque sexus de pœnit., & remiss.*, vbi non solum manifestatio verbalis prohibetur, sed etiam manifestatio facto, aut alio quocunque modo.

3 Resoluūtur omnes articuli in principio propositi.

Ex quibus deducitur primò quoad primum casum propositum, quod, si ex sola confessionis cognitione nouerit aliquem non idoneum ad officium, & ipsum præfecerit idoneo extante periculo, ne, si ipsum non elegerit, dignosci possit, quod negatio electionis esset ex notitia præcisa confessionis, non incurreret suspensionem *dicti c. ne in cunctis de elect.*, *Onuphrius sect. 2. quæst. 2. dub. 2.*, *vbi testatur de communi*. Quoad secundum, quod etiam non incurrat pœnas contra communicantes cum excommunicatis denuntiatis comminatas, qui cum aliquo similis notæ communicaret, vbi aliam notitiam non haberet, nisi ex confessione, & non communicatio cum eodem posset atribui notitiæ eidem. Quoad tertium de Superiore idem dicendum esse, si maior cura, & sollicitudo posset solummodo atribui notitiæ confessionis *Homobonus d. tract. 5. c. 21. quæst. 121.*

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

De effectibus Sacramenti Pænitentiæ.

EX cognitione cauſarum ſiue intrinſecarum, ſiue extrinſecarum pro coronide huius tractatus de Sacramento Pænitentiæ deducimur ad peruestigandam cognitionem effectuum, qui ex eodem proueniunt, ſeu prouenire poſſunt. Plerique ſunt effectus huius Sacramenti, alij in ordine ad peccata læthalia, alij in ordine ad venialia; alij in ordine ad irreuocabilitatem ipſorum; alij tandem in ordine ad reuiuiſcentiam gratiæ, aliarumque virtutum, poſtquam mortificatæ fuerint per noua peccata, & per nouam Sacramentalem, & validam confeſſionem peccator ad gratiam reſurrexerit. De ijs omnibus in præſenti quæſtione ſedulò agemus, ne quid deſit, quod ad plenam, & exactam cognitionem tanti Sacramenti poſſunt pertinere.

ARTICVLVS I.

An Sacramentum pænitentiæ cauſet per ſe primam gratiam.

SVMMARIVM.

Omnia Sacramenta habent vim per ſe cauſandi gratiam. 1.
Sacramentum pænitentiæ habet vim per ſe cauſandi primam gratiam. 2.
Habet etiam in ſubiecto viuo producere per ſe gratiam ſecundam. 3.
Soluitur obiectum Cacherani. 4.
Ly cauſare per ſe *ſtat dupliciter, & quomodo.* 5.
Sacramentum pænitentiæ ex primaria inſtitutione eſt ordinatum ad duo, ſcilicet infuſionem gratiæ, & remiſſionem culpæ; ex ſecundaria per ſe etiam ad infuſionem ſolius gratiæ. 6.

1 Omnia Sacramēta habēt per ſe vim cauſādi gratiam.

OMnia Sacramenta nouæ legis habere ex ſe vim cauſandi gratiam eſt ex fide certiſſimum contra Meſſilianos, qui ſolis precibus vim iuſtificandi tribuebant, & contra Caluinum, & Lutherum, qui per ſolam fidem homines iuſtificari ſomniabant. Hæc veritas expreſsè euincitur ex *Concil. Trident. ſeſſ. 7. de Sacrament. in genere can. 6.* Ibi- *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus, anathema ſit.* Sed in his non immoramur, cum latè egerimus, dum de effectibus Sacramentorum in genere.

Sermonem reſtringimus ad effectum Sacramenti pænitentiæ retinentes tamen etiam ea, quæ habet communia cum alijs Sacramentis, & ſpecialitèr ſub hoc titulo inquirimus, an per ſe cauſet primam gratiam.

2 Habet per ſe cauſare primam gratiam.

Concluſio. Sacramentum pænitentiæ per ſe habet vim cauſandi primam gratiam. *D. Thomas tertia part. q. 68. art. 4. & in quarto diſt. 6. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad quintum, Scotus in quarto diſt. 4. quæſt. 5. §. reſpondeo, & diſt. 14. q. 4. §. quantum ad tertium, Eſparza lib. 10. q. 16.* Dixi, *per ſe*, quatenus ex primario ſuæ inſtitutionis fine ad hoc eſt inductum.

Probatur, quia Sacramenta mortuorum ex vi ſuæ inſtitutionis habent conferre remiſſionem peccatorum; ideo etenim inſtituta ſunt, vt hominem regenerent, & ad nouam vitam reuocent, ergo ex eadem inſtitutione habent conferre primam gratiam; Sacramentum autem pænitentiæ ex communi omnium conſenſu eſt Sacramentum mortuorum, ergo &c. Antecedens patet, quia ideo dicuntur mortuorum, quia remittunt peccata, per quæ homines Deo moriuntur, & propterea baptiſmus, & pænitentia, quæ dicuntur talia, dicuntur prima, & ſecunda tabula naufragij. Conſequentia prima probatur, quia in hoc potiſſimum contradiſtinguitur prima à ſecunda gratia, quod prima habet cauſare remiſſionem peccatorum, & vitam ſpiritualem, non ſecunda, quia eandem vitam ſpiritualem ſupponit.

3 Habet etiā producere per ſe ſecundam.

Concluſio II. Habet etiam in ſubiecto viuo per gratiam vim producendi ſecundam etiam per ſe. In hoc communitèr conſentiunt.

Probatur, quia Sacramentum pænitentiæ, licet ex primario ſuæ inſtitutionis fine habeat cauſare complexum ex gratiæ entitate, & remiſſione peccatorum, non habet tamen ità reſtrictam, & alligatam hanc vim, vt niſi cauſet vtrumque extremum, nihil cauſet, ſed indiuiſibilitèr vtrumque cauſet, ſi ſubiectum indigeat vtroque, vnum vero tantum, ſi ſubiectum non indigeat remiſſione, ergo in ſubiec-

subiecto viuo per gratiam, causabit augmentum eiusdem gratiæ, seu gratiam secundam ex virtute eisdem indita, cum non indigeat remissione.

Dices primò ex *Cacherano Theol. assert. tom. 3. tract. 8. de Sacram. in genere c. 4. §. 6. num.* 113. Si Sacramentum pęnitentię, quod est mortuorum, causaret per se secundam gratiam, esset etiam Sacramentum viuorum, quandoquidem per se vitam augeret, immò supponeret vitam gratię, & non supponeret; supponeret, quia augeret; non supponeret, quia, cum sit Sacramentum mortuorum, supponeret eius oppositum, nempè mortem peccati. Sed contrà; Dico non repugnare, quod sub diuersa consideratione saltem quoad effectum possit Sacramentum pęnitentię etiam dici Sacramentum viuorum, quatenus, quandoque existente subiecto in gratia producit in eodem augmentum eiusdem gratię; retinet tamen rationem, & denominationem Sacramenti mortuorum ex primario fine, ad quem est institutum, remissionis peccatorum; nec ex hoc sequuntur illę repugnantię, quę in instantia afferuntur, quandoquidem posita diuersitate status pęnitentis cessat quęcunque repugnantia; supponeret etenim vitam gratiæ existente iam subiecto in gratia, quia illam augeret; non supponeret existente in subiecto eius opposito, nempè peccato, quia tunc simplicitèr afferret primam gratiam remissiuam.

4 Soluitur obiectum Cacherani.

Dices secundò, ex his sequi, quod quidem producat effectum augmenti gratiæ, non tamen per se, sed dumtaxat per accidens, cum non causet ex vi suæ institutionis primariæ, quę ordinatur ad remissionem peccatorum. Sed contrà, quia ly, *per se*, poteſt multiplicitèr sumi; primò prout opponitur causę operanti per accidens, quatenus hęc non operatur ex virtute eidem indita, sed per coniunctionem cum alio, vt cum calidum actione antiparistica per accidens, non per se causat frigus; secundò, prout opponitur virtuti competenti ex primaria institutione, operatur tamen per virtutem eidem intrinsecè inditam; hoc secundò modo nos dicimus, quod Sacramentum pęnitentię per se causet gratiam secundam, seu augmentum gratię in subiecto illam habente; non enim emendicat illam virtutem ab alio, cum quo coniungatur, sed illam habet à suo intrinseco, quod satis est ad intentum nostrę conclusionis; non enim nos dicimus, quod ex sua primaria institutione habeat causare secundam gratiam, sed tantum, quod habeat virtutem per se, seu eidem intrinsecam illam causandi.

5 Causare per se stat duplicitèr, & quomodo

Ex quibus omnibus habes, quod Sacramentum pęnitentię ex primaria sua institutione sit causatiuum gratię remissiuę peccatorum, quę importat complexum duorum, nempè entitatem gratię, & remissionem peccatorum; ex secundaria per virtutem tamen intrinsecam, quando subiectum non est mortuum, solummodo gratiam, seu entitatem augmenti gratię, nisi fortè velis dicere, quod etiam causet remissionem aliquam pęnę peccato debitę: Hęc autem gratia, siue sit prima in subiecto mortuo per peccatum, siue viuo eodem existente in gratia, cum sit Sacramentalis, contradistinguitur à gratia simplicitèr, seu non Sacramentali, per hoc, quod illa coniungitur cum iure ad actualia auxilia proportionata effectui, ad quem institutum est hoc Sacramentum, quam coniunctionem non habet gratia non Sacramentalis.

6 Duplex finis Sacramenti alter primarius, alter secundarius.

ARTICVLVS II.

An Sacramentum pęnitentię vim habeat per se ad remittenda quęcunque peccata lęthalia.

SVMMARIVM.

Sensus difficultatis propositæ in duplici casu. 1.
Peccata, quantumuis grauissima sint remissibilia per Sacramentum pænitentiæ. 2.
Euincitur varijs scripturæ locis. 3.
Referuntur alia scripturæ loca, quæ videntur obstare. 4.
Explicantur huiusmodi scripturæ loca. 5.
Quomodo peccata in Spiritum Sanctum dicuntur irremissibilia. 6.
Dictum D. Pauli ad Habreos 6. quomodo intelligendum. 7.
Quid intelligatur nomine peccati ad mortē. 8.
Euincitur etiam peccatum apostasiæ, & negationis fidei esse remissibile. 9.
Peccata enormia, quantumuis multiplicata possunt remitti per pænitentiam. 10.
An quandoque Deus peccatori recidiuo in sæpius repetita peccata enormia deneget gratiam sufficientem sententia affirmatiua. 11.
Congruentius non denegat. 12.

SVb hoc titulo duo potissimum considerari possunt; primum est, an sit aliquod peccatum, quod ratione enormitatis deleri nequeat per pęnitentiam, an vero omnia quęcunque illa sint, quantumuis enormissima possint remitti. Secundum, an, quantumuis peccata licet grauissima remitti possint per pęnitentiam, si tamen in multitudine crescant, reddantur irremissibilia.

1 Sensus difficultatis.

Con-

2 Quæcunque peccata, quãuis grauissima, sunt remissibilia.

Conclusio I. Peccata quantumuis grauissima, quæcunque illa sint, remitti possunt per Sacramentum pænitentiæ. In hanc conueniunt omnes Catholici, eamque de fide esse probant *D. Thomas tertia part. q. 86. art. 1., Valentia tom. 4. disp. 17. q. 3. punct. 1., Bellarminus de pœnit. c. 15., Coninchus de pœnit. disp. 3. dub. 1. num. 7.* Est contra Catharos, & Cataphrygas, qui docuerunt peccata hominum post baptismum commissa non remitti, & contra Nouatum, qui denegabat vim huic Sacramento remittendi aliqua peccata enormia, nempè Apostasiæ, aut negationis fidei.

3 Euincitur varijs Scripturę locis.

Probatur primò ex illis omnibus scripturæ locis, quibus sine vlla limitatione promittitur peccatoribus, si pænitentiam egerint, venia, seu remissio peccatorum. Ezechiel. 19. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij? dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à vijs suis, & viuat.* Ieremiæ 18. *Si pænitentiam egerit gens illa &c. agam, & ego &c.* Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.*

4 Referuntur alia Scripturę loca, quæ videntur obstare.

Neque obesse possunt alia Scripturæ loca, quibus indicatur in ordine ad certa peccata non esse locum remissioni. Matthęi 12. *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei, Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Apostoli ad Hæbreos 6. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt &c. & rursus prolapsi sunt renouari ad pænitentiam.* Prima Ioannis 5. *Qui scit Fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti, non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roges.*

5 Explicantur huiusmodi Scripturę loca.

Non, inquam, obesse possunt, quia allegata Scripturæ loca intelligenda sunt de maiori difficultate remissionis obtinendæ ob defectus veræ pænitentiæ, non autem de impotentia eiusdem consequendæ, si vera pænitentia intercesserit. Ad primum deductum *ex illo Matthæi 12.* dicendum, illa verba intelligenda esse in eo sensu, vt peccatum in Spiritum Sanctum difficilius consequatur remissionem, non quia secundum se non sit remissibile, vel sit difficilius remissibile, sed quia, qui peccat in Spiritum Sanctum, non admittit inspirationes ipsius, ac proinde, quantum est ex se, ponit obicem, ne Spiritus Sanctus eum excitet ad resipiscendum, sine quo auxilio, & excitamento, non potest veram pænitentiam elicere.

6 Quomodo peccata in Spiritũ Sanctum dicantur irremissibilia.

Ad secundum deductum ex Apostolo ad Hæbreos 6. dicendum est, aliquos illud dictum intelligere de renouatione mediante baptismo, quatenus quis illuminatus ad fidem per baptismum non possit renouari per eundem baptismum, cum hic sit irriterabilis; non negatur tamen, quin possit renouari per fidem, si ab illa defecerit, per contritionem, & regressum ad fidem. Sed melius intelligendo dictum illud in vniuersum dici potest, importare solummodo maiorem difficultatem, non meram impossibilitatem, quatenus semel instructi, & illuminati per fidem, postquam ab eadem apostatauerint, deficiente fundamento, quod per eandem fidem habetur, difficilius ad eandem reuertuntur.

7 Dictum D. Pauli ad Hębreos 6. quomodo intelligẽdum.

Ad tertium desumptum ex prima Ioannis 5. dicendum est, Apostolum nomine peccati ad mortem intelligere peccatum, quod continuatur cum morte, quod vtique irremissibile est, quandoquidem post mortem, cum immediatè puniatur pæna æterna in inferno, in quo nulla est redemptio, nullam admittit remissionem.

8 Quid intelligatur nomine peccati ad mortem.

Probatur iam specialitèr conclusio contra Nouatum asserentem Apostasiam, & negationẽ fidei esse irremissibiles, exemplo D. Petri, & D. Marcellini Pontificis, in quibus certè ratione dignitatis, qua pollebant, maior consideratur culpa, quorum primus, postquam magistrum negauit, per lacrimas meruit remissionem, secundus, post quam thus Idolis adoleuit, obtinuit veniam per detestationem criminis, quod idem innumeris alijs exemplis confirmari potest, ergo per veram pænitentiam hæc, & similia possunt remitti.

9 Etiã peccatũ Apostasię est remissibile.

Conclusio II. Peccata grauia, quantumuis multiplicata remitti possunt per veram pænitentiam. In hanc etiam consentiunt omnes Theologi Catholici.

10 Peccata enormia quãtumuis moltiplicata possunt remitti.

Probatur, quia repugnantia remissionis, nec oritur ex grauitate delicti, nec ex numero; non ex grauitate, vt deducitur ex dictis in præcedente conclusione; non ex numero, quia Christus Dominus non præfiniuit certum numerum, ad quem restringatur dolor pænitentis, & potestas absoluentis, quinimmo Petro interroganti Christum Dominum, an liceret peccatum dimittere vsque septies, respondit non solum vsque ad septies, sed vsque ad septuagies septies, qua locutione voluit significare, posse peccata, in quocunque numero fuerint, remitti.

11 Secundũ aliquos Deus, quandoq; peccatori recidiuo in repetita peccata enormia denegat gratiam sufficientem.

Difficultas solummodo in hoc versari potest, an quandoque quis ratione enormitatis delictorum, & multitudinis eorum constituatur in statu, vt Deus deneget auxilium proximè sufficiens, ratione cuius non possit à peccatis resurgere, & propterea hæc respectu eiusdem dicantur irremissibilia. Videtur hoc affirmandum, prout videtur affirmare *D. Isidorus lib. 2.*

de summo bono. c. 15. Ibi- *Nonnulli ità despiciuntur, vt non possint mala plangere, etiam si velint*, quod firmatur etiam pluribus Scripturæ locis Psalm. 8. *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum; ibunt in adinuentionibus suis*. Ierem. 6. *Curauimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam*: Ioannis 12. *Propterea non poterant credere, quia dixit Isaias, excæcauit oculos eorum*. Hoc etiam videtur posse ratione efficacitèr euinci; sicuti enim non est inconueniens, quod quandoque aliqui peccatores priuentur potentia Physica sufficienti ad conuersionem, vt quando subita morte corripiuntur, vel in amentiam incidunt, ità non videtur inconueniens, quod aliqui priuentur in pænam grauium, & multorum peccatorum auxilio proximè sufficienti ad conuersionem.

12 Secundū alios, & quidem congruētius non denegat.

Contrariam tamen sententiam sustinent alij asserentes, Deum non denegare peccatori quantumuis prauo, & recidiuo auxilium proximè sufficiens ad conuersionem moti aliorum SS. PP. auctoritatibus signantèr D. Prosperi resp. 25. ad obiect. Vicent. Ibi- *Nemini Deus correctioni adimit viam; Neque quemquam boni possibilitate spoliat, D. Augustini lib. de prædest., & gratia c. 14. Ibi- Deum Pharaoni non denegasse gratiam, & auxilia, vt conuerteretur*. Ego attenta summa Dei benignitate, & misericordia arbitror, quousque quis in hac vita viuit, eidem non denegare gratiam sufficientem ad resurgendum; nam secus impænitentia non esset peccatori imputabilis, cum non haberet, quo posset resurgere; vnde Dominus Hierem. 3. se paratum exhibet ad recipiendum peccatorem. *Reuertere auuersatrix Israel, Dicit Dominus, & non auertam faciem meam à vobis*, & Ezechiellis 18. *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat*.

ARTICVLVS III.

An remissio pænæ sit effectus Sacramenti pænitentiæ.

SVMMARIVM.

Remissa per pænitentiam culpa læthali intelligitur indispensabilitèr remissus reatus pœnæ æternæ. 1.
Remissio pœnæ æternæ est ex Diuina dispositione secundum ordinem præsentis prouidentiæ. 2.
Remissa culpa læthali regularitèr non remittitur tota pœna temporalis. 3.
Ratione intensæ contritionis potest remitti tota pœna. 4.
Rationes, ob quas regularitèr non remittitur tota pœna. 5.
Ex eo, quod ex meritis Christi remittatur tota culpa, non sequitur, quod remittatur tota pœna, & quarè. 6.
Reatus pœnæ remanentis post culpam remissam, in quo fundetur. 7.

PEccatum læthale nemine disceptante mereri secundum se pænam æternam est certissimum; veniale vero mereri pęnam temporaneam est etiam apud omnes in confesso. Nunc autem quærimus, an, sicuti per Sacramentum pænitentiæ ritè susceptum remittitur peccatum quoad culpam, remittantur etiam quoad pænam æternam quidem quoad læthalia, & temporaneam quoad venialia. Nunc potissimum erit sermo de reatu pænæ ratione læthalium, nam quoad venialia sermonem habebimus in sequenti.

1 Remissa culpa læthali intelligitur remissa pæna æterna.

Conclusio. Remissa per pænitentiam culpa læthali intelligitur indispensabilitèr remissus reatus pænæ æternæ. In hoc consentiunt omnes DD. Catholici.

Rationes pro conclusione.

Probatur remissa per pænitentiam culpa secundum ordinem præsentis prouidentiæ pænitens, qui erat Deo inimicus, intelligitur factus eiusdem amicus, & filius adoptiuus, & per consequens particeps æternæ gloriæ iuxta illud Apostoli, *Si filius, & hæres*; implicat autem quem esse hæredem, seu habere ius ad æternam gloriam, & simul esse reum pænæ æternæ; vnde *Concil. Trident. sess. 6. c.* 14. asserit cum culpa remitti simul pænam æternam. Dixi, *secundum ordinem præsentis prouidentiæ*, secundum quem remissio peccatorum fit per gratiam remissiuam inhęrentem, & iustificantem; non etenim negauerim, Deum de potentia absoluta posse remittere peccatum sine infusione gratiæ per extrinsecam condonationem remanente adhuc reatu pænæ æternæ; non etenim præcisè peccator constituitur hæres æternæ gloriæ per extrinsecam condonationem peccati, sicuti constituitur per gratiam remissiuam, & iustificantem, & in hoc consentiunt *Henriquez lib. 4. de pænit. c. 14., Coninchus de pænit. lib. 2. dub. 2., & 3., Suarez de pænit. disp. 10. sect. 3.*

2 Remissio pænæ æternæ est ex Diuina dispositione.

Ex quibus fas erit deducere, remissionem pænæ æternę non esse ex intrinsecis suis principijs connexam cum remissione culpę, sed solummodo ex Diuina dispositione secundum ordinem pręsentis prouidentię, secundum quem fit remissio culpę per infusionem gratię, quę secum affert saltem ex consequenti remissionem reatus pęnę ęternę, cum illa conferat ius ad ęter-

æternam gloriam. Cæterum, ſicuti ſpectata abſoluta Dei potentia non eſt repugnantia, vt notat *Bonacina de Sacram. pænit. diſp. 5. q. 6. ſect. 2. §. 4. num. 1. in fin.*, quod Deus remittere poſſit reatum pænę vni peccato debitę ſine remiſſione pænæ alteri peccato debitæ, & per condonationem extrinſecam etiam vnum peccatum ſine altero, ita non videtur repugnantia, quod poſſit remittere culpam non remiſſo reatu pænę ęternę.

3 **Remiſſa culpa læthali regularitèr non remittitur tota pęna temporalis.**

Concluſio II. Quamuis remiſſa culpa peccatorum lęthalium remittatur reatus pęnę ęternę, non tamen ſemper remittitur totus reatus pænæ temporalis per Sacramentum pænitentiæ; in hoc etiam conſentiunt omnes DD. Catholici, & hæc veritas expreſsè definita reperitur in *Concil. Trid. ſeſs. 6. c. 14.* vbi hæc expreſsè leguntur. *In Sacramento pænitentiæ iniungi ſatisfactionem, non pro pæna æterna, quæ ſimul cum culpa remittitur per Sacramentum, vel Sacramenti votum, ſed pro pæna temporali.*

4 **Ratione intenſæ contritionis poteſt remitti tota pæna.**

Dixi, *non tamen ſemper*, quia poteſt contingere, quod quis accedat ad Sacramentum cum tam intenſo animi dolore, cum tanta peccatorum deteſtatione, cum tam feruente Dei dilectione, vt mereatur etiam pænę temporalis remiſsionem, potiſsimum cum illa intenſio poſsit tantam vim habere, quantam habere poteſt ſatisfactio per pænitentem pręſtanda.

Ratio concluſionis poteſt ex eo deduci, quod ità exigat conditio iudicij emendatiui, vt delinquens luere debeat pęnam aliquam pro delicto, & ratione eiuſdem pęnę retrahatur impoſterum à culpis, quę eſt ratio conſiderata a *D. Thoma tertia part. q. 86. art. 4.* Ità etiam congruit ordini iuſtitię, vt ſicuti per peccatum homo auerſus eſt à Deo, ipſumque offendit, ità per proprios actus ad eum conuertatur, & per pęnas eidem ſatisfaciat; Nec obſtare poteſt, ſi dicatur, quod Chriſtus per ſuam Paſsionem pro nobis ſatisfecit, ſuaque merita infiniti valoris pro ſatisfactione noſtra applicuerit, & ſignantèr applicet per Sacramentum pęnitentię, ergo virtute eorumdem omnis reatus pęnę in eodem Sacramento remittitur. Non, inquam, obſtare poteſt, quia, licet merita Chriſti ſecundum ſe ſint infiniti valoris, non applicantur tamen nobis, niſi ſecundum diſpoſitionem, quam nos habemus, quæ modo maior, modo minor eſt, & propterea non exigit totam remiſsionem pęnę; cęterum, ſi valeret argumentum deductum ab infinitate valoris meritorum Chriſti omnis plenitudo gratię nobis in quocunque Sacramento conferretur.

5 **Rationes, ob quas regularitèr non remittitur tota pæna.**

Quod, ſi vrgeas, quod in Sacramento pęnitentię ità merita Chriſti applicentur, vt vniuerſa culpa remittatur, ergo etiam ità debent intelligi applicata, vt vniuerſa etiam pæna abigatur; ſi etenim per ea deletur, quod maius eſt, non eſt, cur non debeat deleri, quod minus eſt. Adhuc impugnaberis, quia remiſsio culpæ eſt effectus ſolius Diuinæ Clementiæ, & Miſericordiæ, cuius proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, cui non conſonat culpam pro parte remittere, & pro parte retinere, quia manente aliqua culpa adhuc homo Deo inimicus maneret, vnde, & Diuina bonitas, & conditio peccati exigit, vt tota ſimul remittatur; remiſsio verò pænæ temporalis ità eſt effectus Diuinæ bonitatis, vt debeat etiam procedere à pænitente, cum habeatur per modum ſatisfactionis, quæ exigit opus ſatisfacientis, vt ex ſe patet.

6 Ex eo, quod remittatur tota culpa non ſequitur, quod remittatur tota pæna.

Urgebis. Reatus pænæ, quicunque ſit, fundatur in ipſa culpa, ergo remiſſa culpa non eſt, cur non debeat intelligi remiſſus quicunque reatus pęnę, quia ſublato fundamento ruunt omnia, quę in ipſo fundantur. Sed contra, quia licet reatus pęnę proueniat à culpa; attamen ſuppoſita pręexiſtentia culpę poteſt adhuc permanere onus pęnę culpa amplius non permanente, donec eadem pęna fuerit perſoluta, & tunc reatus ille pęnę, antequam perſoluatur, licet non fundetur in ipſa culpa, cum abolita, & ſublata intelligatur, fundatur tamen in quodam iure, quod reliquit ipſa culpa, vt pro eadem ſatisfiat, quantum ad pænam temporalem, nam ęterna cum ipſa culpa intelligitur remiſſa.

7 Remiſſa culpa reatus pænæ remanet in onere relicto à culpa.

ARTICVLVS IV.

An per Sacramentum pęnitentię remittantur peccata venialia, & quoad culpam, & quoad pænam.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa titulum. 1.
Certum eſt, quod per Sacramentum pænitentiæ remittuntur venialia quoad culpam. 2.
Poteſt per Sacramentum pænitentiæ remitti vnum veniale ſine altero. 3.
Etiam per iſtud poſſunt remitti læthalia ſine venialibus, ſi ad iſta non ſit diſpoſitio. 4.
Si ſint ſimul læthalia cum venialibus non poſſunt remitti venialia ſine læthalibus. 5.
Ad remiſſionem peccatorum venialium in Sacramento pænitentiæ requiritur atritio ſupernaturalis. 6.

Ratio suadens cum remissione culpæ venialium remitti etiam pœnam. 7.
Certa ab incertis secernuntur. 8.
In Sacramento pœnitentiæ cum remissione culparum venialium regularitèr non remittitur tota pœna. 9.
Soluitur instantia opposita. 10.
Innodatus pluribus venialibus, si detestationem habeat quoad omnia, non tamen regularitèr consequitur remissionem totius pœnæ. 11.

1 Rationes dubitandi.

NOn controuertimus in presenti, an remissio peccatorum venialium ità sit alligata Sacramento, vel actui perfectæ contritionis, vt nequeant, nec per Sacramentalia, nec per alios actus contritione minus perfectos aboleri, nam hæc non est propria sedes huius controuersiæ. Id, quod hic venit examinandum, erit primò, an per hoc Sacramentum peccata venialia quoad culpam remittantur; Secundò, an per idem vnum sine alio possit remitti. Tertiò, an ad eorum remissionem in Sacramento requiratur atritio supernaturalis. Quartò, an per ipsum cum remissione culpæ ponatur simul remissio totius pænæ eidem culpæ debitæ.

2 Venialia quoad culpam remittũtur.

In ordine ad primum non est dubitandum, quod per Sacramentum pænitentiæ ritè susceptum deleantur, seu remittantur peccata venialia quoad culpam. Nullus est ex Catholicis, qui in hoc ambigat, & quotidiana praxis demonstrat, secundum quam homines timoratæ conscientiæ, & Religiosi frequentèr peccata dumtaxat venialia clauibus subijciunt, quod incongruè præstarent, si per Sacramentum non remitterentur. Ratio est, quia, licet peccata venialia non sint materia necessaria huius Sacramenti, sunt tamen materia sufficiens, ergo apta sunt recipere formam absolutionis, seu remissionis.

3 Potest vnum veniale sine altero remitti.

In ordine ad secundum certum est, posse per hoc Sacramentum remitti vnum veniale sine altero, si debitæ sint dispositiones ad vnum, & non ad alterum, vel vnum ritè exponatur, & non alterum. Ratio in genere ea est, quia ex vna parte Sacramentum pænitentiæ aptum est, vt mox vidimus, remittere peccata venialia, si ritè clauibus exponantur; ex alia remissio vnius sine altero non inducit repugnantiam, nec ex parte Sacramenti, nec ex parte pænitentis, nec ex parte eorundem venialium; non ex parte Sacramenti, quia, quantum est ex se, aptum est producere suum effectum, quando non inuenit obicem; vnum autem peccatum veniale non est obex ad remissionem alterius, quando ad istud est debita, & proportionata dispositio, cum non habeat oppositionem ad gratiam remissiuam illius; non ex parte pænitentis, qui, quantum est ex se, est capax æquè recipiendi gratiam remissiuam omnium, ac aliquorum tantum iuxta dispositionem, quam habet, vel ad omnia venialia, vel ad aliqua tantum; non ex parte ipsorum venialium, quæ non habent talem connexionem inter se, vt vnum non possit esse sine alio, ergo &c. Confirmatur, quia peccata venialia non habent oppositionem cum gratia, quæ æquè esse potest cum vno, vel cum pluribus illorum, ergo hæc poterit terminari ad remissionem vnius, & non alterius, si subiectum sit dispositum ad vnum, & non ad alterum.

4 Possunt remitti læthalia sine venialibus.

Ex ijs, quæ dicta sunt sub hoc capite, deduci potest, quod remitti possint per Sacramentum Pænitentiæ peccata lethalia sine venialibus, si quoad illa habeatur debita dispositio, & non ad ista, & ratio est, quia gratia remissiua læthalium non habet oppositionem cum venialibus, quinimmò potest cum istis compati. Difficultas videtur solum versari in eo, quod dispositio sufficiens ad remissionem læthalium videtur etiam sufficiens ad remissionem venialium, cum sit detestatio peccatorum, quatenus sunt offensa Dei, sub qua consideratione æquè veniunt venialia, ac læthalia, adeoque per illum actum, per quem delentur læthalia, videntur etiam simul remitti venialia. Sed ad hoc responderi potest posse esse detestationem quoad læthalia, quatenus sunt grauis Dei offensa, non verò quoad venialia, quatenus sunt leuis offensa, quinimmò cum actuali detestatione læthalinm potest esse actualis affectus ad aliquod veniale, vndè dispositio, quæ est secundum se sufficiens ad remissionem læthalium, non est sufficiens ad remittenda venialia.

5 Non possunt remitti venialia sine læthalibus.

Deduci etiam potest secundò in subiecto habente simul læthalia, & venialia non posse remitti per Sacramentum Pænitentiæ venialia sine læthalibus. Ratio est, quia secundum ordinem præsentis prouidentiæ remissio etiam peccatorum venialium non fit, nisi per infusionem gratiæ habitualis; hæc autem pugnat cum peccatis læthalibus, vt per se patet, ergo nequeunt remitti venialia læthalibus permanentibus.

6 Ad remissionẽ venialiũ requiritur atritio supernaturalis.

In ordine ad tertium asserendum est ad remissionem peccatorum venialium in Sacramento Pænitentiæ requiri atritionem supernaturalem, nec sufficere merè naturalem *Suarez de pœnit. disp.* 11. *sect.* 1. *assert.* 1. *nu.* 3., *Henriquez lib.* 4. *cap.* 15. *n.* 2., *Coninchus disp.* 2. *dub.* 14. *num.* 122., *Nugnus in tertia part. quæst.* 87. *art.* 2. *diffic.* 3.

Ra-

Ratio est, quia dispositio merè naturalis non est sufficiens, nec habet proportionem ad formam, seu effectum supernaturalem, qualis est remissio peccatorum venialium, quæ fit per infusionem gratiæ remissiuæ.

Difficultas solummodò aliqua videtur in eo esse, quod, si prærequireretur atritio supernaturalis, hæc per se causaret remissionem venialium, quæ, sicuti in multorum sententia causatur per sola Sacramentalia, ita a fortiori videtur posse produci per actum supernaturalem atritionis, & sic hæc remissio non haberetur per Sacramentum Pænitentiæ, cum antecedentèr ad illud esset producta. Sed respondendum est, probabilius per solam atritionem non deleri peccata venialia, sicuti, nec per Sacramentalia, vt latè probat *Vasquez in tertiam part. quæst. 87. art. 1. dub. 1. n. 14.*, vbi, quod per nullos alios actus venialia remittantur extra Sacramentum, quam per actus contritionis, & dilectionis Dei. Dato deindè, sed non concesso, quod per atritionem supernaturalem secundum se remitterentur venialia, non propterea sequeretur, quin saltem quoad aliquẽ effectũ posset remissio atribui Sacramento, sicuti ex eo, quod per actum perfectæ contritionis remittantur læthalia, non sequitur, quòd, quando hæc coniungitur cum Sacramento eidem Sacramento non tribuatur efficacitas in eorum remissionem quoad aliquem effectum saltem remissionis pęnæ, & augmenti gratiæ.

Soluitur instantia opposita.

7 Ratio suadens cum remissione culpæ venialis remitti etiã pænam.

In ordine ad quartum videtur dicendum, quod, sicuti per Sacramentum cum remissione culparum lęthalium remittitur etiam pæna æterna, ità per idem cum remissione culparum venialium remittatur etiam pæna temporalis, vt seruetur proportio, & virtus æqualis tribuatur Sacramento, tam in ordine ad læthalia, quam ad venialia. Circa hanc difficultatem certa ab incertis sunt secernenda. Certum est primò, quod, cum ex dictis possit vnum peccatum veniale remitti sine alio, cum ad vnum sit dispositio, & non ad alterum, per Sacramentum non remittatur pæna debita illis venialibus, quorum ex defectu dispositionis non fit remissio; sicuti enim quoad illa non remittitur culpa, ità nec remittitur pæna. Certum est secundò, quod, si quoad peccata aliqua venialia sic maximè intensa contritio, consequetur etiam quoad illa remissio pænę; sicuti enim ex superius dictis intensio contritionis potest esse talis, vt deleat lęthalia, tam quoad culpam, & pęnam ęternam, quam quoad pęnam temporalem, ita non est, cur non possit esse talis, vt deleat etiam venialia quoad vtrumque reatum. Id, quod potissimum controuertitur in pręsenti est, an per Sacramentum Pęnitentię receptum cum dispositione non ita intensa ad aliquod veniale in particulari remittatur idem peccatum etiam quoad pænam. Secundò, an, si sit dispositio quoad omnia venialia per motum scilicet generalem detestationis quoad illa, deleantur omnia etiam quoad pęnam.

8 Certa ab incertis secernuntur.

Dico primò, regularitèr in Sacramento Pęnitentię cum remissione culparum venialium, quorum pęnitens habet detestationem, non deleri totam pęnam illis debitam. Hoc euincitur ex communi Ecclesię consensu, & praxi, secundum quam pęnitentibus confessis peccata dumtaxat venialia imponitur aliqua satisfactio, quę vtique est solummodò in ordine ad remissionem pęnę temporalis; Euincitur item ex doctrina fidei de Purgatorio, secundum quam detinentur animę iustificatorum aliquorum, donec totam pęnam persoluant; Neque obstant ea, quę ex aduerso afferebantur de proportione pęnę ęternę in remissione lęthalium ad pęnam temporalem in remissione venialium; Non obstant, inquam, quia secundum ordinem pręsentis prouidentię non potest subsistere pęna ęterna sine culpa lęthali, cum coniungatur cum actuali existentia illius, licet possit esse debita pęna temporalis, illa extincta, seu actualitèr non existente, & propterea potest etiam esse reatus pęnę temporalis, licet modificatę extincta etiam actualitèr culpa veniali. Hæc omnia habent fundamentum in suaui Diuinę clementię dispositione, quę noluit esse reum pænæ æternæ, quem recepit in sua amicitia, & constituit hæredem æternæ gloriæ; voluit tamen in satisfactionem Diuinæ iustitiæ, vt peccator temporalitèr pænas luat pro peccatis debitas.

9 Regularitèr cũ remissione culpæ venialis non remittitur tota pęna

10 Nõ valet argumẽtum à remissione pænæ æternæ in remissione læthalium, ac à remissione pænæ temporalis.

Dico secundò, si innodatus pluribus peccatis venialibus detestationem habeat quoad omnia, licet remissionem consequatur eorundem quoad culpam, regularitèr tamen loquendo non consequitur remissionem quoad totam pęnam. Sequitur eius probatio ex rationibus adductis pro pręcedenti dicto, hocque maximè consonat ordini Diuinę iustitię, quę licet misericorditèr cum pęnitentibus, & ad se conuersis agat; culpas remittendo, cum nolit mortem peccatoris, sed, vt magis conuertatur, & viuat, vult tamen, vt Diuinę iustitię satisfaciat per congruas pęnas etiam in vtilitatem eiusdem pęnitentis, vt per illas remoueatur ab vlterioribus culpis.

11 Per detestationẽ omnium venialiũ non sequitur remissio totius pænæ.

AR-

ARTICVLVS V.

An in Sacramento, seu extra Sacramentum per actum dilectionis Dei, seu contritionis deleantur omnia venialia.

SVMMARIVM.

Exponitur sensus controuersiæ. 1.
Per actum dilectionis Dei, quo quis profiteatur se velle placere Deo super omnia etiam quoad leuia remittuntur omnia venialia. 2.
In illo actu veniunt implicitè omnia venialia. 3.
Non currit paritas quoad læthalia, & quoad venialia quoad subiectionem clauibus. 4.
Sententia docens per atritionem ad omnia venialia relatam omnia remitti, quamuis omnia non subijciantur clauibus. 5.
Probabilius non remittuntur ea, quæ clauibus non subijciuntur. 6.

1 In quo consistat scopus difficultatis.

NOn est difficultas, quod, si actus dilectionis Dei, seu contritionis referatur expresse ad omnia venialia, per eundem omnia remittantur; si enim relatus ad vnum ipsum delet, cur, si expresse referatur ad omnia non poterit omnia delere? Scopus igitur præsentis tituli in hoc versabitur, an, quantumuis pœnitens non referat actum expresse, & formalitèr ad omnia, & singula venialia, sed solum statuat in corde suo amare Deum super omnia, & actum eliciat, quo velit ipsi placere in omnibus, quantumuis leuibus, & minimis, per illum actum consequatur remissionem omnium venialium.

Discrimen inter contritionẽ quoad læthalia, & quoad venialia.

Hoc potissimum intercedit discrimen inter dilectionem Dei, & contritionem quoad lęthalia, & dilectionem Dei, & contritionem etiam quoad venialia, quod non potest esse contritio, & dilectio Dei quoad vnum lęthale, & non quoad aliud, quia affectus ad vnum peccatum lęthale non compatitur cum eadem dilectione, & contritione; potest autem esse dilectio Dei, & contritio cum affectu ad aliquod veniale, cum hoc non destruat amicitiam eiusdem Dei. Porro aduertendum est, hoc intercedere discrimen inter læthalia, & venialia, quod quoad prima tenetur peccator, quantum potest illa clauibus subijcere, nec sufficit, quod quoad illa formalem detestationem habeat; quoad secunda verò non teneatur omnia, & singula exponere; vndè in ordine ad ista modo quęritur, an ex eo præcisè, quod affectus huiusmodi peccatis venialibus actum generalem eliciat, quo profiteatur se velle Deo placere in omnibus etiam minimis, consequatur ex vi illius actus remissionem omnium, quantumuis expresse actum illum non referat singillatim ad omnia, & singula, nec omnia, & singula exprimat in confessione.

2 Per actũ dilectionis, quo quis vult placere Deo super omnia etiam quoad leuia remittuntur omnia venialia.

Conclusio. Per illum actum dilectionis Dei conceptum iuxta modum expositum, per quem actu profiteatur placere Deo quoad omnia etiam minima, remittuntur omnia venialia. Consentit *Bonacina de Sacramento Pœnit. disp. 5. quæst. 6. sect. 2. punct. 4. num. 2.*, vbi plures alios citat.

Ratio ex eo deducitur, quod actus dilectionis Dei super omnia, & actus contritionis apti sunt remittere non solum lęthalia, sed etiam venialia, si ad illa referatur, sed actus, de quo loquimur, est actus dilectionis Dei, & contritionis, & refertur ad omnia venialia, & secundum se oppositionem habet ad omnia, ergo per illum omnia venialia delentur. Minor, in qua est tota difficultas, ex eo euincitur, quod, qui vult placere Deo in omnibus etiam minimis, implicitè, & virtualitèr habet actum, quo detestatur omnia, quę etiam in minimis displicent Deo, ergo &c.

3 In illo actu veniunt implicitè omnia venialia.

Dices primò, non videri, quomodo possit esse displicentia de actu, seu de obiecto non cogitato; quando autem actus dilectionis, seu contritionis non refertur specialitèr ad omnia, & singula venialia, non omnia intelliguntur tunc cogitata, ergo non intelligitur de omnibus displicentia sufficiens ad remissionem. Sed contra, licet in illo actu non veniant explicitè omnia venialia, veniunt tamen implicitè sub ratione offensæ Dei etiam in leuibus, & minimis, nec est necesse, vt singularitèr omnia tunc cogitentur, seu veniant sub cogitatione, vt videre etiam est in contritione quoad læthalia, nam, si quis aliquorum fuerit oblitus, tunc certè illa non veniunt in cogitatione, & tamen per illum actum generalem dilectionis Dei, & contritionis nemine disceptante remittuntur.

4 Non currit paritas quoad læthalia, & quoad venialia.

Dices secundò, peccata læthalia non obstante, quod comprehendantur sub illo actu contritionis, sunt tamen ex necessitate clauibus subijcienda, nec alitèr remittuntur, nisi legitima causa excuset, ergo etiam peccata venialia, quantumuis veniant sub illo actu dilectionis Dei, & detestationis etiam in minimis, ad hoc, vt sortiantur effectum remissionis, debent ex necessitate clauibus subijci, &, si ex proprię voluntatis arbitrio non subijciantur, non poterunt consequi remissionem eandem. Sed contra, quia, cum læthalia sint materia necessaria Sacramenti, sunt necessario

cla-

clauibus exponenda, nec veniam in contritione consequuntur, nisi sint cum voto saltem implicito confessionis, quod non militat in venialibus, cum non sint materia necessaria, sed tantum sufficiens.

Quod, si hic inquiras, an stante detestatione omnium peccatorum etiam venialium sub generali ratione offensę Dei etiam in minimis, & sub generali protestatione non displicendi Deo etiam in leuibus, & minimis, quæ tamen non sit perfecta contritio, sed imperfecta, & mera atritio, supernaturalis tamen, & pænitens aliqua tantum confiteatur, & non omnia, consequatur remissionem quoad omnia ex vi Sacramenti, an tantum quoad illa, quæ confitetur. Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod, si quis detestetur omnia peccata læthalia actu atritionis supernaturalis vniuersalis, & ex obliuione aliqua omittat in Confessione, consequatur ex vi Sacramenti remissionem etiam oblitorum ratione illius detestationis vniuersalis, ergo etiam, si quis detestetur omnia etiam venialia sub ratione offensę Dei actu atritionis supernaturalis, & vniuersalis, & omiserit etiam ex propriæ voluntatis arbitrio aliqua confiteri, consequetur etiam istorum ex vi Sacramenti remissionem vigore illius vniuersalis detestationis; nec releuat, si dicatur primò, quod in primo casu illa omissio fuerit inuoluntaria; secundò, quod in eodem primo casu remissio peccati obliti veniat in necessariam consequentiam, cum vnum peccatum læthale deleri nequeat sine alio; quę non militant in secundo casu, in quo, & omissio est voluntaria, & vnum peccatum veniale deleri potest sine alio; Non, inquam, releuat, quia, quod omissio in secundo casu fuerit, seu sit voluntaria, &, quod ex necessitate ex remissione vnius non sequatur remissio alterius, sicut contingit in peccatis læthalibus, hoc prouenit ex conditione materiæ remotæ, non ex defectu materiæ proximæ consistentis in actu detestationis, nec defectu Sacramenti, quod cadens supra materiam proximam suum consequitur effectum.

5 Sentētia docens per actū atritionis quoad omnia venialia omnia remitti etiam si omnia non subijciātur clauibus.

His tamen non obstantibus probabilius sentio, ex vi Sacramenti alia peccata venialia a confessis non remitti, quia ex vno capite ad materiam proximam Sacramenti non solum spectat dolor, sed etiam confessio; ex alio ad remissionem vnius non sequitur remissio alterius, cum vnum sine alio possit remitti.

6 Probabilius non confessa non remittuntur.

ARTICVLVS VI.

An quis posit decedere cum sola culpa veniali, & quomodo posit in illo statu consequi beatitudinem.

SVMMARIVM.

Potest quis decedere cum culpa solum veniali. 1.
Quomodo post decessum culpa illa remittatur. Ibid.
Constituentes culpam venialem in solo reatu pænæ dicunt per solam solutionem pænæ remitti. 2.
Hæc sententia reijcitur. 3.
Reijcitur etiam sententia asserens remitti per actum charitatis, qua anima libentèr acceptat pænas sibi debitas. 4.
Reijcitur etiam opinio asserens deleri per actum physicum dilectionis Dei, quamuis hic non sit meritorius. 5.
Refertur opinio D. Thomæ. 6.
Retenta opinione D. Thomæ, dico illum actum exercitum in actu decessus esse dispositiouem, qua posita Deus remittit culpam. 7.

POsse quem decedere cum culpa dumtaxat veniali videtur indubitatum, & in hoc consentiunt communitèr DD. contra *Durandum in 4. dist. 11. q. 1.*; potest enim omissis alijs casibus contingere, quod quis, dum actu venialitèr delinquit, inopinato fato decumbat, in quo casu certè cum eadem culpa veniali decederet. Sed tunc quomodo æternam beatitudinem consequeretur? Certum est, quod nihil coinquinatum in illud regnum beatitudinis, in quo summa bonitas est, ingredi posit, nec in illo statu, qui sic decesit, potest mereri illam remisionem quoad culpam, licet posit pro pæna satisfacere.

1 Potest quis decedere cum culpa solū veniali

Quomodo illa culpa remittatur.

Varios dicendi modos, variasque sententias circa præsentem titulum inuenio, quos referre non piget. Primus illorum est, qui constituentes peccatum veniale in solum reatum pænæ temporalis, asseruerunt remitti per solutionem pænæ debitæ in purgatorio; atque iuxta hanc opinionem procedit *Scotus in 4. dist. 21. quæst. 1.* Sed huic opinioni nequeo acquiescere, cum non minus in peccatis venialibus, ac in læthalibus reperiatur, & ratio culpæ, & ratio pænæ, licet in læthalibus grauior, vtpotè quæ auertit à Deo, & reddit peccatorem Deo abhominabilem, & inimicum, qualem non constituit culpa dumtaxat venialis. Cęterum, quod peccatum veniale contineat etiam culpam, ex eius effectibus di-

2 Iuxtà aliquos remittitur per solam pænæ solutionem

3 Hæc sententia reijcitur.

dignoſcitur; feruorem etenim minuit charitatis, inducit aliquam maculam, cum omnis actus per ſe malus per ſe quoque ſit quædam macula, quia eſt actio quædam debito, ac recto fine, & rationis ordine, & conuenientia carens, vt notat *Azorius institut. mor. tom. 1. lib. 4. cap. 8. quæſt. 8. verſ. dicendum*; pæna autem ſecundum ſe nec charitatis feruorem minuit, nec mentem polluit, nec maculat.

4 Non remittitur per actũ charitatis, qua anima acceptat pęnas ſibi debitas.

Secundus dicendi modus illorum eſt, qui ſtatuunt, in ea hypotheſi culpam venialem deleri per actum charitatis, quo anima libentèr acceptat, & ſubit pęnas debite ſibi à Deo inflictas, ſe conformans iuſtæ eiuſdem diſpoſitioni; atque iuxtà hunc modum procedunt *Sotus in 4. diſtinct. 15. qu. 2. art. 2.*, *Valentia tom. 4. diſp. 7. qu. 4. punct. 1. ad fin.* Sed neque huic poſſum acquieſcere, quia non video, quomodo per actus extra ſtatum viæ exercitos poſſit, quis mereri, & conſequi per eoſdem remiſsionem culpę. Item non video, quomodo ille actus conformitatis voluntati Dei iuſtas pęnas infligentis habeat oppoſitionem cum illa macula venialis culpę.

5 Reijcitur etiam opinio docens deleri per actũ phyſicum dilectionis Dei, quãuis hic non ſit meritorius.

Tertius dicendi modus illorum eſt, qui ſtatuunt, maculam illam venialis culpę deleri per actum phyſicum dilectionis Dei exercitum in illo ſtatu, qui, quamuis meritorius non ſit, eſt tamen actus per ſe bonus, & ex diſpoſitione Diuinę clementię deletiuus illius maculę; atque iuxtà hunc ſenſum procedunt nonnulli Thomiſtę. Sed propter eaſdem rationes, quibus repuli pręcedentem modum docendi, huic etiam nequeo aſſentiri.

6 Opinio D. Thomæ.

Quartus dicendi modus eſt *D. Thomæ quæſt. 7. de malo art. 11.*, *Suarez diſp. 11. ſect. 4. n. 13.*, *Henriquez lib. 4. c. 15. nu. 9.*, *Vaſquez tertia part. quæſt. 87. art. 1. dub. 2. num. 11.*, volentium decedente homine cum macula peccati venialis hunc deleri per actum dilectionis Dei, quem exercet in primo inſtanti deceſſus, dum tunc cognoſcit ſuum ſtatum. Sed videtur hęc etiam opinio pati eaſdem difficultates, quas patiuntur pręcedentes, quod, ſcilicet poſt deceſſum, licet immediatum ab hac vita non ſit capacitas ad meritum.

7 Ille actus, quem ſtatuit D. Thomas, eſt diſpoſitio, qua poſita Deus remittit culpam.

Ego retenta hac opinione D. Thomę in eo ſenſu; quod eliciatur in inſtanti immediato ſeparationis animę ille actus dilectionis Dei ex cognitione proprij ſtatus, tunc potiſsimum innoteſcentis, per quem habetur retractatio eiuſdem venialis, dico hunc quidem prærequiri tanquam diſpoſitionem retractatiuam habentem oppoſitionem ſaltem phyſicè cum eodem veniali, qua poſita Deus remittit illam culpam; & in hoc potiſsimum verificatur, quod remiſsio peccatorum Deo attribuatur. Aduerto tamen, quod ille actus dilectionis, ſeu contritionis non conſequatur illam remiſsionem per modum meriti, nec per modum ſatisfactionis, cum ille non ſit ſtatus meriti, nec ſatisfactionis, ſed ſatispaſsionis, ſed per oppoſitionem illius actus ad illam culpam, ratione cuius Deus illam remittit.

ARTICVLVS VII.

Vtrum peccata ſemel per pænitentiæ Sacramentum remiſſa adueniente nouo peccato reuiuiſcant.

SVMMARIVM.

Reuiuiſcentia duplex alia formalis, alia æquiualens. 1.
Peccata ſemel remiſſa ſecundum ſuum eſſe formale non reuiuiſcunt ſuperueniente nouo peccato lethali. 2.
Euincitur expreſſis auctoritatibus SS. PP. 3.
Peccata ſemel ritè remiſſa intelligũtur ſimplicitèr extincta, non merè ſuſpenſa. 4.
Nec obſtat, quod remaneat reatus pænæ temporalis, & quarè. 5.
Parabola ſerui Matthæi 18. *non officit noſtro aſſerto, & hoc oſtenditur.* 6.
Explicantur dicta Dauidis Pſal. 78. 7.
Sententia docens, nec de potentia abſoluta peccata ritè remiſſa poſſe reuiuiſcere. 8.
Sententia docens poſſe. 9.
Probabilius ex ſuppoſitione, quod fuerint ſimplicitèr remiſſa, non poſſunt reuiuiſcere. 10.
Non poſſunt redire, niſi de nouo producantur. 11.
Procedit aſſertum ex ſuppoſitione, quod peccata fuerint ſimplicitèr, non conditionatè remiſſa. 12.
Peccata ſimplicitèr remiſſa, quamuis per nouum peccatum non reuiuiſcant, efficiunt tamen ſaltem indirectè, vt ſubſequens peccatum habeat quandam maiorem ingratitudinis deformitatem. 13.
Hæc maior grauitas ratione ingratitudinis non eſt neceſſariò in ſequenti confeſſione exprimenda. 14.
Peccata ſimplicitèr remiſſa, nec etiam quoad pænam formalitèr reuiuiſcunt. 15.
Explicatur dictum D. Iacobi, Qui offendit in vno factus eſt omnium Reus. 16.

1 Reuiuiſcentia duplex alia formalis, alia æquiualens.

HÆc reuiuiſcentia, de qua modo agimus, vel poteſt eſſe formalis, quatenus eadem peccata quoad ſuum eſſe morale, quod prius habebant, redeant, & attribuantur auctori, perinde ac ſi non eſſent remiſſa, vel ęquiualentèr, quatenus licet in ſe ipſis formalitèr non redeant, re-

redeant tamen secundum aliquem effectum, qui reddat peccata subsequentia remissionem aliqua ratione grauiora, & detestabiliora. Rursus negata reuiuiscentia formalitèr quoad culpam potest esse partialis quoad pœnam, quatenus pœna, quæ erat pro peccatis debita, & modificata per præcedens Sacramentum pœnitentiæ cum debitis, & proportionatis actibus, adueniente nouo peccato læthali redeat secundum illam intensionem, & quantitatem, secundum quam erat debita ante remissionem illorum peccatorum. De huiusmodi reuiuiscentia secundum has acceptiones erit sermo in præsenti.

2 Superueniente nouo peccato læthali præcedētèr remissa non reuiuiscunt.

Conclusio I. Peccata semel remissa secundum suum esse formale non reuiuiscunt superueniente nouo peccato læthali *D. Thomas tertia part. q. 88. art. 1., & ibi Nugnus diffic. 1., & secunda, Sotus in quarto dist. 16. qu. 1. art. 1., Suarez disp. 13. sect. 1., Coninchus de pœnit. disp. 2. dub. 18. num. 140., Pontius disp. 45. de virt. pœnit. quæst. 6.*

3 Euincitur ex SS. PP.

Exprefsè euincitur *ex c. Diuina de pœnit. dist. 4.* vbi Gelasius Papa hæc habet. *Diuina clementia dimissa peccata in vltionem vlterius redire non patitur.* Idem habetur *ex D. Prospero resp. 2. ad c. Gallorum.* Ibi. *Qui recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid, nisi in perditionem cadit, sed non in quod remissum est, recidit &c.*

4 Peccata remissa intelligūtur simplicitèr extincta.

Vlterius ratione sic ostenditur. Peccata ritè confessa, & legitimè Sacramentalitèr absoluta sunt simplicitèr deleta, & condonata, nec amplius remanent secundum aliquid sui, nec in aliquo effectu, quem relinquunt post se, ergo posito, seu superueniente nouo peccato non amplius reuiuiscunt. Consequentia tenet, quia, quod simplicitèr extinctum est, non merè suspensum, non potest tractu temporis conualescere, & à priuatione ad habitum non datur naturalitèr regressus. Antecedens probatur ex illo Euangelij *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* & ex illo Ezechielis, *& peccatorum eius non recordabor amplius.*

5 Nec obstat, quod remaneat reatus pœnę, & quarè.

Dices primò. Peccata læthalia, quantumuis remissa relinquunt post se reatum pœnæ temporalis, quæ quandoque nec per pœnitentiam iniunctam totalitèr adimitur, ergo, si non fuerit totalitèr deleta superueniente nouo peccato læthali ratione eiusdem peccata præterita possunt reuiuiscere. Sed contra primò, quia illa permanentia reatus pœnæ temporalis sublata totalitèr culpa nullam habet connexionem cum eadem culpa præcedenti, cum ad illam solummodo consequatur, nec aliquod esse eidem tribuat, nec in origine, nec in perseuerantia, adeoque non est, cur debeat eandem attrahere. Secundò, quia reatus pœnæ temporalis, quamuis terminatiuè ad ipsum pœnitentem fundatur tamen in voluntate Dei, & Confessarij exigentis ad complementum iustitiæ illam pœnam; voluntas autem Dei, & Confessarij non habet constituere illam reuiuiscentiam peccatorum remissorum.

6 Explicatur Parabola serui *Matthæi* 18.

Dices secundò ex illa Parabola serui *Matthæi* 18., qui typum præfert peccatoris. Debitum illi dimissum à Domino fuit iterum exactum ex nouo peccato, quia scilicet non exhibuit misericordiam cum conseruis suis; iuxta quem textum Ambrosius, Gregorius, Chrysostomus, & Augustinus asserunt, quod peccatum crudelitatis in Fratres habeat hoc speciale, vt remoueat veniam præteritorum peccatorum, ergo peccata semel dimissa ex superuenientia noui peccati redeunt. Sed contrà; Ex hac parabola non euincitur, quod redijerit idem debitum, sed quod in pœnam crudelitatis exercitæ contra conseruum suum fuerit punitus pœna, qua fuisset punitus, si debitum non fuisset dimissum, vt in eo puniatur, in quo deliquit; vnde non est prius debitum, sed pœna illius noui delicti.

7 Explicatur textus *Psalmi* 78.

Dices tertiò ex illo *Psalmi* 78. *Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*, & ex illo *Psalmi* 108. *In memoriam redeat iniquitas Patrum eius* euinci, quod Deus recordetur peccatorum, quæ fuerunt iam dimissa, & propterea, quod hæc reuiuiscant. Sed contrà; ex huiusmodi textibus solum euincitur, quod præteritarum iniquitatum Dauid semper petierit remissionem, cum conscius sibi esse non potuerit, an illæ sibi fuerint remissæ eo modo, quo alij pœnitentes semper petunt veniam, & non obstante, quod peccata sua sibi præsumant ritè confessos fuisse, & absolutionem Sacramentalem obtinuisse, nihilominus iterum, atque iterum ea clauibus subijciunt non solum ad maius augmentum gratiæ, sed etiam ad obtinendam veniam, vbi aliàs eam non obtinuerint, ità &c. Deinde dici potest, quod in allegatis textibus solum innuatur, quod cum Deus quandoque differat peccata punire pœna temporali, Dauid petierit, vt ab illa abstineret.

8 Sentētia docēs, nec de potentia Dei absoluta peccata remissa posse reuiuiscere.

Excitant hic Doctores controuersiam, an Deus saltem de potentia absoluta possit efficere, vt peccata semel remissa reuiuiscant. Bonacina *de pœnit. Sacram. disp. 5. q. 6. sect. 3. punct. 1. num. 1. vers. hæc propositio, patet*, sentit neque de potentia absoluta peccata semel ritè dimissa posse reuiuiscere addita etiam ratione, quod talis

reuiuiſcentia non poſſit naturalitèr prouenire, ſed dumtaxat per ſpecialem, & miraculoſam Dei diſpoſitionem; quæ autem procedunt ex ſpeciali, & miraculoſa Dei diſpoſitione, dicantur ſpecialia opera Dei, eique principalitèr tribuuntur; implicat autem, quod reuiuiſcentia peccatorum principalitèr Deo tribuatur, cum eſſet reparator eorum, ergo &c. Nec poteſt obſiſtere, ſi dicatur primo, quod per illam reuiuiſcentiam Deus conſtituatur auctor peccati, cum ipſe non faciat peccatum, ſed id, quod factum eſt à peccatore in pænam eiuſdem priſtinum ſtatum acquirat. Secundò, quod Deus concurrendo ad peccatum, dum illud committitur non dicatur peccare, adeoque nec peccare, dum concurrit ad reuiuiſcentiam peccatorum. Reſpondet etenim *idem Bonacina loc. cit. in ſolutione obiecti*, quod illa reuiuiſcentia fieret à Deo per actum poſitiuum, ſpecialem, & totalitèr, tunc non concurrente peccatore, adeoque, quod ſit principalitèr imputabilis ipſi Deo. Subdit deinde, quod, cum Deus concurrit ad entitatem actus peccaminoſi cum peccatore, concurrit iuxta exigentium cauſarum ſecundarum; dum autem concurrit ad reuiuiſcentiam peccatorum, non concurrit iuxta exigentiam cauſarum ſecundarum, cum hæ non exigant illam reuiuiſcentiam.

9 Sententia docens de potentia abſoluta poſſe reuiuiſcere.

Ex aduerſo *Ioannes Pontius diſp. 45. de virt. pænit. q. 6. verſ. hac ratio*, nullam videt implicantiam, propter quam Deus de potentia abſoluta non poſſit inducere illam reuiuiſcentiam, poteſt enim condonare pænitenti peccatum cum conditione, quod iterum non peccet, ſi autem peccauerit, conſtituatur iterum reus peccati condonati, & ſic eſſet gratus Deo pro tempore, quo iterum non peccauerit, non gratus pro tempore, quo in nouum peccatum inciderit, & non ſolum ratione peccati de nouo commiſſi, ſed etiam ratione peccati præcedentis, quod fuerat condonatum. Quid iam in hoc ſentiendum?

10 Probabilius non poſſunt reuiuiſcere.

Probabilius arbitror, nec de potentia abſoluta peccata ſemel ritè, & abſolutè remiſſa reuiuiſcere. Ità *Bonacina loc. quo ſupra*, qui etiam pro eadem opinione allegat *D. Thomam tertia part. q. 88. art. 1.*, qui, quamuis reuera expreſsè non aſſerat de potentia abſoluta non poſſe reuiuiſcere, ſed tantum de facto non redire; rationes tamen, quibus innititur videntur ſufficientèr probare, nec de potentia abſoluta poſſe redire. Probatur, quia peccata per Sacramentum pænitentiæ legitimè ſuſceptum remiſſa intelliguntur ſimplicitèr, & abſolutè extincta, & condonata, ergo nulla ratione poſſunt redire; cæteroqui ille, qui de nouo peccaret, diceretur habere peccata præterita ſimplicitèr condonata, & non condonata; Neque dicas, non repugnare; quod pro diuerſitate temporis quis habeat peccata præterita condonata, & non condonata; condonata ante nouum peccatum commiſſum; non condonata poſt illud; contra enim impugnaberis, quia, cum fuerint abſolutè deleta per cauſam efficacem, & abſolutè operantem, non poſſunt redire, niſi de nouo producantur; res etenim ſemel deſtructa ſemper remanet deſtructa, niſi de nouo producatur.

11 Non poſſunt redire, niſi de nouo producãtur.

Urgebis hæc, quæ hìc dicuntur, rectè procedunt quoad ordinem præſentis prouidentiæ, non autem ſpectata abſoluta Dei potentia, ſecundum quam poteſt Deus condonare pænitenti peccatum cum conditione, vt iterum non peccet; in qua hypotheſi, ſi iterum peccaret, certè peccata præterita reuiuiſcerent, aut ità ſe haberent, vt peccator, cui dimiſsa ſunt, eſset gratus Deo pro tempore, quo non peccaret; eſset tamen ingratus ipſi, ſi peccaret ratione peccati noui, & præteritorum, ac ſi nunquam fuiſent remiſsa. Hæc fermè ad verbum *Pontius loc. cit. verſ. hac ratio*. Rurſus licet ſecundum præſentem iuſtitiam peccata condonata ſint; ſecundum præſcientiam tamen Dei præuidentis futurum relapſum non ſint abſolutè remiſsa, ac proinde deſinente per peccatum gratia redeat culpa, redeat, & reatus æternæ pænæ. Hæc ſibi objicit *D. Thomas d. q. 88. art 1.* Sed contrà noſtra concluſio procedit ſolummodo in ſuppoſitione, quod peccata præcedentia fuerint ſimplicitèr, & abſolutè remiſſa, non autem in caſu, quo fuerint tantum conditionatè condonata; in quo caſu abſolutæ remiſſionis non poſsunt redire, niſi per nouos actus terminatos ad eadem obiecta, & ſic erunt noua peccata, non vetera rediuiua. Ad obiectum, quod ſibi, & contra ſe efformat D. Thomas, dicendum eſt, procedere ex falſa ſuppoſitione, quod Deus ratione præſcientiæ, qua præuidet futurum relapſum non abſolutè remittat priora peccata, quod eſt contra diſpoſitionem *Concil. Trident. ſeſ. 6. can. 17. & 23.*, vbi ſic definit. *Si quis iuſtificationis gratiam nonniſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere vtpotè Diuina poteſtate prædeſtinatos ad malum; atque adeo eum, qui labitur, & peccat, nunquam fuiſſe verè iuſtificatum; anathema ſit*; vnde, ſi ſupponatur peccata illa non eſse abſolutè remiſsa, ſumus extra ſuppoſitionem concluſionis noſtræ.

12 Procedit ex ſuppoſitione, quod fuerint ſimplicitèr, non merè conditionatè remiſſa.

Urge-

Urgebis iterum; idem numero effectus spectata Dei omnipotentia potest reproduci, vt suppono ex quæstionibus Physicis, ergo eadem numero peccata spectata eadem potentia poterunt reuiuiscere. Sed contrà. Quidquid sit de effectibus procedentibus à causis effectiuis, & extrinsecis concurrentibus præcisè in genere causæ efficientis, obiectum non potest habere locum in causis vitalibus, & immanentibus, quæ non solum concurrunt in genere causæ efficientis, sed etiam in genere causæ formalis, sicque peccata, quæ in voluntario consistunt, appellant actum voluntatis, qui cum obiecto discordante à recta ratione componit quid vnum, & propterea; si replicaretur, postquam peccatum dimissum est, esset nouus actus, & constitueret nouum peccatum, non reduceret primum ad suum esse. Quamobrem restringendo responsionem dico, vel ex illa reuiuiscentia, quam adstruunt aduersarij ad normam eiusdem numero effectus reproducibilis, concurrit ad idem obiectum peccatorum præteritorũ nouus actus, vel nullus concurrit; si nullus concurrit, cum peccatum intelligatur absolutè, & simplicitèr remissum, non est, cur debeat, & possit reuiuiscere, nisi ponatur à Deo, quod est absurdum; si concurrit nouus actus, noua peccata constituuntur, non reuiuiscunt antiqua iam condonata.

Euacuatur instantia opposita.

Probatur secundò. Remisso absolutè peccato, & supposita naturali impotentia reuiuiscentiæ eiusdem, non posset hæc esse, nisi per potentiorem concursum Dei, & speciali quadam actione eiusdem, ratione cuius eadem reuiuiscentia peccati attribueretur Deo, cum ad illam peccator non concurreret.

Probatur tertiò ratione D. Thomæ. Peccata præterita iam absolutè remissa, nec possunt reuiuiscere ratione conuersionis, nec ratione auersionis ab obiecto peccaminoso; non ratione conuersionis, quia prius peccatum remissum potuit esse infidelitatis, & posterius, quod de nouo committitur, auaritiæ; rursus prius remissum auaritiæ, posterius prodigalitatis; per conuersionem autem ad auaritiam non ponitur infidelitas, cum fides adhuc perseueret; & per peccatum prodigalitatis impossibile est, quod causetur auaritia, cum sit eidem contraria; non ratione auersionis, quæ ex conuersione tanquam ex materia, vel occasione causatur; quia priorum peccatorum remissio fuit opus Dei, quod per subsequens hominis peccatum irritari non potest. Hanc quæstionem excitaui de reuiuiscentia per absolutam Dei potentiam maioris doctrinæ gratia. Ceterum ad examen morale vix videtur pertinere.

Ratio ex D. Thoma deducta.

Conclusio II. Peccata semel simplicitèr remissa, quamuis secundum se, & formalitèr per subsequens peccatum non reuiuiscant, efficiunt tamen saltem indirectè, vt subsequens peccatum habeat quandam maiorem ingratitudinis deformitatem *D. Thomas tertia part. q. 88. art. 2., & 4., & ibi Nugnus diffic. vnica versus fin., Suarez disp. 13. sect. 3., Valentia tom. 4. disp. 7. q. 5. punct. 2. in principio, Coninchus disp. 2. dub. 19. num. 151., Bonacina de pænit. Sacram. disp. 5. q. 6. sect. 3. punct. 2. num. 1.*

13 Peccatũ subsequẽs ex præcedentèr remissis fit quodamodo grauius.

Ratio ex eo deducitur, quod ex genere suo grauius est delictum, quo quis peccat in benefactorem, quam quo quis peccat in alium, à quo nullum, vel minus beneficium recepit, sed qui post receptam absolutionem à peccatis iterum peccat delinquit contra Deum maximum benefactorem specialitèr in illa absolutione, ergo ratione illius iterati delicti post tale beneficium grauius delinquit, adeoque fit reus grauioris pænę. Hinc in recensita Parabola illius serui nequam *Matthæi 19.* cum tradidit Tortoribus puniendum, quousq; redderet vniuersum debitum, eo quod post receptum beneficium remissionis deliquerit.

Peccatũ contra benefactorem est grauius.

Sed hic oritur difficultas, an illa grauitas ratione ingratitudinis in delicto cõmisso post receptum beneficium absolutionis sit in sequenti confessione exponenda. Pro solutione aduerte, ingratitudinem quasi duplicem esse; altera generalis, quę regularitèr comitatur quodcunque peccatum contra Deum, altera specialis, qua quis specialitèr delinquit eo animo, vt vilipendatur beneficium receptum, & benefactor. Cum hic supponatur pœnitens non speciali ingratitudine, sed generali dumtaxat delinquere asserendum est, non teneri hanc qualitatem in sequenti cõfessione exponere *Sotus in quarto dist. 16. quæst. 1. art. 4., Coninchus disp. 2. dub. 19. num. 156., Valentia tom. 4. disp. 7. q. 5. punct. 2.* quidquid ex aduerso dixerint *Scotus in quarto dist. 22. q. 1. art. 3., Nugnus in tertiam part. D. Thomæ q. 88. art. 4. difficult. 1. ad fin.*, qui tamen solum asserit, hanc opinionem esse probabilem. Ratio est, quia, cum hęc qualitas sit quodamodo transcendens, & imbibita in omni peccato, non habet constituere diuersam speciem peccati, sed solummodo aggrauare intra eandem speciem, ea proportionali ratione, qua inobedientia, quę est in omnibus peccatis, cum omnia sint contra legem Diuinam, vel naturalem, vel humanam, cum sit in omnibus imbibita

14 Hæc maior grauitas ratione ingratitudinis non est necessario in confessione exprimenda.

bita non constituit peccatum in specie diuersum, sed ad summum auget; circunstantię autem solum aggrauantes non sunt ex necessitate in confessione aperiendę, ergo &c.

15 Peccata etiã simplicitèr remissa per subsequens peccatũ non reuiuiscunt etiã formalitèr quoad pænam.

Conclusio III. Peccata semel simplicitèr, & absolutè remissa non reuiuiscunt etiam quoad reatum pęnę formalitèr per subsequens peccatum. Consentiunt *D. Thomas tertia part. q. 88. art. 3., & 4., Henriquez lib. 4. c. 32. num. 8. ad fin., Molfesius tract. 7. c. 6. num. 56., Pesantius tertia part. quæst. 78. art. 1. disp. vnica*. Dixi, *formalitèr*, quia non negauerim æquiualentèr ratione ingratitudinis quoquo modo redire, quatenus aggrauando posteriorem culpam dat fundamentum grauioris pænæ.

Ratio ex eo deducitur, quod ex prædictis per subsequens peccatum non reuiuiscunt peccata in se ipsis quoad culpam, ergo nec reuiuiscunt quoad eundem reatum pænæ. Consequentia probatur, quia reatus pænæ quoad suam originem consequitur ad culpam. Dixi, *quoad suam originem*, nam quoad permanentiam non negarem extincta culpa permanere eundem pænæ reatum, cum regularitèr pęnę non soluantur, nisi post culpam relaxatam; ex quibus sequitur, quod si nascitur ex culpa, non oriatur, nisi eadem culpa iterum committatur; Neque obesse potest illud Iacobi 2. *Qui offendit in vno factus est omnium Reus*, quod intelligi saltem debet de reatu pęnarum quoad omnia peccata pręcedentia remissa; Non, inquam, obesse potest, quia hic textus sic nude sumptus non solum euincit, quod per vnum peccatum reuiuiscunt omnia pręcedentia, sed etiam, quod per transgressionem vnius pręcepti contrahatur reatus omnium legum, & sic, qui fornicaretur constitueretur Reus homicidij, furti &c. Quamobrem intelligendus est, vel in materia fidei, in qua, cum sit vna, & eadem ratio formalis, nempè Diuinę veracitatis, & reuelationis, qui in vno articulo deficit, deficit in omnibus, cum Deus non possit esse verax in vno, & non in altero; atque hęc expositio videtur conformis textui, cum ibi dicatur. *Qui enim dixit: Non mœchaberis, dixit, & non occides*, refertur enim ad dictum Diuinum, nempè ad Diuinam reuelationem, vel intelligendus est quoad priuationem gratię, & auersionem à Deo, cum per vnum peccatum lęthale quacunque gratia priuetur, quę priuatio, cum consistat in indiuisibili, ęqualis est, siue sit per vnum, siue per plura peccata.

16 Explicatur dictũ D. Iacobi, Qui offẽdit in vno factus est omnium reus.

ARTICVLVS VIII.

An merita per peccatum mortificata reuiuiscant per pęnitentiam.

SVMMARIVM.

1 Ratio suadens non reuiuiscere.

EX eo, quod peccata remissa per pręcedentem pęnitentiam non reuiuiscant per subsequens peccatum, vt iam probauimus, videtur consequi, quod etiam merita per peccatum mortificata per subsequentem pęnitentiam non redeant, cum non minus peccatum aduersetur meritis, ac gratia demeritis, & non minus peccatum destruat ius ad ęternam gloriam, ac gratia destruat reatum æternæ pænæ. Nihilominus sit

2 Verè per pænitentiam reuiuiscũt.

Conclusio. Merita per peccatum mortificata reuiuiscunt per subsequentem pęnitentiam. Consentiunt *Scotus in quarto dist. 22., Ioannes Pontius disp. 45. de virtut. pænit. q. 7., D. Thomas part. 3. q. 89. art. 5., Contensonius lib. 11. part. 3. dissert. vnica c. 2. specul. 2.*, & alij communitèr.

3 Euincitur ex parabola filij Prodigi.

Hanc euincit primò Parabola *Lucæ 15.* de filio Prodigo, qui præfert typum peccatoris. Hic, cum pænitentia ductus reuersus esset ad Patrem, non solum benignè receptus est in gratiam eiusdem Patris. Ibi- *Procidit super collum eius, & osculatus est eum*, sed restitutus est ad pristinum statum, & honores. Ibi- *Proferte stolam antiquam, & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedibus eius*. Verè hic indicatur peccator, qui, si per pænitentiam reuertatur ad Deum, in gratiam reci-

recipitur, & pristinis meritis, & virtutibus restituitur.

4 Etiam ex Scripturis, & Conciliorum definitionibus.

Secundò eandem euincunt verba Ezechielis 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit*; plurimum autem noceret, si veterum meritorum reditum impediret. Tertiò *ex Concil. Trid. sess. 6. c. 6.* vbi sic legitur. *Hac igitur ratione iustificatis omnibus, siue gratiam acceptam perpetuo conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt Apostoli verba. Abundate in omni opere bono scientes, quod labor vester non est inanis in Domino; non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostenditis in nomine ipsius*; per quæ verba clarè indicantur merita reuiuiscere; Ad quid etenim suadere ex mente Apostoli abundantiam bonorum operum sub certa spe, quod etiam eorum labor non erit inanis addita ratione, quod Deus non sit iniustus, vt obliuiscatur operum exercitorum nisi &c.? Neque dicas, illa verba suasoria procedere dumtaxat de abundantia bonorum operum, quæ sint per gratiam viua, & exercita per eandem, quæ propterea nihil inferunt ad rem nostram; contra enim impugnaberis primò, quia, cum Concilium verbis Apostoli consoletur etiam eos iustificatos, qui amissam gratiam recuperauerint, supponit hanc verè recuperari, & reuiuiscere. Secundò, cum Concilium ibi proponat verba *Apostoli ad Hæbreos 6.*; non enim iniustus est Dominus, vt obliuiscatur operis vestri, vtique intelligendum est iuxta sensum eiusdem Apostoli, qui loquebatur de lapsis post baptismum, quos prius acriter arguerat sub comminatione difficultatis veniæ consequendæ, & tamen dicit, quod, si conuertentur, Deus sit recordaturus eorum boni operis &c.

Soluuntur quædam instantiæ oppositæ.

5 Ratio, ob quā peccata non reuiuiscant, reuiuiscant vero merita.

Modo pro clariori huius conclusionis elucidatione restat respondere ad argumentum in principio tituli adductum de peccatis remissis, quæ iuxta prædicta adueniente nouo peccato non reuiuiscunt, ex quo inferebatur, quod etiam merita per subsequens peccatum mortificata, non reuiuiscant per subsequentem pænitentiam. Communitèr respondent peccata non reuiuiscere, quia supponuntur penitus extincta per priorem remissionem, reuiuiscere verò merita per subsequentem pænitentiam, quia illa merita per peccatum non intelliguntur penitus extincta, sed dumtaxat mortificata. Sed remanet adhuc explicandum, cur merita dicantur solūmodo mortificata per peccatū, peccata autem per remissionem factam absolutè, & simplicitè extincta. Ioannes *Pontius disp. 45. q. 7. vers., & hinc primo ostenditur,* asserit peccata per pænitentiam intelligi absolutè remissa, quia peccator per illam pænitentiam satisfecit Deo, quantum ipse Deus exigit; merita autem non intelliguntur absolutè per peccatum abolita, & extincta, sed dumtaxat mortificata, quia Deus non dedit præmium debitum bonis operibus ante lapsum exercitis. Sed hæc responsio non videtur à radice euellere difficultatem, quia, vel nomine pænitentiæ, qua Pontius asserit peccatorem satisfecisse Deo, quantum debet pro peccatis præteritis, intelligit prçcisè detestationem eorundem peccatorum, vel adimplementum pçnarum pro ipsis debitarum; Si primum; sicuti per illam extinguitur simplicitèr peccatum, ità per eius oppositum, nempè per nouam conuersionem ad obiectum peccaminosum extingui debet meritum, & gratia, in qua fundatur, nisi assignetur aliud fundamentum, in quo ipsum meritum persistat; Si secundum; potest cōtingere, quod de nouo pçnitens peccet, antequam illas pçnas adimpleat. Congruentius respondent Thomistæ asserentes peccata totalitèr extingui per subsequentem pçnitentiam, quia, cum peccata dependeant à sola voluntate deficiente à recta ratione peccantis, per detestationem eorum dispositiuè, & formalitèr per gratiam absolutè tolluntur, cum non habeant in quo radicentur; merita verò, cum non solum dependeant à voluntate merentis, sed etiam à Christo Domino, qui in opere pietatis à membris suis elicita influit, ideo non possunt per sola opera hominis irritari; vnde remanent in acceptatione Dei, qui promisit prçmium vitç çternç operibus ex gratia factis.

5 Ratio Pontij eliditur.

7 Illa Thomistarū approbatur.

Hic solummodo oritur difficultas, an merita mortificata per peccatum reuiuiscant secundum se tota, hoc est secundum totum prçmium essentiale, quod ipsis erat antecedentèr debitum, & an item tota prior gratia redeat per subsequentem pçnitentiā. Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod non videatur consonū rationi, quod quis resurgens cum vno, vel altero pçnitentię gradu recuperet multos, & multos gradus gratię quos prius habebat, & ius ad multos, & multos gradus gloriæ; potést enim contingere, quod quis ante commissum peccatum habuerit centum gradus meriti, quos, si omnes recuperaret simul cum gradu meriti per vnum, vel alterum gradum pçnitentię, acquireret per vnum gradum meriti, seu pçnitentię gradus maximè excedentes, & sic prçmium longè excederet meritum, quod non videtur dicendum.

8 An merita reuiuiscant secundum id totum, quod habebant ante peccatum.

Contensonius *lib. 11. part. 3. dissert. vnica c. 2. in solut. tertij obiecti*, relatis pluribus

bus

9 Semẽtia asserens reuiuiscere solum secundũ quantitatem dispositionis

bus D. Thomę textibus conatur euincere merita quidem per pęnitentiam reuiuiscere, sed dumtaxat iuxta quantitatem dispositionis, in qua peccator resurgit, hocque probat ex eo, quod gratia habitualis nunquam à Deo in animam adultorum infunditur, nisi iuxta voluntatis cum auxilio Dei se se disponentis conatum, quod etiam videtur fundari *in Concil. Trident. sess. 6. c. 7.* Ibi- *Iustitiam recipientes vnusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & operationem.*

10 Sentẽtia asserens reuiuiscere secundum se totum, & secundũ omnem gratiam.

Cacheranus verò *tom. 2. tract. 5. de gratia c. 10. §. 2. assert. 1., & §. 3. assert. item prima* sentit in qualibet iustificatione merita mortificata reuiuiscere adęquatè secundum totum prẽmium essentiale ipsis antecedentèr debitum, & etiam totam priorem gratiam; & pro prima parte citat *Scotistas, Nominales, & maiorem partem recentiorum*, & pro secunda parte de reuiuiscientia totius gratię *Suarez opuscul. de reuiuisc. merit. disp. 2. sect. 3. num. 57., Ouiedum de gratia contr. 6. num. 37., Herinex disp. 4. q. 12. num. 68., Lugum de pænit. disp. 11. sect. 3.*; & quoad primam partem has adducit rationes primo, quia in quacunque iustificatione dicuntur merita reuiuiscere; reuiuiscere autem ex vi ipsa nominis est ad priorem vitam redire; redire autem ad pristinam vitam non est redire secundum partem prioris vitę, sed ad vitam in eo statu, in quo prius erat. Secundò, quia supposito, quod merita præcedentia non fuerint penitus extincta, sed dumtaxat mortificata, solum ad plenum effectum consequendum obstare videtur impedimentum subsequentis peccati, sed per subsequentem pænitentiam validam illud impedimentum aufertur, ergo non est, cur idem meritum non debeat totalitèr suum effectum consequi. Quoad secundam verò partem adducit rationes primò, quia restitutis meritis in eo gradu in quo erant antecedentèr ad peccatum, non est, cur non debeat restitui gratia in eodem gradu, cum gratia debeat meritis correspondere. Secundò, quia Parabola *Matthæi 18.* supra recensita de filio prodigo indicat omnia restitui; nempè stolam antiquam, annulum in manibus, & calceamenta in pedibus.

11 Pręfertur hæc secũda sentẽtia.

Mihi magis arridet hæc secunda Cacherani opinio, non solum propter allatas ab eodem rationes, sed etiam quia magis fauet Diuinæ Clementiæ, quæ in miserando superat nostram malitiam; Nec obstant, quæ ex aduerso afferebantur de intensiori effectu, qui produceretur per actum longè minus intensum, & supra dispositionem operantis, cum habens dispositionem, v.g., vt duo consequeretur effectum, vt centum, & vltra, si antecedentèr ad peccatum habuisset centum gradus meriti; Non obstant, inquam, quia illi centum gradus meriti, qui præsupponuntur fuisse in subiecto, antequam peccaret, quique restituuntur per subsequentem pænitentiam intensam solummodo vt duo, vel vt quatuor, non correspondent illis gradibus remissis pænitentiæ tanquam proximæ dispositioni, & positiuę ad illorum productionem, sed solum tanquam remouenti prohibens, ne suum fortirentur effectum in subiecto; vnde correspondent præcedentibus gradibus meritorum, qui tunc per remotionem obicis mediante illa pęnitentia reuiuiscunt; nec aduersus hanc nostram responsionem vim aliquam habet dispositio *Concilij Tridentini loc. cit.*, quandoquidem ipsum loquitur solum de gratia, quę primo infunditur, quę limitatur iuxta dispositionem subiecti, non de illa, quę restituitur. Cęterum, si argumentum valeret, vt solummodo tanta gratia tribueretur, quanta est dispositio in operante, nihil meritorum pręcedentium, nihilque gratię illis correspondentis, vt benè notat *Cacheranus loc. cit. n. 12.*, reuiuisceret, cum tota gratia, quę tunc produceretur, correspondèret illi dispositioni.

12 Soluuntur argumenta opposita.

ARTICVLVS IX.

An opera secundum se bona exercita post peccatum, sed ante pęnitentiam posita postea pęnitentia reuiuiscant.

SVMMARIVM.

Opera mortua, alia priuatiuè, alia effectiuè. 1.
Opera exercita in peccato lethali, quamuis in se Physicè sint bona, remoto obice peccati non reuiuiscunt ad meritum. 2.
Conferunt tamen quandoque ad aliquod bonum temporale remoto peccato. 3.
Huiusmodi opera non habuerunt vitam in sua origine, & propterea non possunt reuiuiscere. 4.
Dispositio Concilij Trid. quoad hoc. 5.

1 Opera mortua, alia priuatiuè alia effectiuè, & quid vtraque.

Opera, de quibus hic loquimur, dici possunt mortua priuatiuè, quatenus sunt exercita sine gratia, in qua consistit vita spiritualis. Hęc differunt ab operibus mortiferis, seu mortuis effectiuè, quia non inferunt mortem, sed supponunt, dum mortifera causant mortem spiri-

ſpiritualem, cum ſint peccata lęthalia; differunt item ab operibus mortificatis, quę veram vitam habuerunt, dum fuerunt exercita in gratia, per peccatum tamen ſubſequens fuerunt mortificata, non penitùs extincta, cum perſeuerent in acceptatione Diuina. Hic igitur erit ſolummodo ſermo de operibus mortuis priuatiuè, hoc eſt exercitis non in ſtatu gratiæ, ſed in ſtatu peccati, inquirendo, an, cum ex obiecto ſint bona, & honeſta, ſi poſtea remoueatur obex peccati, qui reſiſtebat merito, reuiuiſcant ad idem meritum.

2 Opera exercita in peccato non reuiuiſcunt remoto peccato ad meritū.

Concluſio. Opera exercita in peccato læthali, quamuis in ſe Phyſicè ſint bona, remoto obice peccati per pænitentiam, non reuiuiſcunt ad meritum. Dixi, *quamuis in ſe Phyſicè ſint bona*, vt, ſi quis exiſtens in peccato læthali ieiunet, aliaque pia opera exerceat; ſi etenim ſupponamus, quod in ſe ſint mala, vel indifferentia, non eſt dubium, nec eſſe poteſt, quod non reuiuiſcant ad meritum, quia, ſicuti, ſi eſſent in gratia exercita, non haberent meritum, ita nequeunt illud habere, ſi ſint exercita in ſtatu peccati, nec poſtquam peccatum fuerit remotum per pænitentiam. Dixi, *ad meritum*; non enim negauerim, poſſe poſt remotionem obicis aliquem effectum ſortiri, nempè conſecutionem bonorum temporalium, humiliationem, dimminutionem tormentorum, prout notat *Gloſa in c. quod quidem de pænit., & remiſs.* relata à *Bonacina de pænit. Sacram. diſp. 5. q. 6. ſect. 4. punct. 1. num. 2. verſ. reſpondeo*, quæ Gloſa hos effectus recenſet per hæc duo carmina,

3 Conferūt tamen remoto peccato ad aliquod bonum tēporale.

Quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terræ,
Cor faciunt humile, minuunt tormenta gehennæ.

Hanc concluſionem ſuſtinent *D. Thomas tertia part. q. 89. art. 6., Valentia tom. 4. diſp. 7. q. 6. punct. 3., Nugnus in addit. ad tertiam part. q. 14. art. 2., Conimbus de pænit. diſp. 2. dub. 20. num. 178.*

4 Non habuerunt vitam in ſua origine.

Probatur primò, quia reuiuiſcere eſt ad priſtinam vitam redire, & ſic ſupponit vitam præcedentem, ſed opera exercita in peccato læthali nullam vitam ſpiritualem habuerunt, nec in origine, nec in proſecutione, quandoquidem fuerunt elicita ab exiſtente in morte ſpirituali, à quo propterea habere non potuerunt vitam, ergo non poſſunt ad meritum reuiuiſcere; Neque dicas; poſſunt illa opera eſſe elicita a peccatore exiſtente in læthali per auxilium actuale Dei excitantis ad illa, eo modo, quo excitatur per idem auxilium peccator ad deteſtationem peccatorum, ergo, licet tunc non conſequantur effectum gratiæ, ſicuti conſequitur ipſa deteſtatio, cum hæc ex genere ſuo ſit proxima, & vltima diſpoſitio ad ipſam, & illa opera nonniſi remota diſpoſitio; ex quo tamen ſunt elicita per auxilium actuale ſupernaturale Dei, remoto obice per pænitentiam, ipſam conſequentur; contra enim impugnaberis, quia vel illa opera elicita cum illo auxilio actuali conſequuntur effectum gratiæ habitualis ſupernaturalis tunc, & hoc eſſe non poteſt, niſi ſint cum poſitiua, & efficaci deteſtatione peccatorum præcedentium, ac ſic perinde eſſet, ac ſi eſſet actus contritionis, quia cum illo coniungerentur, vel ſiſtunt præcisè in ratione illorum operum, quæ tunc exercentur; quæ, cum ſecundum ſe non ſint proximè diſpoſitiua ad gratiam, non poſſunt dici viua, cum non habeant intrinſecum principium vitæ conſiſtentis in gratia habituali; nec cum ipſa coniungantur, vt ſit in actibus contritionis, & propterea non poſſunt reuiuiſcere ad meritum gloriæ æternæ, licet poſſint remote ad illam diſponere excitando ad actum contritionis. Hinc

Soluitur inſtantia oppoſita.

5 Confirmatur ex Concil. Trident.

Probatur ſecundò ex *Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 16.* Vt opera ſint meritoria vitæ æternæ, debent eſſe elicita ab homine exiſtente in gratia, ſed opera elicita ab exiſtente in peccato læthali, non ſunt elicita ab homine in gratia exiſtente, ergo non poſſunt eſſe meritoria vitæ æternæ.

ARTICVLVS X.

An Sacramentum pænitentiæ ſuſceptum ſine debita diſpoſitione, ſeu cum obice remoto obice reuiuiſcat.

SVMMARIVM.

Non datur Sacramentum pænitentiæ validum, & informe. 1
Suſceptum cum obice remoto obice non reuiuiſcit. 2.
Rationes pro hac concluſione. 3.

NOn diu immorandum in hac difficultate, quandoquidem ex præactis facilis aperitur via ad eius reſolutionem; cum enim dixerimus, non poſſe dari Sacramentum pænitentiæ validum, & informe, videtur manifeſtè ſequi, & directè, quod, ſi non conſequatur in ſui ſuſceptione effectum gratiæ, nec poſſit conſequi de futuro, cum non habeat valorem, & ſubſiſtentiam in ſua origine, & quod in origine inualidum eſt, non poſſit tractu temporis conualeſcere. Hinc ſit

1 Sacramētum hoc nō poteſt eſſe validum, & informe.

Concluſio. Sacramentum pænitentiæ ſine debita diſpoſitione, ſeu cum obice ſuſcep-

2 Susceptũ cum obice remoto obice non reuiuiscit.

susceptum remoto obice per subsequentem pænitentiam non reuiuiscit. In hanc conuenire debent, quotquot sustinent non posse dari Sacramentum pænitentiæ validum, & informe, de quibus latè egimus in præcedentibus.

Probatur, quod in sua origine natum non est, non potest ad pristinam vitam redire ex supra notatis, sed quando Sacramentum pænitentiæ sine debita dispositione, seu cum obice susceptum est, non potest dici in origine natum, cum inualidè susceptum sit, ergo &c. Minor probatur, quia, vel illa indispositio est positiua, vel negatiua; positiua, quatenus est coniuncta cum aliquo peccato læthali, quod reddat subiectum incapax gratiæ remissiuæ; negatiua, quatenus est sine debito dolore; quocunque modo sumatur illa indispositio, semper Sacramentum cum illa susceptum est inualidum, & quidem, si cum indispositione positiua, etiam sacrilegum, ergo &c. Minor quoad vtramque partem sic euincitur, primo quoad indispositionem positiuam, quia hæc importat nouum peccatum, nempè indignam receptionem Sacramenti cum scientia, quæ stare non potest cum dolore ad idem Sacramentum requisito tanquam parte, seu materia proxima eiusdem; quoad indispositionem vero negatiuam ex eodem motiuo probatur, quia ad valorem eiusdem Sacramenti requiritur dolor supernaturalis verus, & realis, nec sufficit putatus, seu præsumptus; quando autem est indispositio negatiua non est talis dolor supernaturalis verus, & realis. Deinde, vel illa indispositio negatiua consistit in defectu culpabili debiti examinis, vel in defectu voluntario integritatis confessionis, vel in carentia doloris supernaturalis; quocunque autem ex his modis sit indispositio, semper est cum inualiditate Sacramenti, siquidem duobus primis modis semper est cum culpa læthali, quæ compati non potest cum dolore requisito; tertiò vero modo, non solum est cum defectu dispositionis requisitæ, sed etiam cum defectu debitæ materiæ proximæ. Et ecce absolutus tractatus de Sacramento pænitentiæ, quod sicuti institutum est, vt tabula secundi naufragij, ità nos perducat ad portum æternæ beatitudinis.

3 Rationes pro hac conclusione.

PARS

PARS SECUNDA
DE
EXTREMA VNCTIONE.

IMmensa Dei clementia, quæ in hoc miseriarum pelago nauigantibus tabulas constituit, quibus nedum à primo, sed è secundo etiam naufragio eruerentur, & ad portum æternæ felicitatis eueherentur, vberiori suæ prouidentiæ consilio, ne in extremo agone deficerent, sed fortiores redderentur aduersus hostes animæ, & corporis, & fortius in illo certamine dimicarent, & vincerent, nouum munimen, nouumque præsidium constituit, quo roborati, & astus Dæmonis, & obuiantia quæque superarent. Sacramentum Extremæ Vnctionis instituit, quo Christi Atlethæ ad pugnam roborentur, firmentur in corpore, muniantur in mente. Hoc teste *D. Iacobo c.* 5. saluat infirmum, ipsumque alleuiat, & à peccatorum reliquijs absolutum perducit ad regna Cœlorum. Hoc teste *Victore Antiocheno in verba Marci 6. vngebant Oleo &c. laborum molestias mitigat, & lumen fouet, & hylaritatem conciliat.* Hoc teste *D. Gregorio in suo Sacramentario fer.* 5. *in Cœna Domini est tutamentum mentis, & corporis ad euacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnem ægritudinem mentis, & corporis &c.* In huius Sacramenti indagine nunc mens est immorari, vt qui hactenus de-

tenti fuimus in perquirenda notitia secundæ tabulæ naufragij non destituamur perfecta cognitione extremi remedij ordinati ad æternam salutem consequendam, cum hoc teste *Contensonio lib. 11. part. 4. dissert. 1. c. 1. in arg. ex traditione PP. verbo confirmatur hac responsio* sit complementum Sacramenti Pænitentiæ.

QVÆSTIO I.

De Existentia, Institutione, & Essentia huius Sacramenti.

VNctionum plurium praxis viget in Ecclesia Dei, prout diriguntur ad personas. Prima est Cathecumenorum, quos Oleo benedicto Sacerdos ante Baptismum vngit in pectore, & inter scapulas. Secunda Baptizatorum, quos chrismate vngit Sacerdos in vertice. Tertia Confirmatorum, qui per Episcopum vnguntur in fronte. Quarta Principum Sæcularium qua in humeris, & bracchijs vnguntur. Quinta est Sacerdotum, & Episcoporum, quæ fit in illorum ordinatione. Sexta est infirmorum periclitantium, de qua solum procedit hæc quæstio, quæ ideo dicitur extrema, non quia solum in extremis adhibetur, sed quia est extrema omnium præcedentium vnctionum. Huius iam originem, existentiam, & essentiam inquirimus.

ARTICVLVS I.

An Extrema Vnctio verè sit Sacramentum.

SVMMARIVM.

Referuntur Hæreticorum errores. 1.
Veritas Catholica propugnatur, quod sit verè, & propriè Sacramentum. 2.
Deducitur ex verbis D. Iacobi. 3.
Confutatur Lutherus negans Epistolam D. Iacobi esse canonicam. 4.
Eliditur etiam Caluinus volens vnctionem indicatam à D. Iacobo referri solum ad sanitatem corporalem. 5.
Refelluntur alij sectarij volentes sensum verborum D. Iacobi esse solummodo allegoricum. 6.

1 Referuntur Hæreticorũ errores.

NOn defuerunt Hæretici tum antiqui, tum huius temporis, qui temerario ausu negarunt esse Sacramentum. Primi huius hæresis auctores fuerunt Græci, prout refert Guido Carmelita in sua summa de hæresibus, quibus postea adhæserunt Valdenses, vt refert Æneas Siluius lib. de origine Boemorum, & secutus est postea Ioannes Vielephus, vt testatur Thomas Valdensis, qui fuit diligentissimus in referendis eiusdem Viclephi erroribus. Nouissimè hunc errorem iam antiquitate deletum excitauit Lutherus docens Extremam Vnctionem non esse Sacramentum, nec conferre gratiam ex opere operato.

2 Euincitur quod sit propriè Sacramẽtum.

Verum veritas Catholica est, quod sit Sacramentum, & conferat gratiam ex opere operato, prout definitum est *in Concilio Trident. sess.* 14. *c.* 1. *de Extrema Vnctione, & ibi can.* 1. 2. 3., & 4. vbi anathematizat omnes, qui contrarium senserint. Hoc idem etiam euincitur ex Sacris Scripturis, & primo ex illo Marci Sexto *vngebant oleo multos ægros, & sanabant*, quæ certè verba non referuntur ad præcisam corporum sanitatem conferendam, sed præcipuè ad animarum curationem, vt notauit D. Gregorius in suo Sacramentario fer. 5. in Cæna Domini, *est tutamentum mentis, & corporis ad euacuandam omnem ægritudinem mentis, & corporis*, & Victor Antiochenus asserit *Oleum igitur, quod in sacra Vnctione adhibetur, & Dei misericordiam, & morbi sanationem, & cordis illuminationem denotat*, & Concilium Cabilonense 11. anno Domini 813. celebratum in can. 48. hæc habet loquens de Extrema Vnctione. *Non est itaque parui pendenda huiusmodi medicina, quæ animæ, corporisque medetur languoribus.*

3 Euincitur ex Epistola D. Iacobi.

Confirmatur ex illo Iacobi 5. *Infirmatur quis ex vobis. Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, &, si in peccatis sit, remittentur ei;* ex quibus efficax sic efformatur argumentum ad rem præsentem. In Extrema Vn-

Vnctione concurrunt omnia, quæ requiruntur ad validum Sacramentum constituendum; nam per ly *vngentes eum oleo*, indicatur materia remota, per ly *vngentes* materia proxima; per ly *orent super eum* significatur forma, quæ consistit in verbis, sicut in alijs Sacramentis; per ly, *si in peccatis sit, remittentur ei*, exprimitur effectus.

4 Occluditur subterfugiũ Lutheri negantis Epistolã D. Iacobi esse canonicam.

Respondet Lutherus, hanc Epistolam, quæ dicitur D. Iacobi, non esse canonicam, cum plurimi etiam ex SS. PP. de illa dubitauerint, adeoque illi fidem non esse adhibendam. Sed contra, quidquid sit, quod aliqui ex SS. PP. dubitauerint de illa Epistola, dubium omne sublatum est per plura Concilia, Laodiceum c. 59. suorum decretorum Cartaginense III. c. 47. Florentinum sub Eugenio IV. Tridentinum sub Paulo III. sess. 4., quod anathematizat, qui omnes, & singulos libros ibi expressos non susceperint, inter quos numeratur Epistola D. Iacobi.

5 Eliditur etiã Caluinus volens vnctionem referri præcisè ad sanitatẽ corporalem.

Respondet item Caluinus admissa tanquam canonica illa Epistola B. Iacobi, istum loqui de ea vnctione, de qua loquitur *D. Marcus c. 6.*, quæ vnctio fiebat non ad remittenda peccata, sed ad sanitatem corporis conferendam, quæ propterea non est Sacramentum. Sed hæc responsio confutata remanet ex dictis in præcedentibus iuxta placitum SS. PP. Deinde dato etiam, nunquam tamen concesso, quod in illo D. Marci esset locutio de vnctione præcisè in ordine ad sanitatem corporalem, non est tamen eadem locutio in illo D. Iacobi, cum ibi tanquam effectus enumeretur remissio peccatorum, vt ex se patet.

6 Excludũtur alij Sectarij volentes verba D. Iacobi sumenda esse allegoricè.

Respondent tandem alij Sectarij admittentes illam Epistolam esse D. Iacobi, & canonicam, in illa esse sermonem non literalem, sed metaphoricum, & figuratum, quatenus sensus sit, quod vngere oleo infirmum nil aliud importet, quam infirmi animum verbi Dominici suauitate delinire; neque nouum est crebrò in Sacris Scripturis adhiberi huiusmodi locutiones metaphoricas. Sed hoc subterfugium omnino inane est; quia, quando sensus literalis nullam habet oppositionem cum alio contextu, ille admittendus est, cum hic sit potentior vtpotè ex vocum significatione, aut ex alio coniunctissimo vicino exhaustus, quo fit, vt ipse solus sit efficax ad dogma aliquod destruendum, vel fulciendum, & in hoc nobis adstipulatur D. Augustinus in Epistola ad Vincentium Donatistam dicens. *Quis est autem ille, qui vult aliquid allegorice interpretari, nisi habeat testimonia manifestissima, quorum lumine obscura illustrantur*, & D. Hieronymus super Epistolam ad Galatas asserit. *Quicunque Scripturam alitèr interpretantur, quam sensus Spiritus Sancti efflagitat, licet non recedat ab Ecclesia, hæreticus est.*

ARTICVLVS II.

A quonam sit institutum hoc Sacramentum, & quando.

SVMMARIVM.

Sententia docens institutum esse ab Apostolis. 1.
Institutum est à Christo Domino, hocque est de fide. 2.
Euincitus signantèr ex Concil. Trident. 3.
Quomodo eximantur à nota infidelitatis, qui senserunt esse ab Apostolis institutum. 4.
Quandonam fuerit institutum remissiuè. 5.

1 Quinam senserint institutũ esse ab Apostolis.

EX eo, quod de illo non fiat expressa mentio in Euangelio, nec in alijs sacris paginis, nisi in Epistola D. Iacobi c. 5. nonnulli docuerunt, non à Christo Domino, sed ab Apostolis fuisse institutum, quibus adhęsisse videtur *Hugo à Sancto Victore sent. tract. 6. c. 15.* vbi ait. *Est, & aliud Sacramentum scilicet vnctio infirmorum, quæ fit oleo consecrato per Episcopum. Hoc Sacramentum institutum fuit ab Apostolis.* Hoc idem firmarunt *Petrus Lombardus lib. 4. sent. dist. 13., Alexander Alensis, & D. Bonauentura.* Nihilominus sit

2 Institutũ est à Christo Domino.

Conclusio. Hoc Sacramentum institutum est à Christo Domino. Contendunt hic aliqui, an hoc sit de fide, & quidem communius statuunt, esse veritatem fidei definitam à *Concilio Trident. sess. 14. de Sacram. pænit. c. 1., & can. 1.* licet *Paulus Suaue, & Cardin. Pallauicinus historia Concil. Trident lib. 12. c. 12.* de hoc multum dubitauerint. Probabilius arbitror, esse de fide.

Hocque est de fide.

Deduco primo hoc *ex eodem Concil. Tridentino loc. cit.*, vbi dicitur, institutam esse sacram hanc vnctionem infirmorum tanquam verum, & proprium Sacramentum noui testamenti à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum, ac Domini Fratrem fidelibus commendatum, & promulgatum; ex quibus verbis habetur institutio à Christo Domino, insinuatio à D. Marco, promulgatio à D. Iacobo. Deinde can. 1. anathematizat, qui dixerit Extremam Vnctionem non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, & à Beato Iacobo Apostolo promulgatum.

Deduco secundo *ex eod. Trident. sess. 7.*

3 Euincitur ex Concil. Trident.

can. 1. vbi hæc expresſè hebentur. *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora, quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè, & propriè Sacramentum, anathema ſit*, vbi nota primo illam particulam *omnia*, quæ comprehendit omnia ibi enumerata; nota ſecundo dici inſtituta à Chriſto Domino; nota tertio inter ſeptem numerari etiam Extremam Vnctionem.

4 Quomodo eximātur à nota infidelitatis, qui ſenſerunt ab Apoſtolis inſtitutū.

Dices, ex hoc ſequi, cenſuræ infidelitatis ſubijciendos eſſe Vgonem à Sancto Victore, Petrum Lombardum, & D. Bonuenturam, qui aſſeruerunt hoc Sacramentum inſtitutum eſſe ab Apoſtolis, quandoquidem ea, quæ ſunt de fide, ſemper fuerunt talia, &, qui in vno fidei deficit, factus eſt omnium reus. Sed contrà, quia ad obligandum ad aſſerendum alicui obiecto tanquam de fide non ſufficit, quod ſit in ſe obiectum fidei, ſed debet proponi ab Eccleſia tanquam a Deo reuelatum; vnde tunc ſolum incipit obligare, quando primo proponitur; pro tempore autem, quo ſcripſerunt præallegati DD. hæc veritas non erat ab Eccleſia propoſita tanquam de fide, adeoque &c. Hoc poteſt exemplo elucidari. Communius tradunt Thomiſtæ D. Thomam eorum Anteſignanum ſenſiſſe Deiparam Virginem fuiſſe in originali conceptam. Demus iam, quod Deus reuelaret his temporibus ſine originali conceptam fuiſſe, & hic, & nunc Eccleſia proponeret eius Conceptionem fuiſſe ſine macula tanquam de fide; An eſſet D. Thomas declarandus, vt infidelis? Abſit, quia, quando hoc ſcripſit, hæc veritas non erat ab Eccleſia propoſita tanquam de fide.

Traditiones Apoſtolorum æquiualēt ſacris paginis.

Ad illud, quod dicebatur, nullam de hoc Sacramento factam fuiſſe expreſſam mentionem in Sacro Euangelio, ſed ſolum à D. Iacobo in ſua Epiſtola, vbi etiam præſcripſit modum conferendi hanc infirmorum vnctionem; dicendum eſt, non omnia, quæ Chriſtus fecit, & dixit, ſcripta fuiſſe in Euangelio; prout expreſſè dixit D. Ioannes Apoſtolus in Euangelio ab ipſo conſcripto c. vlt. Ibi- *ſunt autem, & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ, ſi ſcribantur per ſingula, nèc ipſum arbitror mundum capere poſse eos, qui ſcribendi ſunt, libros*. Quamobrem multa habita ſunt per traditiones Apoſtolorum, quas, qui contempſerit tum ad fidem, tum ad mores pertinentes tanquam à Spiritu Sancto dictatas, ac continua ſucceſſione in Eccleſia conſeruatas à *Concilio Tridentino ſeſs. 6. c.* 1. anathematizatur.

Concluſio II. Circa tempus, quo hoc Sacramentum inſtitutum eſt à Chriſto Domino, nihil certi poteſt ſtatui; cum de hoc nihil expreſsè habeatur in ſacris paginis. Nonnulli arbitrantur, & quidem non incongruè inſtitutum fuiſſe in vltima Cæna, quando Apoſtolos in Sacerdotes ordinauit; Alij, & quidem congruentius, inſtitutum fuiſſe poſt Reſurrectionem, quando cum illis erat loquens de Regno Dei, pro quo tempore contulit poteſtatem Apoſtolis remittendi peccata *Ioannis 20.* cum *inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*; probabile quippè eſt, quod non niſi poſt Sacramentum pænitentiæ inſtituerit illud Extremæ Vnctionis, cum hoc ſit quodamodo complementum illius.

5 Quandonam fuerit inſtitutum remiſſiuè.

ARTICVLVS III.

De materia remota, & proxima huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

Materia remota Extremæ Vnctionis eſt oleum oliuarum ab Epiſcopo benedictum. 1.
Solum oleum oliuarum dicitur oleum ſine addito. 2.
Quo iure euincatur debere eſſe ab Epiſcopo benedictum. 3.
Quomodo intelligendus ſit Innocentius I. appellans materiam huius Sacramenti Criſma. 4.
Per modicam mixtionem alterius liquoris non irritatur Sacramentum. 5.
Poteſt Parochus ex cauſa miſcere parum olei non benedicti. 6.
Reſcriptum Sacræ Cōgregationis ſuper hoc. 7.
Non extante oleo benedicto non eſt alia materia adhibenda. 8.
Oleum benedictum eſt de neceſſitate Sacramenti. 9.
Non habet præciſè ſanctificationem per formam in vſu. 10.
Refertur ritus Græcorum, ſecundum quem Sacerdotes benedicunt oleum, quando eodem debent vti. 11.
De iure ordinario benedictio ſpectat ad Epiſcopum. 12.
Ex commiſſione Summi Pontificis pertinere etiam poteſt Sacerdotibus. Ibid.
Arguitur Bonacina, & Ghetius inconſequentiæ. 13.
Adhibens oleum Cathecumenorum pro infirmis grauitèr peccat. 14.
Et probabilius irritaret. 15.
An, & quomodo ſubſiſtat, ſi adhibeatur alia

alia benedictio olei à consueta. 16.
Non est de necessitate Sacramenti, quod oleum sit eo anno benedictum. 17.
Est tamen de necessitate praecepti. 18.
Materia proxima est unctio. 19.

SIcut cętera omnia Sacramenta excepto illo matrimonij constant rebus, & verbis, ita, & hoc ab illis non secernitur; habet enim, & suam materiam consistentem in rebus, & formam consistentem in verbis. Hic iam quaeritur, quaenam res habeat in hoc rationem materiae remotae, & quaenam actio rationem materiae proximae.

1 Materia remota Extremæ Vnctionis est oleum oliuarum ab Episcopo benedictũ.

Conclusio I. Materia remota Extremæ Vnctionis est oleum ex oliuis expressum, & ab Episcopo benedictum. In hoc consentiunt omnes Catholici.

Expressè euincitur ex illo *Iacobi* 5. *Vngentes eum oleo*. Quo posito sic argumentor. Oleum ab Apostolo expositum intelligendum est de oleo, quod secundum propriam, & communem acceptionem est propriè tale sine vllo addito, sed huiusmodi est oleum oliuarum, ergo &c. Maior patet inductione facta in materia aliorum Sacramentorum; Sic, quia Christus Dominus instituit Sacramentum Eucharistiae in pane, & vino, solus panis ex tritico, & vinum ex vite venit pro materia, quia secundum communem acceptionem solus panis triticeus sine addito venit nomine panis, & solum vinum ex vite nomine vini; Sic quia instituit baptismum in aqua, sola aqua naturalis venit nomine aquae aptae ad Sacramentum, cum reliquae dicantur aquae cum addito &c. Minor etiam euincitur ex communi modo loquendi, secundum quem alia olea ex alijs oleribus, herbis, & rebus expressa dicantur talia cum addito puta oleum amygdularum, nucum &c. solumque oleum oliuarum dicitur communi acceptione oleum, & simplicitèr prolato nomine olei intelligitur illud oliuarum.

2 Solum oleũ oliuarum dicitur oleum sine addito.

Quod autem debeat esse benedictum ab Episcopo colligitur ex traditione Apostolica, vt tradit *Beda in c. 6. Marci*. Ibi. *Vnde patet ab ipsis Apostolis huius Sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum vt energumeni, & alij quilibet ægroti vngantur oleo Pontificali benedictione consecrato*. Idem expressius tradit *Concil. Trident. sess. 14. de Extrema Vnctione*. Ibi- *Quibus verbis, vt ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, & effectum huius salutaris Sacramenti; intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum.*

3 Quo iure euincatur debere esse ab Episcopo benedictum.

Quoad primam partem de oleo oliuarum nonnullae hic insurgunt rationes dubitandi. Prima desumitur ex eo, quod *Innocentius I. in Epistola ad Decentium, & Glosa c. 2. distinct. 95.* vocant materiam huius Sacramenti Chrisma, quod non ex puro oleo oliuarum, sed etiam ex balsamo conficitur. Secunda, an, si oleo oliuarum aliquis alius liquor admisceretur, esset apta materia huius Sacramenti. Tertia, quod agendum sit in terris, vbi non est oleum oliuarum.

In ordine ad primam dicendum est Innocentium, & Glosam locis citatis loqui de materia proxima huius Sacramenti, quam appellant *Chrisma*, quod est verbum Græcum, quod significat vnctionem, in qua vnctione, vt infra dicemus, consistit materia proxima, vnde ly *Chrisma*, refertur ad actionem, qua fit hoc Sacramentum, non ad materiam, qua constat.

4 Quomodo materia huius Sacramẽti appelletur *Chrisma*.

In ordine ad secundam dicendum est, quod, si modicum alterius liquoris misceatur cum olio oliuarum, ita vt adhuc maneat natura olei, illud oleum sit materia sufficiens huius Sacramenti. Consentiunt quotquot sustinent per mutationem solummodo accidentalem siue in materia, siue in forma Sacramentorum non variari eorum substantiam, nec inualidari Sacramentum. Recole, quae dicta sunt in quaestionibus de Sacramentis in genere, & de Sacramento pænitentiae, & Eucharistię. Ratio est, quia, sicuti per simplicem alterationem non desinunt complexa substantialia Physica, ità, nec per mutationem merè accidentalem irritantur cõplexa moralia, cuiusmodi sunt Sacramenta. Non eximerem tamen à graui culpa, qui oleum sic alteraret per commixtionem, illumque adhiberet in Extrema Vnctione. Hinc poteris deducere, quod, si Chrisma, prout importat conflatum ex oleo, & balsamo, modico balsamo sit compactum, ità vt retineat naturam, & substantiam olei oliuarum, sit sufficiens materia, non tamen adhibenda sine vrgenti, & graui necessitate, prout notat *Contensonius lib. 11. part. 4. dissert. 1. c. 1. de materia Extremæ Vnctionis*.

5 Per modicã mixtionem alterius liquoris non inualidatur.

Aduerte hic tamen, quod, si Parochus dubitaret oleum consecratum non sufficere, posset sine aliqua culpa modicum olei non consecràti illi commiscere, prout notat *D. Thomas opusc. 65. de Sacram. Vnctionis*, & colligitur *ex c. quod in dubys de consecr. Ecclesi. vel alteris, & ex Rituali Romano sub tit. de Extrema Vnctione*, & deduci potest ex ijs, quę communitèr tradunt DD. de aqua benedicta, cui si commisceatur non benedicta, tota fit benedicta, quod idem dicendum est de oleo benedicto, cui commiscetur modicum non benedictum. Atque iuxta hunc sensum rescripsit Sacra Con-

6 Potest ex causa misceri parũ olei non benedicti.

7 Rescriptũ Sacræ Congregationis.

Congreg. super hoc consulta ad Archiepiscopum Hispalensem apud *Cardenam differt.* 2. *c.* 7. *art.* 1. *num.* 465.

In ordine ad tertiam *D. Thomas in* 4. *sentent. dist.* 23. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiun.* 1. *ad tertium*, supponit primo vix posse habere locum præsens dubium, nam, quamuis in huiusmodi locis oliuæ non pullulent, ex quibus possit oleum exprimi, de facili tamen ad huiusmodi loca transferri potest; supposito deinde, quod nequeat transferri, sentit non posse adhiberi validè aliam materiam, sed permittendum infirmos decedere sine Extrema Vnctione, cum hoc Sacramentum non sit tantæ necessitatis, quod exeuntes sine isto non possint salutem consequi.

8 Non extāte oleo benedicto non est alia materia adhibenda.

Quoad secundam partem de benedictione plures, & longè plures consurgunt difficultates. Prima est, an ex necessitate Sacramenti debeat oleum esse benedictum, seu consecratum. Secunda, an debeat ex eadem necessitate esse consecratum ab Episcopo, an sufficiat, quod sit benedictum à simplici Sacerdote. Tertia, an oleum benedictum ab Episcopo alia benedictione a consueta pro oleo infirmorum sit sufficiens materia. Quarta, an requiratur, quod oleum singulis annis sit benedictum, adeout, si adhibeatur vetus præcedentibus annis benedictum, inualidè, seu saltem illicitè conferatur Sacramentum.

Ad primam *D. Thomas in quarto dist.* 23. *q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *in corpore*, reiecta prius aliquorum opinione, qui asserebant perfici Sacramentum Extremæ Vnctionis in consecratione, quæ fit per Episcopum ea ratione, quod solum Sacramentum Eucharistiæ consistat in consecratione materiæ, cum consistat in re permanente, reliqua omnia in vsu, concludit postea oleum, vt sit materia Sacramenti Extremæ Vnctionis debere esse consecratum, quem postea secuti sunt omnes eius discipuli, & vlterius *Suarez tom.* 4. *in tertiam part. disp.* 40. *nu.* 3., *Fillintius tract.* 3. *c.* 4. *q.* 6., *Bonacina de Sacram. Extremæ Vnctionis disp.* 8. *q. vnica punct.* 2. *num.* 3., *& alij communitèr*. Rationem huius sui asserti duplicem adducit ibidem D. Thomas. Prima est, quia Christus Dominus auctor omnium Sacramentorum nouæ legis aliquibus illorum vsus est, aliquibus non est vsus; illorum, quibus est vsus, materiam suo vsu, & tactu suæ carnis sanctificauit, sic quia vsus est aquis in baptismo, illas suo tactu sanctificauit, & contulit vim regeneratiuam; illorum verò, quibus ipse non est vsus, reliquit Ecclesiæ potestatem illorum materiam sanctificandi; nullis autem vnctionibus ipse est vsus, ideo &c. Secunda est, quia per hoc Sacramentum confertur plenitudo gratiæ, non solum, vt culpam tollat, sed etiam reliquias, & infirmitatem corporis, quam materia confert non secundum virtutem propriā, quam habet in se, sed secundum virtutem, quam recipit à Christo Domino per sanctificationem. Hinc Concilia statuunt oleum infirmorum debere esse benedictum *Trident. sess.* 14. *c.* 1., *Florentinum sub Eugenio IV. in decreto Armenorum, Cabilonense II. c.* 48.

9 Quod sit benedictum est de necessitate Sacramenti.

Dices, hanc sanctificationem habere oleum in vsu eius per verborum formam, ideoque superfluè apponi præcedentem sanctificationem. Sed contra ad hæc respondet *D. Thomas loc. cit. q.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 2. *ad secundum, & art.* 4. *quæstiunc.* 1. *ad tertium*, primam sanctificationem esse materiæ præcisè secundum se, secundam pertinere ad eius vsum, quatenus actu confert effectum suum; nec hoc nouum esse asserit, cum etiam instrumenta Physica accipiant efficaciam ab artifice, & dum fiunt, & dum ad vsum applicantur.

10 Non habet sanctificationem præcisè per formam in vsu.

Ex quibus omnibus eruitur oleum oliuarum præcisè sumptum non esse materiam sufficientem ad hoc Sacramentum validè conferendum, sed debere esse benedictum, cum a benedictione efficaciam recipiat ad conferendos effectus, ad quos est institutum.

Ad secundam; difficultatem mouet id, quod dicitur ex ritu, & consuetudine totius Orientalis Ecclesiæ, in qua Presbyteri tunc oleum infirmorum benedicunt, cum eodem debent vti in vnctione eorundem, vnde non solent oleum illud asseruare, de quo ritu mentionem facit Clemens VIII. in instructione super ritibus Græcorum de oleo Cathecumenorum, & infirmorum, vbi expressè hæc habet. *Non sunt cogendi Presbyteri Græci olea sancta præter chrisma ab Episcopis Latinis Diæcesanis accipere; cum huiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, & Sacramentorum exhibitione ex veteri vsu conficiantur, seu benedicantur*; Ex quibus eruitur, quod benedictio Episcopalis non sit de necessitate Sacramenti, sed sufficiat Sacerdotalis; si etenim esset de necessitate Sacramenti, etiam apud Græcos requireretur, vt ex se patet; vnde, quod refertur ex Concilijs supra recensitis, intelligendum est solummodo de necessitate præcepti.

11 Refertur ritus Græcorū circa benedictionē olei.

Ego in hoc arbitror, de iure ordinario benidictionem huiusmodi olei debere esse Episcopalem, posse tamen esse Sacerdotalem de iure extraordinario ex commissione Summi Pontificis, ità tamen vt, si fiat à simplici Sacerdote sine commissione eiusdem Pontificis inualidè conferatur Sacramen-

12 De iure ordinario benedictio spectat ad Episcopum.

mentum. Iuxta hos terminos arbitror procedere *Contensonium lib. 11. part. 4. dissert. 1. c. 1. de materia Extremæ Vnctionis*, vbi citat *Arcudium, & Gonetum*. Rationem ex eo deduco, quod simplex Sacerdos ex commissione Summi Pontificis potest ordines minores conferre, & etiam confirmare, quantumuis ex iure ordinario hęc munera sint annexa officio Episcopali per ea, quæ probauimus *in quæst. de sacris ord. part. 1. de ordin. in communi q. 2. art. 1., & 2. num. 10., ex D. Ambrosio in c. 4. Epist. ad Ephes.* vbi tradit Sacerdotes Egypti absente Episcopo ex Pontificis concessione confirmationis Sacramentum contulisse, quod idem confirmat *Gratianus in c. peruenit dist. 95.* de Sacerdotibus Sardiniæ, qui ex concessione Gregorij I. confirmationem contulerunt, ergo etiam ex concessione Summi Pontificis poterit simplex Sacerdos oleum infirmorum sanctificare, cum videatur quid maius confirmare, & ordines conferre, quam oleum simplicitèr benedicere, & sanctificare. Ex quibus deinde infero, quod sicuti inualida esset collatio ordinum minorum, & confirmatio facta à simplici Sacerdote sine commissione Pontificis, ità, & benedictio olei &c.

Ex commissione Pontificis potest etiã pertinere ad Sacerdotes.

Et hic responderi potest ad id, quod dicebatur de ritu, & consuetudine Ecclesiæ orientalis, quod ibi scilicet ex concessione, seu approbatione Summi Pontificis fiat illa benedictio, & ex iure non ordinario, sed quodamodo extraordinario, & delegato. In hoc consulendam arbitror Sacram Congregationem.

13 Arguuntur Bonacina, & Ghetius inconsequentiæ.

Ad tertiam *Bonacina de Sacramento Extremæ Vnctionis disp. 8. q. vnica punct. 2. n. 3., Ghetius in thesauro animæ tom. 4. verb. Extrema Vnctio num. 5. in explicatione textus D. Thomæ*, videntur quodamodo sibi contradicere, dum ex vno capite dicunt, quod, si oleum fuerit benedictum ab Episcopo alia benedictione à consueta Ecclesiæ sit sufficiens materia Sacramenti Extremæ Vnctionis, quia à Christo Domino non est præscripta forma, iuxta quam facienda sit benedictio olei, & ex alio capite docent, quod, si Sacerdos, vel ex errore, vel alitèr vnxerit infirmum oleo Cathecumenorum, detecto errore debeat iterum infirmum vngere oleo infirmorum, quia error est in substantia, idest in materia, & propterea irritum fuit primum Sacramentum, & ad hoc adducunt textum *in c. 1. de Sacram. Vnctionis*. Certè oleum infirmorum, & Cathecumenorum non differunt, nisi quoad benedictionum, cum vtrumque sit ex oleo oliuarum; Si ergo diuersa benedictio non officit validitati, vt ipsi adstruunt in prima parte, quomodo in secunda dicunt iterandum esse Sacramentum Extremæ Vnctionis, cum primum fuerit irritum?

14 Adhibens oleũ Cathechumenorũ pro infirmis grauitèr peccat.

D. Thomas *opusc. 65. c. 1. de Sacramento Vnctionis*, asserit, adhibendum esse oleum infirmorum, & non oleum Cathecumenorum, quod adhibetur in Baptismo, & grauitèr peccare Sacerdotes, si alio oleo idest Cathecumenorum infirmos vngant; vbi cum dicat solummodo peccare, nec declarat irritum Sacramentum, videtur sentire esse materiã sufficientem, licet non licitam. Verum, cum postea subdat, quod, si Sacerdos deprehenderit se errasse, & ex errore de alio oleo vnxisse, debeat adhuc de alio oleo debito vngere, & supplere, quod omisit, videtur sentire primam vnctionem ex alio oleo irritam esse, cæteroqui non esset, cur esset iteranda, cum error ille non officeret validitati Sacramenti?

15 Et probabilius irritaret.

Verum hæc omnia conciliari possunt per hoc, quod dum præfati DD. asserunt, quod oleum benedictum ab Episcopo alia benedictione à consueta Ecclesiæ sit sufficiens materia Sacramenti Extremæ Vnctionis, intelligant de benedictione, quæ, quamuis sit diuersa à consueta, sit tamen ordinata ad effectum, qui intenditur per tale Sacramentum, & diuersitas sit solummodo in modo, quod non verificatur per benedictionem, qua consecratur oleum Cathecumenorum, quæ est diuersa in substantia, & ordinatur ad effectum substantialitèr diuersum; atque iuxta hunc sensum arbitror procedere *D. Thomam, Bonacinam, & Ghetium supra allegatos*.

16 An, & quomodo subsistat, si adhibeatur alia benedictio à consueta.

Ad quartam dicendum est, non esse de necessitate Sacramenti, quod oleum fuerit eo anno benedictum, benè tamen de necessitate præcepti. In hoc consentiunt communitèr signantèr *Paludanus in 4. dist. 17. q. 1. art. 2. num. 19., Suarez disp. 33. sect. 1. ad fin., Bonacina de Sacram. Extrem. Vnct. disp. 8. q. vnica punct. 2. num. 6.* Ratio primæ partis est, quia illa benedictio perseuerante materia in sua substantia per lapsum temporis non perimitur; non enim ex institutione Christi Domini est alligata determinato tempori, nec est in potestate Episcopi consecrantis eidem tempori eandem alligare. Ratio secundæ partis deducitur *ex c. literis de consec. dist. 3.* vnde contrà præceptum Ecclesiasticum grauiter peccaret Parochus, qui sine graui causa, & necessitate infirmum vngeret olio præcedenti, vel præcedentibus annis consecrato; Dixi, *sine graui causa, & necessitate*; nam, si periclitante infirmo non esset aliud oleum eo anno benedictum excusaretur Parochus, si oleo præcedentibus annis benedicto infirmum vngeret, quia non est præsumendum, quod Ecclesia

17 Non est de necessitate Sacramenti, quod oleũ sit eo anno benedictum.

18 Est tamẽ de necessitate præcepti;

sia velit in illo discrimine suo præcepto priuare periclitantem illo extremo subsidio, quod licet non sit necessarium, est tamen valdè vtile, & conferre valdè potest ad æternam salutem.

Conclusio II. Materia proxima huius Sacramenti est vnctio. Consentiunt communitèr.

19 Materia proxima est vnctio est.

Ratio ex eo deducitur, quia in omni complexo siue Physico, siue morali illa actio habet rationem materiæ proximæ, per quam materia remota applicatur subiecto, vt præcipuè videre est in omnibus Sacramentis, sic quia per ablutionem aqua in Baptismo applicatur baptizãdo, ipsa ablutio habet rationem materiæ proximæ, sic quia per vnctionem in fronte chrisma applicatur confirmando, eadem vnctio habet rationem materiæ proximæ in Sacramento Confirmationis, & sic discurrendo de cæteris, sed actio, qua in Sacramento Extremæ Vnctionis oleum ab Episcopo benedictum applicatur infirmo est vnctio, ergo hæc in illo habet rationem materiæ proximæ.

ARTICVLVS IV.

Qualis debeat esse huiusmodi vnctio.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa titulum. 1.
Sententia docens de necessitate Sacramenti esse vnicam tantum vnctionem. 2.
D. Iacobus non meminit plurium vnctionum. 3.
Non seruantur eædem vnctiones apud omnes nationes. 4.
Eodem tenore exprimitur vnctio in hoc Sacramento, ac ablutio in Baptismo. 5.
Sententia docens esse de necessitate Sacramenti vnctio quinque sensuum. 6.
Hæc in praxi absolutè seruanda est. 7.
Est conformis dispositioni Innocentij XI. Ibid.
Et menti D. Thomæ. Ibid.
Finis præcipuus huius Sacramenti. 8.
D. Iacobus implicitè innuit vnctionem quinque sensuum. 9.
Euincitur ex traditione, & praxi. 10.
Codex Remigij Rhemensis, & Pastorale Mechliniense, vbi essent approbata, quomodo intelligenda. 11.
Quomodo intelligendus ritus Græcorum. 12.
Quomodo forma Veneta, & antiqua Ambrosiana. 13.
Ex diuerso fine Baptismi, & Extremæ Vnctionis arguitur diuersa dispositio. 14.
Sententia subdens censuræ Innocentianæ asserentes vnam tantam vnctionem esse de necessitate. 15.
Cur vnctio renum, & pedum non sit de essentia. 16.
Salua substantia consuetudines Ecclesiarum sunt seruandæ. 17.
In mutilatis in organis sensuum pars eisdem propinquior est vngenda. 18.
Anima quamuis sit in toto quoad essentiam, non tamen quoad potentias proximas. 19.
Non est de necessitate Sacramenti, quod vnctiones fiant in formam crucis. 20.
Non currit paritas de vnctione in Confirmatione, & quarè. 21.
Non esset graue peccatum, si omitteretur forma crucis. 22.
Ordo in vnctione sensuum non est de necessitate Sacramenti. 23.
An obliget ex præcepto sub graui. 24.
Si sensus habeat duo organa non est de essentia, vt vtrumque vngatur. 25.

1 Dubia examinanda circa titulum.

SUb hoc titulo duo veniunt potissimum examinanda, ea scilicet, quæ sunt de essentia, & necessitate Sacramenti, & ea, quæ sunt ex consuetudine, & necessitate præcepti. Quoad primã hic erit discutiendum, an ex necessitate Sacramenti plures requirantur vnctiones, an vna tantum sufficiat, & qualis hæc debeat esse. Quoad secundã, an requirantur quinque vnctiones in quinque corporis consuetis partibus, adeout nulla possit omitti sine graui culpa. Secundò, an vbi ex consuetudine viget, quod aliquæ tantum partes vngantur, possit, & debeat talis consuetudo seruari omissa consuetudine Ecclesiæ Romanę, & vniuersalis. Tertiò, an, si aliquis fuerit in aliqua parte mutilatus, in qua facienda esset vnctio, possit illius vnctio omitti, an vero facienda sit in parte proximiori. Quartò, an vnctiones, quę fiunt, debeant ex pręcepto fieri in modum crucis, & alia huiusmodi.

2 Sententia constituens essentiam in vnica vnctione.

Prima sententia docet, de essentia, & necessitate huius Sacramenti vnicam tantum esse vnctionem, nec plures requiri. In hoc consentit *Contensonius lib. 11. part. 4. dissert. 1. c. 1. de materia proxima Extremæ Vnctionis* pro qua opinione *in vers. probatur tertio* allegat *Albertum Magnum, Molanum, Setarium, Beccanum, Posseuinum, Arcudium, Estium, Siluium, & alios.*

3 D. Iacobus non meminit plurium vnctionum.

Probant primo, D. Iacobus promulgator huius Sacramenti præscribit vnctionem dumtaxat infirmi *Vngentes eum oleo,* nec plures requirit vnctiones, ergo ex necessitate, & essentia Sacramenti vna dumtaxat requiritur. Consequentia probatur *ex Concil. Trident. sess. 14. de Extrema Vnct. c. 3.*, vbi sic habet. *Nec profecto Ecclesia Romana aliarum omnium Mater, & Magistra aliud in hac administranda vnctione, quantum*

ad

ad ea, quæ huius Sacramenti substantiam perficiunt, obseruat, quam quod Beatus Iacobus præscripsit, ergo, cum Beatus Iacobus præscripserit dumtaxat vnctionem olei, nec plures præscripserit vna, dumtaxat dicenda erit pertinere ad substantiam huius Sacramenti.

Quod, si dicatur, ex hoc dicto Concil. Trid. euinci potius, quod plures requirantur vnctiones de substantia huius Sacramenti, quod sic euincitur. Ecclesia Romana obseruat tantum ea, tanquam de substantia Sacramenti, quæ præscripsit D. Iacobus, sed obseruat quinque vnctiones sensuum, ergo intelliguntur illæ præscriptæ à D. Iacobo; cæteroqui plura obseruaret, quam idem D. Iacobus præscripserit; Statim respondent, quia Concilium Tridentinum dicit quidem, quod Ecclesia Romana seruat ea tanquam de substantia, quæ præscripsit D. Iacobus, non dicit autem, quod omnia, quæ ipsa Ecclesia Romana seruat, sint præscripta à D. Iacobo tanquam de substantia Sacramenti, nam etiam Ecclesia Romana vngit pedes, & renes, & tamen secundum communem omnium sententiam vnctio pedum, & renum non est de substantia, & necessitate Sacramenti.

4 Non seruantur ædem vnctiones apud omnes nationes.

Probatur secundò, quæ sunt de essentia, & necessitate Sacramenti, talia sunt apud omnes nationes, nec est in potestate Ecclesiæ ea omittere, vel substantialitèr variare; nam, si Concilium Tridentinum asserit, quod data sit potestas Ecclesiæ circa administrationem Sacramentorum aliqua variandi, subdit tamen *salua ipsorum substantia*, sed non omnes vnctiones, quę seruantur in Ecclesia Romana, seruantur apud omnes nationes, nec Sacramentum in eisdem exercitum habetur pro irrito. Sic iuxta codicem Remigij Rhemensis; iuxta Pastorale Mechiliniense à tota facultate Louaniensi approbatum; iuxtà Pastorale Bartholomęi ab Aula à Louaniensi Ecclesia receptum approbatur vnica vnctio, vbi vrget necessitas. Sic apud Gręcos non vnguntur oculi, nares, aures &c. sed alię corporis partes, ergo ex necessitate Sacramenti non est affixa vnctio determinatis partibus; ergo ex necessitate Sacramenti non sunt necessariæ plures vnctiones.

5 Pręceptũ Baptismi, & Extremæ Vnctionis eodẽ tenore exprimitur.

Probant tertiò. Sub eodem prorsus modo præscripta est in sacris paginis collatio Extremæ Vnctionis, ac collatio Baptismi, nam, si in hac dictum est *Baptizantes eos in nomine &c.* in illa dictum est *vngentes eum oleo*, sed in Baptismo vna dumtaxat ablutio requiritur, ergo in Extrema etiam Vnctione, quantum est de necessitate Sacramenti, vna tantum vnctio sufficiet; nam, sicuti per vnam ablutionem Baptizatus dicitur sufficientèr ablutus, ità per vnam vnctionem infirmus dicetur sufficientèr vnctus; Neque obesse potest responsio Goneti, quod quidem sufficiat vna ablutio in Baptismo, quia per illam Baptizatus dicitur ablutus, non autem sufficiat in infirmo vna vnctio, licet per hanc dici possit vnctus, quia debent inungi omnes radices peccatorum, quæ consistunt in sensibus; Non, inquiunt, obesse potest, primò, quia admissa hac responsione, nec posset omitti vnctio pedum, & renum, cum in istis consistant etiam radices peccatorum, quod tamen non admittitur; Secundò, quia facta vnctione in parte principali corporis intelliguntur implicitè, & moralitèr inunctæ omnes peccatorum radices.

6 Sentẽtia docens esse de necessitate Sacramenti Vnctio quinque sensuum.

Secunda sententia, eaque tutior, & absolutè in praxi seruanda docet de necessitate Sacramenti esse vnctiones quinque sensuum, non tamen renum, & pedum, & iuxta hanc procedunt *Nugnus tertia part. q. 32. art. 8., Suarez tom. 4. disp. 40. sect. 2., Henriquez lib. 3. c. 12. num. 1., Bartholomæus ab Angelo Dial. 3. §. 110., Valentia tom. 4. disp. 8. q. 2. punct. 2., Filliutius tract. 3. num. 112., Bellarminus tom. 3. de Extrema Vnctione c. 10., Bonacina de Extrema Vnctione disp. 8. q. vnica punct. 5. n. 16.* Huic etiam adstipulatur Innocentius XI. semper gloriosæ memoriæ in damnatione primæ propositionis, qua dicebatur, licitum esse in conferendis Sacramentis vti sententia probabili relicta tutiori circa valorem Sacramenti; denegari autem non potest, tutiorem esse opinionem requirentem vnctionem quinque sensum, cum contraria sententia requirens vnam dumtaxat habeat tot oppugnatores, quot fuerunt relati pro nostra opinione, & alij plures ab eisdem relati. Non modicum etiam fauet *D. Thomas tertia part. q. 32. art. 6.*, dum dicit vnctionem, quæ fit ad quinque sensus ab omnibus obseruari, quasi de necessitate Sacramenti; Nec aliquid negotij facescit ponderatio supra facta, quod scilicet D. Thomas non dicat esse de necessitate Sacramenti, sed reputari quasi de necessitate considerata etiam illa particula *Quasi*, quæ est dimminutiua; Non, inquam, aliquid negotij facescit, quandoquidem in tota serie illius articuli manifestè indicat suam mentem relatam ad necessitatem vnctionum quinque sensuum, & in confirmationem sui dicti refert communem, & ab omnibus receptam obseruantiam; nec verum semper est, quod particula, *quasi* sit dimminutiua, cum quandoque idem sonet, ac *tanquam*. Hoc etiam videre est in sacris paginis, &

7 Hæc in praxi absolutè seruanda est.

 præ-

præcipuè in illo Ioannis 1. Ibi- *vidimus eum quasi Vnigenitum à Patre*, vbi illa particula, *Quasi* non minuit de ratione Vnigeniti, vt per se patet, cum verè sit Vnigenitus Patris.

Hæc secunda tutior, & vera opinio ex eo euincitur, quod hoc Sacramentum institutum est ad curationem malorum spiritualium, quæ è diuersis radicibus processerunt, seu habuerunt originem a distinctis sensibus, qui sunt radices peccatorum, sed per curationem malorum, quæ processerunt ab vno sensu, non ponitur curatio malorum, quæ ab alio sensu processerunt, ergo ad curationem omnium requiruntur vnctiones in omnibus sensibus; Neque arbitrandum est, quod per vnctionem factam in vno sensu purgentur saltem mala, quæ ab ipso sensu processerunt, adeoque validum in eo constituatur Sacramentum saltem partiale; Non, inquam, arbitrandum est, quia cum nequeat vnum peccatum, si fuerit læthale, remitti, quin simul remittantur omnia, non potest fieri valida curatio in vno, quin fiat in alijs omnibus sensibus.

8 Institutũ est hoc Sacramẽtum ad curanda mala, quę prouenerunt à sẽsibus.

Fortior ratio pro hac sententia innotescet ex solutione argumentorum, quæ allata sunt pro contraria opinione. Quamobrem ad primum desumptum ex verbis D. Iacobi non distinguentis vnctiones, sed dicentis præcisè *vngentes oleo*, dicendum est, quod, quamuis D. Iacobus non expressè distinxerit vnctiones quinque sensuum, ex eo tamen, quod subdiderit hoc Sacramentum ordinari ad saluandum infirmum, & soluendum à peccatorum reliquijs, videtur implicitè innuere, huiusmodi vnctiones faciendas esse in partibus, ex quibus originem trahunt, seu traxerunt peccata; atque in hunc sensum interpretata est verba D. Iacobi communis, & recepta omnium praxis, vt testatur *D. Thomas loc. cit.* quinimmo communis, & inueterata traditio, à qua non licet recedere sine nota temeritatis, & periculo censuræ.

9 D. Iacobus implicitè innuit vnctionem quinque sensuum.

10 Traditio, & praxis Ecclesiæ, ità interpretata est dictũ D. Iacobi.

Ad secundum dicendum est. Ritus, qui allegantur non esse receptos, nec approbatos ab Ecclesia Romana, quæ est Mater, & Magistra cæterarum omnium, à qua non licet recedere in ijs, quæ ab eadem non approbantur. In particulari ea, quæ dicuntur de Codice Remigij Rhemensis, & Pastoralis Mechiliniensis, & Bartholomęi ab Aula, intelligenda sunt non absolutè, sed conditionatè, quatenus velint, quod existente necessitate, & vrgente periculo mortis, antequam perficiantur vnctiones quinque sensuum, possit sub conditione fieri vna tantum vnctio, & hoc ad subueniendum, quantum fieri potest, existenti in illo periculo, vt si fortè apud Deum valida sit illa vnctio, habeat infirmus illud extremum remedium, si vero non sit valida, excusetur Minister à nota irreuerentiæ erga Sacramentum, dum illud constituit sub conditione; atque hoc est, quod notat *Cardenas in sua chrisi Theologica dissert. 2. c. 7. art. 2. num. 497.*, dum dicit, quod, si moribundus iam acturus animam non possit recipere omnes quinque vnctiones possit ei ministrari vnica vnctio, ita vt forma mentionem faciat omnium quinque sensuum, quia quando non est medium certum, vsurpandum est medium probabile in casu necessitatis; sunt formalia verba eiusdem Cardenæ, quæ intelligenda sunt, vt procedant tantum sub conditione, quæ semper ponenda est in materia dubia Sacramentorum.

11 Quomodo intelligendus Codex Remigij, & Pastorale Mechiliense.

Ad illud, quod subditur de ritu Græcorum non vngentium oculos, nares, & aures, sed frontem, mentum, ambas genas, vtramque manum, pectus, & pedes, dicendum est, si verum est, quod dicitur, nam mihi non constat, Ecclesiam Græcam addere vnctionibus quinque sensuum vnctiones aliorum membrorum recensitorum, non autem vnctiones quinque sensuum omittere, nec per illam additionem irritatur Sacramentum, cum intelligantur omnia essentialia in vnctione quinque sensuum apposita; vnde illa additio aliorum membrorum ponitur, non tanquam de essentia, sed ad vberiorem significationem, sicuti in alijs Ecclesijs apponitur etiam vnctio renum, & pedum, quæ non est de essentia, cum etiam approbante Ecclesia Romana quandoque omittatur, & ferè semper vnctio renum in fæminis ob decentiam. Cæterum, si supponas, quod in Ecclesia Græca omittantur absolutè vnctiones quinque sensuum, absolutè non approbarem tanquam validum illum ritum, qui fortè solum seruatur à Græcis Schismaticis, non à Catholicis.

12 Quomodo intelligendus est ritus Græcorũ.

Quod, si dicas, quod in forma Veneta fiat mentio vnius tantum vnctionis, quæ forma fuit approbata à Leone X., & quod etiam in Ecclesia Mediolanensi tempore D. Ambrosij in forma, quæ tunc adhibebatur, fieret tantum expressio vnius vnctionis; tunc dicam ibi factam fuisse tantum mentionem de forma, quia tunc controuertebatur solummodo, an illa forma vtpotè, quæ non videbatur esse concepta in terminis deprecatorijs, esset valida, & a Leone X. fuit approbata, vt valida, & Mediolani fuit recepta, vt valida tempore D. Ambrosij, cum non esset concepta simpliciter modo indicatiuo, sed quoquo modo deprecatiuo, vt probat Gonetus in tertiam partem D. Thomæ, dum de Sacra-

13 Quomodo intelligenda forma Veneta, & antiqua Ambrosiana.

cramento Extremæ Vnctionis; sed postea vtrobique inducta fuit consueta forma Ecclesiæ Romanæ. Cæterum, quamuis ibi non fiat mentio quantitatis vnctionum, non excluduntur tamen vnctiones consuetæ Ecclesię Romanę, quę ab omnibus teste D. Thoma obseruantur, sed supponuntur.

14
Ex diuerso fine Baptismi, & Extremæ Vnctionis arguitur diuersa dispositio.

Ad tertium de identitate rationis cum Baptismo, in quo, sicuti dicitur in sacris paginis pręcise *baptizantes*, ità in Extrema Vnctione *vngentes*, & tamen de essentia Baptismi non est triplex immersio, adeoque neque de essentia Extremæ Vnctionis quinque vnctiones, dicendum est non currere paritatem propter diuersos fines, ad quos hæc Sacramenta instituta sunt, quandoquidem Sacramentum Baptismi ex principali suo fine institutum est ad deletionem peccati originalis, quod inficit vnico principio totam carnem, adeoque vnica ablutione, seu immersione potest abstergi; quod, si contingat simul cum originali delere alia actualia, quæ ministerio sensuum fuerunt commissa, hoc est ex consequenti, non ex primaria sui institutione; Sacramentum vero Extremæ Vnctionis institutum est ad curationem omnium peccatorum, quæ prouenerunt ministerio sensuum, tanquam ex radicibus, ideoque vnctiones ex primaria eiusdem institutione fieri debet in sensibus omnibus, à quibus distincta peccata processerunt; atque iuxta hanc diuersam rationem procedit *D. Bonauentura in quarto dist. 22. art. 2. q. 3. in resolut. ad primum*.

15
An subijciatur censuræ Innocentianæ sententia constituens essentiam in vna tantum vnctione.

Hinc *Cardenas in sua chrisi Theologica dissert. 2. c. 7. art. 2. n. 496., & 497.* docet, quod, quamuis prima opinio asserens de necessitate Sacramenti esse vnam dumtaxat vnctionem, sit speculatiuè probabilis, in praxi tamen nullo modo sit seruanda, cum subiaceat damnationi Innocentij XI.

Difficultas solummodo versari potest in eo, quod dictum est restrictiuè in expositione huius secundæ sententiæ, quod scilicet non sit de necessitate Sacramenti vnctio renum, & pedum, cum æquè primo cum alijs referatur à Concilio Florentino, & rationes, quæ militant pro quinque sensibus, militent etiam pro renibus, & pedibus, cum etiam per renes, & pedes peccata prouêniant. Nonnulli quoad hoc dixerunt, fuisse vsu receptum, quod fierent vnctiones in quinque sensibus, non autem vbique, quod fierent in renibus, & pedibus. Sed hoc subterfugium non subsistit, quia vsus non potest efficere, quod non sit de necessitate Sacramenti id, quod est de tali necessitate. Probare igitur debuissent non esse de necessitate, non arguere negationem talis necessitatis ex non vsu.

16
Cur vnctio renũ, & pedum non sit de essentia.

Dicendum est ergo ex ipsa institutione, prout notat *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 2. art. 3. quæstiun. 2. in corpore, & 4. contra Gentes c. 73.* hoc Sacramentum ordinatum esse ad primas origines peccatorum, quæ resident in quinque sensibus, seu ad peccata, quæ ex eisdem primis originibus prouenerunt, euellenda; primæ autem origines consistunt in principijs cognoscitiuis, quæ sunt sensus, qui habent dirigere operationes, cum nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit in sensibus; renes autem, & pedes sunt principia dumtaxat appetitiua, & solum secundaria principia; vnde ibidem subdit D. Thomas. *Quia primum principium est cognoscitiuum, ideo illa vnctio ab omnibus obseruatur, quæ fit ad quinque sensus quasi de necessitate Sacramenti*. Ex quibus euincitur vnctio renum, & pedum non esse ex institutione Christi Domini, sed ex dispositione Ecclesiæ, quæ propterea non ab omnibus Ecclesijs seruatur, quia appetitiua, & motiua sunt secundaria principia. Nec officit, quod Concilium Florentinum mentionem fecerit etiam renum, & pedum, quia Concilium ibi numerat, quæ tunc consueuerunt fieri, non simplicitèr ea, quæ erant necessaria.

17
Salua substantia consuetudines Ecclesiarum sunt seruandæ.

Quamuis autem sint solummodo de necessitate Sacramenti vnctiones quinque sensuum, retentis tamen eisdem quinque vnctionibus seruandæ sunt vnctiones, quę in vnaquaque Ecclesia receptæ sunt, & approbatæ; & in hoc arbitror omnes consentire signantèr *Contensonius lib. 11. part. 4. dissert. 1. c. 1. de materia proxima Extremæ Vnctionis concl. 5.* Ratio est, quia ex Concil. Trident. concessum est Ecclesiæ circa administrationem Sacramentorum variare addendo, vel minuendo salua illorum substantia, ergo, si in aliqua Ecclesia ex consuetudine, & ritu approbato inducta fuerit aliqua additio, vel dimminutio sine læsione substantiæ, hæc vtique erit seruanda, siquidem consuetudines honestæ legitimè inductæ, receptæ, & approbatæ sunt tanquam leges obligantes.

18
In mutilatis in sensibus pars propinquior est vngẽda.

His, quæ dicta sunt de quinque vnctionibus, tanquam de necessitate Sacramenti videtur obstare communis Ecclesiæ praxis, secundum quam confertur Extrema Vnctio etiam mutilatis, vel carentibus organo alicuius sensus, in quo fieri solet vnctio, ex qua praxi inferendum videtur, vel non esse necessarias illas quinque vnctiones, vel Ecclesiam in illa errare. Nonnulli ex sectatoribus secundæ sententiæ dixerunt in hac hypothesi abstinendum esse à collatione huius Sacramenti, cum deficientibus essentialibus non subsisteret, quinimmò irreuerentia irrogaretur eidem

Sacramento. Mitius procedunt *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 3. art. 3., & ibi Sotus q. 2. art. 3., Naldus verb. Extrema Vnctio num. 8., Siluester eod. verb. num. 6.*, quibus adhærendum existimo. Ratio ex eo deducitur, quod, si quid obsisteret collationi huius Sacramenti, vel esset, quia in illo membro, quod deficit, nulla labes, seu peccatum posset considerari, vel quia deficit subiectum immediatum illius vnctionis; sed neutrum ex his obsistit; non primum, quia, vel illud membrum, in quo est mancus, & mutilus, deficit à natura, eo quia sine illo natus est, vel deficit, quia abscissum est, postquam eodē gauisus est; si hoc secundum dicatur; potuit in eo membro deliquisse, vel fortè etiam deliquit, adeoque potest applicari remedium ad reliquias peccatorum abstergendas; si primum dicatur, licet non possit dici per illud membrum deliquisse exterius, potuit tamen interius delinquere; cæcus enim à natiuitate potest desiderare visum, & visus exercitium, surdus auditum &c. & sic interius circa illa delinquere. Ratio fundamentalis horum omnium ea est, quam adducit *D. Thomas in quarto dist. 23. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 3. in corpore*, quia scilicet anima est radix omnium sensuum, ab eaque tanquam à radice profluunt, & sic quamuis *deficientes non habeant illa membra, habent tamen potentias animæ, quæ illis membris debentur saltem in radice, & interius peccare possunt per ea, quæ ad partes illas pertinent, quamuis non exterius*. Neque dicas, ex his verbis D. Thomæ inferri non esse de necessitate Sacramenti vnctiones in quinque sensibus, sed, vel vnam fieri posse, vel plures in diuersis partibus, nam, si deficientibus organis sensuum remanent potentiæ animæ, quæ illis membris, debentur, sequitur, quod hæ animæ potentiæ insint in alijs membris, ergo, si quia hæ potentiæ remanent in alijs membris possunt vnctiones fieri in illis membris, vbicunque fiant, validè fieri dicendæ sunt, cum ibi eiusdem animæ potentiæ resideant; Contra enim impugnaberis, quia licet potentiæ animæ vtpotè in eadem radicatæ remotè, & in actu primo resideant, vbicunque est anima in corpore; proximè tamen, & in actu secundo pręcipuè, si sint sensitiuę, non resident, nisi vbi est organum talium potentiarum; quod est id, quod asserit ibidem *D. Thomas quæstiunc. 1. ad primum*, quod, quamuis anima sit tota in qualibet parte corporis, quantum ad essentiam, non tamen quantum ad potentias, quę sunt radices peccatorum, &, licet deficiente organo alicuius sensus non sit ibi formalitèr potentia proxima, est tamen ęquiualentèr in parte proximiori propter connexionem, quam habet, seu habere deberet illa pars proxima cum organo deficiente, quod est id, quod considerauit idem D. Thomas, dum dixit, quod mutilati inungi debent, quanto propinquius esse potest ad partes illas, in quibus vnctio fieri debuerat.

Rationes pro hoc asserto.

19 Anima quamuis sit in toto quoad essentiam non tamē quoad potentias proximas

Ex ijs, quę mox diximus, euincitur etiam secunda pars minoris primi argumenti, quod scilicet non obsistat, quod non extet subiectum immediatum vnctionis organi sensus, quod deficit, quandoquidem, cum versemur in actionibus, quę etiam moralitèr operantur, propinquitas ipsa sensus, vbi iste deficit, habetur moralitèr pro ipso sensu deficiente propter connexionem immediatam, & propinquam, quam habent inter se huiusmodi partes.

Pro complemento eorum, quę pertinent ad hunc titulum materię huius Sacramenti, tria potissimum remanent discutienda. Primum est, an vnctiones, quę ex dictis fieri debent in quinque sensibus, necessario faciendę sint in formam crucis, vel ex necessitate Sacramenti, vel saltem ex necessitate pręcepti. Secundum est, an vel vna, vel altera necessitate sit seruandus ordo in huiusmodi vnctionibus in Rituali pręscriptus. Tertium, an, vbi sensus duo habet organa, vtrumque organum sit ex necessitate, vel Sacramenti, vel pręcepti vngendum.

In ordine ad primum dicendum est non esse ex necessitate Sacramenti, quod vnctiones fiant in formam crucis, quinimmo, nec necessitate pręcepti grauitèr, seu sub graui obligantis. Consentiunt *Suarez tom. 4. disp. 40. sect. 2. num. 3., Filliutius tract. 3. c. 4. q. 8. num. 85., Bonacina de Sacramento Extremæ Vnctionis disp. 8. q. vnica punct. 2. propos. 2. num. 9. vers. dixi*. Ratio primę partis ex eo deducitur, quod nullibi in sacris paginis reperitur dispositum, quod huiusmodi vnctiones fiant in formam crucis, nec hoc habetur ex traditione Apostolorum, nec ex Conciliorum definitione, ergo non requiritur ex necessitate Sacramenti, quod talitèr fiant; Neque dicas, in Sacramento Confirmationis requiritur, quod vnctio chrismatis fiat in formam crucis, ergo hoc idem requiritur in Sacramento Extremę Vnctionis; Contra enim impugnaberis, quia, quidquid sit, quod in Sacramento Confirmationis sit de necessitate eiusdem, quod vnctio fiat in formam crucis, de qua re sermonem habebimus in quęstionibus de eadem Confirmatione, ex hoc nihil euincitur ad rem pręsentem, quandoquidem ex ipsa forma essentiali Sacramenti Confirmationis euincitur necessitas vnctionis in formam crucis, cum dicatur *Signo te signo crucis*

20 Non est de necessitate Sacramēti, quod vnctio fiat in formā crucis.

21 Non currit paritas de vnctione in confirmatione.

crucis &c. quod non euenit in forma Extremę Vnctionis, vt per se patet, & congrua quidem ratione in Confirmatione requiritur vnctio in formam crucis, & non in Extrema Vnctione, quia in illa confirmatus stabilitur in militia Christi Domini sub vexillo crucis, in ista verò solum disponitur ad vitam ęternam consequendam supposito signo crucis efformato in eadem Confirmatione.

22 Non esset graue peccatũ, si non fieret vnctio in formam crucis.

Quod verò non sit ex necessitate Sacramenti saltem obligantis sub graui, ex eo euincitur, quod non constat de tali pręcepto, nisi ex Rituali Romano, quod videtur esse solummodo directiuum, & quando etiam dicere velimus, esse pręceptiuum, non est tamen tale, vt obliget sub graui, cum sit de re leui considerata leuitate actionis tam in esse rei, quam in esse significationis; in esse rei, vt per se patet, cum importet secundum se modum merè accidentalem; in esse significationis, cum nullam necessariam habeat connexionem cum effectu significato, cum haberi possit sine illo expresso signo, vt videre etiam est in alijs Sacramentis excepto illo Confirmationis.

23 Ordo in vnctione sensuum non est de necessitate Sacraméti.

In ordine ad secundum non est hęsitandum, ordinem, qui ex consueto seruatur, non esse ex necessitate Sacramenti, cum hic ordo non sit ex institutione Christi Domini, sed solam ex dispositione Ecclesię, & mutato ordine adhuc remanet perfecta significatio, & in hoc consentiunt *Suarez tom. 4. in tertiam partem D. Thomæ disp. 41. sect. 2. num. 9., Emanuel Sà verb. Extrema Vnctio num. 12., Titigianus in quarto dist. 23. q. vnica art. 6. dub. 3., Posseuinus c. 9. num. 14., Bonacina de Sacrament. Extremæ Vnctionis disp. 8. q. vnica punct. 5. n. 20.* Quarè solum difficultas versatur secundum necessitatem pręcepti, secundum quam dicendum est, seruandum esse talem ordinem, qui in vnaquaque Ecclesia pręscribitur. Sed, an talis ordo seruandus sit sub lęthali? Attenta pręcisè conditione sensuum, videtur dicendum, non esse sub lęthali seruandum talem ordinem, quandoquidem licet sensus seruent ordinem ad intellectum, & voluntatem, nullum tamen seruant inter se. Nihilominus stante ordine ab Ecclesia pręscripto non eximerem à culpa Sacerdotem, qui inuerso ordine eodem aliter inungeret sine aliqua causa; non tamen aliqui grauant lęthali, nisi fieret in spretum, quia non esset inordinatio inter ipsos sensus, & illa inuersio esset omnino accidentalis, non contra substantiam, nec in grauibus lęderet præceptum, si quod esset, & adhuc integra maneret significatio. In hoc tu cogita.

24 An obliget ex præcepto sub graui remissiuè.

In ordine ad tertium dicendum est, vtrumque organum non esse ex necessitate Sacramenti inungendum; ex pręcepto tamen seruandam esse consuetudinem locorum; consultius tamen vtrumque est inungendum. *Suarez tom. 4. in tertiam partem D. Thomæ disp. 41. sect. 2., Naldus verb. Extrema Vnctio num. 2., Bonacina de Sacram. Extremæ Vnctionis disp. 8. q. vnica punct. 5. num. 21.* Ratio primę partis ex eo deducitur, quia per vnctionem vnius organi ex illis sensibus habetur perfecta significatio effectuum, qui causantur ab ipso Sacramento, nempè curatio omnium sensuum, seu peccatorum, quę ex singulis sensibus processerunt. Ratio secundę partis est, quia salua rei substantia consuetudines locorum sunt seruandę, nec liberum est cuicunque illas mutare, seu ab illis recedere.

25 Si sensus habet duo organa non est de necessitate Sacramenti, vt vtrumq; vngatur.

ARTICVLVS V.

De Forma huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

Refertur consueta forma, quæ adhibetur in Ecclesia latina. 1.

In suppositione, quod vrgente necessitate posit fieri sub conditione vnica vnctio, quæ forma esset adhibenda? 2.

Debet esse vna comprehendens omnes sensus. 3.

Et vrgente necessitate possunt omnes sensus sub communi nomine comprehendi. 4.

Expressa inuocatio Sanctissimæ Trinitatis, nec est de necessitate Sacramenti, nec præcepti. 5.

An in consueta forma necessaria sit nominatio sensuum ex vi Sacramenti duplex opinio. 6.

Tutius est, quod fiat illa nominatio. 7.

Illæ particulæ sanctam, *&* pijssimam *non sunt de necessitate Sacramenti.* 8.

An particulæ, per suam misericordiam *sint talitèr necessariæ, duplex sententia.* 9.

In praxi sequenda est sententia affirmans esse necessarias. 10.

1 Refertur consueta forma.

Consueta forma, quæ in Ecclesia Latina adhibetur, ea est, quæ præscribitur in Rituali Romano consistens in illis verbis. *Per istam Sanctam Vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti. In nomine Patris &c.*, & repetitur in vnctione singulorum sensuum mutato illo verbo, *per visum* in nomen, quod significet sensum, qui inungitur, nempè per auditum, per odoratum &c.

Sed quia in præcedentibus nos diximus, in casu extremæ necessitatis, in quo præuide-

2 In suppositione, quod posset fieri vnica vnctio, quæ forma adhibenda?

uidetur non posse perfici omnes vnctiones, posse vnam tantum fieri sub conditione, eo quia ob multorum opinionem asserentium in tali casu subsistere Sacramentum, quod nos speculatiuè loquendo asseruimus esse probabile, & in materia dubia in ordine ad subueniendum periclitanti sub conditione posse conferri Sacramentum, vt si validum sit coram Deo, prosit, & si non sit validum, eius collatio excusetur à culpa ratione conditionis appositæ, ideo quærimus in præsenti, sub qua forma in data hypothesi possit tale Sacramentum sub conditione conferri. Dicimus ergo, quod possit fieri vnica vnctio sub vna forma comprehendente omnes sensus dicendo. *Per istam Sanctam Vnctionem, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, olfactum, locutionem, & tactum deliquisti.* Quod, si timeatur, quod non possint omnes sensus exprimi, poterit eisdem omissis sub conditione dici in vniuersum *quidquid per omnes sensus deliquisti*, vel etiam præcisè. *Quidquid deliquisti*. Ratio est, quia, sicuti conditio in omissione vnctionum quinque sensuum in periculo, ne infirmus decedat, eisdem non perfectis excusat à culpa, & si Sacramentum validum est, prodest infirmo, ità illa conditio apposita excusare debet a culpa, si forma concipiatur vnico tantum sermone comprehendente omnes sensus, vel etiam eorundem nominatione omissa, cum in multorum sententia illa expressio non sit necessaria necessitate Sacramenti, &, si validum sit Sacramentum sine illa, sit profuturum infirmo, & si non sit validum, ratione conditionis appositæ non noceat reuerentiæ Sacramenti.

3 Regulariter in eadem forma sunt omnes sensus exprimēdi.

4 Et vrgēte necessitate possūt sensus sub communi nomine cōprehendi.

Sed, si loquamur de consuetis formis, quæ adhibentur ad singulos sensus iuxta communiorem, & tutiorem sententiam, quam nos in praxi absolutè amplectendam diximus, remanet solum inquirendum, an omnes illarum particulæ sint necessariæ, adeout, si aliquæ omittantur, irritetur forma.

5 Expressa inuocatio Sanctissimæ Trinitatis nō est necessaria.

Incipiendo ab vltimis particulis expressionis Sanctissimæ Trinitatis dicimus, has non esse necessarias necessitate Sacramenti, nec necessitate præcepti, &, si quandoque ab aliquibus adhibentur, hoc præstant ad abundantiam, non ad necessitatem. Hoc expresè euincitur ex Ritualibus Romano, & Ambrosiano, in quibus non habetur talis inuocatio; nec valet paritas de forma Sacramenti baptismatis, quandoquidem in isto fit professio fidei, quæ non fit in Sacramento Extremæ Vnctionis, & in hoc consentiunt *Pitigianus in quarto dist. 23. q. vnica art. 4. ad fin., Coninchus disp. 19. dub. 4. num. 15. vers. obserua, Filliutius tract. 3. c. 4. num. 86.* Obserua tamen, quod, si in aliqua determinata Ecclesia fuerit recepta consuetudo talis inuocationis expressę, hæc vtique ibi esset seruanda ex generali regula, quod piæ consuetudines Ecclesiarum receptæ, & approbatæ non sint omittendæ.

6 An necessaria sit nominatio sēsuum.

Prosequendo ad alias particulas disputant primo DD., an nominatio sensuum, qui inunguntur, sit de necessitate, & quidem *Ghetius in thesauro animæ tom. 4. verb. Vnctio Extrema c. 3. de forma Extremæ Vnctionis sub num. 4. in explicatione lit. D. Thomæ in quarto dist. 23. q. 1. art. 4. quæstiunc. 1. ad secundum*, arguit suppresso nomine aliquos recentiores, qui asserunt talem sensuum expressionem non esse de essentia formæ, eo quia per alia verba sine tali expressione non indicetur remitti peccata originem trahentia à quolibet sensu. Sed contra Ghetium nominatim stant *Reginaldus lib. 28. c. 9. num. 50., Diana part. 3. tract. 4. resol. 175. vers. notandum*, & alij sentientes, talem expresionem non esse necessariam ad valorem Sacramenti ea moti ratione, quod nullo iure colligitur hæc verba esse necessaria, nec eadem exigit effectus, ad quem dirigitur Sacramentum, nempè remissio peccatorum à singulis sensibus prouenientium, quandoquidem implicitè exprimitur per ly, *Quidquid deliquisti*. In hoc tutius esse arbitror, quod in praxi fiat talis expresio, & absolutè illa est adhibenda; in casu tamen vrgentis necessitatis, quando periculum esset in mora, non damnarem, si sub conditione conferretur Sacramentum sine tali nominatione, quia in tali casu ad subueniendum periclitanti, sicuti potest adhiberi materia dubia, ita non video, cur etiam nequeat adhiberi forma dubia purificante omnem irreuerentiam illa conditione.

7 Tutius est, quod fiat, nec omittenda sine necessitate.

8 Illæ particulæ *Sāctam*, & *pijssimam* non sunt de necessitate Sacramenti

Disputant secundò DD., an illæ particulæ, *sanctam*, & *suam pijssimam misericordiam*, sint de necessitate formæ. Non esse de essentia eiusdem illa duo adiectiua *Sanctam* adiectam vnctioni, & *pijssimam* adiectam misericordiæ, communius sentiunt DD., sed discrepant quoad illas *per suam misericordiam*, nam *Nugnus tom. 3. in addit. ad tertiam partem D. Thomæ q. 29. art. 9. concl. 4.* sustinet inualidum fore Sacramentum, si illæ particulæ omitterentur, ea motus ratione, quia magis necessarium videtur, vt in forma Sacramentorum explicetur potius causa principalis, quam instrumentalis; exprimitur autem, & necessario exprimenda est causa instrumentalis per illa verba *per istam vnctionem*, ergo à fortiori exprimenda est principalis per illa verba, *per suam misericordiam*. *Suarez* verò *tom. 4. in tertiam part. disp.*

9 An illæ particulæ *per suam misericordiam* sint necessariæ.

disp. 40. sect. 3. num. 13., quem postea secuti sunt *Pitigianus in quarto tom. 2. dist. 23. q. vnica art. 4. dub. 2.*, *Coninchus de Sacram. disp. 19. dub. 4. num. 15.*, *Reginaldus tom. 2. lib. 28. c. 9. num. 56.* sentit validum fore Sacramentum etiam si omitterentur illa verba *per suam misericordiam*, eo quia non est necessaria expressio causæ principalis, vt videre est in formis aliorum Sacramentorum, & vbi in hoc diceretur necessaria, sufficientèr habetur per illa verba *Indulgeat tibi Deus*. Quid iam circa hoc sentiendum. In praxi absolutè adhibendam censeo formam cum illa expressione, licet speculatiuè loquendo sustineri possit, vt probabilis opinio asserens illam expressionem non esse de necessitate Sacramenti.

10 In praxi non sunt omittendæ.

Quamuis autem recensitæ particulæ non sint de essentia, & de necessitate Sacramenti, grauitèr tamen peccaret, qui illas omitteret, quandoquidem faceret contra præceptum, & consuetudinem Ecclesiæ in re graui scilicet circa formas Sacramentorum, quæ adamussim seruandæ sunt, nec est in libertate cuiusque eas variare etiam circa accidentalia addendo, vel dimminuendo &c.

ARTICVLVS VI.

An sit de essentia formæ huius Sacramenti, vt fiat modo deprecatiuo.

SVMMARIVM.

Rationes D. Thomæ suadentes requiri formam modo deprecatiuo. 1.
Triplex forma potest excogitari, altera deprecatoria, altera indicatiua, altera mixta. 2.
Variæ sententiæ circa has formas. 3.
Forma merè indicatiua, si verè datur, non est sufficiens, nec legitima. 4.
Quomodo intelligendus sit D. Thomas, dum dicit ex operatione ministri non semper consequi effectum huius Sacramenti. 5.
D. Iacobus promulgator huius Sacramenti indicat modum deprecatiuum. 6.
Formæ aliorum Sacramentorum dicuntur latè orationes. 7.
Non currit paritas de Baptismo, ac de Extrema Vnctione. 8.
Quomodo intelligenda sit forma Veneta, & Ambrosiana. 9.
Forma mixta modo indicatiuo, & deprecatiuo est sufficiens, non tamen licita. 10.
In illa forma nil deficit, quod pertineat ad valorem. 11.

D. Thomas *in quarto dist. 23. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. in corpore*, conatur pluribus euincere, formam huius Sacramenti non posse proferri, nisi modo deprecatiuo, non merè indicatiuo; primò, quia ita institutum à Christo Domino, prout promulgauit D. Iacobus c. 5. *Inducat Presbyteros, & orent super eum.* Secundò, quia ità seruatur in Ecclesia Romana, quæ est Mater omnium Ecclesiarum. Tertiò ex necessitate infirmi, qui, cum in eo statu nequeat proprijs viribus subleuari, indiget aliorum orationibus. Quartò ex statu transeuntium, quia, cum iam incipiant desinere esse de foro Ecclesiæ, constituuntur quodamodo in manu solius Dei, apud quem propterea deprecationibus indigent adiuuari. Quintò, quia hoc Sacramentum non semper habet ex operatione ministri, quantumuis omnia ad ipsum requisita sint posita, aliquem effectum, sicuti habent cætera Sacramenta, vt discurrenti fit manifestum, nam in Sacramentis irriterabilibus positis requisitis semper resultat caracther, in Eucharistia transubstantiatio, & in pænitentia remissio peccatorum supposita contritione, quæ est de essentia eiusdem, quæ tamen non est de essentia Sacramenti Extremæ Vnctionis. Quod, si dicas, etiam Sacramentum Extremæ Vnctionis positis omnibus requisitis habere effectum semper remissionis peccatorum; statim impugnaberis, quia sine atritione non consequitur semper hic effectus, contritio autem, seu atritio non est de essentia huius Sacramenti, & sic positis omnibus ad ipsum requisitis non consequitur hic effectus, cum non sit atritio, quę non est de essentia eiusdem. Hęc omnia colligo *ex D. Thoma loco cit.*

1 Rationes D. Thomæ pro forma deprecatiua.

Contensonius discipulus eiusdē D. Thomę *lib. 11. part. 4. dissert. 1. c. 1. de forma Extremæ Vnctionis*, distinguit tres formas in hoc Sacramento, alteram deprecatoriam simplicitèr, alteram indicatiuam tantum, alteram mixtam hoc est deprecatiuam simul, & indicatiuam. Primam asserit esse sufficientem, & legitimam, & huiusmodi est forma, qua vtitur Ecclesia Latina per illa verba. *Per istam sanctam vnctionem &c.* & etiam illa, qua vtitur Ecclesia orientalis, quam refert Arcudius, & reuera forma deprecatoria est conformis verbis D. Iacobi. Ibi- *Oratio fidei saluabit infirmum.* Secundam etiam, si verè datur, asserit, probabile esse, quod sit legitima, cum vere significet effectum, ad quem hoc Sacramentum institutum est, & ipsa forma indicatiua habeat vim orationis. Tertiam a fortiori asserit esse legitimam, cuiusmodi est ista *Vngo te oleo, & indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti*, quod probat ex libro Sacramentali Venetorum approbato à Leone X. prout refert Palacius,

2 Triplex forma assignatur.

3 Variæ opiniones circa has formas.

cius, & ex libro Sacramentarij D. Gregorij in Codice antiquo Helitgarij, vt refert *Albertus Magnus in quarto dist. 23. art. 1. quæst. 2.*

Nugnus etiam discipulus D. Thomæ *in addit. ad tertiam partem quæst. 29. art. 8.* absolutè asserit, improbabile esse formam merè indicatiuam, & etiam mixtam esse legitimam, quia modus iste loquendi non conformatur verbis D. Iacobi, nec continet formam deprecatoriam versus Deum. Quid ergo in hac controuersia concludendum.

4 Forma merè indicatiua non est valida.

Conclusio I. Forma huius Sacramenti merè indicatiua, si verè datur, non est sufficiens, nec legitima. In hoc consentit expressè *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. in corpore*. Ibi- *& ideo in hoc Sacramento non potest esse forma indicatiui modi, sicut in cæteris Sacramentis*, & ad hoc comprobandum adducit omnes rationes, quas in principio huius tituli retulimus. Aduerte hic tamen, quod D. Thomas, dum in quinta ratione per nos ex eiusdem mente relata dicit, non semper in hoc Sacramento ex operatione ministri consequi aliquem effectum, intelligendus sit de effectu sanitatis corporalis, non autem de effectu remissionis peccatorum, qui semper consequitur positis omnibus requisitis, vt videtur colligi ex eodem *D. Thoma loc. cit. quæstiunc. 3. ad tertium*; vnde explicatio per nos adducta, valeat, quantum valere potest. Id ipsum, quod D. Thomas, sentiunt *Henriquez lib. 3. c. 8.*, *Bellarminus tom. 3. de Sacram. Extremæ Vnctionis lib. vnico c. 7.*, *Nugnus loc. cit.*, *Bonacina de Sacram. Extremæ Vnctionis disp. 8. q. vnica punct. 3. n. 3.*, *Phyliarchus tom. 1. lib. 12. c. 12.*, *Bartholomæus ab Angelo dialogo 3. §. 104.*, *& alij magis communitèr*, & signantèr vltra citatos *Coninchus de Sacram. disp. 19. dub. 4. num. 14.*, *Ledesma in summa tom. 1. de Sacram. Extremæ Vnctionis c. 1. concl. 2.*, *Siluius in addit. ad tertiam partem q. 29. art. 7.*

5 Dictum D. Thomæ quomodo intelligendum.

6 Colligitur ex modo, qui indicatur à D. Iacobo.

Rationes ex D. Thoma adductæ in principio huius articuli videntur hanc conclusionem sufficientèr euincere, & vlterius deducitur ex modo, quo à D. Iacobo promulgatum est hoc Sacramentum. Ibi- *Inducant Presbyteros, & orent super eum*; ex conditione infirmi, qui, cum sit viribus destitutus, indiget aliorum præsidio per congruas deprecationes. Ibi- *& oratio fidei alleuiabit infirmum*; tum ex proximo transitu ad forum Diuinæ Maiestatis, cui propterea commendandus est, ergo huiusmodi forma debet esse deprecatoria, nec sufficit, quod sit merè indicatiua, cum hæc non sit apta ad illos effectus significandos.

7 Formæ aliorum Sacramentorum dicuntur latè orationes.

Dices primò. Forma etiam concepta modo indicatiuo habere potest vim orationis, vt indicant communitèr SS. PP., qui formas Sacramentales passim appellant orationes, vt signantèr D. Leo Papa, qui absolutionem Sacramentalem vocat orationem Sacerdotis. Sed contrà, quia, licet huiusmodi formæ aliorum Sacramentorum dici possunt orationes, dicuntur tamen tales lato modo, quatenus consequuntur effectum, quem consequuntur orationes propriæ, quæ solum ad Deum diriguntur ad impetrandum effectum, pro quo effunduntur; cum autem requiratur pro forma deprecatio, hæc debet esse strictè, & formalitèr talis, nec sufficit similitudinaria in ordine ad effectum.

8 Non est eadē dispositio de Baptismo, ac de Extrema Vnctione.

Dices secundò. Sub consimili forma constituitur lex Baptismi, ac illa Extremę Vnctionis, nam, si in illa dicitur *baptizantes eos in Nomine Patris*; in ista dicitur. *Vngentes eum oleo &c.* sed in Baptismo valida est forma, qua dicitur: *Ego te baptizo*, ergo in Extrema Vnctione valida erit ista, qua dicitur: *Ego te vngo oleo Sancto*. Sed contrà, quia quoad Baptismum præcisè imponitur lex baptizandi in aqua inuocato nomine Sanctissimæ Trinitatis; quoad Extremam verò Vnctionem non solum præscribitur lex ipsam conferendi, sed vlterius modus, quo debet conferri *Inducant presbyteros, & orent super eum, & oratio fidei alleuiabit infirmum*.

9 Quomodo intelligenda sit forma Veneta, & Ambrosiana.

Dices tertiò. Forma Veneta, & antiqua Ambrosiana concepta est modo indicatiuo, & tamen illa approbata est à Leone X., ista obseruata à tempore D. Ambrosij, quæ erat huiusmodi. *Vngo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt more militis vncti præparatus ad certamen aereas possis superare potestates*. Sed contra, quia quoad formam Venetam supra diximus, importare deprecationem; quoad Ambrosianam *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. ad tertium*, asserit illa verba non esse formam, sed præparationem ad formam, in quantum intentio ministri per illa determinatur; vnde *Siluester verb. Extrema vnctio q. 2.* ait, D. Thomam tradere hanc doctrinam propter Ecclesiam Ambrosianam, & vtique vera est, quia, vt habemus *in Actis Ecclesiæ Mediolanensis quarta parte de Sacramento Extremæ Vnctionis vers. forma verò*, ponitur forma, qua vtitur Ecclesia Romana.

10 Forma mixta est sufficiens, non licita.

Conclusio II. Forma mixta, hoc est indicatiua simul, & deprecatoria, sufficiens est, & legitima quoad valorem Sacramenti, vt si Sacerdos diceret. *Vngo te oleo Sancto, & indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*. Dixi, *quoad valorem Sacramenti*; nam

quoad

quoad licitum esse non excusarem vtentem tali forma à graui culpa, nisi illa forma esset consueta, & recepta in tali Ecclesia. *Suarez in tertia part. tom. 4. disp. 40. sect. 3. num. 8., Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 28. c. 9. num. 55., Laiman lib. 5. tract. 8. c. 3. n. 1.*

11 **In illa forma nil deficit, quod pertineat ad valorem.**

Ratio ex eo deducitur, quod per talem formam habetur perfecta significatio eius, quod intenditur in tali Sacramento, nempè actio causæ ministerialis, per ly *Vngo te oleo sancto*, expressio principalis per ly *Indulgeat tibi Deus*, forma deprecatoria per mox posita verba, & effectus, qui intenditur per ly *quidquid deliquisti*, ergo non est, cur non debeat esse efficax. Confirmatur, quia per modum indicatiuum actionis ministri non demitur forma deprecatoria, quæ in illis verbis continetur *Indulgeat tibi Deus*, ergo remanente forma deprecatoria, sub qua est institutum hoc Sacramentum, non est, cur non debeat subsequi eius effectus; Ex quibus patet euidens responsio ad ea, quæ ex Nugno in expositione eius sententiæ fuerunt adducta, nempè per istum nostrum modum loquendi non esse conformitatem ad verba Diui Iacobi, cum non contineatur forma deprecatoria versus Deum: Patet, inquam, quia talis forma deprecatoria satis, superque elucet ex illis verbis *Indulgeat tibi Deus*.

ARTICVLVS VII.

An Sacramentum Extremæ Vnctionis sit necessarium ad salutem.

SVMMARIVM.

CONueniunt communitèr, hoc Sacramentum non esse necessarium necessitate medij; sed, an sit necessarium necessitate præcepti, id est, quod venit sub hoc titulo examinandum; pro quo aduerto, dubium versari posse vel circa infirmum, vel circa Sacerdotem, seu ministrum, qui habet hoc Sacramentum ministrare, quatenus vterque teneatur primus sub præcepto recipere; secundus sub eodem conferre.

1 **Non est necessaria necessitate medij.**

2 **Iura, quæ videntur inducere necessitatem præcepti.**

Circa primum referuntur aliquæ sanctiones, secundum quas videtur colligi præceptum illud sumendi. Prima desumitur ex Sinodalibus Gallonis; & Simonis Legatorum Sedis Apostolicæ Innocentij III. vbi videtur onus imponi hoc Sacramentum recipiendi. Secundò ex Sinodo Andeganensi anni 1293. in qua hæc leguntur. *Nos quoque accepimus, referentibus fide dignis, quod istud Sacramentum, sine quo, vt dicunt Sancti, periculosum est ex hac vita migrare, ex quadam negligentia omittatur &c.* ex quibus verbis clarè videtur euinci præceptum consistens in eo, quod pericula salutis æternæ sint vitanda. Tertiò ex Sinodo Senonensi anni 1524., in qua hæc habentur. *Moneant Sacerdotes suos Parochianos omnes tam pauperes, quam diuites, vt Extremam Vnctionem reuerentèr, & deuotè petant, & accipiant, quando ex aliqua graui infirmitate se in periculo mortis existimant constitutos.* Quartò ex D. Augustino in speculo, vbi inter ea, quæ sunt de præcepto in lege noua refert verba D. Iacobi. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros &c.* ergo ex mẽte D. Augustini præceptum est infirmis, vt à Sacerdotibus vngantur. Quintò ex capitularibus *Caroli Magni lib. 2. c. 162., & lib. 6. c. 75.* vbi hæc habentur. *Si infirmitate depressus quis fuerit, vitam sine communione non finiat, nec vnctione Sacramenti olei careat*, vbi vides pariformitèr procedere de communione, ac de vnctione olei; nullus autem dubitat, communionem in illo statu cadere sub præcepto, ergo sub eodem cadit etiam extrema vnctio.

3 **Rationes suadẽtes non cadere sub præcepto per se.**

His tamen non obstantibus *Suarez lib. 4. disp. 44. sect. 1., Henriquez lib. 3. c. 10. n. 3., Nugnus in addit. ad tertiam partem q. 33. art. 2. difficult. 1., Coninchus tom. 2. disp. 19. dub. 10. num. 3., Villalobos in summa tom. 1. tract. 10. diffic. 5. num. 1.*, & alij absolutè asserunt, non cadere sub præcepto obligante sub graui per se loquendo; per accidens tamen obligare sub graui, vt si omittatur cum scandalo aliorum, & contemptu paruipendendo hoc Sacramentum, rationem adducentes, quod nullibi constet de hoc præcepto, nec natura talis Sacramenti hoc videatur exigere, quandoquidem hoc secundum se non habet conferre primam gratiam. Sed hæc ratio nihil videtur euincere, quandoquidem

etiam Sacramentum Eucharistiæ non habet ex genere suo conferre primam gratiam, & tamen cadit sub præcepto obligante sub graui. Sed ad hoc potest respōderi in Sacramento Eucharistiæ, quamuis non habeat conferre primam gratiam, adsit tamen propter eiusdem excellentiam speciale præceptum in illis verbis. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; vnde conuenit cum Sacramento Extremæ Vnctionis in eo, quod per se non sit causatiuum primæ gratiæ; differat tamen in eo, quod quoad illud vigeat positiuum præceptum, non quoad istud. Quid iam in hoc concludendum?

4 **Probabilius non cadit sub præcepto.**

Conclusio I. Probabilius est receptionem huius Sacramenti non esse necessariam necessitate præcepti obligantis sub graui; vnde qui omitteret illud recipere ex negligentia non peccaret læthalitèr. In hac præter præcitatos DD. consentiunt *Emanuel Sa verb. Extrema Vnctio n.5.*, ***Bonacina de Sacram. Extremæ Vnctionis disp. 8. q. vnica punct. 5. num. 10., Molfesius tract. 4. c. 3. num. 33., Filliutius tract. 3. c. 6. n. 112.*** **Dixi, *obligantis sub graui*, nam secundum *Coninchum de Sacram. disp. 19. dub. 10. concl. 1.*, *& Nugnum in tertia part. tom. 2. q. 23. art. 2. difficult. 1.*, qui omitteret ex negligentia peccaret venialitèr propter neglectum eorum, quæ sibi conferre possent ad tutiorem salutem, & ad augmentum gratiæ.**

5 Respondetur Sinodalibus Gallonis, & Simonis.

Fortior ratio huius nostræ conclusionis erit solutio contrariorum argumentorum, quæ videntur inferre præceptum. Ad primum igitur desumptum ex Sinodalibus Gallonis, & Simonis sub Innocentio III. dicendum, est importare consilium, non præceptum, vt legenti fit manifestum. Ad secundum desumptum ex Sinodo Andegauensi dicendum est primò illam Sinodum ad summum obligare subditos illius Diœcesis, non vniuersalitèr omnes; secundò in eadem solummodo damnari auaritiam, & rapacitatem Presbyterorum, qui insolitas exactiones inducebant, vnde in eadem subditur: *Immo, vt verius loquamur; ex Sacerdotum rapacitate, & auaritia, qui in collatione huius Sacramenti nouas, & insolitas exactiones inducunt &c.* vnde ibi admonentur, vt caueant ab huiusmodi exactionibus, si Diuinam, & canonicam voluerint effugere vltionem; ex quibus eruitur, quod hoc præceptum potius dirigatur ad Sacerdotes, quam ad infirmos; Neque obstant ea, quæ subduntur de periculo transmigrationis sine tali Sacramento, cuius vitatio cadit sub præcepto; Non obstant, inquam, quia in primis hoc præceptum, si quod est, non est ex vi huius Sacramenti, sed ex generali regula, secundum quam pericula animæ sunt vitanda. Deinde dicitur periculosum esse decedere sine hoc Sacramento, non quia transgrederetur præceptum aliquod, sed quia difficilius euitarentur tentationes, & eluderentur astus Dæmonis, cum sit tutamentum mentis, & corporis, vnde datum est ad melius esse, non ad simplicitèr esse.

6 Sinodus Senonēsis importat solū consilium.

Ad tertium deductum ex Sinodo Senonensi dicendum est importare admonitionem, & consilium, non præceptum, & vim coactiuam, & hoc ad vberiores effectus percipiendos, vnde non dicitur *præcipiant*, sed *moneant*.

7 D. Augustinus nō enumerat solum præcepta.

Ad quartum deductum ex D. Augustino dicendum est, ibi enumerare ea omnia, quæ à Christo Domino instituta sunt in lege noua, non quia omnia sint præcepta, sed quia aliqua cadunt sub præcepto, aliqua sub consilio, vnde in eodem leguntur plura, quæ sunt mera opera supererogationis, vt legenti fit manifestum.

8 Capitularia Caroli Magni quomodo intelligēda.

Ad vltimum deductum ex capitularibus Caroli Magni dicendum est ibi dici, quod conuenit, non quod necessarium est necessitate præcepti obligantis sub graui, & licet obliget sub graui communio in illo statu, non tamen receptio Extremæ Vnctionis, cum ad hac nullum sit præceptum vnde ibi numerantur promiscuè, & necessaria, & vtilia.

9 Parochus tenetur sub graui conferre hoc Sacramentū indigentibus.

Conclusio II. Parochus tenetur sub graui hoc Sacramentum conferre nullo existente impedimento suis Parochianis capacibus, & constitutis in mortis periculo. *Coninchus tom. 2. disp. 19. dub. 10. num. 31., Suarez tom. 4. in tertiam partem D. Thomæ disp. 44. sect. 2. num. 1., Filliutius tract. 3. c. 5. q. 4. num. 96., Bonacina de Sacram. Extremæ Vnctionis disp. 8. quæst. vnica punct. 5. num. 12.* quidquid ex aduerso dixerit *Laiman lib. 5. tract. 8. c. 7. num. 3.*

10 Intelligitur ad hoc conductus.

Ratio ex eo deducitur, quod Parochus ex vi proprij muneris tenetur consulere saluti suorum subditorum potissimum in ijs, quæ proximè accedunt ad eandem salutem, & sunt à Christo Domino instituta tanquam medicinæ, & remedia ad eandem consequendam, ergo, & tenetur Sacramentum Extremæ Vnctionis subditis indigentibus conferre, cum hoc maximè possit conferre in illo extremo agone ad æternam beatitudinem; Neque arbitrandum est teneri dumtaxat ex præcepto ad ea, quæ sunt eidem saluti necessaria simplicitèr, nam munus Parochorum extenditur, & obligat etiam ad ea, quæ ex institutione Christi Domini sunt vtilia, vt administrare Sacramenta etiam pro tempore, pro quo non vrget præceptum.

Quod,

Quod, si dixeris onus conferendi, & recipiendi Sacramenta sibi esse correlatiua, ergo, si ex præcepto sub graui non tenentur infirmantes ad mortem recipere Sacramentum Extremæ Vnctionis, nec sub graui tenebitur Parochus illud conferre; Statim impugnaberis, quia, vt notant *Suarez tom. 4. disp. 38. sect. 2.* & alij diuersa est ratio inter conferentem, & recipientem, nam conferens tenetur ex officio, quotiescunque subditus est constitutus in statu indigentiæ; subditus vero non tenetur aliqua lege ad recipiendum, sed potest cedere ijs, quæ in sui fauorem sunt inducta; nec nouum est in iure, quod quis teneatur conferre, & alter non teneatur recipere, cum iste possit cedere iuri suo.

ARTICVLVS VIII.

An Sacramentum hoc sit iterabile, & quando.

SVMMARIVM.

Ex Concilijs, & PP. euincitur esse iterabile. 1.

Dubia dissoluenda circa hanc iterabilitatem. 2.

In eadem infirmitate regulariter non debet iterari. 3.

Si tamen sit diuturna, & perduceret ad mortem posset iterari. 4.

Si conualuerit ab infirmitate, in qua fuerit inunctus, & postea etiam non elapso longo tempore in eandem inciderit cum vitæ periculo potest iterum inungi. 5.

Ex eo præcisè, quod post sacram vnctionem nouum peccatum commiserit, non potest vnctio iterari. 6.

Si tamen infirmitas diu perseuerauerit post primam vnctionem superueniente mortis periculo potest iterum inungi. 7.

1 Ex Concilijs, & PP. euincitur esse iterabile.

D. Thomas *in quarto dist. 23. q. 2. art. 4. quæstiunc. 1. in corpore*, hæc expressè habet. *Dicendum, quod Sacramentum, quod habet effectum non perpetuum, potest iterari sine iniuria, vt effectus deperditus iterato recuperetur, & quia sanitas mentis, & corporis, quæ sunt effectus huius Sacramenti, possunt amitti postquam fuerunt per Sacramentum effecta, ideo hoc Sacramentum sine sui iniuria potest iterari*, quod idem repetit *lib. 4. contra gentes, & opusc. 65. c. 7.* Hoc idem definiuit *Concil. Trident. sess. 14. de Extrema Vnctione c. 3.* Ibi- *Si infirmi post susceptam hanc vnctionem conualuerint, iterum huius Sacramenti subsidio iuuari poterunt, cum in illud simile vitæ discrimen inciderint,* & *Concil. Florent. in decreto Armen. de Sacramentis.* Ibi- *Reliqua vero quatuor scilicet extrema vnctio, confessio, Eucharistia, & Matrimonium caractherem non imprimunt, & reiterationem admittunt.*

2 Nonnulla dubia circa titulum.

Circa hanc D. Thomæ doctrinam, & Conciliorum definitiones nonnulla hic remanent discutienda. Primum est, an in eadem infirmitate possit iterari, si sit diuturna non mutato infirmitatis statu. Secundum, an, si infirmitas non fuerit diuturna, sed primò constituerit infirmum in articulo mortis, pro quo statu data fuerit eidem Extrema Vnctio, & post aliquot dies conualuerit, sed postea nouo languore superueniente nouum periculum, sed intra paucos dies à prima vnctione superuenerit, possit iterum Extremam Vnctionem recipere. Tertium, an, si nouus status infirmitatis non superuenit, sed infirmus noua peccata, & grauia contraxerit; possit in ordine ad eorum expurgationem iterum inungi.

3 In eadem infirmitate vix potest iterari.

In ordine ad primum vim facere videtur *Concil. Trident. loc. cit.* per illud verbum. *Si post susceptam vnctionem conualuerint;* quod idem videtur ponderare *D. Thomas in quarto sent. dist. 23. q. 2. art. 4. quæstiun. 2. in corpore.* Ibi- *Non recedit à statu illo, nisi infirmitate curata*, ex quibus videtur sequi, quod, si non conualuerit, nec fuerit mutatus status per sanitatem recuperatam, non possit iterum vngi. Verum stante diuturnitate infirmitatis vltra mensem, si magis deficere videatur, & ad mortem accedere, non renuerem concedere posse iterum inungi, quod videtur innuisse D. Thomas *loc. cit.* Ibi- *Quædam vero sunt ægritudines diuturnæ, vt Ethica, hydropisis & huiusmodi, & in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis.* Ratio horum omnium est, quia per illud superueniens maius periculum mortis post diutinam infirmitatem consideratur quasi nouus status infirmitatis.

4 Si esset diuturna, & perduceret ad mortem posset iterari.

5 Si conualuerit, & postea reinciderit in eandem infirmitatem potest iterũ inungi.

In ordine ad secundum dicendum est, quod, si verè conualuerit à prima infirmitate, in qua fuit inunctus, & postea etiam non elapso longo tempore in eandem inciderit cum periculo vitæ, possit infirmus iterum inungi. Videtur clarè hoc deduci ex *Concil. Trid. loc. cit.* Ibi- *Si post susceptam hanc vnctionem conualuerint, iterum huius Sacramenti subsidio iuuari poterunt &c.* Dixi, *si verè conualuerint*, nam, si infirmitas non esset dilata, & intra modicum tempus maiori conatu reuiuisceret, non ità facilè concederem vnctionem posse iterari. Dixi, *intra modicum tempus*, nam quæ modicum distant, nihil distare videntur; si vero diutius infirmitas perdu-

rarct; tunc certè posset vnctio iterari, prout expressè docet D. Thomas *loc. cit.* Ibi *& si homo illum articulum euadat eadem infirmitate durante, & iterum ad similem statum per illam infirmitatem reducatur, iterum potest inungi, quia iam est quasi alius infirmitatis status, quamuis non sit alia infirmitas simplicitèr*. Hic autem loquitur D. Thomas de diuturnis infirmitatibus.

6 Ex nouo peccato commisso post sacram vnctionẽ non potest iterũ inungi.

In ordine ad tertium mouet difficultatem id, quod asserit *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 2. art. 4. quæstiunc. 1. in corpore*, nempè, quod *sanitas mentis, & corporis, quæ sunt effectus huius Sacramenti, possunt amitti, postquam fuerunt per Sacramentum effecta, ideo Sacramentum potest iterari*; Si igitur ideo potest iterari, quia effectus per ipsum producti possunt omitti, ergo iisdem amissis perseuerante eadem infirmitate poterit immediatè iterari saltem quoad effectum deperditum per nouum peccatum post primam illius receptionem commissum. Verum hic aduertendum est, ad huiusmodi iterationem duo requiri, & quod effectus per primam vnctionem producti fuerint deperditi, & quod nouus status infirmitatis superuenerit, quæ duo non habentur ex eo, quod infirmus post primam vnctionem nouum peccatum commiserit.

7 Potest tamen, si diù infirmitas perseuerauerit.

Non negauerim tamen, quod, si post primam vnctionem noua peccata commiserit, & diù in eadem infirmitate perseuerauerit, & postea magis inualescente morbo reducatur ad extremum vitæ, possit iterum inungi, quia illud extremum, ad quod perducitur post diutinam infirmitatem, habet rationem noui status infirmitatis.

QVÆSTIO II.

De causa efficienti huius Sacramenti.

OMittimus ea, quæ quoad causas efficientes sunt communia cæteris omnibus Sacramentis, nempè causam efficientem principalem Physicam, quæ est Deus, & causam efficientem principalem moralem, quæ est Christus Dominus; hæc etenim omnia possunt colligi ex ijs, quæ latè dicta sunt, tum in quæstionibus de Sacramentis in genere, tum in ijs aliorum Sacramentorum in particulari; vnde quæstionem hanc restringimus ad ea, quæ signantèr pertinent ad causam ministerialem, inquirentes qualis debeat esse minister eiusdem, an solus Sacerdos, an omnis Sacerdos, an vnus, an plures, & quomodo debeat, seu debeant hanc vnctionem præstare.

ARTICVLVS I.

Quisnam sit minister idoneus huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

Error asserentium omnes Christianos esse ministros huius Sacramenti, & eius fundamentum. 1.
Error asserentium solum ætate prouectos, quamuis non sint Sacerdotes, posse esse ministros. 2.
Argumentum desumptum ex vsu Egyptiorum, & Beatæ Genouefæ. 3.
Veritas catholica est, quod soli Sacerdotes sint ministri Extremæ Vnctionis. 4.
Euincitur ex Concilijs, & SS. PP. 5.
Diaconi nequeunt validè hoc Sacramentum conferre. 6.
Episcopus non est minister huius Sacrament priuatiuè quoad Sacerdotes. 7.
Dictum Innocentij I. procedit de vnctione passiua, non actiua. 8.
B. Genouefa non vngebat Sacramentalitèr. 9.

1 Error asserẽtium omnes Christianos esse ministros

QVidam moti auctoritate Innocentij I. in Epistola ad Decentium hæc asserentis. *Quo oleo ab Episcopo benedicto non solum Sacerdotibus, sed omnibus vti*

vel Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo, asseruerunt non solum Sacerdotes, sed etiam Christianos omnes posse se, & alios inungere. Alij expendentes illud verbum *Presbyteros*, quos nominat D. Iacobus *Inducant Presbyteros*, & sumentes, prout idem sonat, ac seniores voluerunt solos ætate prouectos; quantumuis non Sacerdotes posse hoc Sacramentum ministrare; non autem iuuenes, quantumuis Sacerdotes; atque huiusmodi sunt hæretici, qui in confirmationem suę prauitatis adducunt *Bedam in c. 5. Iacobi*, vbi dicit, *infirmos moneri, vt seniorum adiutorio curari se meminerint; neque ad iuniores, minusque doctos causam suæ imbecillitatis referant*.

2 Sentētia constituens solos seniores.

Usus etiam inualuerat in aliquibus partibus Egypti, prout refert *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad secundum*, vt oleum transmitteretur ad infirmos, qui sanabantur, & tamen erant Laici; idem refertur de Beata Genouefa, quod oleo infirmos vngeret; ex quibus videtur erui, quod hoc munus vngendi infirmos esset etiam commune Laicis, non proprium Sacerdotum.

3 Exemplū Egyptiorum, & Beatæ Genouefæ.

Veritas tamen catholica est, solos Sacerdotes esse ministros huius Sacramenti, definita in pluribus *Concilijs Trident. sess. 14. can. 4.*, vbi hæc habentur. *Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos Beatus Iacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quauis communitate, ob idque proprium Extremæ Vnctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit*; per quam definitionem exploditur hæreticorum supra recensita vanitas nomine Presbyterorum intelligentium ætate seniores; nec eisdem adstipulatur *Beda loc. cit.*; nam ipse eo loci solum asserit, opportunius esse in rebus animæ potius ad seniores, in quibus maius practicum iudicium supponitur, quam in iuuenibus, & minus doctis, recurrendum esse. Idem euincitur ex *Concil. Florent. in decret. Armen.* Ibi- *Minister huius Sacramenti, nempè Extremæ Vnctionis est Sacerdos.* Fortius euincitur ex verbis D. Iacobi. *Inducant Presbyteros, & orent super eum*; nomine autem Presbyteri in nouo testamento venit Sacerdos, vt latè demonstrat *D. Ioannes Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio quæst. 2.*

4 Soli Sacerdotes sunt ministri.

5 Euincitur ex Concilijs, & SS.PP.

Hinc deducitur primo, Diaconum non posse validè conferre hoc Sacramentum, prout expresè tradit *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 2. art. 1. quæstiunc. 2. in corpore*, vbi etiam hanc rationem adducit, quod Diaconus habeat vim purgatiuam tantum, non illuminatiuam per collationem gratiæ: Diaconus autem nullum Sacramentum, in quo gratia conferatur potest dare. Sed fortior ratio est, quia hoc munus est alligatum ex institutione Christi Domini solis Sacerdotibus iuxta promulgationem factam a D. Iacobo.

6 Diaconi non sunt ministri.

Deducitur secundò, non esse necesse, quod minister huius Sacramenti sit Episcopali dignitate insignitus, sed sufficiat, quod sit Sacerdotali caracthere prædítus, vt etiam tradidit *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 2. art. 1. quæstiunc. 3. in corpore, & lib. 4. contra gentes c. 73.* vbi etiam adducit hanc rationem, quia Episcopus propriè, & priuatiuè quoad alios habet perficiendi officium, sicut Sacerdos illuminandi; solis autem Episcopis reseruantur illa Sacramenta, quæ suscipientem in aliquo statu perfectionis super alios ponunt; cuiusmodi non est Sacramentum Extremæ Vnctionis; sed aduersus hanc rationem D. Thomæ militare videtur, quod administratio Sacramenti Confirmationis reseruata est solis Episcopis, cum tamen hoc Sacramentum non habeat constituere suscipientem in aliquo gradu perfectionis super alios, cum omnibus indefinitè conferatur, sicuti omnibus indefinitè confertur Sacramentum Extremæ Vnctionis. Quidquid tamen sit de ratione D.Thomæ, hoc certum est, quod officium vngendi Sacramentalitèr infirmos alligatum est ordini Sacerdotali, vt probatum est supra ex verbis Apostoli, & definitionibus Conciliorum, nec requirit Episcopalem, quod alijs rationibus probat *D. Bonauentura in quarto dist. 22. art. 2. q. 1. in resolut. ad solutionem obiectorum*, vbi signantèr respondet argumento deducto ex paritate confirmationis.

7 Episcopus non est necessario minister huius Sacramenti.

Pro assertio.

Deducitur tertio solutio argumentorum, quæ in principio huius tituli fuerunt adducta. Ad primum etenim deductum ex Innocentio I. dicendum est, dictum eiusdem non esse intelligendum de vnctione actiua, quatenus licitum esset omnibus aut se, aut suos Sacramentalitèr vngere; sed passiua, quatenus omnes possint, si nullus sit obex, à Sacerdotibus vngi; & iuxta hunc sensum explicat auctoritatem Innocentij *Contensonius lib. 11. part. 4. dissert. 1. c. 1. de ministro huius Sacramenti in respons. ad primum argum.* Dici etiam potest cum alijs communitèr, dictum Innocentij intelligendum est de vnctione non Sacramentali, quæ *ex D. Thoma in quarto distinct. 23. q. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad secundum*, ex quadam deuotione recipientium talem vnctionem, & meritis vngentium, vel oleum mittentium consequebatur effectum sanitatis corporalis per gratiam sanitatum, non per gratiam Sacra-

8 Dictum Innocentij I. procedit de vnctione passiua, non actiua.

cra-

cramentalem; vnde *Neoterius tom. 1. disp. 7. q. vnica punct. 4. num. 2.* respondens ad illud, quod dicitur de oleo trasmisso à Patribus Egypti, & de illo adhibito à D. Genouesa dicit; quod liniti illo oleo consequebantur sanitatem corporalem, non spiritualem, quia per illas vnctiones non remittebantur peccata, quæ tamen remittuntur per Sacramentum Extremæ Vnctionis, nisi obex adesset, ex parte recipientis.

9 Vnctio D. Genouesæ non erat Sacramentalis.

ARTICVLVS II.

An quilibet Sacerdos sit minister idoneus Extremæ Unctionis.

SVMMARIVM.

Omnis Sacerdos potest validè hoc Sacramentum conferre. 1.
Etiam excommunicatus, & suspensus. 2.
Non tamen licitè regulariter loquendo. 3.
In casu necessitatis ob periculum mortis non existente alio Sacerdote sententia docens excommunicatum non posse hoc Sacramentum licitè conferre. 4.
Sententia docens posse conferre. 5.
Tutior auctori videtur sententia negans. 6.
Alius à Parocho non potest regulariter sine eius concessu licitè hoc Sacramentum conferre. 7.
In casu necessitatis non existente Parocho potest. 8.
Religiosus non potest sine licentia hoc ministrare, & ministrando incurreret in censuram excommunicationis. 9.
Nisi necessitas vrgeret non existente Parocho. 10.

PRocedit titulus tam quoad validam, quam quoad licitam huius Sacramenti collationem; & quidem, quod omnis Sacerdos possit validè hoc Sacramentum conferre, videtur euinci ex textu Diui Iacobi c. 5. Ibi- *Inducat Presbyteros*, vbi indefinitè ponuntur Sacerdotes sine vlla prorsus exceptione; nec hæc potestas validè conferendi demitur ex eo, quod Sacerdos sit excommunicatus, suspensus, vel degradatus, cum per huiusmodi censuras, & notas non auferatur potestas ordinis, nec caracther Sacerdotalis; vt latè probauimus in similibus tum in quæstionibus de Sacramentis in genere, tum in illis de Sacramento Eucharistiæ, Ordinis, & Confirmationis, & in hoc consentiunt communitèr scribentes, & signantèr *Bartholomæus ab Angelo Dialog. 3. §. 153., Bonacina de Sacramento Extremæ Vnctionis disp. 8. quæst. vnica punct. 4. num. 3. vers. ex quo patet.*

1 Omnis Sacerdos potest validè hoc Sacramentum conferre.

2 Etiam excommunicatus, & suspensus

Quamobrem difficultates omnes, quæ sub hoc titulo examinabuntur, reducentur ad licitam eiusdem Sacramenti collationem; circa quam indubitatum est, Sacerdotem excommunicatum, suspensum, irregularem, & degradatum non posse regularitèr loquendo licitè hoc Sacramentum conferre, cum eidem interdicta sit potestas iurisdictionis, & exercitium ordinis Sacerdotalis, nec licitum est eidem perseuerantibus his canonicis impedimentis Sacramenta ministrare, vt est in confesso apud omnes.

3 Non tamen licitè regulariter.

Dixi, *regularitèr loquendo*, nam dubium potest in eo casu versari, quo quis periclitaretur ad mortem, nec alius esset Sacerdos, qui posset conferre, an scilicet tunc licitum esset, excommunicato, & degradato conferre. Ex eo, quod dictum fuit in præcedentibus, quod periclitans non teneatur sub graui hoc Sacramentum recipere, nec hoc necessarium sit ad salutem, videtur congruè dici, non posse Sacerdotem talibus notis affectum licitè hoc Sacramentum ministrare; nam concurrente præcepto respectu excommunicati, seu degradati non ministrandi in sacris, nec vrgente necessitate in periclitante sumendi Extremam vnctionem, videtur præceptum excommunicati non ministrandi præualere, cum ad summum concedatur excommunicato ministrare in casu necessitatis, quæ necessitas in hac hypothesi non vrget. Nihilominus probabilitèr nonnulli credunt, in hac hypothesi posse licitè ministrare ex benigna Ecclesiæ interpretatione, quæ præsumenda est in ea hypothesi indulgere in fauorem periclitantium, vt non solum necessarijs subsidijs, sed etiam vtilibus muniantur; & sicuti in casu necessitatis, seu periculi vitæ indulget, vt Sacerdos non habens iurisdictionem non existente Parocho, seu alio illam habente possit inungere supplente Ecclesia defectum eiusdem iurisdictionis, ità in eodem casu censenda est indulgere, vt non existente Parocho, aut alijs Sacerdotibus non excommunicatis possit Sacerdos excommunicatus talem vnctionem præstare. Sed ego non recederem à prima.

4 Sentẽtia docens in casu necessitatis excõmunicatum non posse cõferre.

5 Sentẽtia docens posse.

6 Prefertur sententia negans.

Certum est etiam, quod alius à proprio Parocho, vel sine concessione eiusdem non possit hoc Sacramentum infirmis conferre *Siluester verb. vnctio extrema n. 4., Armilla eod. verb. n. item 4., Sotus in quarto dist. 23. q. 2. art. 1., Coninchus disp. 19. dub. 9. num. 28., Ghetius in thesaur. animæ tom. 4. verb. vnctio extrema num. 5. in explicatione literæ D. Thomæ vers. quod Sacerdotes.* Ratio est, quia ad administrandum licitè hoc Sacramentum non solum requiritur potestas ordinis, sed etiam iurisdictio-

7 Alius Sacerdos à Parocho nõ potest regularitèr licitè hoc Sacramentum conferre.

tionis; vnde non Parochus, & qui non habet facultatem ab ipso sibi vsurparet iurisdictionem, & poneret falcem in messem alienam, adeoque grauitèr peccaret; Neque dicas ex his sequi, quod non solum illicitè, sed etiam inualidè ministraret hoc Sacramentum, quandoquidem ministraret sine iurisdictione, & sicuti, si quis sine iurisdictionis potestate ministraret Sacramentum pænitentiæ, inualidè illud ministraret, ita &c.; cum ad vtrumque requiratur eiusdem iurisdictionis potestas; Contrà enim impugnaberis, quia, cum Sacramentum pænitentiæ se habeat per modum iudicij emendatiui non solum requirit iurisdictionem ex dispositione Ecclesiæ, sed etiam ex genere eiusdem iudicij; Sacramentum verò Extremæ Vnctionis solum exigit iurisdictionem ex dispositione Ecclesiæ distribuentis territoria ad confusiones euitandas, quæ propterea non irritat, quæ fiunt sine illa, licet reddat illicita; vnde dicit *Siluester verb. vnctio extrema q.* 4., quod proprius Sacerdos requiritur solum de necessitate præcepti, non Sacramenti.

8 In casu necessitatis non existente Parocho potest.

Limitanda tamen sunt ea, quæ hic dicuntur, in casu necessitatis, secundum quem non adesset proprius Parochus, & infirmus iam in extremis laboraret, nec esset spes, quod Parochus opportunè posset adesse, quia tunc præsumendus est consensus vel Episcopi, vel Summi Pontificis; non enim est credibile Ecclesiam velle priuare infirmum in tali necessitate, & articulo, in quo agitur de æternitate, tanto Sacramento, quo potest ex attrito fieri contritus secundum aliquorum placitum.

9 Religiosus ministrans sine licentia contraheret excommunicationem.

Certum est insuper, quod, si Religiosus sine licentia Episcopi, vel proprij Parochi, vel sine priuilegio Summi Pontificis ministraret hoc Sacramentum, incurreret in censuram excommunicationis latæ *in Clem.* 1. *de priuileg.*, quæ signantèr lata est contra eosdem ob præsumptiones, quas sibi competere suadent, priuilegiorum; vnde subditur; *Nullo Religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel alio priuilegio suffragante.* Excusarem tamen in casu, quo non extante Parocho infirmus iam ageret animam, quia tunc iuxta superius dicta eximeretur à tali censura ob præsumptum consensum Episcopi, vel Papæ, vt aduertunt *Valentia tom.* 4. *disp.* 8. *q.* 1. *punct.* 2., *Reginaldus lib.* 18. *num.* 408., & *lib.* 28. *n.* 61., *Suarez tom.* 4. *disp.* 44. *sect.* 2. *n.* 3., *Nauarrus c.* 17. *n.* 101., *Henriquez in summa lib.* 3. *c.* 13. *num.* 4., *Ghetius in thesauro animæ tom.* 4. *verb. vnctio extrema num.* 5. *in explicat. lit. D. Thomæ.*

10 Nisi necessitas vrgeret non extante Parocho.

ARTICVLVS III.

An ad hoc Sacramentum ministrandum requirantur plures Sacerdotes, an vnus sufficiat.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa titulum. 1.
Non requiruntur de necessitate plures Sacerdotes, sed tantum ad melius esse. 2.
Non potest vnus Sacerdos vngere, & alter formam proferre. 3.
Non est ex necessitate Sacramenti, quod omnes vnctiones fiant ab eodem Sacerdote. 4.
Extra necessitatem non est licitum, quod fiant à pluribus. 5.
Mortuo Sacerdote non completis vnctionibus, alter debet complere. 6.
Reijcitur mos Græcorum relatus à Contensonio. 7.

1 Dubia examinanda.

SVb hoc titulo plura veniunt examinanda; primò, an ex necessitate plures requirantur. Secundò, an concurrentibus pluribus vnus possit vngere, alter proferre formam. Tertiò, an iisdem concurrentibus possit vnus oculos vngere prolata forma consueta in eorundem vnctione, alter aures prolata forma propria earundem, & sic de cæteris.

2 Non requiruntur de necessitate plures Sacerdotes.

In ordine ad primum mouet difficultatem id, quod asserit *D. Thomas opusc.* 65. *c. de Sacram. vnctionis*, & *lib.* 4. *contra gentes c.* 73. vbi quod *debent plures Sacerdotes adhiberi in collatione huius Sacramenti, si fieri potest, vnde Iacobus dicit, Inducat Presbyteros Ecclesiæ, nec hic taxatus est numerus, quot Sacerdotes debeant interesse, quia sufficiunt duo, si plures haberi non possint; possunt etiam communicare centum, si volunt.* Verum hoc dictum D. Thomæ intelligendum est ad melius, & congruentius esse in fauorem infirmi, quia orationes plurium plus conferre possunt ad eiusdem salutem. Cæterum idem *D. Thomas lib.* 4. *contra gentes c.* 13., & *opusc.* 65. *c. de Sacram. Vnctionis*, expressè asserit, quod, *si vnus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cuius minister existit, & cuius personam gerit.*

In ordine ad secundum sentiendum est, non posse validè conferri hoc Sacramentum, si vnus Sacerdos vngat, alter proferat formam vnctionis. *Nugnus in addit. ad tertiam part. q.* 31. *art.* 3., qui asserit hanc esse communem opinionem, *Bonacina de Sacram. Extrem. Vnct. disp.* 8. *q. vnica punct.* 4. *num.* 8., *Ghetius in thesauro animæ*

tom. 4.

tom. 4. verbo vnctio extrema num. 7. in explicat. lit. D. Thomæ vers. competit vtique huic Sacramento circa fin. Rationem nonnulli deducunt ex paritate Baptismatis, & Confirmationis, aliorumque Sacramentorum, in quibus ex necessitate, qui applicat materiam subiecto, debet proferre formam. Sed, quidquid sit de valore horum Sacramentorum, quæ sic peragerentur, non videtur paritas currere quoad Sacramentum Extremæ Vnctionis, quandoquidem in illis non verificaretur forma, si vnus proferret formã, alter applicaret materiam, siquidem in Sacramento Baptismatis, v. g. non posset dici, *ego te abluo*, si alter ablueret, nec in Sacramento Confirmationis, *ego te signo*, si alter chrismate vngens frontem signaret, & sic de cæteris; in Sacramento autem Extremæ Vnctionis res non ita se habet, cum forma non proferatur in persona vngentis per pronomen *Ego*, sed indefinitè dicatur *per istam sanctam vnctionem &c.* cum vnctio, quæ tunc fit per particulam, *per istam*, æquè possit esse à proferente, ac ab alio; nam designatur illa actio, quæ fit siue ab vno, siue ab altero, & particula, *ista*, apta sit significare æquè actionem, siue fiat à proferente, siue ab alio. Nihilominus sentiendum est, rationem pro alijs Sacramentis receptam æquè subsistere pro isto, quandoquidem communis Ecclesiæ acceptio, per ly *per istam sanctam vnctionem*, est, quod illa particula, *istam*, importet actionem exercitam à proferente, ne fiat dissonantia in hoc a cæteris Sacramentis, in quibus minister applicat per se ipsum materiam, & formam profert.

3 Non potest vnus Sacerdos vngere, & alter formam proferre.

In ordine ad tertium asserendum est, validè posse fieri vnctionem in vno sensu ab vno Sacerdote prolata debita forma, & ab altero alteram in alio sensu prolata super eum proportionata forma, & sic de cæteris, non tamen licitè, nisi necessitas ad hoc compellat. In hoc consentiunt *Contensonius lib. 11. part. 4. dissert. 1. c. 1. de ministro Sacramenti Extremæ Vnctionis in resp. 2. ad secundum quæsitum, Ghetius in thes. animæ tom. 4. verb. vnctio extrema num. 7. in explic. lit. D. Thomæ, Bonacina de Sacram. Extremæ Vnctionis disp. 8. q. vnica punct. 4.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod vnaquæque vnctio in qualibet parte habet suum complementum per congruam materiam, & proportionatam formam, ergo posito tali complemento in vna parte poterit vnctio compleri per alterum per similem materiam, & formam in altera parte, cum vnaquæque vnctio habeat suam partialem significationem per ordinem ad suum effectum. Confirmatur; non tantam habet connexionem vna vnctio cum altera, quominus plures vnctiones possint fieri a pluribus, quantam habet in Sacramento, & Sacrificio Eucharistiæ consecratio vnius speciei cum consecratione alterius, sed validè potest fieri consecratio vnius speciei ab vno, & ab altero consecratio alterius, ergo &c. Minor probatur, quia, si Sacerdos facta consecratione in specie panis inopinato fato periret, posset validè alter consecrare in specie vini. Neque dicas, valere huiusmodi consecrationes in illo casu necessitatis, non autem extra illum; Contrà enim impugnaberis, quia, si esset de necessitate Sacramenti, quod consecratio in vtraque specie ab vno tantum fieret, neque in illo casu necessitatis posset à duobus fieri, sed consecratio mortuo primo Sacerdote, qui consecrauit in vna specie, esset ab altero iteranda in vtraque specie.

4 Non est de necessitate Sacramenti, quod omnes vnctiones fiant ab eodem.

5 Extra necessitatem non est licitũ, quod fiat à pluribus.

Confirmatur ex Rituali Romano sub tit. de Extrema Vnctione, vbi, si Sacerdos, qui infirmum cæpit vngere, inopinatè decedat, potest alter Sacerdos perficere vnctionem in alijs partibus non vnctis, ergo non est ex necessitate Sacramenti, quod omnes vnctiones fiant ab vno ministro, ideoque, si fiant à pluribus, validæ erunt.

6 Mortuo Sacerdote non completis vnctionibus alter debet complere

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod, si plures vnctiones fierent à pluribus extra casum necessitatis, fierent cõtrà morem consuetum Ecclesiæ, & quoquo modo saltem accidentalitèr læderetur vnitas Sacramenti; nam licet vnitas non desumatur à principio, à quo procedit, infertur tamen à diuersis principijs aliqua diuersitas saltem in modo, quæ, cum sit contra morem Ecclesiæ, infert culpam, à qua tamen eximeretur, si ex necessitate hoc fieret; vnde *in actis Mediolanensis Ecclesiæ tom. 1. part. 4. de Sacram. vnctionis vers. si Æger* præscribitur, quod, si Sacerdos, dum vngit, corripiatur repentino morbo, & moriatur, alius Sacerdos debeat perficere vnctiones partium non vnctarum, vnctiones tamen à primo factas non esse iterandas.

7 Reijcitur mos Græcorũ receptus à Contensonio.

Refert hic *Contensonius lib. 11. part. 4. dissert. 1. c. 1. de ministro Extremæ Vnctionis in resp. 3. ad quæsit. secundum* morem quendam seruatum apud Græcos, vt plures Sacerdotes, septem videlicet, aut ad minus tres conuocentur, qui successiuè infirmum vngant vnusquisque applicando oleum ad singulas partes, & supra singulas proferendo debitam, & proportionatam formam, & hoc successiuè; An verò hic mos subsistat, videant alij. Hoc vnum scio, ex dispositione, seu consuetudine recepta in Ecclesia Latina in eadem infirmitate durante eodem statu, & intra modicum tem-

tempus extremam Vnctionem non esse iterandam vt supra probauimus. Denegari autem non potest, quod iuxta hunc morem Græcorum eædem vnctiones iterarentur; nam vnusquisque adæquatè perficeret per adæquatas materias, & formas, & quidem successiuè. De more igitur isto Græcorum nihil hic statuo.

ARTICVLVS IV.

An Parochus morbo contagioso laborantibus teneatur hoc Sacramentum ministrare.

SVMMARIVM.

Sententia negans teneri, & eius ratio. 1.
Sententia statuens teneri. 2.
Præfertur hæc secunda sententia. 3.
Vnusquisque habet ius, vt in extremis à ministris conductis sibi consulatur in ijs, quæ præparant ad gloriam. 4.
Bonum spirituale, & extremum alterius in ijs, qui sunt conducti, præferendum est corporali proprio. 5.
Munus Parochi in ordine ad suos subditos non solum obligat ad necessaria, sed etiam ad vtilia instituta à Christo Domino. 6.

1 **Sentētia negans teneri, & eius ratio.**

EX eo, quod dictum fuit in præcedentibus, hoc Sacramentum non esse necessarium ad salutem, nec infirmum teneri sub graui illud recipere, videtur inferendum, non teneri Parochum cum tanto suæ vitæ discrimine illud peste laborantibus ministrare; vt ex hac eadem ratione statuunt *Villalobos in summa tom.* 1. *tract.* 10. *difficul.* 6. *n.* 7. vbi etiam allegat Armillam, & Suarez, *Molfesius in summa tom.* 1. *tract.* 4. *c.* 3. *num.* 11., *Diana part.* 3. *tract.* 4. *de Sacram. resol.* 174. non teneri.

2 **Sentētia statuens teneri.**

Statuunt è contra teneri *Siluius in tertia part. q.* 32. *art.* 3., *Nugnus in tertia part. tom.* 2. *q.* 33. *art. diffic.* 2., *Contensonius lib.* 11. *part.* 4. *dissert.* 1. *c.* 1. *de ministro Sacramenti Extremæ Vnctionis in resp. ad quæsit. quartum*, cum quibus sit

3 **Probabilius tenetur.**

Conclusio. Parochus tenetur peste laborantibus conferre Sacramentum Extremæ Vnctionis. Ità DD. mox allegati.

Rationes plures pro hac conclusione adducit *Contensonius loc. cit.* Primò, quia Parochi intelliguntur ad hoc conducti assignatis prouentibus beneficij Parochialis, & consuetis decimis, alijsque stipendijs, vt per administrationem Sacramentorum, & aliorum operum salutariū consulant saluti, & incolumitati suorum subditorum, & non solum per necessaria subsidia, sed etiam per ea, quæ sunt valdè vtilia, & quoquo modo necessaria, ergo, si deficeret à tali administratione, vbi vigeret necessitas ob periculum mortis, grauitèr peccaret aduersus proprium officium. Secundò, quia potest contingere, quod hoc Sacramentum sit necessarium saltem indirectè ad salutem, quatenus ex illo potest excitari infirmus ad eliciendum actum doloris, & consequi vitam æternam, sine qua illam non consequeretur. Tertiò, quia hoc Sacramentum est ordinatum ad sanandas animæ infirmitates, cum sit tutamentum mentis, & corporis. Quartò, quia magnum in populis orire tur scandalum, si Parochi se eximerent in illo statu necessitatis ab administratione tanti Sacramenti.

Rationes pro hac sententia

4 **Vnusquisque habet ius, vt sibi à ministris cōductis subueniatur.**

His ego hanc vnicam addo rationem, quia hoc Sacramentum institutum est, vt immediatè præparet ad gloriam cum iure vnicuique aduersus ministros ad hoc munus deputatos, vt illo in extremo vitæ periculo muniantur, ergo Parochi, qui sunt in sua Paræcia ministri huius Sacramenti, tenentur illud infirmis periclitantibus conferre, quia frustraneum esset ius illud consequendi, si non esset onus in ministris illud conferendi.

5 **In ijs, qui sunt conducti bonum spirituale alterius preferendum est corporali.**

Dices esse quidem onus in Parochis illud conferendi, sed non cum tanto vitæ suæ discrimine, quale est in infirmis morbo contagioso laborantibus. Sed contrà, quia, cum Parochi intelligantur ad hoc munus conducti, & agatur de salute animæ, quæ ex istius Sacramenti perceptione pendere potest, tenentur istam præferre periculo propriæ vitæ corporalis cum bonum spirituale alterius sit preferendum bono corporali proprio in ijs potissimum, qui ad hoc officium sunt conducti per stipendium, cum teneantur ex iustitia.

6 **Munus Parochi obligat etiam ad vtilia.**

Nec obesse possunt, quæ ex aduerso dicebantur pro contraria sententia deobligante Parochum a tali onere in illis circumstantijs, nempè hoc Sacramentum non esse necessarium ad salutem, nec infirmum teneri sub graui illud recipere; Non, inquam, obesse possunt, quia munus Curati erga suos Parochianos non solum obligat ad ea, quæ necessaria sunt, sed etiam ad ea, quæ valdè conferunt ad salutem, maximè, si sint à Christo Domino instituta specialitèr ad hunc finem, & ab Ecclesia sint addicta eius officio. Maximam vtilitatem infirmorum, propterquā videntur Parochi teneri ex officio hoc Sacramentum ministrare, cognoscit Ecclesia, dum præscribit, quod non obstante, quod hoc officium sit addictum Parochis priuatiuè quoad alios, possit simplex Sacerdos absente Parocho hoc Sacramentum ministrare, quæ concessio indicat sollicitudinem, quam habet Ecclesia, ne fideles

les decedant sine tanto munimine, & simul importat onus, quod debent habere Parochi tantum Sacramentum ministrandi in illo discrimine.

ARTICVLVS V.

An peste laborantibus possit Parochus hoc Sacramentum ministrare medio aliquo instrumento.

SVMMARIVM.

Rationes suadentes in ea hypothesi posse fieri. 1.

Saluantur omnia essentialitèr requisita ad valorem Sacramenti. 2.

Manifestum vitæ periculum Sacerdotis excusat à culpa. 3.

Non currit paritas de ministerio huius Sacramenti sine sacris vestibus. 4.

QVamuis Parochi teneantur peste laborantibus ministrare Sacramentum Extremæ Vnctionis, possunt tamen cum omni cautela procedere, ne in tali administratione huiusmodi tabe inficiantur, quinimmò videntur ad hoc teneri, vt quantum fieri potest se seruent incolumes, vt alijs deseruiant. Vtrum vero ad hunc effectum possit vngere infirmum non digito, sed virga oblonga, vt eius contactum effugiat, id est, quod venit sub hoc titulo examinandum.

1 Rationes suadentes posse.

Circa quod *Chapeauilla de Sacrament. Extremæ Vnctionis q. 34., Siluius in tertia part. q. 32. art. 3., Diana tertia part. tract. 4. de Sacram. resol. 167.* affirmant posse fieri, quorum rationem eam arbitror esse, quia, & si consuetudine receptum sit, quod digito Sacerdotis fiant huiusmodi vnctiones, nullibi tamen reperitur dispositum, quod restrictiuè fiant per digitum, cum ex alia parte facta vnctione per instrumentum verificetur quælibet formæ particula, vt discurrenti fit manifestum; designatur etenim vnctio per istam clausulam, *per istam sanctam vnctionem*; imploratur Diuina misericordia per illas particulas, *per tuam pijssimam misericordiam*; ponitur oratio ad effectum obtinendum per sequentes particulas, ergo non est, cur non possit validè fieri; & licet videatur non posse fieri licitè, cum ille modus vngendi discordet a communi praxi Ecclesiæ; eximitur tamen a culpa ratione manifesti periculi vitæ Sacerdotis vngentis, si alitèr per digitum fieret. Hoc manifestis exemplis, & paritatibus euincitur; primò in Sacramento confessionis, quæ secundum communem praxim debet esse auricularis, & tamen vrgente periculo pestis potest palam fieri. Secundò in eodem Sacramento Extremæ Vnctionis, in quo vnctiones fieri debent secundum praxim Ecclesiæ in singulis sensibus, & tamen vrgente periculo infectionis potest licitè fieri secundum classicorum DD. sensum in vnico tantum principali membro, quod temen nos non admittimus, & sic de alijs, quarè ab hac sententia non recedendum existimo, cum rationes adductæ videantur multum vrgere.

2 Saluantur omnia essentialitèr requisita ad illius valorem.

3 Periculũ excusat à culpa.

Neque obesse potest, si dicatur potius Extremam Vnctionem omittendam esse, cum non sit necessaria ad salutem, quam ministrandam non seruatis Ecclesiæ ritibus, inter quos est, vt hæc vnctio fiat digito Sacerdotis, sicuti plurimi docent etiam vrgente casu necessitatis omittendam esse non adhibitis vestibus ab Ecclesia præscriptis, inter quos *Naldus verb. Extrema vnctio num. 1., Suarez tom. 4. disp. 44. sect. 2., Bonacina de Sacram. Extremæ Vnctionis disp. 8. q. vnica punct. 6. propos. 3. num. 9.*, quod multi & longè plures affirmant etiam de Sacramento Eucharistiæ, quod non licet efficere sine sacris vestibus etiam vrgente necessitate communicandi infirmum iam morti proximum. Non, inquam, obesse potest, quia ministrare hoc Sacramentum sine sacris vestibus, sicuti efficere Eucharistiam sine eisdem resultat in non modicam irreuerentiam Sacramenti, quæ non resultat ex illo instrumento aureo, & argenteo, vt ex se patet.

4 Non currit paritas de ministerio sine sacris vestibus.

ARTICVLVS VI.

An Parochus possit conferre Sacramentum Extremæ Vnctionis infirmo, antequam susceperit Sacramentum pænitentiæ.

SVMMARIVM.

Regularitèr Extremæ Vnctioni, si fieri potest, præmittenda est confessio. 1.

Etiam si infirmus nullius peccati lethalis sibi sit conscius. 2.

Existente impedimento confessionis potest sine illa conferri. 3.

Etiam si ipsam non petierit, si fuerit bonæ famæ. 4.

Secus, si malæ famæ. Ibid.

In dubio, an fuerit bonæ, vel malæ famæ potest conferri. 5.

Parochus sine causa conferens hoc Sacramentum ante confessionem grauiter peccat. 6.

Cer-

1 Regulariter præmittenda est confessio.

CErtum est, quod extra necessitatem præmittenda est confessio susceptioni Extremæ Vnctionis, quod non solum euincitur ex communi praxi Ecclesiæ, sed etiam ex ratione valdè conuincenti, quandoquidem Sacramentum pænitentiæ est expurgatiuum peccatorum, cum sit mortuorum, quod per consequens debet præmitti ad omnia viuorum Sacramenta, cuiusmodi est illud sacræ, & Extremæ Vnctionis; Quod, si supponas in subiecto nullum graue peccatum inesse, quod obsistere possit susceptioni huius Sacramenti, adhuc tamen congruè, vbi potest, pænitentia præmittenda est, vt quantum fieri potest, subiectum reddatur aptius ad effectus Extremæ Vnctionis recipiendos, & cum pro illo statu Sacramentum pænitentiæ sic exigente iure Diuino sit suscipiendum, ordo exigit, vt prius suscipiatur, quam alia Sacramenta.

2 Etiam si supponatur nullũ graue peccatũ existere.

3 Existente impedimento confessionis potest ante illã conferri.

Cum verò opportunitas non est suscipiendi primo Sacramentum pænitentiæ, vel quia subito morbo correptus destitutus fuerit sensibus, nullaque dederit signa pænitentiæ, vel quia alia conditio pro tunc impedit confessionem non dubitarem asserere, posse tunc conferri eidem Sacramentum Extremæ Vnctionis, vt sentiunt *Armilla verbo vnctio num. 7.*, *Siluester eodem verb. q. 5.*, *Ghetius in thesaur. animæ tom. 4. verbo vnctio extrema c. 5. num. 5. in explicat. lit.*, vbi dictum extendunt siue sic destitutus sensibus petierit hoc Sacramentum, antequam Sacerdos accederet, siue non petierit; præsumitur enim habere intentionem saltem interpretatiuam illud recipiendi. Limitant tamen hoc dictum, si ille, qui sic sensibus est destitutus, fuerit vir bonæ famæ, & existimationis probatæ; si etenim fuerit malæ famæ, & inhonestæ, & dissolutæ vitæ probabilius non est conferendum propter præsumptam prauitatem non reuocatam pro illo instanti; qui etenim improbus fuit pro toto vitæ suæ tempore non præsumitur pro instanti mortis, quo destitutus est sensibus, se constituisse in gratia; & qui pro tanto tempore se malum exhibuit, semper præsumitur malus, nisi probetur contrarium, quæ probatio pro illo instanti mortis haberi non potest. In dubio tamen, an fuerit malus, cum pro vitæ suæ spacio vicissim ediderit signa probitatis, & prauitatis, potest præsumi bonus, & hoc Sacramentum eidem conferri, quia iura semper præsumunt pro probitate, nisi probetur contrarium, vt notat *Siluester loc. cit.*, & euincitur *ex reg. iur. in sexto.*

4 Etiam si non petierit, si fuerit bonæ famæ.

5 In dubio bonæ, vel malæ famæ potest conferri.

Difficultas solummodo in hoc potest esse, an, si infirmus possit, seu sit in statu, quo possit recipere Sacramentum pænitentiæ, & Sacramentum Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis seruato ordine, & Parochus eodem mutato prius conferat Sacramentum Extremæ Vnctionis grauitèr peccet. Certè eum non eximerem à grauitate culpæ, nisi interueniret legitima, & vrgens causa hoc præstandi. Ratio ex eo deducitur, quod tutior regula seruanda est, vt Sacramenta viuorum dignè, & fructuosè recipiantur, vt si fortè est in peccato læthali prius hoc dematur per remedia tutiora a Christo Domino, & ab Ecclesia præscripta, nam, quamuis possit constitui in statu gratiæ per actum contritionis, seu dilectionis Dei super omnia, semper tamen hoc est cum voto saltem implicito confessionis habendæ quam primum, vel quoties præceptum vrget illam habendi; in hac autem hypothesi potest recipi, & vrget præceptum Diuinum illud recipiendi, ergo tenetur illud recipere, antequam recipiat Sacramenta viuorum hoc est Eucharistiæ, vel Extremæ Vnctionis. Quod, si supponas infirmum carere culpa læthali pro eo statu, adhuc non eximerem Parochum à graui culpa conferentem hoc Sacramentum non præmissa Sacramentali confessione, nisi eidem constaret de tali statu pænitentis ex ipsius declaratione. Ratio est, quia, vt mox dicebamus, tenetur Parochus seruare regulam, qua tutius, & cum effectu hoc Sacramentum recipiatur, secundum quam debet præmitti Sacramentum pænitentiæ.

6 Parochus sine causa conferens extremam vnctioné ante confessionem cum hæc prius haberi posset grauitèr peccat.

ARTICVLVS VII.

An oratio Sacerdotis ministrantis in peccato læthali hoc Sacramentum sit exaudibilis.

SVMMARIVM.

Rationes suadentes non esse exaudibilem. 1.
Est exaudibilis, & consequitur effectum. 2.
Illa deprecatio fit in persona Ecclesiæ. 3.
Illa deprecatio est forma, & habet efficaciam ab Institutore. 4.
Soluuntur rationes contrariæ. 5.

1 Rationes suadentes non esse exaudibilem.

HOc Sacramentum ministrari per formam habentem rationem deprecationis supra probatum est; Deprecatio autem non videtur vim sortiri, quando est à peccatore iuxta illud *Peccatores autem non exaudit Dominus*, quæ à fortiori verificarentur, si Sacerdos collator huius Sacramenti esset innodatus peccato, & excommunicatus simul, quia ratione cen-

censuræ non solum priuatur publicis, & communibus Ecclesiæ suffragijs, sed etiam inhibetur, ne fungatur publico munere eiusdem Ecclesiæ. His tamen non obstantibus sit

Conclusio. Deprecatio, quæ adhibetur à Sacerdote labe læthalis, & excommunicationis infecto in administratione Sacramenti Extremæ Vnctionis est exaudibilis à Deo, & suum consequitur effectum. Consentit *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad primum.*

2 Est exaudibilis, & consequitur effectum.

Probatur primò ratione eiusdem Diui Thomæ, quia deprecatio illa, quæ fit à Sacerdote in administratione huius Sacramenti, non fit in persona eiusdem Sacerdotis, qui, cum sit in peccato, non est exaudibilis, vt mox innuimus, sed in persona Ecclesiæ, cum ab eadem sit ad hoc munus deputatus, ergo non est, cur non debeat à Deo exaudiri; nam licet indignitas deprecantis non mereatur exaudiri; meretur tamen exaudiri dignitas vniuersalis Ecclesiæ, cuius nomine fit

3 Illa deprecatio fit in persona Ecclesiæ.

Probatur secundò, quia licet forma huius Sacramenti instituta sit per modum deprecationis, habet tamen rationem veræ formæ Sacramentalis, ergo, quatenus forma est instituta à Christo Domino indeterminatè quoad verba, & determinata ab Ecclesia, debet plenè sortiri suum effectum, ad quem est instituta, quantumuis proferatur à Sacerdote indigno, quia vim efficacem, quam habet, habet à virtute, & dignitate institutoris, non ab illa ministri. Verum tamen est, quod indignitas ministri multum demit de effectu, quem consequeretur infirmus ex opere operantis, sicuti illius dignitas magis conferret ex eodem opere operantis ad vberiorem effectum.

4 Est forma, & habet vim ab institutore.

Ex his habes, quod respondeas ad obiecta partis aduersæ; Ad primum etenim dic, deprecationem peccatoris non esse exaudibilem, quantum est ex parte eiusdem, secus quantum est ex parte Ecclesiæ cuius nomine fit, & quantum est ex parte Christi Institutoris eiusdem tanquam formæ huius Sacramenti; non enim diminuitur virtus Christi ex indignitate ministri, qui tantum habet in hoc applicare merita Christi Domini per applicationem Sacramenti. Ad secundum dicendum est, quod, quantumuis excommunicatus priuetur communibus Ecclesiæ suffragijs, & prohibeatur exercere munera publica Ecclesiæ regulariter loquendo; concurrente tamen graui necessitate ex præsumpta Ecclesiæ benignitate intelligitur eidem collata potestas hoc munus adimplendi, quod, si exerceat extra necessitatem, certè illicitè exercet, & grauem culpam contrahit, validè tamen propter efficaciam formæ institutæ Christi Domini, quæ non minuitur ex indignitate ministri applicantis.

5 Soluuntur rationes contrariæ.

QVÆSTIO III.

De causa subiectiua Extremæ Vnctionis.

In hoc Sacramento, sicuti in cæteris omnibus duo potissimum considerari possunt complexa; alterum ex materia, & forma, quod considerauimus in præcedentibus; alterum ex toto primo complexo, & subiecto, in quo recipitur, quod venit in præsenti considerandum, vbi examinabimus, quodnam sit subiectum remotum, & capax huius Sacramenti discurrendo per varios hominum status, & conditiones, & item quodnam subiectum proximum, nempè partes hominum, in quibus tum ex necessitate, tum ex consuetudine fieri debeat huiusmodi vnctio. Quæstio in hac materia valdè considerabilis, vtpotè quæ plures explanabit difficultates, quæ passim occurrere possunt, & plures gignere in casuum contingentia rationes dubitandi.

ARTICVLVS I.

Quodnam sit subiectum remotum huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

Soli homines viatores, & baptizati sunt capaces huius Sacramenti. 1.
Numerantur varij status hominum viatorum. 2.
Pueris baptizatis ante acquisitum vsum rationis non est conferibile. 3.
Non sunt capaces effectus primarij eiusdem. 4.
Soluitur instantia opposita. 5.
Secundum aliquos sanitas corporalis non est effectus ex opere operato. 6.
Pueris post acquisitum vsum rationis secundum Ghetium non est conferendum. 7.
Verius tamen potest conferri. 8.
Non tanta requiritur deuotio ad hoc Sacramentum, quanta ad suscipiendam Eucharistiam. 9.

Pro-

Probabilius potest hoc Sacramentum adultis conferri, etiam si non peccauerint. 10.
D. Iacobus loquitur conditionatè, si in peccatis fuerit. 11.
Quomodo respectu istorum verificentur verba, Quidquid deliquisti. 12.
Adultus post susceptum baptismum, si paulo post infirmetur ad mortem, potest inungi. 13.

1 Soli homines viatores, & baptizati sunt capaces huius Sacramenti.

CErtum est, solos homines in hac vita degentes, & baptizatos capaces esse huius Sacramenti, cum ad solos homines viuentes sit ordinatum, & nemo sit capax Sacramentorum, nisi intra Ecclesiæ gremium sit receptus per Sacramentum Baptismi. Hic iam quæritur, an omnes viuentes baptizati sint capaces huius Sacramenti. Pro quo

2 Referuntur varij status hominum.

Aduertendum est, varios hominum viuentium, & baptizatorum status posse distingui. Primus eorum est, qui recenter nati paulo post baptizantur, & sic perseuerant, antequam consequantur vsum rationis. Secundus illorum, qui acquisito vsu rationis non deliquerunt, & constituuntur ob superuenientem infirmitatem in articulo mortis. Tertius adultorum, qui peccauerunt, nullaque pro tunc premuntur infirmitate. Quartus illorum, qui, quantumuis aliqua infirmitate laborent, non tali tamen, vt intelligantur esse in articulo, seu periculo mortis. Quintus illorum est, qui, quamuis non sint in mortis periculo, possunt tamen occasionalitèr in illo constitui, eo quia proficiscantur ad bellum, vel in mari nauigantes possint subesse periculo naufragij. Sextus illorum, qui inciderunt in furorem, & amentiam. Septimus illorum, qui damnantur ad mortem. Octauus, qui in extrema seruitute sunt constituti. Nonus illorum, qui ab infidelitate conuersi post receptum Baptismum immediatè infirmantur, & constituuntur in periculo mortis. Secundum hoc omnes, & similes status præsens titulus discutietur, sed quia hic nimis prolixus euaderet, placet eundem diuidere in alios subsequentes articulos.

3 Pueri ante vsum rationis non sunt capaces.

Conclusio I. Pueris baptizatis ante acquisitum vsum rationis non est conferibile hoc Sacramentum *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiunc. 4. in corpore, & opusc. 65. c. 7.*, & in hoc omnes consentiunt.

Ratio ex eo deducitur, quia hoc Sacramentum institutum est principalitèr in ordine ad effectum sanandi infirmitates spirituales, quæ fuerunt contractæ per sensus, vnde dicitur *Indulgeat tibi Deus quidquid per visum, quidquid per auditum &c. deliquisti*, sed pueri ante acquisitum vsum rationis per nullum sensum deliquerunt, ergo non est eisdem conferendum Sacramentum Extremæ Vnctionis, cum eisdem nequeat conferri effectus principalis eiusdem. Neque dicas, effectum huius Sacramenti non solum esse salutem spiritualem animæ læsæ per defectum sensuum, sed etiam sanitatem corporis, vnde, si primam afferre non potest ob conditionem subiecti, potest conferre secundam, cuius puer potest esse capax; contra enim impugnaberis, quia, vt asserit *Ghetius in thesau. animæ tom. 4. verb. extrema vnctio c. 5. num. 7. in exposit. lit. D. Thomæ*, vbi subiectum non est capax principalis effectus frustra datur Sacramentum in ordine ad effectum secundarium.

4 Nõ sunt capaces effectus primarij eiusdem.

Vrgebis hoc, quod dicitur, quod, quando subiectum non est capax effectus principalis frustra datur Sacramentum in ordine ad secundarium, non subsistere, quandoquidem effectus principalis Eucharistię est collatio gratiæ nutritiuæ, seu augmenti gratiæ, & tamen hoc potest conferri subiecto incapaci huius augmenti per ordinem dumtaxat ad effectum secundarium; sic docet *D. Thomas in tertia part.*, quod Christus Dominus in vltima cæna, quando instituit Sacramentum Eucharistiæ se ipsum sub speciebus panis, & vini sumpsit, & tamen capax augmenti gratiæ non erat, cum haberet in se plenitudinem gratiæ, vnde habuit teste eodem D. Thoma solum quandam spiritualem dulcedinem, quæ est effectus secundarius. Sed contrà; plura, quæ fecit Christus Dominus ad nostram instructionem fecit, non ad aliquem effectum in se ipso consequendum, cum eodem non indigeret; sic dicitur etiam pernoctasse in oratione, cum quoad se ipsum nõ indigeret illius effectu; nec mirum est, quod Christus Dominus aliqua fecerit ad nostram doctrinam, quæ eidem quoad effectum nequeunt competere, & tamen repugnante effectu principali nequeant homini conferri ob eiusdem conditionem perseuerante tali conditione, cum tunc sit incapax illius effectus.

5 Soluitur instantia opposita.

6 Secundũ aliquos sanitas corporalis non est effectus.

Dici etiam potest secundum aliquorum placitum, quod sanitas corporalis non est effectus huius Sacramenti ex opere operato, sed solum ex opere operantis, cum positis omnibus requisitis infallibilitèr non sequatur, quinimmo, nec vt plurimum sequatur, de qua re infrà vberius, dum de effectibus huius Sacramenti.

Disputant hic aliqui, an pueris, qui sunt consecuti vsum rationis conferendum sit hoc Sacramentum? Ghetius *in thesauro animæ tom. 4. verb. vnctio extrema c. 5. n. 7.* ex eo quod *D. Thomas in quarto dist.*

dist. 23. q. 2. art. 2. quaestiune. 4. in corpore statuat, quod sicuti pueris ob defectum deuotionis non est danda Eucharistia nulla facta distinctione, an consecuti fuerint vsum rationis, vel non fuerint consecuti, concludit, quod, sicuti durante pueritia non est conferenda pueris Eucharistia, ita, nec eisdem sit conferenda extrema vnctio. Nihilominus non dubitarem, pueris, qui vsum rationis sunt assecuti, & capaces sunt peccata committere, posse hoc Sacramentum conferri, quinimmo sine vlla prorsus hæsitatione conferrem, & in hoc consentiunt *Hurtadus de Sacram. Extremæ Vnctionis difficult. 10., Santius disp. 27. num. 17., Lugus de Eucharist. disp. 13. sect. 4. num. 41., Diana part. 3. tract. 4. resol. 169.* Rationem ex eo deduco, quia post vsum rationis acquisitum capax est puer delinquendi læthalitèr, quinimmo etiam capax est Sacramenti pænitentiæ, ad quod etiam obligatur, ergo etiam capax est Sacramenti Extremæ Vnctionis; Consequentia probatur, quia plura videntur requiri ad Sacramentum pænitentiæ, quam ad Sacramentum Extremę Vnctionis, siquidem in illo requiritur attritio, seu contritio, propositum non peccandi de cætero, & satisfactio, quæ omnia saltem ità expressè non requiruntur in Sacramento Extremæ Vnctionis.

7 Pueris acquisito vsu rationis secundum aliquos non est conferendum.

8 Verius potest conferri.

Neque obesse possunt ea, quæ ex Diuo Thoma afferebantur, quod scilicet requiratur deuotio ad susceptionem huius Sacramenti, quæ requiritur ad susceptionem Eucharistiæ, adeoque, sicuti Eucharistia non confertur pueris post acquisitum vsum rationis, ita, nec eisdem sit conferenda extrema vnctio. Non, inquam, obesse potest, quia in primis saltem in ordine ad articulum mortis dictum est *tomo de Eucharistia, vt Sacrific., & vt Sacramento q. 8. art. 2. vers. quoad communionem verò*, posse validè conferri Eucharistiam pueris postquam assecuti sunt vsum rationis; atque in hoc consentiunt *Suarez disp. 70. sect. 1. §. quarè tandem Madernus q. 7. art. 5., Cacheranus tract. 9. de Eucharistia, vt Sacramento c. 3. §. 4. num. 86., & seqq.* Deinde maior discretio requiritur ad communionem, quam ad hoc Sacramentum, vt notant *Hurtadus de Sacramento Extremæ Vnctionis diffic. 10., Santius disp. 27. n. 17., Lugus de Eucharistia disp. 13. sect. 4. n. 41.*

9 Non tanta requiritur deuotio ad hoc Sacramentum, quanta ad Eucharistiã.

Conclusio II. Probabilius est, posse hoc Sacramentum conferri adultis, qui nunquam peccauerunt, si tamen dabilis est huiusmodi casus. Consentiunt *Henriquez lib. 3. c. 8. num. 4., & c. 11. num. 8., Suarez tom. 4. disp. 44. sect. 2. num. 5., Pitigiana in quarto dist. 13. q. vnica art. 5. vers. his tamen non obstantibus, Coninchus disp. 19. dub. 7., Filliutius tract. 3. num. 108.* quidquid ex aduerso dixerit *Nugnus in addit. ad tertiam part. q. 32. art. 2.* cui adhæret *Ghetius loc. cit.*

10 Potest adultis conferri, quamuis non peccauerint.

Rationem ex eo deduco, quod hoc Sacramentum non solum institutum est, vt complementum Sacramenti pænitentiæ ad delendas reliquias peccatorum, sed etiam vt maximum præsidium ad resistendum Dæmonum tentationibus in illa extrema lucta, cum per illud conferantur specialia auxilia ad hunc effectum, ergo non est, cur hoc Sacramentum nõ sit conferibile ijs, qui non peccauerunt, cum possint in illo extremo agone peccare; & hinc patet, cur non possit conferri hoc Sacramentum pueris ante vsum rationis, quia pro illo statu nec peccauerunt, nec possunt peccare, possit verò conferri pueris, qui acquisierint vsum rationis, nam licet adhuc non peccauerint, possunt tamen in illo agone peccare.

Alteram rationem ex eo deduco, quod *D. Iacobus c. 5.* conditionatè asserat. *Si in peccatis sit, dimittentur eis*, vbi vides, quod non supponat absolutè infirmum esse in peccatis, cæteroqui non diceret conditionatè. *Si in peccatis sit &c.*, ergo potest conferri etiam ijs, qui non peccauerunt; Neque obesse potest, si asseratur, quod in ordine ad eos, qui non peccauerunt, non possit verificari forma Sacramenti, secundum quam dicitur. *Quidquid per visum, quidquid per auditum &c. deliquisti*; Non, inquam, obesse potest, quia, vt notat *Suarez tom. 4. disp. 42. sect. 2. num. 10.* illa verba resoluuntur in sensum istorum *Conferat tibi Deus gratiam de se remissiuam &c.* quæ propterea, si inueniant peccatum in subiecto cum debitis dispositionibus illud remittunt; si non inueniant, conferunt gratiam, quæ ex se est remissiua, & si non remittat, non est defectu sui, sed defectu proportionatæ materiæ, ea proportionali ratione, qua in forma Sacramenti pænitentiæ, qua dicitur, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, hæc remittit peccatum, si inueniat, & si non inueniat, confert gratiam ex se remissiuam, licet actu non remittat, cum peccata sint deleta, vel in præcedenti confessione, vel per actum contritionis.

11 D. Iacobus loquitur conditionatè.

12 Quomodo respectu istorũ verificẽtur verba, *quidquid deliquisti*.

Ex his, quæ dicta sunt sub hac conclusione, inferri potest, quod, si quis adultus post susceptum baptismum, cum conuersus fuerit ab infidelitate, paulo post ob infirmitatem superuenientem deuenerit in periculum mortis, possit recipere Sacramentum Extremæ Vnctionis. *Henriquez lib. 3. c. 11. num. 3., Siluester verb. Extrema Vnctio in fin., Naldus eod. verb. n. 9.* Rationes pro conclusione adductæ videntur

13 Adultus cõuersus ad fidem, & baptizatus, si infirmetur paulo post ad mortem potest inungi.

hanc

hanc illationem sufficientèr euincere; Neque obstat, si asseratur, quod Sacramentum baptismatis purget omnia præcedentia, adeout eadem cadere non possint sub Sacramento pænitentiæ, cum per Baptismum supponantur deleta tam quoad culpam, quam quoad pænam ad differentiam peccatorum commissorum post Baptismum, quæ possunt iteratis confessionibus subijci, & aliquem effectum consequi; Non obstat, inquam, quia, quamuis post Sacramentum Baptismatis non remaneant peccata præcedentia, nec quoad culpam, nec quoad pænam, remanere tamen possunt quoad obicem, quatenus non sublatus fuerit per sufficientem actum atritionis in ipsa susceptione baptismatis, ad quem obicem auferendum potest plurimum prodesse susceptio Extremæ Vnctionis. Deinde quantumuis susceptio Extremæ Vnctionis in ea hypothesi non possit prodesse in ordine ad peccata præcedentia, potest tamen prodesse in ordine ad peccata, quæ possunt esse in illo extremo agone, in quo communis hostis plurimum vrget, maximè in nouitèr conuersis ab infidelitate, & nouitèr renatis fonte Baptismatis.

ARTICVLVS II.

Examinatur tertius, & quartus articulus propositus in præcedenti titulo quoad sanos, & non grauitèr infirmantes.

SVMMARIVM.

Refertur mos partium orientalium, secundum quem die, quo oleum consecratur, omnes adstantes inunguntur. 1.

Hoc Sacramentum sanis, grauique morbo non laborantibus, non potest licitè conferri. 2.

Euincitur ex definitionibus Conciliorum. 3.

An requiratur certus infirmitatis gradus. 4.

Debet tantum conferri in periculoso. 5.

Non tamen ità differendum, vt sensibus infirmus careat. 6.

Probabilius non potest validè sanis conferri. 7.

Discrepantia inter Ghetium, & Contensonium. 8.

Euincitur ex verbis D. Iacobi, & ex Conciliorum definitionibus. 9.

Non in quacunque infirmitate conferendum est, sed in graui, & periculosa. 10.

Diuus Iacobus loco sæpius citato loquens de hoc Sacramento dicit, *Infirmatur quis ex vobis, Inducat Presbyteros &c.* ex quibus verbis colligi videtur, quod hoc Sacramentum institutum sit in ordine dumtaxat ad laborantes graui morbo. Nihilominus, quia refertur quidam mos in partibus Orientalibus apud Græcos receptus, quin immo etiam in Ruscia, & in vniuersa Moscouia, quo singulis annis, quibus oleum ab Episcopis benedicitur adstantes omnes, & circumfusum populum inungunt, nec aliquod omittunt, quod in infirmorum inunctione solet adhiberi, ideo valdè implexa remanet hæc difficultas, pro cuius propterea dissolutione duo veniunt discutienda. Primum est, an licitè hoc Sacramentum possit conferri sanis nulla infirmitate graui laborantibus. Secundò ex suppositione, quod non possit licitè conferri, possit tamen validè.

1 Mos partiū orientaliū refertur.

Conclusio I. Hoc Sacramentum sanis, grauique morbo non laborantibus nequit licitè conferri. In hanc conueniunt communitèr signantèr *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiunc. 1. in corpore, & lib. 4. contra gentes c. 37., & opusc. 65. c. 7.*

2 Nequit sanis licitè conferri.

Non solum deducitur ex verbis allegatis D. Iacobi, sed etiam *ex Concil. Trident. sess. 14. c. 3. de Sacram. Extremæ Vnctionis*, vbi appellatur Sacramentum transeuntium, & ex Concil. Florent. in decret. Armenorum. Ibi- *Hoc Sacramentum, nisi infirmo, de cuius morte timetur dari debet.*

3 Euincitur ex definitionibus Conciliorum.

Probatur etiā ratione *D. Thomæ loc. cit.* quia spiritualis curatio, quæ per hoc Sacramentum datur, significatur exterius per quendam corporalis curationis modum, sed corporales curationes non applicantur, nisi infirmis, ergo, nec spirituales. Confirmatur ex analogia vitæ spiritualis ad corporalem; nam sicuti in vita corporali dantur remedia pro quolibet hominum statu, ità congruum est dari etiam in vita spirituali, adeout, sicuti in languoribus, & infirmitatibus corporalibus dantur certa, & distincta medicamenta ità, & in eisdem dantur certa, & determinata pro salute spirituali, cuiusmodi est extrema vnctio, quæ alleuiat infirmum, & sanat languores animæ, & corporis.

Hic oritur difficultas, an, supposito, quod solis infirmis hoc Sacramentum possit ministrari, requiratur certa infirmitas, an vero possit in qualibet infirmitate conferri. Ex eo, quod D. Iacobus non determinet infirmitatem aliquam pro huiusmodi vnctione, sed dicat simplicitèr *Infirmatur quis ex vobis*, videtur asserendum in qualibet infirmitate posse conferri, quia propositio indefinitè prolata debet indefinitè sine vlla restrictione accipi, cui non videtur obsistere *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 2.*

4 An requiratur certus infirmitatis gradus.

q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad primam, dum dicit, in quacunque infirmitate, ex quacunque radice prouueniente posse dari hoc Sacramentum, sed in infirmitatibus distinguit status dicens, in quacunque infirmitate, sed non in quocunque cuiuscunque infirmitatis statu posse conferri; vnde ibidem concludit, quod non in quocunque statu infirmitatis, sed vel in extremo, vel periculoso tantum possit dari, & *ibidem quæstiunc. 2. in corp.*, & *lib. 4. contra Gentes c. 73.* subdit, quod *hoc Sacramentum est vltimum remedium, quod Ecclesia potest conferre quasi disponens ad gloriam, & ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium propter hoc, quod de periculo timetur.*

5 Debet solum conferri in periculoso.

Retentis ijs, quæ ex D. Thoma habentur, monendum solum censeo, quod, quamuis solum periclitanti infimo ad mortem possit hoc Sacramentum conferri, non tamen expectandum est tempus; quo infirmus sensibus prorsus careat, vt infirmus magis se possit disponere ad fructum eiusdem percipiendum. Hæc tamen intellige, quando hoc fieri potest, si enim inopinato fato sensibus omnibus destituatur, adhuc vngi potest iuxta superius dicta.

6 Non tamen ita differendum, vt infirmus sensibus careat.

Conclusio II. Probabilius est, hoc Sacramentum non posse sanis validè conferri. Circa hanc conclusionem inter se dissident duo discipuli D. Thomæ, nempè Contensonius, & Ghetius, dum ille *lib. 11. part. 4. dissert. 1. c. 1. de subiecto huius Sacramenti quæsit. secundo*, absolutè sentit, validè conferri posse, quod comprobat ex superius allegata praxi Ecclesię orientalis, secundum quam omnes adstantes, dum singulis annis oleum benedicitur, eodem prorsus modo, quo infirmi solent inungi, vnguntur, & damnat nimiæ audaciæ, qui hanc praxim ibi receptam tanquam inualidi Sacramenti damnaret, cum non sit reprobata, nec à Concil. Florentino, neque ab Innocentio IV., iste vero, nempè *Ghetius in Thesauro animæ tom. 4. verbo vnctio extrema c. 5. n. 1. in explicat. lit. D. Thomæ in fine*, statuit, Sacramentum hoc collatum sanis fore inualidum, quod comprobare intendit ex *D. Thoma in quarto dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiunc. 1. in corp.* vbi habet. *Illis, quibus corporalis curatio non competit, scilicet sanis, non debere hoc Sacramentum conferri*; Sed ad hoc posset respondere Contensonius, D. Thomam intelligendum esse, quod non possit licitè conferri, non autem validè. Conclusionem hanc nostram sustinet *Henriquez lib. 3. c. 11.*, *Bellarminus tom. 3. de Extrema Vnctione c. 9.*, *Suarez tom. 4. disp. 44. sect. 2.*, *Bonacina de Sacram. Extremæ Vnctionis disp. 8. q. vnica punct. 5. num. 5.* quidquid ex aduerso senserit *Coninchus disp. 19. dub. 7. num. 25.*

7 Non potest validè sanis conferri.

8 Duo discipuli D. Thomæ inter se discrepantes.

Colligitur primò, tum ex verbis D. Iacobi, tum ex fine, ad quem institutum est hoc Sacramentum; ex verbis D. Iacobi, *Infirmatur quis ex vobis, Inducat Presbyteros, & orent super eum*, vbi patet, non ad quemcunque ordinatum esse hoc Sacramentum, sed dumtaxat ad infirmantes; ex fine, ad quem institutum est, ad alleuiandum scilicet infirmum, ipsumque expurgandum, cum ipsum disponat immediatè ad gloriam, cum qua nec peccata, nec reliquiæ peccati possunt compati.

9 Euincitur ex verbis D. Iacobi.

Colligitur secundò *ex Concil. Trident. sess. 14. c. 3. de Sacramento Extremæ Vnctionis*. Ibi. *Declarat etiam esse hanc vnctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ constituti videantur, vnde, & Sacramentum exeuntium noncupatur*. Item ex Concil. Florent. in decreto Armenorum. Ibi. *Hoc Sacramentum, nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet*; Neque obesse potest, si dicatur, has Conciliorum definitiones intelligendas esse quoad licitum esse, non quoad validum; Non, inquam, obesse potest, quia, cum huiusmodi Conciliorum definitiones referantur ad verba D. Iacobi, quibus hoc Sacramentum promulgauit, ad normam eorum sunt intelligenda; D. autem Iacobus ibid. refert subiectum necessarium, quod est infirmus. *Infirmatur quis ex vobis &c.* & frustra indicaret infirmantem, si ad quemcunque hoc Sacramentum dirigeretur.

Et ex Cōcil. definitionibus.

Sed quid erit dicendum de infirmantibus, quantumuis pro tunc non periclitentur ad mortem, an, si eisdem conferretur, hoc Sacramentum esset validum. Videtur affirmandum, quandoquidem D. Iacobus solum requirit infirmitatem non determinans in quonam gradu debeat esse talis infirmitas, vnde in quocunque gradu illa sit, dummodo non sit accidentalis, modica, & breuis, cuiusmodi est leuis capitis dolor, & modica humorum alteratio, videtur constituere subiectum, in quo est, capax huius Sacramenti, potissimum cum possit augmentari, & ad mortem perducere. Accedit, quod, si solum in periculosa infirmitate posset hoc Sacramentum ministrari, variæ crebrò insurgerent rationes dubitandi, an illa infirmitas esset periculosa, nec ne, & sæpè vigeret dubium, ac Sacramentum esset validum, nec ne, potissimum cum consulant DD., hoc Sacramentum non esse differendum in extremis, quando infirmus est destitutus sensibus, sed conferendum pro tempore, quo plenè gaudeat cognitione tanti Sacramenti, & possit se disponere ad illius fructus, & effectus percipiendos.

Nihil-

10 Non in quacunq; infirmitate conferendũ est, sed in graui, & periculosa.

Nihilominus magis cõmunitèr statuunt, quod non possit conferri, nisi in graui, & periculosa infirmitate *Suarez tom. 4. disp. 44. sect. 2., Ghetius in thesaur. animæ verb. vnctio extrema c. 5. num. 2. in expos. lit., Diana part. 9. tract. 6. resol. 45., Bonacina de Sacram. Extremæ Vnct. disp. 8. q. vnica punct. 5. num. 5.*, quibus fauere videtur *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. in corpore*, vbi habet, quod *hoc Sacramentum est vltimum remedium, quod Ecclesia potest conferre immediatè quasi disponens ad gloriam, & ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium propter hoc, quod ægritudo nata est ad mortem inducere, & de periculo timetur*.

ARTICVLVS III.

Examinatur quintus articulus, quoad eos, qui non infirmantur ad mortem, sunt tamen in proximo periculo mortis.

SVMMARIVM.

Quinam dicantur non infirmi, sed in proximo mortis periculo. 1.
Isti omnes non sunt vngendi. 2.
Intellige, nisi simul sint graui morbo affecti. 3.
Fæmina prægnans graui ægritudine affecta, si accedens ad partum incipiat deficere, potest vngi. 4.
Concilium Mediolanense intelligendum est de fæmina propè partum sine periculo. 5.

1 De quibusnam procedat titulus.

HUiusmodi sunt, qui nulla pro tunc premuntur infirmitate, possunt tamen de proximo subesse mortis periculo, puta nauigantes, qui sunt in periculo naufragij, milites, qui de proximo pugnam sunt aggressuri; mulieres, quæ sunt parituræ, & damnati ad mortem. De ijs omnibus quæritur, an sint capaces Sacramenti Extremæ Vnctionis.

Conclusio. Omnes recensiti, alijque, qui non infirmantur, sunt tamen in proximo vitæ discrimine, non sunt vngendi oleo Extremæ Vnctionis. *Henriquez lib. 3. c. 11., Bellarminus tom. 3. de Extrema Vnctione c. 9., Suarez disp. 42. sect. 1.* hocque expressè habetur *in act. Ecclesiæ Mediol. part. 4. tit. Quibus ministratur*.

2 Isti omnes non sunt vngendi.

Ratio horum omnium ea est, quia ad hoc, vt possit hoc Sacramentum conferri, duo requiruntur in subiecto; primum, vt infirmetur; secundum, quod sit constitutus in expresso vitæ periculo; recensiti autem omnes, quamuis sint constituti in proximo vitæ periculo, non tamen infirmantur, ergo eisdem non potest hoc Sacramentum conferri. Antecedens non solum euincitur ex verbis D. Iacobi. *Infirmatur quis ex vobis*, sed etiam ex ratione adducta à *D. Thoma in quarto dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiunc. 1. in corpore, & lib. 4. contra gentes c. 37., & opusc. 65. c. 7.*, quod scilicet hoc Sacramentum est quædam spiritualis curatio, quæ quidem per quendam corporalis curationis modum significatur, & ideo illis, quibus corporalis curatio non competit, non debet hoc Sacramentum conferri.

3 Intellige, nisi simul sint graui morbo affecti.

Hic tamen aduerte, quod, si omnes recensiti laborarent aliqua infirmitate pro tempore, quo periclitantur naufragio in mari, vel in bello, vel in partu, posset eisdem hoc Sacramentum ministrari, vt sentiunt *Bonacina de Sacram. Extremæ Vnct. disp. 8. q. vnica punct. 5. n. 4. vers. ex quo patet, Ghetius loc. cit., & habetur expressè in actis Eccles. Mediol. part. 4. tit. Quibus ministratur*; Nota tamen, quod præcedens infirmitas ad periculum naufragij, belli, vel partus debeat esse ex se coniuncta cum periculo mortis, nec sufficiat qualiscunque, quia, vt supra dicebamus, non nisi extrema, & periculosa facit subiectum capax huius Sacramenti, nec periculum aliundè obueniens facit talem infirmitatem periculosam, vnde merito subdit *Ghetius loc. cit., si ex morbo in periculo mortis versentur isti*, potest illis conferri; vbi nota illam particulam, *si ex morbo*; periculum autem illud, si infirmitas non sit talis, non est ex morbo, sed ex naufragio, vel bello.

4 Fæmina prægnans graui morbo affecta, & in partu periclitãs potest vngi.

Limitarem tamen in casu, quo mulier ægritudine aliqua afficeretur, & accedens ad partum inciperet deficere, vt etiam limitant *Candidus tom. 3. disquis. 3. art. 5. dub. 3., Trullench. de Sacram. lib. 6. c. vnico dub. 4. n. 4., Diana part. 10. tract. 12. resol. 9., Lublinus in summa verbo Extrema Vnctio n. 14.* Ratio est, quia in ea hypothesi denegari non potest, quin illud periculum proueniat ex ægritudine nata ex torsione, & vexatione partium inferiorum, vnde potest dici, quod tunc illa fæmina parturiens ex defectu naturę proxima sit morti ad differentiam periclitantium in naufragio, vel bello, quia tunc periculum est ab extrinseco, non ratione ægritudinis.

5 Quomodo intelligendũ sit Concilium Mediolanense.

Hic valdè miratur *Leandrus de Sacram. tom. 1. tract. 4. disp. 3. q. 12.* quomodo Concil. Mediol. *4. part. 2. statuat* vulneratos mortalitèr inungi posse, & mulierem in partu periclitantem inungi non debere, cum vtrique violentèr ad mortem infirmentur, quinimmo magis videatur fæmina in ea hypothesi inungenda cum eius

infirmitas proueniat ex defectu naturæ; Sed merito conciliat dictum Concilij Mediolanensis *Bassaus in Florib. Theolog. verb. Extremæ Vnctionis Sacramentum num. 4.* dicens Concilium intelligendum esse de mulieribus existentibus in partu sine periculo.

ARTICVLVS IV.

Examinatur sextus articulus, Quoad Furiosos, & Amentes.

SVMMARIVM.

Furiosi, & Amentes in multiplici statu. 1.
Furiosi, & amentes à natiuitate, qui sint perpetuò tales, non sunt vngendi. 2.
Furiosis, & amentibus, qui ante furorem, & amentiam gauisi sunt vsu rationis potest conferri, si illam petierint. 3.
Si ante amentiam non petierint, recurrendum est ad eorum voluntatem interpretatiuam. 4.
In quo consistat illa interpretatiua voluntas. Ibid.
Si peruersè vixerit, non est illi conferenda. 5.
Si furiosi, & amentes grauitèr infirmentur, & gaudeant lucidis interuallis potest tunc illis conferri. 6.
Durante amentia, etiam si ante illam petierint, non est conferenda, si sit periculum irreuerentiæ. 7.
Reuerentia debita Sacramento est præferenda vtilitati infirmi. 8.

1 Multiplex status amentium.

FUriosi, & amentes secundum multiplicem statum possunt considerari; Alij etenim tales sunt à natiuitate, & in tali statu perseuerant; Alij, qui postquam per aliquod tempus mentis sani fuerunt, postea inciderunt in amentiam, & furorem, nec amplius gaudent lucidis interuallis; Alij, qui licet ex interuallo facti sunt tales, gaudent tamen quandoque lucidis interuallis. Alij tandem, qui, licet gaudeant lucidis interuallis, pro tempore tamen, quo eisdem esset conferendum hoc Sacramentum, tali furore, & amentia aguntur, vt sit periculum irreuerentiæ Sacramenti, si eidem conferretur.

2 Furiosi, & amentes à natiuitate non sunt vngendi.

Conclusio I. Furiosis, & Amentibus à natiuitate, quique sunt perpetuo tales non est conferendum hoc Sacramentum. *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiunc. 3. in corpore*, & in hoc communitèr consentiunt.

Probatur. Pueris ante vsum rationis periclitantibus ad mortem non est conferendum hoc Sacramentum, vt supra probauimus; ergo, nec est conferendum amentibus à Natiuitate, & furiosis, & perpetuo talibus. Consequentia probatur, quia sic amentes, & furiosi, quamuis sint adulti ratione ætatis, computantur tamen pueris ratione mentis, cum vsu semper rationis careant. Confirmatur, quia intantum pueris ante vsum rationis non est conferendum hoc Sacramentum, in quantum defectu rationis non possunt delinquere, sed etiam perpetuo amentes, & furiosi ob eundem defectum nequeunt delinquere, ergo etiam eisdem non est conferendum.

3 Si gauisi fuerint vsu rationis possunt recipere.

Conclusio II. Furiosis, & Amentibus, qui antecedentèr gauisi sunt vsu rationis, & postea inciderunt in furorem, & amentiam, potest hoc Sacramentum conferri, si illud petierunt. *Suarez disp. 42. sect. 1. num. 6., Nauarrus in man. c. 12. num. 13., Henriquez lib. 1. c. 22. num. 3., & lib. 3. c. 13. num. 1., Bellarminus tom. 3. de extrema vnct. c. 9. ad fin., & alij communitèr.*

Ratio ex eo deducitur, quia in istis reperiuntur omnes qualitates, & conditiones, vt sint aptum subiectum huius Sacramenti; supponuntur etenim esse ex infirmitate periclitantes ad mortem, & quod peccauerint, vel peccare potuerint, & respectu eorundem verificari potest forma Sacramenti. *Quidquid per visum, quidquid per auditum &c. deliquisti*; & ex eo, quod illud petierint, & postea immediatè in amentiam, & furorem inciderint, nec præsumantur illam voluntatem retractasse, supponuntur esse dispositi perseuerante illa priori voluntate ad illud, illiusque effectum recipiendum, ergo non est, cur non possit, & debeat illis conferri.

4 In casu quo non petierint quid sit agẽdum.

Si verò supponatur, quod illud non petierint; tunc recurrendum est ad voluntatem illorum interpretatiuam, si etenim, dum vsu rationis gaudebant, semper christianè vixerint, vel signa contritionis dederint, præsumi poterunt, quod voluntatem habuerint illud suscipiendi, & propterea poterit illis conferri, quia supponitur quilibet dispositus, nisi contrarium probetur, prout probant DD. in conclusione allegati. Nec obesse potest, si dicatur non sufficere illam voluntatem interpretatiuam, quæ consistere potest in actibus internis præsumptis, sed debere esse sensibilem ea proportionali ratione, qua dicebamus in quæstionibus de Sacram. pænitentiæ, quod dolor ad illud requisitus debeat esse sensibilis, vt possit validè impendi forma absolutoria, adeout sine tali sensibilitate, nec sub conditione possit impertiri; Non, inquam, obesse potest, quia dolor in Sacramento pænitentiæ est pars materialis essentialis, quæ ex necessitate debet esse sensibilis, sine qua sensibilitate

litate Sacramentum non potest subsistere; intentio autem recipiendi Sacramentum, cum se teneat, nec ex parte formæ, nec materiæ, sed dumtaxat respectu recipientis, quæ propterea se habet per modum dispositionis, præsumi potest, nec est necesse, quod sensibilitèr exhibeatur, cum haberi possit per actus mere internos, nec vllus, dum recipit Sacramenta, sensibilitèr exhibet talem intentionem.

5 Si perversè vixerit non est illi conferenda.

Si verò supponatur, quod ille, dum gauderet vsu rationis, peruersè semper vixerit, & in peccato notorio existens inciderit in amentiam, & furorem, nec vllum dederit signum contritionis, & pænitentiæ, tunc certè hoc Sacramentum non esset illi conferendum, quia non supponitur sufficientèr dispositus ad hoc Sacramentum recipiendum, nec istud est conferendum manifestè indignis.

6 Pro tempore, quo gaudent lucidis interuallis potest conferri.

Conclusio III. Furiosis, & amentibus, qui gauisi sunt vsu rationis, & postea inciderunt in furorem, & amentiam potest hoc Sacramentum conferri, si gaudeant lucidis interuallis, pro tempore, quo eisdem gaudent *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiunc. 3. in corp., Suarez tom. 4. disp. 43. sect. 2., Possevinus c. 9. n. 4., Ghetius in thesauro animæ tom. 4. verb. vnctio extrema num. 6. in exposit. lit. in fine.*

Ratio est, quia pro illo statu lucidorum interuallorum sunt capaces Sacramenti pænitentiæ, aliorumque Sacramentorum, ergo non est, cur non sint capaces etiam Extremæ Vnctionis, cum maior dispositio videatur requiri ad alia Sacramenta, quam ad istud Extremæ Vnctionis. Confirmatur, quia etiam in hac hypothesi sunt omnes conditiones, quæ eosdem reddunt habiles ad huiusmodi Sacramentum recipiendum; infirmitas scilicet ad mortem, peccata præcedentia, vel quæ esse potuerunt, capacitas ad sufficientem dispositionem, & requisitam deuotionem; non enim supponimus, quod pro tempore, quo gaudent lucidis interuallis, repugnent receptioni huius Sacramenti.

7 Etiam si petierint non est illis conferendũ, si sit periculum irreuerentiæ.

Conclusio IV. Si Furiosi, & amentes, antequam inciderent in furorem, & amentiam petierint, seu optarint Extremam Vnctionem suo tempore exhibendam, & pro tempore collationis, tali furore, & amentia agitentur, vt sit periculum irreuerentiæ Sacramenti, non debet eisdem hoc Sacramentum conferri. In hoc consentit *D. Thomas in quarto dist. 23. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 3. in corpore*, vbi hæc expressè habet, *& ideo illis, qui non possunt recognoscere, & cum deuotione suscipere hoc Sacramentum, dari non debet, & præcipuè furiosis, & amentibus, qui possunt irreuerentiam Sacramento per aliquam immunditiam facere*, quidquid aliqui dixerint, quod, si pro tempore, quo gauisi fuerint lucidis interuallis, petierint hoc Sacramentum, & deinde pro tempore collationis furore, & amentia maxima agitentur, debeant funibus alligari, eisdemque hoc Sacramentum conferri.

8 Reuerentia debita Sacramẽto est preferenda vtilitati infirmi.

Ratio ex eo deducitur, quod reuerentia debita Sacramento debet præferri vtilitati, quam ex illius perceptione potest recipere infirmus; sic in quæstionibus de Eucharistia docuimus, quod propter reuerentiam debitã Sacramento non liceat cõficere Sacramentum sine sacris vestibus etiam in ordine ad ministrandum Viaticum cõstituto in articulo mortis, quantumuis vrgeat præceptum Diuinum illum communicandi in articulo mortis; sic etiam ibidem docuimus, non licere deferre Viaticum moribundo, quando adest periculum, ne irreuerentia committatur in Sacramentum, ergo multo minus licebit ministrare Sacramentum Extremæ Vnctionis infirmo periclitanti ad mortem, quando est periculum ob furorem, & amentiam irreuerentiæ in idem Sacramentum. Consequentia probatur, quia fortior vrget ratio communicandi infirmum in articulo mortis, ac illi conferendi Extremam Vnctionem, siquidem est præceptum Diuinum de illo communicando, non sic de conferendo illi Extremam Vnctionem.

Neque obstant, quæ ex aduerso afferebantur de eo funibus alligando, quandoquidem irreuerentia non solum potest consurgere ex manuum, & pedum contractatione, & agitatione, sed etiam ex verborum detractationibus, conspuitionibus, maledictis, & vilipendio.

ARTICVLVS V.

Examinantur cætera omnia, quæ proposita sunt in principio articuli primi huius quæstionis.

SVMMARIVM.

De quibus procedat titulus. 1.
Senes considerari possunt in duplici statu, & quonam. 2.
Senes quantumuis decrepiti non sunt vngendi, si non destituantur viribus. 3.
Si viribus destituantur sunt inungendi. 4.
Possunt inungi propinquantes ad mortem ob pestem, ob morsum viperarum, ob morbum rapidum. 5.

Quæ proposita sunt de ijs, qui damnantur ad mortem, & de ijs, qui ab infi-

1 Procedit titulus de senibus.

infidelitate conuersi post susceptum Baptismum immediatè infirmantur, & constituuntur in articulo mortis, fuerunt occasionalitèr discussa *articulo primo huius quæstionis concl. 2. vers. ex his, quæ dicta sunt, & art. 3.* quarè non est, cur in his immoremur. Difficultas igitur huius articuli reducitur ad senes graui, & extrema senectute laborantes, an eisdem ex vi præcisè senectutis possit extrema vnctio conferri.

2 Senes in duplici statu.

Pro quo aduertẽdum est senes posse dupliciter considerari; primò, quatenus, licet in graui senectute sint cõstituti, viribus tamen non destituuntur, ita vt alio non superueniente non intelligantur esse in proximo mortis periculo; secundò, quatenus eadem senectute oppressi, quamuis alio morbo non premantur, intelliguntur tamen ex eadem senectute deficere, cum viribus destituantur. Iuxtà primam acceptionem sentiendum est, non debere eisdem hoc Sacramentum conferri, & in hoc arbitror omnes conuenire. Ratio ex eo deducitur, quia licet senectus computetur pro infirmitate, non est tamen in tali statu, vt constituat in extremo vitæ discrimine, nisi aliud superueniat, quod est id, quod considerauit *D. Thomas in quarto sent. dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad primum*, distinguens inter infirmitatem, & infirmitatis gradum, seu statum, vbi vult, quod attendendus sit status infirmitatis, qui constituat in periculo mortis. Non negarem tamen, quod, si ex medicorum iudicio ex indicijs resultantibus ex aliquibus circunstantijs esset periculum mortis imminentis, posset huiusmodi senibus hoc Sacramentum conferri, quia tunc esset verisimilis status infirmitatis conducentis ad mortem.

3 Quamuis decrepiti non sunt vngendi, nisi destituantur viribus.

Iuxta secundam acceptionem sentiendum est vtique posse, & debere conferri Sacramentum Extremæ Vnctionis. In hoc communitèr consentiunt DD. signantèr *Ghetius in thesaur. animæ tom. 4. verb. vnctio extrema n. 1. in expositione lit. D. Thomæ, Siluester verb. vnctio q. 5., Henriquez lib. 3. c. 11., Suarez tom. 4. disp. 42. sect. 2., Naldus verb. extrema vnctio num. 4., Siluester, & Armilla eodem verb. ille num. 5. iste num. 6.* Ratio est, quia in huiusmodi senibus consideratur & infirmitas, & status infirmitatis; Infirmitas, quia senectus ipsa est morbus; status infirmitatis, quia intelliguntur eadem iam confici, & per illam constituuntur in proximo mortis periculo.

4 Si viribus destituãtur sunt inungendi.

Hinc deduces, quod, sicuti hoc Sacramentum conferri potest seni deficienti ob senectutem, cum hæc sit morbus, possit etiam conferri omnibus propinquantibus ad mortem ob morbum puta ob pestem, ob morsum viperarum, ob vulnus, vel ob rapidum morbum, prout notant *Suarez tom. 4. disp. 42. sect. 2., Possewinus c. 9. n. 4., & 22., & hoc habetur in Actis Mediol. Eccl. part. 4. §. quibus ministratur*. Monent tamen *Ghetius in thesaur. animæ tom. 4. verb. vnctio extrema c. 5. num. 1. in exposit. lit. D. Thomæ, & Bonacina de Sacram. Extremæ Vnct. disp. 8. q. vnica punct. 5. num. 6.*, quod cautè procedat Sacerdos, dum vngit laborantem in extremis ob morsum rabidum, ne rapidi homini sputum, seu saliuam attingat, quia inficit hominem.

5 Laborantes peste, morsu viperarum &c. possunt inungi.

ARTICVLVS VI.

Expediuntur omnia, quæ pertinent ad subiectum proximum huius Sacramenti.

SVMMARIVM.

Cur totum corpus non inungatur. 1.
Cur ex necessitate non fiat vnctio in renibus, cum ab eisdem plura peccata proueniant. 2.
Cur non fiat in membris genitalibus. 3.

PLura de hoc titulo dicta sunt in præcedentibus, & signantèr, quod vnctiones fieri debeant in illis organis, in quibus resident sensus, à quibus omnium peccatorum radices pullulant, licet in aliquibus regionibus ex consuetudine ibi recepta vnctiones huiusmodi extendantur ad alias partes ab illis sensuum, nempè ad renes, & pedes, in alijs ad alias partes, quas consuetudines, vbi sunt receptæ, & approbatæ diximus esse seruandas. Ad pleniorem tamen huius subiecti proximi cognitionem placet aliqua addere, quæ expediam per dubitationes, & suas respectiuè resolutiones.

1 Cur totũ corpus non inũgatur.

Dubitatur primò, cur totum corpus non vngatur, cum anima, quæ debet sanari, sit tota in toto, & tota in singulis partibus.

Respondeo cum *D. Thoma in quarto distinct. 23. q. 2. art. 3. quæstiunc. 1. ad primum, & in corpore*, quod, sicuti in curatione corporali non est necesse, quod fiat per remedium toti corpori appositum, sed illis dumtaxat partibus, vbi est radix morbi, ita etiam in hac vnctione spirituali, quæ fit ad modum corporalis, curatio non est necesse, quod fiat in toto corpore, sed in illis partibus tantum, in quibus est radix spiritualis infirmitatis; Neque obstat, quod anima, quæ per hanc vnctionem debet sanari, sit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, adeoque congruum

gruum videatur, quod totum corpus vngatur; Non obstat, inquam, quia, quamuis anima sit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, hoc verum est quoad essentiam, vt notat *D. Thomas loc. cit.* ad primum, non quoad potentias, quæ sunt radices actuum peccati; sufficit autem, quod vnctiones fiant in partibus, in quibus resident potentiæ sensitiuæ organicæ, quę sunt radices peccatorum.

Dubitatur secundò, cum vnctiones fieri debeant potissimum in partibus, quæ sunt radices peccatorum, cur principalius non fiant in renibus, cum ab eisdem procedant crebriora crimina, quæ in venereis consistunt; quinimmò vnctio in eisdem pluribus in locis omittitur, & in Rituali Romano dicitur in fæminis omittenda.

2 Cur non fiat in renibus.

Respondeo *cum D. Thoma in quarto dist. 23. q. 2. art. 3. quæstiunc. secunda in corpore, & lib. 4. contra Gentes c. 73.* duo esse principia peccatorum in nobis, alterum cognoscitiuum, quod est primarium, alterum appetitiuum, quod est secundarium; primum tanquam primaria origo obseruatur communitèr, seu magis communitèr; secundum, cum sit solummodo secundarium principium, non ità communitèr obseruatur. Hinc asserit *D. Thomas loc. cit.*, quod fiant principalius vnctiones in sensibus, quia isti pertinent ad principium cognoscitiuum, & directiuum; non ità principalitèr in renibus, & pedibus, quia isti pertinent ad appetitiuum principium, quod est minus principalitèr intentum. Si autem quæratur, cur sensus dicantur pertinere ad principium cognoscitiuum, & renes, & pedes ad appetitiuum; Dicam hoc esse, quia sensus dirigunt ad actum peccati; renes autem sistunt in delectatione, & pedes diriguntur ab eisdem sensibus.

Dubitatur tertiò, cur non inungantur membra genitalia, cum sint radices plurium peccatorum.

3 Cur non fiat in membris genitalibus.

Ad hoc respondet *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 2. art. 3. quæstiunc. secunda ad quartum*, non esse adhibendam vnctionem illis partibus propter immunditiam illarum, & reuerentiam debitam Sacramento; Quibus adde primò, quia huiusmodi partes pertinent ad principium appetitiuum, quod est secundarium, & propterea non ità necessarium. Secundò, quia per vnctionem renum, quando hæc fit, fit inunctio radicis, ex qua pullulant peccata, quæ committuntur per membra genitalia. Cæterum, sicuti omitti potest ex causa vnctio renum, semper omitti debet vnctio genitalium, cum semper militet causa rationabilis omissionis, nempè immunditia illarum partium, & reuerentia debita Sacramento.

QVÆSTIO IV.

De effectibus Sacramenti Extremæ Vnctionis.

OMnia Sacramenta ex vi suæ institutionis sunt ordinata ad aliquos particulares effectus in vtilitatem suscipientium producendos; sic Baptismus ad gratiam regeneratiuam; Confirmatio ad gratiam roboratiuam ad profitendam fidem; Eucharistia ad nutritiuam, & sic de cæteris. Hoc eodem ordine ad suos congruos, & proportionatos effectus non est destitutum Sacramentum Extremę Vnctionis, quos commemorat D. Iacobus c. 5. dicens: *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, &, si in peccatis sit, dimittentur eis*; in quibus habes omnes effectus consistentes in salute infirmi, in alleuiatione infirmitatis, & in remissione peccatorum, si in eisdem infirmus fuerit. In huiusmodi effectuum indagine, & explicatione nunc immorabimur, nequid desit, quod ad plenam, & exactam tanti Sacramenti cognitionem possit perducere.

ARTICVLVS I.

Quinam sit primarius effectus Extremæ Vnctionis.

SVMMARIVM.

Sententia asserens effectum primarium non esse simplicem, sed aggregatum ex pluribus. 1.
Secundum D. Thomam est remissio peccatorum quoad eorum reliquias, & etiam quoad culpam, si eam inueniat. 2.
Quomodo intelligatur ly quoad culpam. 3.
Non potest intelligi quoad peccata inculpabilitèr oblita. 4.
Sententia docens intelligi quoad peccata venialia. 5.
Effectus principalis est gratia remissiua quoad reliquias peccatorum, & quoad culpam venialium. 6.
Soluuntur rationes oppositæ. 7.
Quid veniat nomine reliquiæ peccatorum. 8.
Soluitur instantia opposita. 9.

Non-

1 Sententia asserens effectum primariũ esse aggregatũ ex pluribus.

NOnnulli apud *Contensonium lib.* 11. *part.* 4. *dissert.* 1. *c.* 1. *speculat.* 2. *vers. quæres primo*, tradiderunt primarium huius Sacramenti effectum non esse simplicem, sed aggregatum ex omnibus, quæ numerat *Concil. Trident. sess.* 14. *c.* 2. *de Sacramento Extremæ Vnctionis*, vbi hæc habentur. *Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cuius vnctio delicta, si quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleuiat, & confirmat*. Verum, cum in alijs omnibus Sacramentis distinguantur plures effectus, quorum alij sunt primarij, alij secundarij, non est, cur hanc distinctionem non debeamus agnoscere in hoc Sacramento.

2 Secundũ D. Thomam est remissio peccatorũ quoad eorum reliquias, & quoad culpam, si eam inueniat.

Quamobrem *D. Thomas in quarto dist.* 23. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc. prima in corpore, & lib.* 4. *contra gentes c.* 73., *& tertia part. q.* 65. *art.* 1. *in corpore*, asserit principalem effectum huius Sacramenti esse remissionem peccatorum quoad eorundem reliquias, ex consequenti etiam quantum ad culpam, si eam inueniat. Sed, quamuis verum habeat D. Thomas quoad id, quod primo loco dicit, nempè esse remissionem peccatorum quoad eorum reliquias, patitur tamen (iuxta nostra principia, secundum quæ *in quæstionibus de Sacramentis in genere q.* 6. *art.* 6. *vers. nihilominus sentiendum est*, diximus Extremam Vnctionem non habere vim) difficultatem quoad id, quod subdit de remissione quoad culpam per se causatiuam primæ gratiæ; vnde non elucet, quomodo possit remittere culpam læthalem; si eam inueniat in subiecto.

3 Quomodo intelligatur ly *quoad culpam*.

Adde, quod Sacramentum Extremæ Vnctionis ad differentiam Sacramenti pœnitentiæ supponat vitam spiritualem licet languidam, & debilitatam, cum se habeat per modum curationis, vnde sicuti curatio in corporalibus supponit vitam corporalem, ità curatio in spiritualibus supponit vitam spiritualem, quam propterea non habet conferre, licet valeat augere.

4 Non potest intelligi quoad peccata inculpabilitèr oblita.

Aliqui explicant D. Thomam quoad illas particulas, *etiam quantum ad culpam, si eam inueniat*, de culpis peccatorum inuincibilitèr oblitorum, quatenus remittantur per Sacramentum Extremæ Vnctionis. Sed hæc explicatio non potest subsistere, quandoquidem peccata in præcedenti confessione inculpabilitèr oblita intelliguntur remissa per eandem, cum vnum læthale non possit sine alio remitti.

5 Sententia docens intelligi quoad peccata venialia.

Alij explicant de culpa peccatorum venialium. Sed hos improbat *Ghetius in thesauro animæ tom.* 4. *verb. Extrema Vnctio c.* 6. *num.* 1. *in expositione lit. D. Thomæ*, asserens, quod ad venialium remissionem non est opus institutione Sacramenti alicuius, sed sufficiunt præter Sacramentum pænitentiæ Sacramentalia, prout etiam docet *idem D. Thomas tertia part. quæst.* 65. *art.* 1.

6 Effectus primarius est gratia remissiua quoad reliquias peccatorum, & quoad venialia.

Verum retenta doctrina D. Thomæ asserimus effectum primarium huius Sacramenti esse remissionem, seu gratiam remissiuam quoad reliquias peccatorum, & quoad culpam venialium, si quæ inueniantur in subiecto. Colligitur expressè ex verbis D. Iacobi. Ibi- *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiat, & si in peccatis fuerit, remittentur ei*, quæ verba explicans *Concil. Trid. d. sess.* 14. *c.* 2. *de Sacram. Extremæ Vnctionis*, dicit. *Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cuius vnctio delicta, si quæ sunt adhuc expianda, & peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleuiat*, qua expositione nil clarius ad rem nostram; nec arbitrandum est illa verba: *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei*, intelligenda esse etiam de peccatis læthalibus, quandoquidem ex communi DD. consensu hoc non est Sacramentum mortuorum, adeoque nequit per se, & ex opere operato referri ad deletionem mortalium, quinimmo, cum se habeat per modum curationis, supponit vitam in eo, cui applicatur, cum mortui non curentur. Quod, si supponas, quod conferat remissionem læthalium, quatenus per ipsum excitetur infirmus ad eliciendum actum contritionis, tunc remissio imputabitur ipsi actui contritionis, non formalitèr ipsi Sacramento, cum sit solummodo incitamentum.

7 Soluuntur rationes oppositæ.

Neque obstant in ordine ad ea, quæ dicebantur de remissione venialium, quod scilicet in ordine ad eandem non sit necesse aliquod Sacramentum, cum vltra Sacramentum pænitentiæ sufficiant Sacramentalia. Non obstant, inquam, quia in primis Sacramentalia non habent ex opere operato remittere venialia, sed solummodo dispositiuè, quatenus excitant ad eliciendum actum doloris, quo huiusmodi peccata deleantur. Deinde, vbi habemus clarum textum in sacris paginis de vi causatiua in aliquo Sacramento remissionis peccatorum, non debemus ab eo recedere; textus autem D. Iacobi hanc vim Sacramento Extremæ Vnctionis tribuit. Ibi- *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei*, circa quæ verba D. Thomas loc. supra allegatis dicit. Ex consequenti etiam quoad culpam, si eam inueniat; Nec arbitrandum est D. Iacobum loqui dumtaxat de reliquijs peccatorum, quandoquidem ibi distinguit quoad reliquias, & quoad culpam, vt legenti sit manifestum; primò enim ponit sermonem quoad reliquias. *Oratio fidei alleuiabit infirmum*,

mum, & postea subdit remissionem quoad culpam. *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei*; frustra autem poneret hæc vltima verba, si referrentur solum ad reliquias peccatorum, cum de istis antecedentèr fuerit sermo habitus.

8 Quid veniat nomine reliquiæ peccatorum.

Si autem quæratur quid veniat nomine reliquiarum peccatorum, quę dicuntur per hoc Sacramentum remitti; tunc respondet *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 1. art. 2. quæstiunc. 1. ad tertium*, non venire dispositiones ex actibus relictas, quæ sunt quidam habitus incohati, sed quædam spiritualis debilitas in mente existens, qua sublata etiam eisdem habitibus, & dispositionibus manentibus non ita potest inclinari mens ad peccata. Sunt formalia verba eiusdem D. Thomæ; ex quibus infertur, quod pro reliquijs peccatorum veniat pronitas, & procliuitas ad peccandum, ineptitudo, torpor, languor, & debilitas ad operandum bonum, hæc etenim omnia comprehenduntur sub nomine spiritualis debilitatis.

9 Soluitur instantia opposita.

Quod, si objicias experientia comperiri, quod, si quis post susceptum Sacramentum Extremæ Vnctionis conualuerit, adhuc prematur huiusmodi spiritualibus debilitatibus, adeoque eorum remissionem non causari ab Extrema Vnctione; statim impugnaberis, quia, vt benè notat *Sotus in quarto dist. 23. q. 1. art. 2.* hoc Sacramentum non tollit fomitem peccati, nec pronitatem ad malum, quæ in nobis naturalia sunt, sed pro tempore, quo applicatur reprimit eorum actus generando spiritualem lætitiam; & ideo mirum non debet apparere, si manente eodem fomite, eademque pronitate postea repullulent ijdem effectus.

ARTICVLVS II.

An Sacramentum Extremæ Vnctionis tollat reliquias peccati originalis.

SVMMARIVM.

Numerantur effectus peccati originalis. 1.
Hoc Sacramentum non tollit reliquias peccati originalis, nisi in ea parte, qua confortatæ sunt ab actualibus. 2.
Colligitur ex forma huius Sacramenti. 3.
Ex eo, quod non possit conferri pueris ante vsum rationis, infertur, quod non sit ordinatum ad reliquias originalis euellendas. 4.
Sacramentum pænitentiæ non tollit reliquias peccati originalis. 5.
Nec reliqua Sacramenta. 6.

1 Effectus peccati originalis.

Effectus plures peccati originalis numerant DD., quorum primus est pugna, qua sensus cum ratione, caro cum spiritu, corpus cum anima colluctatur, quam pugnam Apostolus appellauit legem carnis, peccati, membrorum concupiscentiam &c. Theologi vero appellant sensualitatem, seu fomitem peccati; secundus est animæ perturbatio, quam Theologi animalem passionem vocant, cum mentem hominum perturbat, & commouet; tertius est omnis corporis morbus, & miseriæ innumeræ. Reliquos vos ipsi videte apud scribentes. Quibus pro cognitione suppositis

2 Non tollit reliquias peccati originalis secundum se.

Dicendum est, hoc Sacramentum non tollere reliquias peccati originalis, nisi quatenus sunt confortatæ per actualia peccata, & in ea dumtaxat parte, qua sunt confortatæ. In hoc consentit *D. Thomas dist. 23. q. 1. art. 2. quæstiunc. 4. ad primum, & secundum*. Consonat hoc dictum cum ijs, quæ dicta sunt in calce præcedentis articuli, vbi quod non extinguat fomitem peccati, nec pronitatem ad malum, sed solum, quod, dum applicatur, reprimat actus, quod est idem, ac dicere non tollat reliquias peccati originalis, quæ consistunt in illo fomite, & pronitate, reprimat tamen easdem, prout confortantur ab actibus peccatorum læthalium actualium, hoc est per compressionem effectuum, qui habentur per peccata actualia.

3 Euincitur ex forma huius Sacraméti.

Confirmatur præterea ex forma huius Sacramenti, quæ est applicabilis solummodo ijs, quæ ex sensibus, & voluntate infirmi processerunt. *Quidquid per visum, quidquid per auditum*, & sic discurrendo per reliquos sensus, & organa, *deliquisti*; non deliquit autem per originale in huiusmodi sensibus, cum originale fuerit in ipsum transfusum per Adam, non ministerio propriorum sensuum commissum.

4 Non potest conferri pueris ante vsum rationis.

Hoc etiam euincitur ex ijs, quæ supra dicta sunt, scilicet hoc Sacramentum non possit conferri pueris ante acquisitum vsum rationis eo quia non est quod in ipsis possit per tale Sacramentum remitti, cum ante talem vsum rationis non sint capaces delinquendi; hoc actum congruè non diceretur, si hoc Sacramentum ordinaretur etiam ad reliquias peccati originalis euellendas, cum peccatum originale fuerit etiam in pueros transfusum, & post Sacramentum Baptismatis in eisdem reliquiæ eiusdem permaneant.

5 Sacramétum pænitentiæ non tollit reliquias peccati originalis.

Vlterius ex eo euincitur, quod huiusmodi reliquiæ non tolluntur per Sacramentum pænitentiæ, cum hoc sit institutum solummodo in ordine ad peccata actualia, ergo, nec tolluntur per Sacramentum Extremæ Vnctionis, cum hoc etiam

in

in ordine ad actualia dirigatur. Accedit, quod Sacramentum Extremæ Vnctionis, iuxtà quod dicit Concil. Trident. pluribus in locis est consummatiuum, seu complementum Sacramenti pænitentiæ, ergo solum in eo genere habet complere, quo illud debet perficere, seu efficere; Sacramentum autem pænitentiæ solum habet efficere circa actualia, ergo, & Sacramentum Extremæ Vnctionis habet solum complere in ordine ad actualia.

6 Nec reliqua Sacramenta.

Ratio fundamentalis horum omnium ea est, quia solummodo Baptismus institutus est in ordine ad peccatum originale; reliqua vero, vel in ordine dumtaxat ad actualia, vel ad augmentum gratiæ in ordine ad determinatos effectus ijsdem proportionatos, ergo reliqua Sacramenta ab illo Baptismi non conferunt ad reliquias peccati originalis euertendas.

ARTICVLVS III.

An Extrema Vnctio conferat ad remissionem pænæ pro culpis debitæ.

SVMMARIVM.

Sententia asserens hoc Sacramentum non conferre ad remissionem pænæ temporalis. 1.

Probabilius confert ad remissionem pænæ temporalis debitæ pro peccatis. 2.

Est Sacramentum consummatiuum pænitentiæ. 3.

Euincitur ex verbis D. Iacobi, & quomodo. 4.

Sacramentis, quibus inest vis remissiua peccatorum, inest etiam vis ad ratam remissiuè pænæ. 5.

Est dispositio immediata ad gloriam. 6.

1 Sentētia docens non conferre ad talem remissionē.

GHetius *in thesaur. animæ tom. 4. verb. Vnctio Extrema c. 6. in exposit. lit. D. Thomæ propè medium*, statuit, quod non conferat hoc Sacramentum ad remissionem pænæ debitæ pro culpis addita ratione, quia pænitentia delet cum culpa partem pænæ, reliqua vero per ignem Purgatorij remanet expurganda. Sed non libentèr rationi acquiesco, quandoquidem, nec soli Sacramento pænitentiæ atribuitur remissio pænæ, nec solum pæna in igne purgante purgatur, sed etiam alijs puta Sacrificio Missæ tribuitur, quod huiusmodi remissionem immediatè causat ex opere operato in ijs, pro quibus offertur siue viuis, siue defunctis, prout docet *D. Thomas tertia part. q. 79. art. 5., & in quarto distinct. 12. q. 2. art. 2. quæstiunc. 3.*, *& ibi Albertus art. 2. ad tertium*, *Scotus quodlib. 20.*, *Gabriel lect. 27. in can. Missæ*; hocque ità certum dicit *Suarez disp. 79. sect. 6. §. sed contra*, vt contrarium asserere dicat esse temerarium. Quamobrem sit

2 Probabilius confert.

Conclusio. Probabilius est, Sacramentum Extremæ Vnctionis valdè conferre ad remissionem pænæ temporalis debitæ pro culpis remissis.

3 Est Sacramentum consummatiuum pænitentiæ.

Ratio primò ex eo deducitur, quod Sacramentum Extremæ Vnctionis *à Concilio Trident. sess. 14. in doctrina de Sacram. Extremæ Vnct.*, dicitur complementum, & consummatiuum Sacramenti pænitentię, effectus autem, qui tribuuntur substantiæ non debent denegari eius complemento, & consummatiuo; sed inter effectus Sacramenti pænitentiæ numeratur remissio pænæ debitæ pro delictis, quæ quoad culpam remittuntur, ergo hæc remissio non est deneganda Sacramento Extremæ Vnctionis.

Secundò, quia ineffabilis Dei clementia, & beneficentia erga genus humanum tanta fuit, vt consulere voluerit omnibus modis, & formis eorum incolumitati, vt sibi de remedio consulerent tam quoad culpas, quam quoad pænas eisdem debitas, sed instituit aliqua noua Sacramenta, tanquam instrumenta, & remedia per se conducentia ad remissionem culpæ, ergo congruentissimum fuit, vt noua etiam Sacramenta conderet, tanquam remedia per se conducentia ad remissionem pænæ;

4 Euincitur ex verbis D. Iacobi.

Sacramentum autem Extremæ Vnctionis ad hunc effectum condidisse satis liquet ex verbis D. Iacobi, *Et si in peccatis fuerit remittentur eis*, quod cũ in ordine ad peccata læthalia intelligi nequeat de remissione culpæ, intelligendum est de remissione pænæ, iuxta quem sensum plerique ex SS. PP. ex Theologis intelligunt illa verba D. Iacobi.

5 Pæna quoquo modo simul cum culpa remittitur.

Tertiò, quia ijs Sacramentis, quibus in sacris paginis tribuitur vis remissiua peccatorum tribuitur etiam vis remissiua etiam pænæ eisdem debitæ; sic Sacramento Baptismatis, cui tribuitur vis remissiua originalis, & etiam actualium ante susceptionem eiusdem commissorum, non solum remissio culpæ, sed etiam totius pænæ adscribitur; sic Sacramento pænitentiæ, cui tribuitur remissio culparum actualium post susceptionem Baptismatis commissarum tribuitur etiam remissio pænæ æternæ, & aliqualis etiam temporalis. Sed in sacris paginis Sacramento Extremę Vnctionis tribuitur vis remissiua peccatorum. *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum*, quod principalius intelligunt SS. PP. de salute spirituali, & alleuiatione

ne tali; Rursus, *si in peccatis fuerint, remittentur eis*, ergo eidem etiam tribuenda est remissio pænæ, si non totalis, saltem aliqualis.

Quartò, quia ex *D. Thoma in quarto dist. 23. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. in corpore, & lib. 4. contra Gentes c. 73., & opusc. 65. c. 7.* hoc Sacramentum confertur ab Ecclesia, tanquam extremum remedium, vt immediatè disponens ad gloriam, & vt cum gloria, ad quam disponit, coniungatur; sed hunc effectum non posset consequi, nisi remitteret pænam, cum gloria non concedatur, nisi pæna remissa, ergo &c. Neque dicas, hoc argumentum nimis probare; probat enim, quod illi, qui dignè reciperent hoc Sacramentum, immediatè consequerentur gloriam, cum per illud tota pæna remitteretur; contrà enim impugnaberis, quia, quantum est de se, hoc Sacramentum aptum est totam pænam remittere, & immediatè ad gloriam disponere, sed, vel ex conditione subiecti, vel ex alio capite non semper totalis hic effectus consequitur, ea proportionali ratione, qua Sacrosanctum Missæ Sacrificium aptum est secundum se remittere omnes animarum purgantium pænas, totumque Purgatorium euacuare, non tamen semper iuxta fines Diuinæ prouidentiæ hunc effectum consequitur etiam in ordine ad animas, pro quibus speciatim offertur.

6 Est dispositio immediata ad gloriã.

ARTICVLVS IV.

Quandonam hoc Sacramentum causet suum effectum.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa titulum. 1.

In sententia constituente essentiam Extremæ Vnctionis in vnica tantum, si vnica tantum fieret, vel ob necessitatem, vel ob aliam causam, effectus produceretur in vltimo instanti prolationis formæ. 2.

In sententia tutiori constituente essentiam in vnctione quinque sensuum, effectus producitur in prolatione vltimæ sillabæ applicatæ vltimo sensui. 3.

Soluuntur obiecta contraria. 4.

Facta vnctione quinque sensuum, & etiam renum, & pedum effectus producitur in vnctione vltimi sensus, non renum, & pedum. 5.

Nisi minister positiuè, & expressè non intendat conferre Sacramentum, nisi illis positis. 6.

Non positis vnctionibus renum, & pedum adhuc integer producitur effectus. 7.

Vnctio renum, & pedum est solum ad maiorem expressionem. 8.

IN præcedentibus plura diximus de vnctionibus, quæ fiunt in hoc Sacramento; primò secundum aliquos saluari eius essentiam in vnica tantum vnctione; secundò, secundum tutiorem sententiam debere fieri vnctiones quinque sensuum; tertiò in alijs aliter seruari, & consuetudines approbatas in vnaquaque Ecclesia seruandas esse. His retentis modo sub hoc titulo plura veniunt examinanda; primò, quandonam produceretur effectus huius Sacramenti, quando sistendo in pura essentia vna dumtaxat fieret vnctio; secundò, quando seruata consuetudine fierent plures vnctiones, an in vnaquaque produceretur partialis effectus; an totus effectus in vna tantum produceretur, & quanam. Tertiò, an, cum dictum fuerit vnctionem renum, & pedum ex causa in Ecclesia Romana posse omitti, in sententia asserente effectum totalitèr produci in vltima vnctione, hic producatur in vltima vnctione vltimi sensus, siue omittatur vnctio renum, & pedum, siue non omittatur; an vero, si hæc vnctio non omittatur, solum effectus producatur in vltima renum vnctione. Quartò, vbi ex consuetudine recepta aliæ partes à sensibus vnguntur, in quanam vnctione effectus intelligatur produci.

1 Articuli examinandi circa titulum.

Pro solutione aduerte, ministrum in administratione huius Sacramenti, vel posse intendere efficere omnes vnctiones consuetas Ecclesiæ, vel vnam dumtaxat essentialem, eo quod sit periculum in mora, si omnes perficerentur, vel ex alio fine; ex hac etenim diuersa ministri intentione oriri possunt diuersæ rationes decidendi.

Conclusio I. In sententia asserente, essentiam huius Sacramenti posse in vnica tantum vnctione consistere, stante intentione ministri illam conficiendi in vna tantum, vel ob necessitatem, vel ob aliam causam, effectus eiusdem causatur in vltimo instanti, quo forma illius perficitur, & applicatur materiæ.

2 In sententia constituente essentiam in vnica vnctione.

Ratio ex eo deducitur, quia positis omnibus requisitis substantialitèr ad effectum producendum, iisque applicatis subiecto non est, cur non debeat sequi effectus; sed in data hypothesi, secundum quam dicitur essentia consistere in vnica dumtaxat vnctione cum intentione ministri restricta ad eandem, intelliguntur omnia requisita ad effectum, ad quem est ordinatum hoc Sacramentum, ergo non est, cur non debeat sequi idem effectus. Quod vero hic producatur in vltimo instanti, in quo profertur vltima sillaba formæ essentialis

Effectus produceretur in vltimo instanti formæ illius.

tialis euincitur ex ijs, quæ dicta sunt *in quæstionibus de Sacramentis in genere q. 6. art. 5.*, quæ sunt ibi recolenda, & applicanda hic.

Ad hoc reducuntur ea, quæ ex suppositione huius sententiæ communitèr docent recentiores, quod scilicet, si periculum sit, ne infirmus decedat non perfectis omnibus vnctionibus, possit vna dumtaxat fieri sub vnica forma, per quam nominatim omnes sensus exprimantur.

3 Producitur in vltima sillaba formæ applicatæ vltimo sensui.

Conclusio II. In sententia tutiori constituente essentiam in vnctione quinque sensuum effectus producitur in prolatione vltimæ sillabæ formæ applicatæ vltimo sensui. *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 1. art. 2. quæst. 1. ad secundum, & alij magis communitèr.*

Ratio ex eodem D. Thoma deducitur. Extantibus pluribus actionibus ordinatis ad vnum effectum vltimum vltima est formalis respectu omnium præcedentium, & agit in virtute earum, & ideo in vltima vnctione gratia infunditur, quæ effectum Sacramenti præbet, ergo ex mente D. Thomæ in vltima solum vnctione effectus Sacramenti producitur. Confirmatur; iuxta hanc sententiam consistit essentia indiuisibilitèr in omnibus, adeout, si vna omittatur, non subsistat Sacramentum, ergo perficitur solummodo in vltima vnctione, ergo tunc solum producitur effectus huius Sacramenti, quia tunc solum ponitur effectus, quando ponuntur omnia essentialia requisita ad eundem effectum.

4 Soluuntur obiecta contraria.

Neque obesse potest, si dicatur primò, quod in vnaquaque vnctione sit distincta materia, & distincta forma, & vnaquæque habeat suam perfectam significationem, ergo non est, cur vnaquæque non debeat habere suum proprium, & determinatum effectum. Confirmatur; vnusquisque ordo, quia habet propriam, & determinatam materiam, & formam, consequitur suum proprium, & determinatum effectum independentèr ab alio ordine, ergo etiam &c. Non, inquam, obesse potest, quia, cum hoc Sacramentum institutum sit ad curanda mala, quæ ex diuersis radicibus processerunt, nec malum ab vna radice procedens curari possit perseuerante malo ab alia radice prouenientе, cum vnum peccatum remitti non possit sine alio, hinc est, quod nequeat suum effectum consequi, nisi omnibus sensibus curatis; & per hoc patet, quid respondendum sit ad confirmationem; ideo enim requiruntur omnes vnctiones ad effectum huius Sacramenti, quia purgari non potest vnum malum sine alio; potest autem conferri vna potestas in ordine ad vnum munus in Sacramento ordinis absque eo, quod cóferatur in ordine ad aliud munus, cum stare possit potestas in ordine ad vnum sine potestate in ordine ad alterum.

5 Vnctis etiam renibus, & pedibus effectus producitur in vnctione vltimi sensus.

Difficultas solummodo in eo versari potest, an, si fiant vnctiones non solum in quinque sensibus, sed etiam in pedibus, & renibus, effectus producatur solum, quando facta est vnctio in pedibus, & renibus, an vero, quando facta est vnctio vltimi sensus; & item, an, si omittatur vnctio pedum, & renum, integer consequatur effectus perinde, ac si pedes, & renes fuerint inuncti. In ordine ad primum plerique asserunt, hoc dependere ab intentione ministri, adeout, si intendat non perficere, nisi posita vnctione renum, & pedum, effectus non sequatur, nisi illis positis; sequatur vero posita vnctione vltimi sensus etiam ante vnctionem renum, & pedum, si intentionem habuerit restrictam ad vnctionem sensuum. Sed ego arbitror, absolutè effectum produci post vnctionem vltimi sensus, nisi minister absolutè dixerit. *Non intendo conferre hoc Sacramentum, nisi sit facta vnctio pedum, & renum.* Rationem ex eo deduco, quod positis omnibus essentialitèr requisitis necessario consequi debet effectus, nec est in potestate ministri illum suspendere, cum versemur in causa necessaria. Ratio limitationis est, quia per illam expressam intentionem non conferendi Sacramentum, nisi posita vnctione pedum, & renum, aufert intentionem requisitam ad valorem Sacramenti, si non ponatur illa vnctio, adeoque deficit necessarium requisitum, nempè intentio ministri, sine qua non potest esse Sacramentum. In ordine ad secundum absolutè existimo integrum sequi effectum etiam omissa vnctione renum, & pedum, quia per vnctionem quinque sensuum habetur tota essentia.

6 Nisi intentio sit positiuè restricta ad renes, & pedes, & non aliter.

7 Non positis vnctionibus renum, & pedum adhuc integer effectus producitur.

Difficultas item in eo versari potest, an integer consequatur effectus perinde, ac si pedes, & renes fuerint inuncti. Affirmandum existimo, quia per vnctionem quinque sensuum intelliguntur moralitèr inunctæ radices omnium peccatorum vnde *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 2. art. 3. quæstiunc. 1. in corpore*, asserit, quod, cum hoc Sacramentum exhibeatur per modum curationis, non oportet, quod fiat per medicinam toti corpori appositam, sed illis partibus, vbi est radix morbi, & ideo etiam vnctio Sacramentalis fieri debeat in illis partibus tantum, in quibus est radix spiritualis infirmitatis; Quod, si dicas, etiam in pedibus, tanquam in potentia loco motiua, & in renibus, tanquam potentia appetitiua resideat radix peccatorum,

rum, tunc dicam in illis residere non directiuè, sed executiuè, vnde idem *D. Thomas loc. cit. quæstiunc. 2. in corpore*, subdit, quod vnctio quinque sensuum ab omnibus obseruatur, quia sunt principia cognoscitiua, & principalia, non sic obseruatur ab omnibus vnctio pedum, & renum, quia sunt principia appetitiua, & motiua, & per consequens secundaria. Quamobrem dicendum est, quod vnctio pedum, & renum ad vberiorem expressionem, non ad necessitatem; & ob id Ecclesia indulget, vt ex causa possit omitti.

8 Vnctio pedum, & renum est ad maiorem expressionem.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod stante opinione volente, non produci effectum huius Sacramenti, nisi in postrema vnctione, hoc intelligendum est de illa postrema vnctione, quæ tanquam in parte cognoscitiua, & directiua ab omnibus approbatur quasi de necessitate, non de illa, quæ tanquam in parte appetitiua non approbatur ab omnibus, sed ponitur ad maiorem expressionem.

Quoad ea, quæ quarto loco in principio huius tituli fuerunt proposita examinanda, cum pertineant ad diuersas locorum consuetudines, non congruum ducimus immorari, sed solum in genere dicimus, eas regulandas esse ad normam eorum, quæ statuimus in præcedentibus conclusionibus seruata proportione.

ARTICVLVS V.

An Extrema Vnctio habeat pro effectu sanitatem corporalem.

SVMMARIVM.

Habet ex genere suo causare hunc effectum. 1.

Ratio D. Thomæ, ob quem aqua in Baptismo purgat interius, & exterius, oleum autem in Extrema Vnctione purgat interius, non semper exterius per sanitatem corporalem. 2.

Non causat, nisi in ordine ad sanitatem spiritualem. 3.

Varia obiecta contra conclusionem. 4.

Soluuntur eadem obiecta. 5.

1 Ex genere suo habet causare hanc sanitatẽ.

EX verbis D. Iacobi. *Infirmatur quis ex vobis. Inducat Presbyteros, & orent super eum, & oratio fidei saluabit eum, & alleuiabit eum Dominus*, videtur sufficientèr colligi, causare hunc effectum sanitatis corporalis, ad quod etiam plurimum conferunt orationes, & preces, quæ ex Rituali Romano præmittuntur ad hoc Sacramentum, & subsequuntur. Ibi- *Cura gratia Spiritus Sancti languores istius infirmi, eiusque sana vulnera, & exterius sanitatem misericorditèr redde*; vbi etiam adduntur his conformia, & quidem hæc præstolantur virtute extremæ huius, & sanctæ vnctionis.

2 Cur non semper causat sanitatẽ corporalem.

D. Thomas *in quarto dist. 23. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. in corpore, & lib. 4. contra gentes c. 73., & opusc. 65. c. 7.* facta comparatione huius Sacramenti, & Vnctionis eiusdem ad Sacramentum Baptismatis, & eius ablutionem asserit, quod, sicuti ablutio in Baptismo mundat, & interius animam, & exterius corpus, ità & vnctio in hoc Sacramento curet, & interius infirmitates animæ, & exterius illas corporis; sed postea reflectens, quod aqua sua naturali proprietate habet mundare maculas corporis, non sic oleum sanare corporales infirmitates, hoc discrimen inter vtrumque agnoscit, quod aqua semper mundat, quia hoc præstat ex naturali proprietate, oleum vero non semper sanet corporales infirmitates, quia hoc non præstat ex naturali sua virtute, sed ex virtute Diuina, quæ, cum operetur rationalitèr, non inducit effectum secundarium, nisi, quatenus hic deseruire potest ad primarium, & principalem effectum, hoc est, quando expedit ad spiritualem curationem, & non aliter. Hæc ille, cum quo sit

3 Causat per ordinẽ ad sanitatẽ spiritualem.

Conclusio. Extrema Vnctio habet ex genere suo causare sanitatem corporalem infirmo periclitanti ad mortem, si ità expediat ad primarium effectum spiritualis sanationis. In hoc consentiunt communitèr DD. *cum D. Thoma loc. cit., & tertia part. q. 30. art. 2.*, & signantèr *Bartholomæus ab Angelo §. 127., Suarez disp. 41. sect. 4., Filliutius tract. 3. c. 5. q. 6. nu. 131., Molfesius tract. 4. c. 3. n. 24.*

Expresè deducitur quoad vim causatiuam talis sanitatis corporalis ex verbis D. Iacobi. *Alleuiabit eum Dominus*. Quod verò non semper hanc sanitatem cõferat, constat ipsa experientia. Quod tandem eam non conferat semper, proueniat ex eo, quod non expediat, quod conferat, in ordine ad sanitatem spiritualem, ex eo deducitur, quod tradit idem D. Thomas, quod procedendo secundum naturalem rationem regularitèr non concedatur effectus secundarius, quando deseruire non potest ad primarium; quinimmo aduersari potest primario.

4 Varia obiecta contra conclusionem.

Aduersus ea, quæ hic dicuntur, quod non concedatur hæc corporalis sanitas, nisi vbi conferre potest ad effectum primarium, obijcit primo *Sotus in quarto dist. 23. q. 1. art. 2.*; & primò, quod multi post receptum Sacramentum Extremæ Vnctionis conualuerunt, & postmodum facti sunt peiores, in quibus patet, salutem recuperatam non contulisse ad effectum prima-

marium. Secundò, si quotiescunque salus corporalis expediret ad salutem animæ, illa esset conferenda, frequentissima euenirent miracula, quandoquidem tanta potest esse vis morbi, vt sine miraculo non possit euelli. Tertiò, quia licet salus corporis possit conferre ad salutem animæ, non est tamen medium necessarium ad illam consequendam, adeoque ad illum finem non est necesse, quod salus corporis ponatur.

Verum facili negotio hæc obiecta possunt dissolui. Ad primum dicendum est, illam sanitatem corporalem tunc collatam conferre etiam plurimum posse ad spiritualem animæ; posset etenim esse, quod infirmus, tunc quando collata est extrema vnctio, non esset benè dispositus ad adeptionem gloriæ, ac proinde eidem expediret, vt tunc non moreretur; & in hac hypothesi patet, quod ei conferat ad salutem spiritualem, cum tunc illam ob indispositionem animæ non fuisset consecuturus, & fortè in alia infirmitate postea consequetur; Nec obstat, quod fortè postea factus fuerit peior, quia hoc esset ex fomite adhuc in eo vrgente, & fortè posset ex consideratione suorum enormiorum criminum feruentior resurgere. Ad secundum dicendum est, miraculum considerari solummodo, quando infirmus ægrotans ad mortem in instanti sanaretur, quod, non contingit regularitèr in salute corporali, quæ confertur infirmo virtute huius Sacramenti, nam solum alleuiat infirmum, quatenus ipsum confortat in eodem causando hylaritatem, ex qua postea natura confortata paulatim sanitatem recuperat. Ad tertium dicendum est, quod, licet sanitas corporalis non sit medium necessarium ad salutem animæ consequendam, possit tamen multum conferre ad eiusdem consecutionem, quod satis est ad præsens institutum.

5 Soluuntur eadē obiecta.

ARTICVLVS VI.

An sanitas corporis dici possit effectus Sacramentalis Extremæ Vnctionis, seu ex eadem prouenire ex opere operato.

SVMMARIVM.

Rationes suadentes non causare sanitatem ex opere operato, & tanquam Sacramentum. 1.
Vbi causat, causat ex opere operato. 2.
Oratio, quæ adhibetur, est ipsa forma Sacramenti. 3.
Quod quandoque non causet, est ex conditione infirmantis. 4.

Contendunt plurimi, Sacramentum Extremæ Vnctionis in ordine ad sanitatem corporalem non comparari tanquam Sacramentum, sed tanquam quoddam Sacramentale, ad instar aquæ benedictæ; ad quod nonnullis rationibus mouentur. Primò, quia effectus, qui ex opere operato per Sacramenta producuntur; remoto obice semper producuntur; habent enim Sacramenta infallibilem connexionem cum suis effectibus, nisi obex resistat, quinimmo, vbi etiam adest obex, qui pro tempore, quo recipiuntur, obsistat eisdem effectibus, illo remoto reuiuiscunt, & tunc causent effectus, vt latè docuimus in quæstionibus de Sacramentis in genere, & fortè etiam infra trademus, sed sanitas corporalis etiam remoto quocunque obice per receptionem huius Sacramenti non semper, quinimmò raro producitur, ergo &c. Secundò, quia effectus corporalis sanitatis non tribuitur Sacramento Extremæ Vnctionis simpliciter, sed tantum sub conditione, vt colligitur *ex Concil. Trident. sess. 14. c. 2. de Sacram. Extremæ Vnctionis, & can. 2., ex Florent. in decret. Armen, ex Coloniensi part. 7. c. 49., & ex Catechismo Romano*, ergo non est eius effectus ex opere operato, Nihilominus sit

1 Rationes suadentes non causare ex opere operato.

Conclusio. Effectus sanitatis corporalis, vbi ponitur, est effectus Sacramentalis Extremæ Vnctionis, & ab hac proueniens ex opere operato. In hanc consentire videtur *D. Thomas in quarto dist. 23. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. in corpore*, dum dicit, quod, quando expedit ad spiritualem sanationem, semper eam inducat, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.

2 Vbi causat, causat ex opere operato.

Ratio ex eo deducitur, quod D. Iacobus enumerans effectus huius Sacramenti numerat etiam hanc corporalem sanationem. Ibi- *Alleuiabit eum Dominus*; alij autem effectus sunt ex opere operato, ergo, & iste &c. Neque dicas, hunc effectum tribui orationibus Sacerdotum. *Orent super eum, & alleuiabit eum Dominus*; quod autem prouenit ex orationibus, est potius ex opere operantis, & ex parte orantis, quam ex opere operato, & ex parte Sacramenti; contrà enim impugnaberis primò, quia hac ratione, & salus animæ, & sanatio infirmitatis spiritualis esset solummodo ex opere operantis, & ex parte orantis, nam etiam dicitur. *Orent super eum, & oratio fidei saluabit infirmum*; secundò oratio, cui tribuitur alleuiatio, seu sanitas corporalis infirmi est ipsa forma huius Sacramenti, quæ se habet per modum

3 Oratio, quę adhibetur est ipsa forma Sacramēti.

dum deprecationis iuxtà ſupradicta; quæ autem proueniunt à forma Sacramentali proueniunt vigore eiuſdem ex opere operato.

Nec obſtant, quæ ex aduerſo afferebantur; non primum, quia, quod non ſemper ſequatur effectus corporalis ſanitatis, hoc non eſt ex defectu eiuſdem Sacramenti, ſed ex conditione infirmantis, quæ non tollit, quin, quando ponitur talis effectus, ponatur vigore, & virtute Sacramenti. Quod deinde quandoque non ponatur talis effectus, hoc etiam eſt virtute Sacramenti, quod, cum primario ſit ordinatum ad ſalutem animæ, efficit etiam, quod non ponantur ea, quæ poſſunt obſiſtere eidem ſaluti, hoc eſt ſanitati corporali, quando hæc non eſſet proficua eidem ſaluti ſpirituali. Dici etiam poteſt, quod duplex poteſt conſiderari obex ad effectum, alter poſitiuus ad effectum primarium, alter quodamodo negatiuus ad ſecundarium; primus eſt actuale peccatum læthale, qui impedit conſecutionem gratiæ; ſecundus indiſpoſitio, ſecundum quam prouidetur ſanitatem corporalem non profuturam, ſed potius obfuturam effectui primario, ne conſequatur gloriam, eo quod ſanatus eſſet abuſurus eadem ſanitate; vnde, ſi non ponitur eadem ſanitas corporalis, eſt ob obſiſtentiam illius obicis negatiui, ſicuti, ſi non ponitur effectus primarius, eſt ex obſiſtentia obicis poſitiui; ex quo infertur, quod, ſicuti non tollitur, quin, quando non eſt obex poſitiuus, effectus primarius ſit ex opere operato virtute Sacramenti, quamuis non ponatur exiſtente obice, ita non tollatur, quin quando non eſt obex negatiuus; ponatur effectus ſecundarius, qui ſit ex opere operato, & virtute Sacramenti, quamuis non ponatur exiſtente eodem obice negatiuo.

4 Quod quandoque non cauſet eſt ex conditione infirmantis

Non ſecundum propter eandem rationem, quia conditio, ſi qua eſt, ſe tenet ex parte ægrotantis, quæ propterea non tollit efficaciam, & virtutem Sacramenti, ſi effectus non ſequatur, vnde, ſi ſequitur, tribuendus eſt eiuſdem virtuti, & efficaciæ.

ARTICVLVS VII.

An ſuſcipiens ficte hoc eſt cum obice hoc Sacramentum conſequatur eius effectum, & ſi tunc non conſequatur, conſequatur remota fictione, ſeu obice.

SVMMARIVM.

Suſcipiens hoc Sacramentum cum obice ſiue culpabili, ſiue inculpabili, tunc non conſequitur effectum eiuſdem. 1.
Non habet per ſe cauſare primam gratiam. 2.
Remoto obice, ſeu fictione conſequitur effectum. 3.
Illud Sacramentum vtpotè validum remanet in acceptatione Diuina. 4.
Soluitur obiectum oppoſitum. 5.

NOn diu immorandum in diſcuſſione huius tituli, cum eius deciſio colligi poſſit ex ijs, quæ dicta ſunt *in quæſtionibus de Sacramenti in genere q. 4. art. 5. aſſert. 3.* Ad vberionem tamen notitiam eorum, quæ ad præſens inſtitutum pertinent, placet penitus eius examen hic non omittere, ſed aliqua ſaltem ex ibi, & alibi per actis delibare. Quamobrem

Dico primò, ſuſcipientem hoc Sacramentum cum obice ſiue culpabili, ſiue inculpabili non conſequi tunc, cum illud recipit, effectum eiuſdem. Conſentit *D. Thomas lib. 4. contra Gentes c. 73., & in quarto diſt. 23. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. ad ſecundum.* Quod exiſtente obice culpabili non conſequatur effectum huius Sacramenti, manifeſtum eſt, quia cum obice poſitiuo, qui importat culpam læthalem, non compatitur effectus gratiæ, nec dignus eſt quis gratiam recipere per actionem, per quam meretur indignationem Diuinam, ſed, qui recipit Sacramentum Extremæ Vnctionis cum obice poſitiuo culpabili, recipit per actionem, per quam meretur eandem Diuinam indignationem, quandoquidem ſancta indignè pertractat, ergo non eſt dignus recipere gratiam, & effectum huius Sacramenti.

1 Suſcipiēs cum obice non cōſequitur tunc effectum.

Quod vero etiam exiſtente obice negatiuo, & non culpabili non recipiat effectum huius Sacramenti ex eo euincitur, quod gratia non compatitur cum peccato, nec ponitur, niſi illud auferatur, ſed permanente obice negatiuo adhuc permanet peccatum, nec eſt, per quod illud tollatur, ergo non poteſt poni effectus gratiæ, & effectus huius Sacramenti. Minor, in qua tota ſtat difficultas, ex eo euin-

euincitur, quod obex negatiuus consistit in peccato verè existente, licet præsumatur remissum, quod tamen verè remissum non est; nec per ipsum Sacramentum Extremæ Vnctionis præcisè potest remitti, quandoquidem hoc natum non est ad remittenda peccata læthalia, vt supra probauimus, nec per illud præcisè peccator de atrito fit contritus, cum hoc sit speciale in Sacramentis Baptismatis, & Pænitentiæ, ergo &c. Neque hic audiendi sunt, qui dicunt, quod, quamuis hoc Sacramentum per se non sit natum producere primam gratiam remissiuam peccatorum læthalium, possit tamen per accidens eam producere; Non, inquam, audiendi sunt, quia hoc illorum subterfugium clausum est in quæstionibus de Sacramentis in genere.

2 Non habet per se causare primã gratiam.

Dico secundò, suscipientem hoc Sacramentum cum obice, seu fictione, quantumuis tunc, cum recipit, non consequatur effectum eiusdem, consequi tamen postea remoto obice. Consonat cum ijs, quæ docuimus *in quæstionibus de Sacramentis in genere q. 4. art. 5. assert. 3.*, & tradunt *Caietanus in opusc. tract. 5. q. 5., Ioannes à Sancto Thoma disp. 24. art. 1. dub. 6., Petrus Soto de instit. Sacerd. sect. 5. de Baptismo, Nugnus in tertia part. q. 62. art. 1. difficul. 6., Arriaga disp. 14. sect. 4.* Expressè hoc tradit *D. Thomas in quarto dist. 17. q. 3. art. 3.* vbi supponens Sacramentum pænitentiæ posse esse validum, & informe, sic loquitur. *Et quamuis tunc non percipiat absolutione fructum, tamen recedente fictione percipere incipit, sicuti etiam est in alijs Sacramentis*; quamuis autem non adhæreamus D. Thomæ in illa suppositione, qua credit posse Sacramentum esse validum, & informe, eius tamen auctoritas extensa etiam ad illud Sacramentum fortiorem vim facit in alijs Sacramentis, ac proinde etiam in isto Extremæ Vnctionis.

3 Remoto obice, seu fictione cõsequitur effectum.

Ratio fundamentalis horum omnium, quæ hic dicuntur, consistit in eo, quod, cum hoc Sacramentum supponatur validè collatum, si non remanet quoad effectum in subiecto, in quo recipitur ob illius indispositionem, remanet tamen in acceptatione Diuina, vt loquitur D. Thomas, ergo remoto obice, ob quem effectus non poterat esse in eodem subiecto, non erit, cur in eodem non debeat produci. Recole, quæ dicta sunt in eisdem quæstionibus de Sacramentis in genere *d. quæst. 4. art. 5. assert. 3.* vbi planè hæc firmantur, & vindicantur ab omnibus contrarijs; non enim vacat hic ea repetere.

4 Illud Sacramentum vtpotè validum remanet in acceptatione Diuina.

Difficultas aliqua circa hoc speciale Sacramentum Extremæ Vnctionis videtur in eo consistere, quod, cum hoc institutum sit, vt disponat immediatè ad gloriam, ad quam præparat, vt loquitur *D. Thomas tertia part. quæst. 65. art. 1. in corpore, & ad primum*, vix videtur posse consequi illum effectum, quandoquidem, vel infirmus recepto sine fructu eodem Sacramento moritur, & tunc, cum non supponatur remotus obex, non potest eundem fructum recipere obsistente eodem obice, vel conualescit, & tunc, cum non possit esse immediata coniunctio, & præparatio ad gloriam, non videtur consequi effectum, ad quem est institutum. Sed hæc difficultas leuis roboris est ad euertendam vim conclusionis nostræ; nam potest contingere, quod ante mortem sic vnctus remoueat obicem per actum contritionis, vel dilectionis Dei super omnia, quem actum, si non eliciat, sibi debet imputare; nec nouum est, quod quandoque Sacramenta licet validè collata remaneant inutilia, cum nec conferant effectum, cum recipiuntur, nec alio tempore, cum obex non remoueatur; Si vero conualuerit, & obicem non remouerit, nisi, postquam periculum mortis euanuerit; tunc dicendum est, consequi gratiam, quæ secundum se esset immediatè dispositiua ad gloriam, illam tamen coniunctionem cum gloria actu non causat non defectu sui, sed defectu, seu ex causa subiecti, quod illud periculum euasit.

5 Soluitur dubium oppositũ.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

De Ritibus, quibus administrandum est hoc Sacramentum.

MAximè decet dignitatem Sacramentorum, vt non nisi cum magna reuerentia conferantur, seu administrentur. Hinc Ecclesia Diuinæ mentis interpres, & executrix in singulorum Sacramentorum administratione iuxta eorum conditionem, & naturam quendam rituum, & ceremoniarum apparatum induxit, qui non solum conferret ad maiorem eorundem venerationem, sed etiam ad feruentiores animæ affectus excitaret erga eadem Sacramenta. Hi autem ritus alij consistunt in rebus, alij in verbis, seu orationibus, alij in actionibus; alij sunt præuij ad idem Sacramentum, alij comitantes, alij subsequentes. De ijs omnibus aliqua breuitèr attingemus, cum alia possint haberi in rubricis Ritualis Romani, aliorumque Ritualium iuxta consuetudines diuersarum regionum.

ARTICVLVS I.

De ritibus, qui obseruari debent præcisè ad hoc Sacramentum, tum ex parte ministri, tum ex parte infirmi.

SVMMARIVM.

Sacerdos tenetur, si commodè haberi potest, adhibere saltem vnum Clericum Ministrum. 1.

Item tenetur sacras vestes adhibere saltem seperpelliceum, & stolam. 2.

Sententia docens etiam in casu necessitatis non posse conferri hoc Sacramentum sine superpelliceo, & stola. 3.

Mitius procedunt, qui dicunt in casu necessitatis posse conferri adhibita solum stola. 4.

Non currit paritas de Sacrificio Missæ. 5.

Congruentèr deferri debet oleum sacrum à Sacerdote, vel Diacono cum lumine. 6.

Ex parte infirmi prærequiritur, si fieri potest, confessio Sacramentalis. 7.

Requiritur in eodem exterior deuotio, & qualis. 8.

Item interior, & qualis. 9.

SAcerdos administraturus hoc Sacramentum præuiè ad idem ex præscripto Ecclesiæ plura obseruare tenetur. Primò adhibere tenetur, si commodè potest vnum saltem Ministrum Clericum, alioqui solus Sacerdos poterit omnia, quæ ad talem administrationem pertinent, peragere, prout docet *Glosa in c. quæsiuit de verb. significat. verb. etiam solus, Capeauille c. 5. q. 36., Toletus lib. 7. c. 2. in fin., Bartholomæus ab Angelo Dialog. 3. §. 153.*, qui alios plures allegat.

> 1 Vnus saltem Clericus, vt Minister est adhibendus.

Secundò tenetur adhibere sacras vestes, quæ in hoc munere præscribuntur saltem superpelliceum, & stolam, cum hæc exigat dignitas, & reuerentia debita tanto Sacramento, & in hoc omnes conueniunt, & communis praxis hoc seruat, adeout, si extra necessitatem illas non adhibeat, grauem noxam non effugiat. An vero in casu necessitatis liceat sine illis hoc Sacramentum ministrare, negat *Bonacina de Sacramento Extremæ Vnctionis disp. 8. quæst. vnica punct. 6. num. 9. in fin.*, vbi allegat Suarez, & Naldum paritate deducta ex Sacramento Eucharistiæ, quod non licet conficere etiam in necessitate communicandi infirmum in extremis laborantem sine sacris vestibus, circa quod videtur vrgere fortior ratio pro negatione talis administrationis sine eisdem vestibus in hoc Sacramento Extremæ Vnctionis, ac in illo Eucharistiæ, quandoquidem illud necessarium non est, nec necessitate Sacramenti, nec necessitate præcepti siue Diuini, siue Ecclesiastici, istud vero est necessarium necessitate præcepti Diuini; si ergo non obstante tali necessitate non licet Sacrificium Missæ conficere sine sacris vestibus, multo minus sine eisdem licitum erit ministrare hoc Sacramentum Extremæ Vnctionis, cum nulla vrgeat necessitas illud conferendi. Nihilominus non ita rigidè procederem in hac hypothesi, quin eximerem à graui culpa, si vrgente tali necessitate adhibita sola stola reliquæ vestes omitterentur. Ratio est, quia non ità rigidè præscriptæ sunt sacræ vestes ad administrationem huius Sacramenti, sicuti præscriptæ sunt pro confectione Sacramenti Eucharistiæ, potissimum cum non habeant illam misticam, & moralem significationem, quam habent præscriptæ pro Sacrificio Missæ; item ex eo, quod in diuersis regionibus non æqualitèr sunt præscriptæ vestes pro administratione Extremæ Vnctionis, sicuti æqualitèr sunt præscriptæ pro Sacrificio

> 2 Sacerdos tenetur adhibere sacras vestes, & quales.

> 3 Sententia docens etiam in necessitate non posse cōferri sine sacris vestibus.

> 4 Mitius procedūt, qui dicūt posse cōferri adhibita solū stola.

cio

cio Missæ; vnde refert *Morinus lib. 10. de pœnit. c. 15.*, quod in Codice Sanctæ Mariæ Rhemensis sit præscriptum, quod Sacerdos in administratione huius Sacramenti debeat esse indutus superhumerali, alba, & stola, quod non est præscriptum in alijs Ritualibus, quinimmo in diuersis diuersa statuuntur. Nec valet argumentum deductum à paritate Sacrificij Missæ, quandoquidem illud propter supremam excellentiam, quam habet ratione continentiæ sanctitatis substantialis, nempè Christi Domini, exigit summam reuerentiam in eius confectione, & hoc ex strictiori Ecclesiæ præcepto. Tandem hoc potest euinci ex paritate aliorum Sacramentorum, quæ maximè, si in necessitate administrentur sine sacris vestibus, nullam inducunt prauitatem in ministro, vt videre est in Sacramento Baptismi, & pœnitentiæ; Neque obesse potest, si dicatur, quod hæc sint Sacramenta necessitatis, non sic illud Extremæ Vnctionis; Non, inquam, obesse potest, quia etiam Sacramentum Eucharistiæ respectu constituti in articulo mortis, est necessarium necessitate præcepti Diuini, nec tamen licitum est illud conficere sine sacris vestibus; ex alio igitur titulo desumenda est necessitas sacrarum vestium, nempè ex veneratione debita Sacramentis, quæ non æqualitèr vrget in omnibus, vt mox dicebamus, sed iuxta magis, & minus strictum Ecclesiæ præceptum.

5 Non currit paritas de Sacrificio Missæ.

Tertiò debet oleum sacrum deferre cum lumine ob reuerentiam debitam consecrationi eiusdem, sicut obseruat *Barbosa de offic. Parochi c. 22. n. 44.*, & item ipse illud deferre decentèr, vel alius Sacerdos, vel saltem Diaconus, vt præscribit Rituale Romanum. Si tamen hi ritus omitterentur sine contemptu, & vrgente aliqua necessitate, non damnarem ministrum sic omittentem grauis culpæ, quia hi ritus non præscribuntur sub graui.

6 Congruentèr oleum sacrum deferri debet cũ lumine.

Ex parte etiam infirmi vngendi plura requiruntur; primò, si sit in statu, vt prius purget animam suam per Sacramentalem confessionem à culpis læthalibus; hoc etenim exigit conditio Sacramenti viuorum, quod, vt suos præstet effectus, exigit in subiecto carentiam cuiuscunque obicis ad eosdem effectus, ne inanis reddatur eiusdẽ Sacramenti collatio; & licet possit remouere obicem, & constituere se in gratia per actum contritionis, seu dilectionis Dei super omnia, hoc tamen debet esse cum voto saltem implicito Sacramenti pœnitentiæ, & quando in effectu hoc potest haberi, debet præmitti, quia tutius est remedium, & regularitèr solum conceditur receptio aliorum Sacramentorum, quando quis sibi conscius est læthalium præmisso præcisè actu contritionis, quando vrget necessitas, nec potest præmitti Sacramentalis confessio. Dixi, *si sit in statu*, nam, si repentino morbo correptus fuerit sensibus destitutus ita vt confessionem nequeat præmittere, nec edere possit signa doloris, & pœnitentiæ, ratione quorum eidem possit Sacramentalis absolutio impendi; tunc poterit eidem Sacramentum hoc conferri, si christianè, & laudabilitèr vixerit, quia præsumi potest, quod peteret, si posset. Impœnitentibus autem, & qui in notorio peccato læthali deficiunt non est conferendum, vt præscribit *Rituale Romanum tit. de Sacram. Extr. Vnct.*

7 Prerequiritur, si fieri potest in infirmo cõfessio Sacramentalis.

Secundò requiritur ex parte eiusdem, quantum fieri potest, exterior, interiorque deuotio; exterior in modesta, & humili corporis compositione, vnde antiquitus, vbi vires suppetebant, conferri consueuit infirmis extra lectum stantibus ad dextram Sacerdotis, & genuflexis, dum Sacerdos dicebat illam orationem *Domine Deus, qui per Apostolum &c.* vt colligitur ex antiquo Codice Siculo, qui teste *Contensonio lib. 11. part. 4. dissert. 1. c. 1. specul. 3.* seruatur in Bibliotheca Barbarina; quinimmo infirmi periclitantes ad mortem deferebantur ad Ecclesiam, vt hoc Sacramentum reciperent, vt legitur in vita Sancti Vusualdi. Hodie tamen vsus inualuit, vt hoc Sacramentum ministretur infirmis existentibus in lecto domus propriæ ob periculum celerioris mortis, si è lecto amoueantur; ibi tamen debent signa exterioris deuotionis exhibere ob reuerentiam, & venerationem Sacramenti.

8 Requiritur in eodem exterior deuotio.

Interior etiam deuotio requiritur, vt scilicet recipiatur in spiritu humilitatis, & in animo contrito, vt vberiorem fructum percipiat; vnde Sacerdos ministraturus hoc Sacramentum ad excitandum ad vberiorem pietatem, & deuotionem infirmum erga hoc Sacramentum assolet eidem crucem pie deosculandam exhibere, illumque pijs verbis consolari, & de huius Sacramenti vi, & efficacia breuitèr admonere, eumque erigere in spem vitæ æternæ.

9 Item interior, & qualis.

AR-

ARTICVLVS II.

De ritibus consistentibus in verbis, quos præuiè, concomitantèr, & subsequentèr debet minister seruare.

SVMMARIVM.

Quænam præuiè ad vnctionem quoad verba præstare debet Sacerdos. 1.
Hæc in necessitate possunt omitti. 2.
Si fuerunt omissæ orationes præcedentes ob periculum mortis peractis legitimis vnctionibus, si infirmus adhuc sit superstes, orationes omissæ sunt recitandæ. 3.
Si ob periculum instantis mortis factæ fuerint omnes vnctiones sub vna forma comprehendente omnes sensus, si adhuc sit superstes, non videntur repetendæ. 4.
Si vero facta fuerit vnica vnctio, quæ fieri tantum potest sub conditione, sunt faciendæ in omnibus sensibus. 5.
Si vnica tantum facta fuerit vnctio repetendæ sunt vnctiones in singulis sensibus cum debitis formis. 5.
An septem Psalmi sint ex præcepto recitandi. 6.
Debet cauere minister, ne prius perficiat formam, ac perfecerit vnctionem. 7.

1 Quæ præuia ad vnctionẽ præstare debet Sacerdos.

CVm Sacerdos ministraturus hoc Sacramentum ad locum peruenerit, vbi ægrotus vngendus decumbit, annunciare debet pacem illi domui, & omnibus habitantibus in ea aspergendo illam, & eos aqua benedicta dicens: Pax huic domui &c. Asperges &c. Postea congruum est, & maximè expediens, vt breuibus, & pijs verbis, vt supra insinuabam, confortet languentem, moneat de efficacia huius Sacramenti, eumque erigat in spem salutis æternæ &c. Postea recitet orationes, quæ in Rituali Romano præscribuntur; Subinde facta confessione generali per infirmum, si potest, vel per alium eius nomine, si non potest, & data generali absolutione deueniat ad vnctiones consuetas monitis prius adstantibus, vt pro illo orent, &, si commodè potest, recitent Psalmos Pænitentiales.

2 Hæc in necessitate possũt omitti.

Hæc, quæ diximus, seruanda sunt, si commodè fieri potest, & non sit periculum in mora; quod, si vrgeat exitus infirmantis, omitti possunt prædictæ orationes, & immediatè deueniri debet ad vnctiones applicatis debitis formis singulis. Quod, si etiam sit periculum, quod omnes vnctiones non possent perfici; vel omnes vnctiones sub vna forma, qua omnes sensus exprimantur, haberi possunt, vel vna pars tantum inungi sub vna forma omnes sensus in genere comprehendente. Sed hoc fieri potest solum sub conditione.

3 Orationes omissæ, si infirmus sit superstes sunt recitandæ.

Sed, an, quando ob periculum omissæ fuerunt consuetæ orationes præcedentes ob periculum, ne ægrotus statim decederet, peractis vnctionibus adhuc viuit, orationes eædem omissæ sint recitandæ, affirmat *Rituale Romanum sub tit. de Sacram. Ext. Vnct. vers. si quis autem laboret*. Sed, an in hac hypothesi, qua post peractas vnctiones, adhuc infirmus superstes est, & periculum sit, ne possint recitari orationes præcedentes, quæ fuerunt omissæ, & subsequentes ad easdem vnctiones, sint potius recitandæ præcedentes omissæ, an vero subsequentes. Crediderim potius subsequentes recitandas esse, quam præcedentes; cum illæ sint complementum substantiæ Sacramenti, istæ vero tantum dispositiones, quæ non videntur requiri, cum iam forma habita est.

4 Factis omnibus vnctionibus sub vna forma comprehendente omnes sensus nõ sunt repetendæ.

Quid verò sentiendum sit, si ob periculum instantis mortis, adhibitæ fuerunt omnes vnctiones sub vna forma, vel vna tantum pars inuncta sub forma comprehendente omnes sensus in communi, an tunc, si superstes adhuc fuerit, sint repetendæ omnes formæ in particulari, seu inungendæ omnes partes sub suis singularum formis, si vna tantum fuerit inuncta sub forma comprehendente omnes sensus in communi. Tunc quoad primum dicerem, non esse repetendas omnes formas, cum illa forma, sub qua factæ fuerunt omnes vnctiones, relata fuerit expressè ad omnes sensus, vnde non est, cur sit iteranda. Adde, quod non congruè iterandæ sunt formæ, nisi de nouo applicetur materia; nec videtur congruum repetere vnctiones, quæ immediatè ante factæ sunt.

5 Si facta fuerit vnica vnctio est repetenda in singulis sensibus.

Quoad secundum dicerem, posse repetere vnctiones omnes sub singulis earum formis, quia prima vnctio fieri non potuit, nisi sub conditione.

Aduerte autem hic, quod ea, quæ modo diximus, procedunt vrgente necessitate, & existente periculo in mora; cæterum non extante tali necessitate, & periculo tenetur etiam sub graui Sacerdos præmittere consuetas orationes, & preces præscriptas in Rituali Romano, vel in alio iuxta consuetudines, quia secus transgrederetur præceptum Ecclesiæ, quod ex genere suo peccaminosum est; & quidem, quod Ecclesia obliget ad hoc sub graui, colligitur etiam ex eo, quod præcipiat, si fuerint omissæ ex necessitate, cessante necessitate etiam peractis vnctionibus suppleantur, vt notant *Suarez tom. 4. disp. 44. sect. 2., Naldus verb. extrema vnctio num. 1.* Monet tamen hic *Bonacina*

6 An septẽ Psalmi sint ex præcepto recitandi

de Sacram. Extremæ Vnctionis disp. 8. q. vnica punct. 6. n. 7. vers. excipi possunt, quod, si omittantur septem Psalmi Pænitentiales, non contrahatur grauis culpa, cum arbitretur, non cadere sub præcepto Ecclesiæ, præcipuè cum in rubricis Ritualis Romani non præcipiatur Parocho, vt recitet huiusmodi Psalmos, sed, vt moneat adstantes, vt pro ægroto orent, & vbi commodum fuerit pro loco, & tempore, & adstantium numero, vel qualitate, recitent septem Psalmos, vel alias preces.

7 Non debet prius perfici forma, ac facta fuerit vnctio.

In ipsa sacra vnctione cauere debet minister, ne prius absoluat formam Sacramentalem, ac perfecerit vnctionem, quia forma debet aduenire materiæ, non è contra; non damnarem tamen grauis culpæ Sacerdotem, si pro eodem instanti terminaret vnctionem, & formam, vel fortè etiam formam in signo præcedenti, quia versamur in moralibus, in quibus non requiritur coexistentia Physica.

Peractis ritè omnibus vnctionibus tenetur Parochus, si infirmus adhuc est superstes, recitare preces, & orationes, quæ præscribuntur in Rituali Romano, vel alijs Ritualibus iuxta consuetudines locorum, & quidem sub eodem onere, sub quo tenetur quoad præcedentes.

ARTICVLVS III.

De Ritibus consistentibus in actionibus, quas minister præuiè, concomitantèr, & subsequentèr seruare tenetur in administratione Extremæ Vnctionis.

SVMMARIVM.

Sacerdos ministraturus debet esse immunis à culpa lethali. 1.
Et etiam ab immunditia in corpore. 2.
Debet decenter oleum deferre. 3.
Quænam debeat præparare. 4.
Debet pollice dextero inungere. 5.
Tempore pestis potest etiam virga. 6.
In formam crucis, sed non ex necessitate. 7.
In sensibus habentibus duo organa debet vtrumque inungere. 8.
In Sacerdote infirmo debet manus vngere in parte exteriori. 9.
Debet Sacerdos vel per se, vel per alium Sacerdotem bombacio abstergere partes inunctas. 10.

1 Sacerdos vncturus debet esse immunis à culpa.

SI Parochus sibi conscius fuerit alicuius, vel aliquorum peccatorum lethalium, si commodè potest, ad administrationem huius Sacramenti præmittere debet confessionem Sacramentalem, vel si commodè non potest, & sine adstantium scandalo, saltem actum contritionis, & dilectionis Dei super omnia, & hoc ex generali regula, quod ministri Sacramentorum ad dignè ea conficienda debent esse in gratia constituti, vt sanctè sancta pertractent.

2 Et à sordibus in corpore.

Nec solum munditiam in se ipsis quoad intimum animæ curare debent ministri huiusmodi, sed etiam externam in corpore, in loco, ad quem oleum consecratum deferendum est, & in quo vnctio sacra peragenda, & hoc ob reuerentiam debitam oleo consecrato, & Sacramento, quod ibi fieri debet. Debet etiam decentèr deferre oleum sacrum sacculo serico violacei coloris inclusum cum vno saltem ministro, qui crucem sine hasta, aquam benedictam cum aspersorio, & ritualem librum deferat. Quod, si ægrotus morte imminente sit simul communicandus per modum viatici, & extremè inungendus, tunc ipse Sacerdos, qui Eucharistiam defert, potest simul sacrum oleum in parte decenti appensum deferre, vel alter Sacerdos, si ibi fuerit, vel saltem Diaconus; & hæc seruanda sunt, quantum fieri potest.

3 Debet decenter oleum deferre.

4 Quænam debeat præparare.

Aptare item debet bombacium, vel quid simile in septem globulos distinctum ad abstergendas partes inunctas, item medullam panis ad detergendum digitos, & aquam ad manus abluendas.

5 Debet pollice dextero vngere.

Præmissis orationibus, & precibus, vt in præcedenti articulo dictum est, deuenire debet ad sacras vnctiones; pro quibus intingere debet pollicem in oleo sacro, vt commodè possit partes inungere. Hic tamen aduerte, quod pestis tempore ad vitandum periculum infectionis possit minister vti virga argentea oblonga, vt supra insinuatum est, vt præter ibi allegatos tradunt *Suarez tom. 4. disp. 44. sect. vlt. in fin.*, *Capeauille c. 5. q. 39.*, *Laiman lib. 5. tract. 8. c. 8. num. 1.* Extra tamen casum pestis, & similem non licet vti tali virga; sed immediatè manu Sacerdotis vnctiones sunt peragendæ, vt tradit *Laiman loc. cit.* quia ita seruat praxis Ecclesiæ.

6 Tempore pestis etiam virga.

7 Debet inungere in formâ crucis, sed non ex necessitate.

Debet item inungere partes in formam crucis, sicuti in eandem formam ministrantur alia Sacramenta, vt notat *D. Augustinus tract. 3. in Ioannem* relatus *in c. num. quid dist. 5. de consecr.*, *& ibi etiam Glosa vers. nisi cruce*. Hæc tamen inunctio in formam crucis non est necessaria necessitate Sacramenti, nec necessitate præcepti saltem sub graui, vt notant *Suarez tom. 4. disp. 40. sect. 2. num. 3.*, *Zambranus c. 5. princip. num. 12.*, *Coninchus disp. 19. dub. 2. in fin.* Neque obstat, si dicatur, quod de necessitate Sacramenti, vel saltem præcepti obligantis sub graui esse, quod vnctio in Con-

Confirmatione fiat in modum crucis, ergo etiam in Extrema Vnctione: Non obstat, inquam, quia est specialis ratio in Sacramento Confirmationis, quia in hac fideles signari debent, tanquam militantes sub vexillo crucifixi, vnde in forma dicitur, *signo te signo crucis;* ex quibus eruitur, quod, si Sacerdos instante mortis periculo, vt citius se expediat, vngat non efformato crucis signo nullatenus peccet, vt notat *Laiman lib. 5. tit. 8. c. 2. num. 7. in fine.*

8 In sensibus habentibus duo organa debet vtrumque inungere.

Debet item in sensibus habentibus duo organa, puta in visu habente duos oculos, in auditu habente duas aures &c. vtraque sub eadem forma inungere, non ex necessitate Sacramenti, sed ex consuetudine vim legis habente. Urgente tamen necessitate, & extante periculo in mora potest vnum tantum inungere, prout notant *Henriquez c. 12. nu. 1., Suarez tom. 4. disp. 40. sect. 2. num. 5., Emanuel Sà verb. extrema vnctio num. 12., Zambranus c. 5. princ. num. 9., & alij.*

9 Sacerdotis infirmi manus sunt vngendæ in parte exteriori.

Debet item minister huius Sacramenti illud ministrans Sacerdoti, cum ad vnctionem manuum deuenerit, illas non in parte interiori, sed in exteriori inungere, cum pars interior fuerit in sacra ordinatione inuncta. Hoc præscribit *Rituale Romanum in rub. Sacramenti Extremæ Vnctionis post formam vnctionis manuum*, vt notat *Viualdus de Extrema Vnct. §. vbi conferendum num. 3., Emanuel Sà verb. Extrema Vnctio num. 16. §. Sacerdotes.* Sed *Paludanus in quarto dist. 23. q. 3. art. 3. concl. 3., Zambranus c. 5. num. 5., Laiman. d. lib. 5. tract. 8. c. 8. num. 3.* asserunt parum referre, quod fiat etiam in parte interiori manuum non obstante, quod hæc fuerit inuncta in sacra ordinatione, cum vna ab altera vnctione sic diuersa, & ad diuersum effectum ordinata. Quarè in hoc seruanda est consuetudo regionum.

10 Debet bombacio abstergere partes inunctas.

Debet item ipse Sacerdos, vel per seipsum, vel per alium Sacerdotem post singulas vnctiones abstergere partes inunctas, ne oleum in illis partibus remanens disperdatur, & irreuerentèr absumatur.

Peracta sacra vnctione digitos medula panis ibi præparata detergit, manus lauat, globulos bombacij, vel alterius materiæ, quibus partes inunctas detersit cum medula panis, qua digitos abstersit in vase mundo reponit, & ad Ecclesiam deferre debet, comburere, cineresque in sacrarium proijcere. Hæc de Sacramento Extremæ Vnctionis dixisse sufficiat, quod vtinam nobis prosit, vt abstergendo maculas omnes nos coniungat cum gloria æterna.

FINIS.

AD LAUDEM OMNIPOTENTIS DEI,
DEIPARÆ VIRGINIS,
ET DOCTORIS GENTIUM.

INDEX RERVM.

P. significat Partem, Q. Quæstionem, a. Articulum, §. Paragraphum, S. Sectionem, n. Numerum marginalem, p. Paginam.

Absolutio.

Absolutio à reseruatis Papalibus.

Absolutio à reseruatis Episcopis.

Absolutio à reseruatis Prælatis Regularibus.

Absolutio à Censuris.

Adam.

Angelus.

Approbatio.

De

Atritio.

B

Beati.

Bestialitas.

C

Causæ excusantes ab integritate.

Charitas.

Christus Dominus.

Circunstantia.

Circunstantia *Quis*.

Circunstantia *Quid*.

Circunstantia *Vbi*.

Circunstantia *Quibus auxilijs*.

Circunstantia *Cur*.

Circunstantia *Quomodo*.

Non-

Confessio.

Confessionis iteratio.

Certus

Consilium.

Contritio.

D

Delectatio.

Deipara Virgo.

Delegatio, Delegatus.

Quo-

Denuntiatio. Denuntiare.

Dubium.

E

Effectus.

Effectus Extremæ Vnctionis.

Episcopus.

adiri

Epistola D. Iacobi.

Examen Conscientiæ.

Excommunicatus.

F

Facultas absoluendi à reseruatis extra articulum mortis extante canonico impedimento adeundi Superiorem.

Forma.

Non

Furtum.

G

Gratia.

I

Inquisitores.

Integritas Confessionis.

Intentio.

In

Interpres.

Iurisdictio.

L

Ludus.

M

Maritus.

Ma-

Tem-

N

Numerus Peccatorum.

O

Oleum.

Omissio.

Opinio.

P

Parochus.

Peccatum.

Peccatum contra naturam.

Peccatum veniale.

Pœnæ.

Pænitentia, quæ virtus.

Etiam

Pœnitentia, vt Sacramentum.

Pœnitentiæ subiectum.

Pœnitens.

Pollutio.

Pollutio Ecclesiæ.

Prælati Regulares.

Reseruatio.

Reuiuiscentia.

Ritus.

An

S

Sacerdos.

Sacramentum Pænitentiæ.

Potest

Sanitas corporalis.

Satisfactio.

Scientia.

Sollicitatio quoad probationes.

Con-

Sollicitatio quoad pænas.

Sollicitudo.

Species peccatorum.

Subiectum Extremæ Vnctionis.

V

Vicarius Capitularis.

Non

FINIS.